M





COMMENTARIA IN LOGICAM ARISTOTELIS.

AD EXCELLENTISSIMVM Ducem de Medina Sydonia Patronum generalem Ordinis Discalceatorum B.M. Redemptionis captiuorum.

Authore Fr. Petro à Iesu Maria, aliàs Serna, Hispalensi, eiusdem instituti professo, quondam ipsius Ordinis in sacra Theologia Magistro.







Anno 1624.





CVM PRIVILEGIO,

HISPALI, Apud Andræam Grande.

FACVLTAS PATRIS Vicarij Generalis.

EGo Frater Ioánes à Sancto Iosepho humillimus Vicarius Generalis totius Congregationis excalceatorum Ordinis B.Mariæ de la Merced, Redemptionis captiuorum, tenore præsentium facultatem concedo, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipio Patri Fratri Petro à Iesu & Maria, vt cum primùm possit, obtenta Regia facultate, librum hunc in Aristotelem à se elaboratum, & à viris doctis nostri Ordinis approbatū edat, & publicum faciat. Datis Matriti in hoc Sanctæ Barbaræ Cænobio. Die 12. mensis Iunij, anno 1623. *Frater Ioannes à Sancto Iosepho.*

APPROBATIO PATRIS COMMENdatoris Hispalensis, & Definitoris Generalis.

DE mandato Patris nostri Vicarij Generalis, hoc commentarium super vniuersam Aristotelis logicam à Pater Fr. Petro à Iesu Maria conceptum vidi, & legi: nihilquè in eo reperi, quod tam moribus, quam rebus nostræ Catolicæ Fidei sit dissonum, imo potius omnibus præcipuè nostræ familiæ scholasticis multum profuturum. Datum hispali in hoc Cænobio Sancti Iosephi. Die 22. Augusti, anno 1623. Fr. Gasparus à Regibus.

APPROBATIO R. P. MAGISTRI & Regentis Conuentus Sancti Thomæ.

DE mandato supremi Senatus, hos vidi Commentarios in vniuersam Aristotelis logicam, editos à Reuerendo, & perdocto Patre Fratre Petro de Iesu Maria, & nil in eis inueni Fidei, & Religioni nostræ dissonum, imo opus omnibus Professoribus ingenuarum Artium vtile, vtilissimū, autē incipientibus propter dexteritatem, distinctionem, facilitatem, & claritatem in difficultatibus enodandis, & explicandis, ac proinde dignum censui, vt prælo mandetur. Datum Matriti in hoc Conuentu Sancti Thomæ 17. Septembris. Anno 1623. *Fr. Emanuel Gartia.*

Suma

3

Suma del Priuilegio.

TIene priuilegio de su Mageſtad por tiempo de diez años, el Padre Fray Pedro de Ieſus Maria, Deſcalço del Orden de nueſtra Señora de la Merced, Redencion de cautiuos, para imprimir eſta Logica, y para que otro ninguno ſin ſu licencia pueda imprimirla, o venderla, como parece por ſu original firmado de Pedro de Cōtreras Secretario. Su fecha en Madrid a 30. dias del mes de Otubre, año de 1623.

Errata huius libri.

Aliquos numeros foliorum, quæſtionum, & articulorum tranſpoſitos animaduertet lector, quos in indice emmendatos cernet.

Præterea fol. 172. col. 1. totum illud §. *Dico tertio*, vſque ad Verbum illud: *probatur* 1. legatur ante titulum articuli ſecundi in fine præcedentis paginæ.

FOlio 23. pagina 1. columna. 2. linea 16. pars per ſe parata, l. pars per ſe ſeparata. fol 23. col. 2. lin. 16. explicite, l. implicite. fol. 25. pag. 2. col. 1. li. 21. viſibilis, l. riſibilis. fo 26. p. 2. col. 2. lin. 23. cognitio, l. cognito, fo. 255. p. 2. col. 1. lin 27. particuris, l. particularis. fol. 255. p. 2. col. 2. lin. 11. illud, l. illum, fo. 288. p. 1. col. 2. lin. 40. ſimilis l. ſi in illis. fo. 288. p. 2. lin. 2. ſit, l. ſic. fo. 291. p. 2. col. 1. lin. 36. eſent tim, l. eſſentiam. fo. 299. pag. 1. col. 2. li. 27. poſt vilem, l. poſsibilem. fo 299 p 2. col. 1 lin. 2. inbolmus, l. inuoluimus, fo. 307. colun. 2 lin. 22. propius, l. proprietas. fol. 307. pag. 2. col. 2. lin. 6. roaleſciti, l. coaleſcit. fo 307. p. 2 col. 2. lin. 6. Deoquè, l. ideoquè. fo. 307. p. 2. col. 2. lin. 10. ponitu, l. opponitur. fo. 308. p. 2. col. 2. lin. 9. maior, l. minor. fo. 308. p. 2. col. 1. lin. 39. quæquè l. quæ. fo. 317. p. 1. col. 1. lin. 30. ex ſe, l. ex ſe eſt. fo. 319. col. 1. li. 37. ipipſi, l. ipſi. fo. 318. pag. 2. col. 2. lin. 2. indiuiſibile ea, l. diuiſibile in ea, fo. 327. p1. col. 2. lin. 11. ſecundum, l. ſecundum partem.

Vidi commentaria hæc ſuper vniuerſam Ariſtotelis Logicam, authore Petro de la Serna à Ieſu Maria. Hiſpalenſi Theologiæ profeſſore, & Magiſtro è familia excalceatorum ſacri Ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de la Merced, quæ his mendis correſpondet ſuo exemplari. Datum Matriti die decimaſexta, menſis Auguſti. Anni 1624.

Lic. Franciſcus Murcia de la Llana.



Suma de la taſſa.

Taſſaron los ſeñores del Conſejo de ſu Mageſtad eſte libro intitulado Commentaria in Logicam Ariſtotelis, *compueſto por el Padre Fray Pedro de Ieſus Maria, Deſcalço del Orden de nueſtra ſeñora de la Merced (que tiene ciento y treynta y quatro pliegos) a quatro marauedis cada pliego, y a eſte precio y no a mas; mandaron que ſe venda, como conſta del original firmado de Martin de Sigura ſu Secretario. Su data a veynte dias del mes de Agoſto de* 1624.

AD LECTOREM.

LIbrum hunc olim à me elaboratum, superioribus meis principaliter pro excalceatis Recolectionis nostræ, nunc libuit in lucem prodi, vt quos prolixioribus orationis, Officij Diuini, aliorumquè obligationum interuallis diutius occupari, necessum est, onus & tempus substrahat scribendi, minusquè hæc & illa exercitia se impediant, quin potius inuicem se osculentur, & iuuent. Quia tamen methodus præcipuè harum quæstionum alijs etiam Scholasticis placuit, easquè sæpè sæpius à me efflagitarunt, pro omnibus hic labor tādem libenti animo susceptus est. Nec mirū videatur, si opus prolixius solito euaserit, quia simul ea, quæ in summulis tractari solent, complectitur. Si tibi benigne Lector placuerit, benè. Sin autem animum respice. Si neutrum gratiam captat, tibi opus editum non fuit, sine ab alijs pacificè recipi, & primam hanc scintillam studiorum meorū noli in alijs extinguere. Philosophiam nunc suspendit obedientia, non ego, quoniam alijs laboribus Theologiæ scholasticæ, ac mysticæ nostræ professioni accommodatioribus, citoquè Deo fauente in lucem producturis prius incumbere iussus sum, si postea per tempus liceat, ād illam reuertar. Reliqua sequenti præfatione adnotabis. Vale.

EXCEL-

EXCELLENTISSIMO


PRINCIPI D.

EMANVELI ALFONSO PEREZIO GVZMANIO EL BVENO, SYDONIÆ

Duci VIII. Casaçç Marchioni, Nebulæ Comiti primo: Ciuitatis, quæ à Diuo Luca de Barrameda nomen habet, necnon & Gueluæ, & Villarum quinque cum subditis locis Domino XV. Magni Philipi Hispaniarum Regis in rebus belli, & pacis meritissimo Consiliario: Caditani Littoris Architalasso: Aureo vellere insignito: totius Discalceatorum familiæ B. Mariæ Redemptionis captiuorum Patrono dignissimo,

Frater Petrus à Iesu Maria.

S. P. D.



ON anxie mihi fuit excogitandum, Excellentissime Princeps, cuius tutandum patrocinio opus commiterem: illud te vnicum ita exposcebat, vt nec mihi liberum esset, nec illi si daretur optio, Mecænatem alterum eligere. Et quidem me multa vocabant, dicam, cogebant (vis inest maxima beneficijs) ne iniuriosè, vel me ipsum tractarem, ingrati animi haud leuem notam ingerens tuæ magnitudinis obliuione. Fateor tuorum in nos beneficiorum censum, si pensum exigatur, nostris imparem viribus, sed tua non ita magna, si solui possent, nostra, etsi quod illis proprium est inspiciatur, parua sint. si quod incæptimo ad te pertineant, maxima sunt iudicanda. Authoritas Domini despicatissimis etiam rebus inserit prætium: Regalia apud omnes in honore sunt. Ergo cum tu excellentissime Princeps, nostrorum omnium Dominus & protector dignissimus censearis, cur nostris de tua magnitudine magnitudo non erit? Est & maxima; præsertim si mutua accedat voluntas cætera supplens, vnde oblato muneri succrescit celsitudo, & de te, tuaquè benevolentia tibi ipsi maximum paras, quod aliàs ex me vilissimum censeo. Quippe in te vt patrocinium agas, nec sanguinis splendor, quo præ cæteris Hispaniæ fulges, nec virtutum propria ac præclara gesta desiderari possunt. Notum est enim Guzmaniam propaginem solio Regio dedisse ortum, eiusquè gloriam, & eximiam laudem semper in dies crescere per cuncta secu-

ta secu-

ta sæcul i. Nec solùm cognomento Bonus *gaudes à maioribus tuis: propria beneficentia & strenuitas (quæ duo exigit tantùm Pithagoras) te optimum, & praclarissimum Principem efformant. Strenuitatis tuæ, & ingentis roboris, quo fortis ad laborandum alacris, ad vigilandum promptus, ad res gerendas prudens, & expeditus semper extitisti testis est mare, in quo inermis, & imparatus Turcarum scaphas aggressus, sic te strenuum Ducem animo, & robore imitandum præbuisti, vt solus paruulam fœmulina purpuraceum puluinar, in quo iacebas, tursicis ictibus pro Parma obijciens, strictoquè mucrone prælium ducens, barbarorum rabiem in ore gladij consluseris: de quo facto mirifico non solum famuli tui, verù, & venti cursu celerrimo per totum orbem reboantes, victoriam talem hominibus propalarũt. Beneficentia tua, & ingens animi magnitudo, qua in Reges, & cæteros, vt alter Alexander munera, ac diuitias effundis, quem hominum latet? Sed de his plura tuæ modestiæ parcens reticesco: scio apud te malè audire laudes, sed accepta beneficia, quæ in nos augusta contulisti liberalitate tacere qui possum? Cum à primis nostræ Recolectionis domorum nostrarum fabricator, & quasi spiritualis infantiæ baculum extiteris, aras rerum omnium creatori, eiusquè almæ Genitrici dicans, nosquè eius alumnos sicut & filios clarissimos tuis sumptibus, & redditibus alẽs, nostris necessitatibus semper inuigilans, fouensq; vt pia mater ac protegens. Tres nostræ familiæ domus tuis expensis erectæ, perpetuisquè ditatæ elemosinis, præsertim Diui Lucæ de Barrameda cænobium apprimè fabrefactum expolito lapide, & eleganti structura magnificam liberalitatem tuam semper enarrant, & adhuc quasi ista non sufficerent tuæ deuotionis feruori noua monasteria in Dei gloriam construere meditaris, vt multis titulis coram Deo, & hominibus Bonus sis, & nomen quod præcesserunt gesta aliena, sequantur & propria, sit tibi, totiquè familiæ laus, & honor ab vniuersis, à Deoquè optimo bonorum remuneratore gratia perseuerantia, ac profectus, semen longæuum, prosperitasquè in omnibus, & c. sicut tota hæc Religio semper exoptat, suppliciterquè in omnibus sacrificijs Diuinæ Maiestati semper exposcit.*

Vale Excellentissime Princeps, præsidium, & decus nostrum.

Tuæ Excellentiæ obsequio admodum addictus, & in Christo seruus:

Frater Petrus à Iesu & Maria.

INDEX

INDEX DISPVTATIONVM, SECTIONVM, QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM HVIVS OPERIS.

Art.

sit de-

DISPVTATIO. III.

SECTIO. I.

Art. 2.


DISPVTATIO. IIII.

SECTIO. I.

clu-

FINIS.

PRAEFATIO



NTEQVAM Logicæ ianuas, illam tractaturus, ingrediar, abussum in rebus Logicis pertractandis, methodumque inordinatam, quæ tandiu his præsertim præualuit temporibus, ab scholis nostris exulare vellem. Primò namque præmittere solent professores Logicæ tractatum quendam nomine Summularum, quem Logicam paruam dicunt, aut in summam redactam: qua prius (vt aiunt) dispositi, & assuefacti nouitij, tamquam crasa, & rudi minerua Logicæ caliginem ingredi, ad eiusquè obscuritatem accedere valeãt. In hoc autem diffusè satis ferè omnia tractant, quæ desiderari possunt de deffinitione, diuisione, propositione, & argumentatione, quę solum fatentur esse obiectum Logicæ: postea vero ad Logicam magnam accedentes, totam expendunt in disputatione de ente reali, tam in communi, quam in particulari; latissimè tractantes analogiam, trãscendentiam, proprietates illius, rationes substantiæ, subsistentiæ, existentiæ, & decem genera suprema rerum, quę omnia esse extra obiecti Logicæ spheram, qumimo & totam Methaphysicam circa hæc versari, & exhauriri, ipsi vt indubitatum supponunt: Idemque asserunt de disputatione entis rationis, & vniuersalium, tantum scilicet per accidens sub obiecto Logicæ contineri: De tribus autem speciebus modi sciendi ferè nihil disputant, discipulos remittentes ad ea, quæ dixerunt in Summulis. Vnde si tota horum Logica attente inspiciatur, exiguam tantummodo partem continet de posteriori resolutione, quæ si eorum Summulis adderetur, in hoc, secundum ipsos, Logica magna consisteret integra, & Methaphysica à Logica separata, suum proprium recuperaret nomen, & distinctam sedem. Sed quis non videat tractatum hunc immerito Summularum vsurpare nomen? Tum propter eius longitudinem, quæ terminos breuitatis excedit, potiusque indiget in aliam breuiorem summam, aut compendium redigi. Tum, quia si Summulas Logicæ compendium dicunt, quæ nam est Logica magna, quam in compendium redigunt? Si enim illorum Logica ferè tota versatur in ente reali, & prędicamentis declarandis, quo pacto per modi sciendi tractatum, in summam potest reduci? Compendium enim vt arbitror, & res in compendium redacta idem omnino obiec-

tum habere debent; solumquè penès maiorem & minorem eiusdem obiecti declarationem differunt. Irrationabile ergo est prædicamenta & cætera, quæ nec breuiter tanguntur in Summulis, per tractatum deffinitionis, diuisionis, & augmentationis reduci in summam. Meli' Logicam dilaceratam, & quasi maleficam membratim concissam dixerim, quam in summam redactam.

Sequiturque rursus idem inconueniens quod vitari intenditur: nã quantumuis difficilis, & obscura sit Logica, si tota eius difficultas vincitur, & superatur in Summulis, & ita in illis ex professo tractatur de modo sciendi in particulari, de propositione cathegorica, & hypotetica, de oppositione, suppositione, modalibus, regulis artis syllogisticæ, &c. vt clarius & amplius nihil horum extendatur, aut desideretur in Logica, adquid necessaria est horum tractatuũ diuersitas? Potiori iure Summulas Logicam magnam appellarent: siquidem maior pars eorum, quæ ad Logicam primario pertinent, in Summulis continetur.

Hinc etiam maximum aliud ortum habet incommodum, quod scilicet præcipuæ regulæ, & præcepta Logicę ab omnibus contemptui, & obliuioni, quasi puerilia tradantur, eo quod in Summulis, & rudimentis, ad pueros, & nouitios instruendos, docentur. Ex quo fit, plures aliàs in Theologia, & Methaphysica doctos frequenter hallucinare, vim ignorantes illationis, regulas, & syllogismorum deffectus: & omnes alios in Logicæ principijs versatos ex quotidiano vsu, & proprio labore, experientiaquè syllogismorum in alijs scientijs, pòtius quàm ex Logica à suis Magistris tradita, didicisse. Non nego, imo potius rationi consentaneum existimo, breuem quamdam instructionem præmittere, qua, voce tenus, vel scripto, iuuenes de triplici intellectus opere aliqualiter informentur, de modo argumentandi, de antecedente, maiori, minori, & consequentia; solum quantum ad quid nominis, vt his rudimentis ad Logicæ præparentur ingressum: vitandæ sunt tamen exactæ, & quiditatiuæ deffinitiones cuiuslibet istorum, & omnia alia, quæ de propositione, oppositione, modalibus, regulis artis syllogisticæ multiplicari solent; quia in his tota Logica consistit vt dictum est: quinimo, nec de terminis, aut signis necessarium est diuersum aliquem tractatum præmittere, quoniã ab ipsis Logica magna incipienda est, si rectum ordinem insequamur doctrinæ, vt postea dicam. Atque adeo si propter introducendos nouitios ad Logicam, est signorum declaratio necessaria, etiam in primo Logicæ ingressu tradetur a nobis; sed tanquam initium intrinsecum, & prima pars Logicæ, & non vt tractatus proœmialis diuersus, vt fieri solet.

Sed alij iuniores in opposito extremo ita Dialecticam ab alijs scientijs

tijs contendunt discernere, vt ipsi plures partes intrinsecas, & proprias subtrahant, vel tanquam illi per accidens annexa tractent: quæ tamen Arist præcipuus Dialecticæ inuentor & discretor, S. Thomas, & alij antiqui semper vt illi maximè propria docuerunt.

Cum ergo Dialectica hac speciali plaga ab eius natiuitate, & incunabulis doleat præcæteris scientijs, quod vel additione, vel substractione semper ab eius lædatur professoribus, duplicem laborem in hoc opere, eius gratia, sumere necessarium duxi. Alterum indiscernendo obiecto Logicæ ab alijs: & in illius partibus reuniendis, ita vt earum connexio, subordinatio, & diuisio a cæteris scientijs planè possit constare. Alterum vero in illius natura, diuisionibus, proprietatibusquè demonstrandis; quod munus proprium, & intrinsecum est cuiuslibet scientiæ: si enim primum non supponatur, scilicet an sit, & quid sit, vanum est laborare in secundo.

Vt autem aliquorum desiderio placeam Summulisticum hunc tractatum præmitto, in quo terminos explico, seu modos loquendi, quibus in discursu Logicæ vti necessum est antequã ad eorũ exactã perueniamus notitiam; cum enim Logica sit prima omnium sciẽtiarum, & modus sciendi etiam respectu sui ipsius, partes priores illius indigent posterioribus, quantum ad aliqualem, & rudem notitiam: hanc ergo sequenti instructione assequentur nouitij.



BREVIS INTRODVCTIO IN LOGICAM ARISTOTELIS.

CAPVT I.

PRIMO præmittenda est distinctio inter potentiam, actum, & obiectum. Potētia, quad præsens attinet, est facultas, qua mediante anima est potens respicere aliquod obiectum. Actus est operatio, seu exercitium talis potentiæ, quo actualiter suum obiectum attingit, & obiectum est res illa, quæ ordinem, vel respectum terminat talis potentiæ. Visus, v.g. est facultas potens percipere colorem. Auditus potestas perceptiua soni. Eorum actus, visio & auditio: sic ergo intellect' est facultas ex natura sua ordinata ad intelligendum verum, sicut & voluntas ad amplectendum bonum. Obiectū intellectus est res, quæ intelligitur. Actus illius multipliciter vocari solet, scilicet intellectio, vel intelligere, cognitio, notitia, conceptio, vel conceptus, appræhensio, perceptio obiecti intelligibilis, intentio, vel attētio, seu tendentia ad obiectum.

Triplex est autem notitia, seu modus cognoscendi intellectus nostri. Primus est simplex appræhensio. Secundus compositio, seu diuisio. Tertius discursus. Simplex appræhensio est, quando intellectus res simplices, siue compositas simplici modo appræhendit; hoc est, non affirmando, vel negando vnum de alio; vt quando appræhendit hominem & animal, non affirmando quod homo animal sit, nec negando, sed suspendendo iudicium circa hoc, vel quia ignorat, aut dubitat, vel quia non vult. Secunda operatio, vel notitia est quando intellectus circa res simpliciter appræhensas iudicat, vel componendo vnā cum alia, vt quando asserit: homo est animal: vel diuidendo vnā ab alia, vt quando intelligit hominem non esse equum; ideo secunda, hæc operatio dicitur compositio, seu diuisio, vel sub alijs vocib', affirmatio, seu negatio: quia his duobus modis circa sua obiecta procedit. Vel coniungendo, aut affirmando vnum esse aliud. Vel diuidendo, aut negando vnū ab alio. Et licet simplex appræhensio etiam res compositas, aut diuisas intelligat, vt dixi; non dicitur cōponere, aut diuidere: quia

non

non indicat ita esse a parte rei; tenet enim se compositio hæc, ex parte obiecti prout est a parte rei, non vero ex parte intellectus respicientis, quia non tendit ad illud modo compositiuo.

Tertia operatio, seu modus intelligendi est discursus, seu ratiocinatio; & contingit, quando intellectus ex rebus simpliciter appræhensis per primam operationem, & compositis, seu diuisis per secundā vlterius progreditur colligendo aliquid aliud. Exempli gratia. Quando intellectus prænouit hominem esse animal, & Petrum esse hominem, infert per discursum: ergo Petrus est animal. Sic plura alia exempla in diuersis materijs adducat magister; vt nouitiorum oculos aperire incipiat.

CAPVT II.

Exponitur quid sit modus sciendi, & necessitas Logica ad illum.

IN His operationibus intellectus, quædam sunt deffectuosæ, quædam imperfectæ, quædam vero perfectæ. Deffectus est, quando est in illis error, aut falsitas circa sua obiecta. Vt quādo intellectus per iudicium, aut discursum affirmat hominem esse lapidem, vel lapidem esse animal. Imperfectio est, quando veritas obscurè, confusè, aut incertè cognoscitur: perfectio vero est, quando est claritas, aut certitudo in cognoscenda veritate: vnde solum cognitio certa, aut euidens est simpliciter perfecta, & hæc appellatur scientia: quælibet autem cognitio confusa, aut incerta, scientiæ non meretur nomen.

Ex quo patet iam primo, quid sit modus sciendi, & in quo differat a modo intelligendi vt sic. Sicut enim scientia est intellectio quædam perfecta, certo, & euidēter manifestans obiectum; sic modus sciendi est specialis modus, quem Logica considerat, aut efficit in operationibus intellectus, vt certo, & euidenter sua obiecta demonstret.

Colligitur secundo, quod quāuis intellectus sit simpliciter potens ad suos actus elliciendos, nihilominus cum hoc stat, quod plures habeat difficultates ad discernendos actus perfectos ab imperfectis, & defectuosis propter distantiam obiectorum, quia ferē nulla est causa, quæ præter virtutem non indigeat approximatione ad passum, vel obiectum, & alijs requisitis; quapropter sicut voluntati propter hoc in ordine ad obiecta difficilia & ardua multi conferuntur habitus a natura, temperantię scilicet castitatis, iustitiæ, &c. quorum iuuamine in suis operationibus illa facilè, ac rectè se habeat; ita intellectui circa obiecta obscura, in quibus per cipien-

cipiendis difficultatem patitur propter suam limitationem intrinsecam, tribuuntur habitus scientiarum, & artium, qui vsu acquiruntur, & frequentia actuum, & ad similes alios facilius exercendos potentiam determinant.

Rursus sicut ad dirigendos actus voluntatis, vt rectè, & ordinatè fiant, inuenta est prudentia, seu Phylosophia moralis; quæ propter hoc ab Aristot. S. Thom. & communi sententia regula dicitur, & auriga virtutum; ita ad corrigendos plures errores, & vitia, quæ in actibus intellectus euenire solent, necessaria fuit quædam ars, quæ modum quendam communem traderet rectè intelligendi, & repræsentandi quamcumque rem.

CAPVT. III.

De nominis æthimologia, & re per illud significata.

IDcirco enim hæc scientia Logica dicitur, idest rationalis, vel sermotionalis, eo quod agit de sermone interno, & de actibus rationis, tamquam de propria materia, vt bene aduertit S. Tho. infra citandus. Dicitur etiã Dialectica, quæ idem significat ac scientia differtrix, seu disputatrix, vt patet ex verbo Græco, Dialegome, quod differere interpretatur, seu disputare. Hac enim de causa temporibus Arist. solũ pars illa, quæ docet probabiliter de omnibus disputare, nominabatur Dialectica, vt notarunt Marsilius, Lemosius, Auerroes, & Simplicius, & Logica ad quamlibet artem sermotionalem extendebatur; Grammaticam scilicet Rethoricam, & si quæ est alia; iam tamen pro tota, & sola hac scientia, quæ operationes intellectus dirigit, & methodum docendi, & discendi tradit, hæ voces indifferenter sumuntur, cui vsui communi nostra accommodabimur.

Iterum obseruandum, Logicam, alteram dici naturalem, & artificialem alteram. Prior est potentia naturalis intellectus nostri prout destituta habitu, & suis proprijs, licet imperfectis innixa viribus, discurrit elliciendo conclusiones aliquas faciles ex principijs primis lumine naturæ notis, qualia sunt. *Omne totum est maius sua parte. Duo contradictoria non possunt esse simul vera*, &c. Posterior vero est habitus, seu facultas nostris actibus, & labore acquisita, qua intellectus iuuatur maximè, & facilitatur (vt dixi) in suis operibus.

Quod potentia nostra naturali solum illustrata lumine, & notissimis ad discurrendum informata principijs, propriè Logica dicenda sit, vel Dialectica, quæstio est tantum de voce, satis nobis sit saltem analogicè sic vocari

cari apud recentes, & antiquos authores; sic enim Aristotel. 1. Rethor. cap. 1. vbi *homines*, inquit, *à natura Dialecticos, & Rethoricos esse*, & 1. Elench. cap. 1. *Hominem absque vllo magistro in multis discurrere & ratiocinari*; magis tamen propriè dicitur initium Logicæ, seu semen illius iuxta vulgatum illud antiquorum proloquium: *Logica à natura incipit, & arte perficitur*. Patetque ex dictis, nam ideo Logica requiritur artificialis, seu habitus superadditus, quia natura solum se extendit ad faciliores conclusiones, primis principijs proximiores, quæ sunt tantum Dialecticæ initium.

CAPVT IIII.

De inuentione Dialecticæ.

Rursus obseruandum, tripliciter acquiri posse aliquam scientiam. Vel nostris actibus per ad inuentionem, primo illam excogitando. Vel per doctrinam à Magistro traditam paulatim illam addiscendo, vel denique per infusionem a solo Deo. Quo supposito primo dicendum est Logicam artificialem, sicut & alias scientias infusam fuisse Adamo prothoparenti, quamuis potuerit habere principiũ in nobis, & ab intellectu humano primò excogitari. Hæc posterior pars colligitur ex Aristotel. 1. Rethor. cap. 1. patetquè: quia obiectum & actus Logicæ, sicut & aliarum scientiarum naturalium sunt valde proportionati intellectus humani capacitati; potuerunt ergo primò ab eo excogitari, & inueniri. Priorem vero partem conclusionis docent cõmuniter Scholastici in secundo, distinct. 23. & S. Thom. 1. par. quæst. 94. art. 3. vbi satis eleganter id probat, dicens. Quod primus homo conditus fuit valde perfectus, non tantum vt posset esse principium aliorum per naturalem generationem, sed etiam per instructionem mentalem, & gubernationẽ, atque adeo opus fuit, vt non tantum esset cõstitut' in statu perfecto quoad corpus, vt alios gignere posset tã quam primus parens, sed etiam quoad animam, vt alios posset instruere, & informare vt primus magister: habuit ergo primo per infusionem a Deo omnes scientias, vt alijs hominibus eas communicare posset.

Ex quo constat Dialecticam, & alias scientias de ore in os trãsfusas à primo parente ad filios eius, vsque ad Noe, & a Noe ad Armenos, & Chaldæos, in quorũ regione ipse vixit post diluuium, fuisse deriuatas; inter Chaldæos etiam nutritus, & eruditus fuit Abraham, qui descendens in Aegyptum, ipsos erudiuit, vt tradit Iosephus, lib. 1. antiquit. c. 15. inter Aegyptios edoctus est Moy-

ses.

ses, vt dicitur Actor. 7. & per Moysen ad Hæbreos transmissæ sunt scientiæ; insuper multi Græci in Aegyptũ profecti sunt propter addiscendas illas, quas deinde Athenis tradiderunt, vt docet Dionis. Siculus, lib. 1. ac tãdem à Græcis eas addiscère Latini, vt omnibus compertum est.

Ex hac tamen longa scientiarum transmigratione, hominum iniuria, & alijs de causis penè fuerunt deperditæ, vt innumeri testantur in omni Philosophia antiquorum errores, multæque regiones omni scientiarum genere destitutæ, vnde effectum est, vt qui Dialecticam iam penè moribundam suscitauerint, inuentores dicantur illius, de quibus in præsenti dubitari solet, qui nam fuerint? Multi multa dicunt scitu digna, cæterum a nostro instituto aliena. Videantur Euseb. Cæsar. de præparatione Euangelica, multis in locis, præcipuè lib. 10. c. 2. Iosephus, 1. lib. Antiquit. c. 4. Theodoret. de curandis Græcorum affectionibus. Iustinus martyr. in admonit. ad gent. Eugubin. de perenni Philosophia, c. 2. Clem. Alex. lib. Strom. & alij plures.

Quod autem in hac re certum videtur, est, Logicam artificialẽ non ab vno, sed à pluribus per partes iterum adinuentam fuisse experientia actuum humanorũ, longaque obseruatione, & emendatione deffectuũ syllogismorũ, in quibus doctiores philosophi aliqua præcepta Logicę notabant, quibus posteriores alia addebãt: præcipuè autem a tribus ferè tota Logica inuenta, vel suscitata fuit, scilicet à Socrate, Platone, & Arist. vt communiter Dialectici consentiunt. Socrates fuit author deffinitionis, vt docet etiam Aristo. lib. 1. de partibus animalium 5. & 13. Methaph. c. 4. Plato fuit inuẽtor diuisionis, vt tenet Laertius in eius vita, & Fonseca, lib. 1. dialect. c. 5. docet etiam S. Aug. lib. 3. contra Academicos, c. 17. & D. Isid. 2. Aethymol. cap. 22, & 24.

Denique Arist. præcipuus fabricator fuit argumentationis, præsertim syllogismi, vt ipse testatur, 2. Topic. c. 2. & altè probat Lemos, l. 2. de erratis, c. 11. ex quo tandem fit Principem Dialecticæ, & præcipuum inuentorem Aristotelem fuisse, tum quia maior pars, & artificium Logicæ versatur circa argumẽtationem, quam ipse primo excogitauit, & de qua ipse gloriatur, 1. Elench. c. vltimo, à veteribus nihil accepisse, quod quantumuis esset honoris & gloriæ cupidus, ausus non esset affirmare si alterius Phylosophi tunc tẽporis extarent scripta de Logica; tum etiam quia ipse circa cæteras Logicæ partes antiquorum scripta diligenter euoluens, præcepta ab alijs inuenta correxit, illisque multa alia addendo, & antiquos errores impugnando, omnia rectamethodo dispo-

disposuit, Logicamque ab alijs scientijs cum quibus erat confusè permixta, segregauit, idcirco præcipua Dialecticę inuentionis laus merito illi debetur.

CAPVT V.

Quid & quotuplex sit modus sciendi?

Modus sciendi est *Oratio alicuius ignoti manifestatiua*. Oratio est notitia quædam composita ex multiplici conceptu tamquam ex partibus, quibus obiectum quasi per partes repræsentatur: nam eo ipso, quod quilibet concept⁹ suam exprimat rationem obiectiuam diuersam, omnes simul totā obiecti perfectionem distinctè declarant: sicut enim confusio obiecti consistit in hoc, quod indistinctè vnico & obscuro conceptu totum simul repræsentetur, ita ei⁹ clara manifestatio in hoc stat, quod singulis cōceptibus per singulas eius partes discurramus, & sic integram eius explicemus rationem. Quemadmodum si quis tabulam, in qua multiplex picturæ varietas esset, simplici intuitu, vel vnico ictu oculi inspiceret, confusè satis eam perciperet, nec posset multorum quæ in ea essent, rationē reddere, clarè tamē eam compræhenderet, si totam eam per singulas eius partes discurrensp erlustraret. Sic modus sciendi in hoc à qualibet alia notitia confusa distinguitur, &c.

Diuiditur primo modus sciēdi in formalem & obiectiuum. Formalis dicitur oratio mētalis, quæ ex actibus intellectus componitur. Obiectiuus est obiectum illius quatenus talibus actibus repræsentatum; denominaturquè modus sciēdi impropriè, & per methaphoram, quatenus est aliquid pertinens ad illam. sicut mors dicitur palida ab effectu, quem causat, propriè tamen sicut in rebus nō est sciētia, sed in intellectu, ita nec modus sciendi. Sic etiam conceptus & ratio distinguuntur in formalem, & obiectiuam, quod est valde notandum: quia frequētissimè vtimur his vocibus pro conceptu & ratione obiectiua, & ex contextu verborum est colligendum quando formaliter, & quando obiectiuè accipiantur, ad apariendas æquiuocationes, & fallacias verborum.

Secundo diuidi solet modus sciendi in mentalem, vocalem & scriptum. Mētalis est oratio prout in actibus intellectus, vt a nobis explicata est. Vocalis est ipsamet oratio prout in vocibus exsistit ab ore prolatis. Scriptus prout charactenbus scriptis formatur. In qua diuisione etiam obseruandum est impropriè, & methaphoricè modum sciendi vocibus tribui, aut scripturis; quia sicut in illis propriè scientia nō est,

ita nec modus sciendi: Dicuntur autem modus sciendi, quatenus illud repræsentant: quia voces sunt signa conceptum, sicut propter eandem rationem pictura hominis homò dicitur, cum verè homo non sit. & scriptura vocis dicitur vox scripta, quæ etiam propriè non est vox, sed tantum ea quæ ab ore profertur. Ideoq; consulto modum sciendi absolutè explicui prout in actibus intellectus existit, quia semper vox absolutè prolata in sensu proprio intelligenda est, & explicanda, nisi addatur explicatio, vel contextus verborum, quo insinuetur etiam in sensu metaphorico intelligi, vel vsurpari.

Tertio, modus sciendi tàm formalis, quàm obiectiuus, tàm mentalis, quàm vocalis & scriptus, subdiuiditur in definitioné, propositionem, & argumentationé; cuius membra seorsim in sequentibus explicabimus; & licet ferè semper de solis conceptibus loquamur, facilè erit eandem doctrinam vocibus adaptare, nā eisdem conceptibus, & obiectis, quibus constat definitio, vel propositio, vel argumentatio mentalis, constat & vocalis.

CAPVT VI.

De modo sciendi obiectiuo.

Antequam de singulis speciebus enumeratis loquamur, prius modum sciendi obiectiuum in communi oportet exponere. Pro quo aduerté, quod ens est id quod habet esse, & de quo est verum aliquo modo dicere, *hoc est*. Duplex autem est ens. Aliud est reale, & aliud rationis. Ens reale est illud quod habet esse a parte rei independéter ab vlla fictione, vel operatione intellect', vt Petrus, lapis, &c. Ens rationis est quod nullibi habet esse a parte rei, sed tantum est obiectiuè in aliqua operatione intellectus, hoc est, quod repræsentatur ab intellectu ac si esset verū ens, cum tamen solum habeat esse apparens, seu fictum. V.g. quā do intellectus format monstrum habens caput hominis, pedes leonis, & cætera membra ad similitudinem aliorum animalium, tale obiectum dicitur ens rationis, idest, sola ratione confictum, illic què solum obiectiuè apparens, quia nullibi habet tale esse, quod intellectus de illo appræhendit; sic similiter quando appræhédit montem aureum, Solem & Astra, vt parua, &c.

Rursus ens rationis, aliud est fictum ab intellectu merè gratis, & sine fundamento aliquo in re, & sine vlla eius vtilitate ad scientias, vt patet in exemplis positis; & aliud ens rationis doctrinale, seu Logicū, quod intellectus cōsiderat cum fundamento in ipsa rei veritate, estque instrumētum maxime conducens ad ipsam veritatis

ritatis contemplationem; ideoq; Logica cum doceat modum sciẽdi cuiusque rei veritatẽ, agit per se de illis tanquam de medijs necessarijs ad assequtionem illius. Duo præcipuè genera entiũ rationis considerat. Quædã,quę in vnitate communis rationis consistunt. Quędam vero,quæ in distinctione. Vnitatem communem rationis apprehendit intellectus in illis rebus, quæ sunt similes in aliqua ratione; animaduertit enim Petrum, v.g. Paulum, Ioannem,cæterosque homines esse similes in corporibus, & animab', intellectu discursiuo,& voluntate præditis, etsi aliàs habeant proprietates in quibus differant, & tunc intelligit hominem vt vnum & communem omnibus illis, considerans talem naturam, ac si vna esset a parte rei., solum quantum ad attributa, in quibus omnes homines assimilantur: & rationes, per quas ipsi homines inter se differunt, vocat differentias indiuiduales, vel singulares, determinantes, vel participantes rationem communem, vel vniuersalem.

Hanc rationem communem quando intellectus animaduertit in naturis essentialiter, & specie diuersis,animalitatem,vel vitalitatẽ,v.g. in homine,equo,& leone, vocat rationem communem genericam: quando vero illam aduertit in singularibus solo numero diuersis,vt sunt Petr',& Paulus, rationem nominat specificam.

Distinctio rationis est illa,quã intellectus considerat inter extrema,quæ in re non differunt, sed sunt omnino idem,quę in hoc cõsistit,quod intellectus aduertens eandem omnino rem esse eminẽter plures,idest,habere virtutem ad plura,ac si multiplex in eo virtus esset,eam considerat diuersis conceptibus inadæquatis, quib' eam quasi per partes repræsentat;& sic clarè ac distinctè exprimit,quod vnico conceptu confusè & indistinctè apprehendebat. v.g. aduertit intellectus hominẽ crescere cum arboribus, sentire cum animalibus,intelligere cum Angelis;format tunc de illo tres conceptus,quibus eius perfectionem indiuisibilem explicat, ac si esset ex tribus composita,distinguens eius animã in vegetatiuã, sensitiuam,& rationalem.

Ex quo infero,modum sciẽdi obiectiuum semper esse quid cõpositum ex ente reali,quod se habet vt materia,& ex aliqua entitate rationis,quæ se habet vt forma: nam cum sit oratio pluribus conceptibus rem manifestãs,semper attingit suum obiectum vt multiplex secundum rationem: idest, vt compositum ex pluribus rationibus tantùm obiectiuè, & non realiter distinctis;considerat etiam ipsum in vniuersali

ſub ratione generis, vel ſpeciei, vt notabitur poſtea.

CAPVT VII.

De eſſentia, & accidente cuiuſlibet rei.

SEd ex parte modi ſciendi pro materiali, quod eſt ens reale, eſt inſuper obſeruandum in qualibet re nos diſtinguere eſſentiam & accidens. Accidens eſt quod aduenit rei iam conſtitutæ in ſuo eſſe, & poteſt abeſſe illi ſine illius corruptione, ex eo quod eſt affectio non neceſſaria ſimpliciter ad illius eſſe principale, nec tamquam pars, nec tamquam aliquid intrinſecum illius, eſt tamẽ aliquid alterius, in eoquè ſubſtentatur tamquam in ſubiecto, & ſine eo eſſe non poteſt a parte rei. Eſſentia verò eſt eſſe primarium & principale, ſine quo nec eſſe, nec intelligi poteſt aliqua res, atque ideo eſt fundamentum, radix, & baſsis cæterorum, quæ ſunt in tali re. V.g. Petri eſſentia eſt eius humanitas, vel ſubſtãtia rationalis, qua poſita ponitur ei' eſſe primarium, & qua ablata au fertur; quod verò ſit albus, vel niger, calidus, vel frigidus; quod duret tãto tempore, vel maiori, aut minori; quod ſedeat, ambulet, vel ſtet, accidentia ſunt illi contingentia, quæ ſiue adſint, ſiue abſint, Petrus non deſinit eſſe Petrus.

Duplex autem eſt eſſentia. Simplicíter & ſecundum quid. Eſſentia ſimpliciter eſt ratio ſimpliciter prima in aliqua re, nullam aliam ſupponens, & hæc dicitur ſubſtantia abſolutè, & deffinitur quod ſit ens per ſe alijs ſubſtans, & ſubſiſtens: quia quod eſt primum ſimpliciter, non nititur in alio priori, ſed per ſe ſtat, & ſub alijs ſtat, vel ſubſiſtit. Eſsẽtia ſecũdum quid eſt, quæ in aliquo genere accidentali primum dicitur reſpectu aliorum, quibus ſupponitur, licet non deſinat aliàs in alio priori tamquam fundamento inniti; ſic dicimus eſſentiam & rationem primariam reſpectu intellectus eſſe efficaciam intellectiuam, & ſupponi ad affectiones alias tamquam ad proprietates, & accidentia; licet ſimpliciter reſpectu totius rei non ſit primum, ſed ſubſtantiam animæ rationalis tamquam fundamentum, & radicem ſupponat.

CAPVT VIII.

De Deffinitione.

IAm ad explicandas ſingulas modi ſciendi ſpecies deueniamus. Deffinitio eſt *oratio ſimplici modo explicans eſſentiam rei*; ſimplici modo, id eſt, per ſimplicem appræhenſionem. Cæteræ particulę iam explicatæ ſunt, vt quando deffinitur homo, quod ſit animal rationale, præter deffinitio-

nitionem datur alia operatio intellectus illi valde similis, scilicet descriptio, seu deffinitio descriptiua; (quæ sic dicitur, ad differétiam prioris, quę quidditatiua appellatur) & hæc est *Oratio simplici modo rei proprietates, seu accidentia manifestans.* Vt quãdo deffinitur homo, quod sit animal risibile, admiratiuũ, & quod sit ad beatitudinem conditus.

Deffinitio tàm quidditatiua, quàm descriptiua diuiditur, vt dixi, in formalem, & obiectiuã. Obiectiua, est res deffinita, non quomodocumque, sed quatenus per illam manifestatur clarè per partes, modo dicto cap. præcedenti. Nã res ipsa prout cõfusè, & indistinctè cõsideratur, appellatur deffinitum.

Deffinitio perfecta obiectiua debet ex genere & differentia cõponi: cum enim res distinctè manifestetur per partes, omnis res deffinibilis duplici ratione obiectiua cõstare debet, vt per actum deffinitionis possit exprimi. Vna quæ dicitur genus, in qua scilicet deffinitum conuenit cum alijs alterius speciei, & altera, quæ differentia appellatur, in qua differt ab omni eo, quod deffinitum nõ est. Homo. v.g. deffinitur ꝙ sit animal rationale: per rationem animalis conuenit genericè homo cum brutis, & per rationalitatem differt ab omni eo, quod homo non est, quæ distinctio specifica appellatur, & generaliter quotiescumque consideramus rationem aliquam, vel naturam communem multis essentialiter diuersis, eam vocamus genus, & has species illius. Vnde infero, primo speciem esse illam, quæ ex genere & differentia cõponitur, ac proinde deffinitum semper debet esse aliqua species. Secundo colligitur deffinitionem debere conuenire omni, & soli, & semper deffinito. Hoc est. Debet semper conuenire, & verificari de omni indiuiduo contento sub ratione deffinita; de illis solis ita vt non conueniat deffinitio alijs à deffinito, & semper. Ratio est, quia essentia alicuius speciei semper conuenit rei cuius est, ac proinde omni indiuiduo, quod talem rationem participat, debetque illi soli conuenire; quia cum essentia specifica genere constet & differentia, & per hanc differat deffinitum ab omni eo, quod non est tale, euidenter sequitur, quod illud solum, & non aliud rationem speciei, & deffinitionem eius participet.

Indiuiduum dicimus quodlibet singulare, quod naturam specificam participat, Petrum scilicet, Paulum, Ioannem, & Franciscum; nam sicut genus est ratio communis continens sub se plures species essentialiter diuersas; sic ratio, vel natura specifica est communis multis indiuiduis. V.g. natura humana dicitur communis Petro, & Paulo, cæteris-

què singularibus, quia vniformiter in illis reperitur, quatenus omnes in ea conueniunt, vel assimilantur.

Duplex est autem deffinitio essentialis, seu quidditatiua. Scilicet, physica, & metaphysica. Hæc dicitur, quæ explicat essentiam rei per suum genus & differentiam, quæ sunt partes metaphysicæ. Illa vero dicitur, quæ partes physicas rei manifestat; quales sunt materia, & forma, quæ dicuntur genus & differentia physica; nam per materiam conuenit vna species cum alijs diuersis, & per formam differt essentialiter ab omni alia. Ista.v.g. est deffinitio physica, homo est constans ex corpore, & anima rationali. Corpus est materia physica illius, & anima est forma.

In deffinitione descriptiua subiectum ponitur semper loco generis, & proprietates loco differentiæ, vt si dicas: *homo est animal potens ridere*.

Aliquæ proprietates assignantur communiter deffinitioni, vt sit optima: scilicet, quod sit clarior suo deffinito; quod non sit superflua, nec diminuta. Quæ & alia suo loco fusius expendendenda sunt.

CAPVT IX.

De Propositione.

SEcunda species modi sciendi est propositio, seu iudicium, quæ est oratio vnum de alio enuntians, hoc est affirmans, vel negans vnum esse aliud; id circo compositio dicitur, seu diuisio, vt iam cap. 1. explicui. Propositio obiectiua debet constare ex subiecto, prædicato, & copula; sicut deffinitio ex genere & differentia. Subiectum est id, de quo aliud affirmatur, vel negatur, & prædicatum est quod enuntiatur de alio: Prædicatum dicitur forma & subiectum materia, sicut in deffinitione genus gerit vicem materiæ, & differentia formæ, vt in hac propositione. *Homo est animal*, vel *Petrus est albus*, Petrus est subiectum, vel materia, & albus est prædicatū, vel forma. Copula dicitur vnio prædicati cum subiecto, quæ significatur per verbum *est*.

Generaliter in omni compositione est aliquid, quod se habeat vt materia, & aliquid, quod se habeat vt forma. Materia dici etiā solet potentia indifferens ad plures species. Et forma dicitur actus eam determinans ad talem speciem, & distinguens ab omni alia, propter hoc enim communiter dicitur: *Actus est qui constituit, & distinguit*. Sic ergo intellectus

lectus cum procedat semper modo compositiuo, semper in suo obiecto aliquid considerat vt materiam, & aliquid vt formam, ad modum quo in compositis physicis; in homine V.g. est materia, quæ dicitur corpus, & est forma, scilicet anima rationalis. Sic Logicè, vel metaphysicè considerat animal vt genus, & materiam: & rationale vt differentiam & formam; & in propositione, eàdem ratione subiectum & prædicatũ distinguit: prędicatum vt formã, & subiectum vt materiam.

Dici etiam solent subiectum & prædicatum termini propositionis, præsertim sumendo vtrũq; prout est formaliter in vocibus, & conceptibus; sic enim Arist. terminum deffiniuit. Est *id, in quod resoluitur propositio tanquam in subiectum, vel prædicatum*; vel vt alij explicant, est extremum propositionis constitutiuum: quia terminus a terminando dictus, idem est quod extremum. Dicitur constitutiuum, & non actu constituens, quia satis est ad terminum, quod possit terminare propositionem, & hinc est, quod omnis vox terminus dicatur, quinimo etiam copula propositionis significata per verbum propter participium in eo inclusum, ratione cuius terminare potest propositionem & ideo terminus consueuit appellari, nã verbũ *est* ęquiualet huic. *Est ens*; & *amat* significat idẽ quod *est amãs*, &c.

CAPVT X.

De diuisione propositionis.

DVplex autem est propositio. Vna quæ dicitur de tertio adiacente. Et altera de secundo adiacente. Prior illa est, quæ constat ex subiecto, prędicato, & copula formaliter & expressè distinctis, vt in exemplis positis. Posterior vero est, quę prædicatum & copulam implicitè in vna voce includit, vt si dicas. *Petrus currit, Paulus disputat*; in sensu tamen semper æquiualet propositio de secundo adiacẽte, propositioni de tertio adiacẽte; nam *Petrus currit*, vel *disputat*, idem significat, ac *Petrus est currens*, vel *disputans*; quia semper in verbo sub intelligitur participium; & copula est, quæ vnit vtrumq; propositionis extremum.

Secũdo propositio in cõmuni diuiditur in affirmatiuam, quæ vnum de alio affirmat, vel vnum cum alio componit; vt si dicas. *Homo est albus*; & in negatiuam, quæ vnum de alio negat, aut diuidit; vt si dicas. *Homo non est lapis*; in qua secunda prædicatum non est lapis, sed negatio lapidis, quia hæc sola enunciatur conuenire subiecto.

Tertio diuiditur propositio in simplicem & compositam, quæ sub alijs terminis dici solet, in cathegoricam & hypotheticã. Pro-

positio simplex illa est, quæ tantum continet vnicam prædicationem vnius de alio. Composita vero, vel complexa est, quæ pluribus constat propositionibus inter se copulatis particula, &, aut simili, vt si dicas. *Petrus currit, & Ioannes sedet, vel dum Petrus ridet, Ioannes flet*; an autem propositio composita sit idem quod hypothetica, dicetur in Logica.

Quarto, propositio diuiditur in veram & falsam; quando enim res ita se habet, vel non habet à parte rei sicut affirmatur, vel negatur per propositionem, est propositio vera; quando vero res aliter se habet ac propositio dictat, est falsa. Sic enim est prouerbium Aristot. communiter repetitum. *Ex eo quod res est, vel non est propositio vera, vel falsa est.*

Quinto, diuiditur propositio in necessariam, vel infallibilem, & incontingentem. Necessaria est, in qua prædicatum infallibiliter conuenit subiecto, ita vt illi non conuenire non possit; & contingens est, cuius prædicatum potest subiecto inesse, & non inesse. Prima scientijs deseruit, secunda verò minimè. Inter propositiones omnino certas, & infallibiles, duæ præcipuè considerantur ad modum sciendi; vna est per modum compositionis, in qua prædicatum est deffinitio subiecti, & sic de illo enuntiatur; estquè principium & medium in demonstrationibus; alia est per modum diuisionis, de qua postea.

CAPVT XI.

De oppositione inter propositiones.

OPpositio est affirmatio, & negatio eiusdem de eodé, idest, oppositio inter duas propositiones, quarum vna est affirmatiua vnius prædicati de aliquo subiecto, & altera negatiua eiusdem prędicati de eodem subiecto, nam vna earum necessario debet esse falsa, & altera vera: ambæ autem non possunt esse simul verę.

Hæc idemtitas debet esse non tantum materialis, seu in vocib⁹, sed etiam formalis, ita vt fiat idé sensus, & ordo inter vtrumque propositionum extremum, ita vt, quod erat prædicatum in affirmatiua, sit & in negatiua prædicatum negatum, & quod subijciebatur in prima, sit etiam subiectum in secúda. Ratione cuius istæ sunt oppositæ; *Petrus currit, Petrus non currit*; si intelligatur vtraque de eodem singulari; secus vero si loquantur de diuersis hominibus eodem nomine Petr⁹ nuncupatis: nam poterit vtraque simul vera esse, sedente vno, & currente altero, & similiter simul falsa.

Duplex autem est oppositio quoad præsens attinet (reliquas pro

pro nunc omitto, quia non sunt necessariæ) contradictoria & cõtraria. Hæc contingit inter duas propositiones vniuersales, quarum vna est affirmatiua, & altera negatiua; vt si dicas. *Omnis homo currit, nullus homo currit*: Propositionem vniuersalem dico, cuius subiectum afficitur signo vniuersali, vt *omnis, nullus*; quæ signa faciunt subiectum significare rationem communem pluribus, quemadmodum propositio particularis illa dicitur, cuius subiectum alicui signo particulari coniungitur, ratione cuius particulariter aliquod singulare significat, vt *aliquis*, vel *quidam homo disputat*. Est igitur oppositio contradictoria affirmatio, & negatio vel inter duas propositiones de subiecto singulari, vt si dicas. *Petrus currit, Petrus non currit*, vel inter duas propositiones de subiecto communi, quarum vna sit vniuersalis, & altera particularis; vt si dicas. *Omnis homo currit, aliquis homo non currit*.

Hæc oppositio inter propositiones contradicentes est maximè necessaria ad conuincendum aliquem de sua falsitate: nam ex falsitate vnius compellitur necessario ad concedendam aliam eo quod ambæ non possint esse simul verę, nec simul falsę, etiam de potentia absoluta, sed de hoc latius in Logica sermonem faciam.

CAPVT XII.

De Diuisione.

Diuisio est *oratio totum in suas partes distribuens*. Ad cuius declarationem præmitto, quod sicut per conceptus mentis cognoscimus res; eatenusque ipsæ cognoscuntur, quaten' intellectui repræsentatur, sic per voces explicamus & significamus tam conceptus, quam res. Vox enim homo, audita, & naturam, & conceptum hominis nobis repræsentat. Harum autem vocum quædam sunt vniuocę, quædam æquiuocę, vel analogę. Vox vniuoca est quæ significat vnam tantum ré, vel si plura, quaten' sub vnica ratione cõueniũt. Petrus. v.g. significat hominem singularem hoc nomine dictum, & homo licet significet omnes homines, repræsentat eos, quatenus in natura humana conueniũt & assimilantur. Vox æquiuoca est, quæ significat plura vt plura, id est, quatenus in ratione significata per tale nomen, quidquid sit de similitudine significata per alia nomina: Canis. v.g. significat latrabilem, cœlestem, & marinũ, qui licet aliàs in ratione substantiæ similes sint, in ratione tamen canis, quæ per nomen significatur, sunt omnino differentes. Gallus similiter hominem Prouincię Galliæ, & gallinaceum hoc modo

do significat; vox analoga quoad præsens attinet, significat plura partim conuenientia, & partim differentia in ratione significata per nomen; in his autem solet tāta esse conuenientia vt accedant ad vniuoca, & vnam rationē pluribus communem significent, vt ens respectu Dei, & creaturæ. Solet etiam differentia maior, & præponderans esse, & significare immediatè plura, & sic ad æquiuoca reduci, vt homo respectu viui, & picti.

His ergo suppositis duplex diuisio est obseruanda. Alia nominis. Et alia rei. Diuisio nominis illa est, qua vox æquiuoca, vel analoga in suas diuersas significationes distribuitur; vt si dicas, *canis alius est animal latrabile, alius stella cœlestis, & alius est piscis marinus*. Hæc diuisio non est propria, nec continetur sub deffinitione posita, quia non separat partes alicuius totius, quod est de ratione diuisionis propriè dictæ; sed exponit plures significationes eiusdem vocis, & plures res totales significatas per ipsam. Ac proinde non adunatas in aliquo toto, quod diuidi necessum sit.

Diuisio rei est illa, qua totū in suas partes diuiditur; & hæc propriè diuisio appellatur. Totum confusè & indistinctè conceptum appellatur diuisum, & quatenus distinctè, & clarè quoad omnes suas partes consideratur, dicitur diuisio obiectiua. Duplex est totum, aliud actuale, quod ex partibus actualibus constat, siue physicis; Vt quando diuiditur homo in animam & corpus. siue metaphysicis; vt quādo diuiditur in animal, & rationale. Aliud est totum potentiale, quod dicitur quælibet ratio communis respectu inferiorum, quibus communicatur; & ipsa inferiora participantia rationem communem dicuntur partes subiectiuæ, vel potestatiuæ respectu illius: Sic diuidimus hominē in suas species, & speciem in sua indiuidua.

Prima lex diuisionis est, vt diuissum contineat in se omnia mēbra diuidentia, nam si aliquod extremum diuidens non contineatur sub diuiso est mala diuisio; vt hæc. *Animal aliud homo, aliud lapis*; nam omnia membra diuidentia debent participare rationem diuisi, siue vt partes actuales, siue subiectiuæ illius; quod non habet lapis respectu animalis in communi.

Secunda lex: quod diuisum debet esse æquale omnibus membris diuidentibus, simul & è contra, membra omnia diuidentia debent adæquare diuissum.

Tertia est quod membra diuidentia debent inter se differre, & quodlibet seorsim a diuiso; patet consequentia, in omni composito partes debent distinctæ esse, vt compositionem efficiant, nam idem non potest aliquid compo-

nere

nere cum se ipso, & ex consequẽti quælibet pars seorsim non potest a toto non differre, & minor illo non esse, nam omne totũ est maius sua parte. Cætera suo proprio loco dicentur, hæc pro nunc sufficiant.

CAPVT XIII.

De Argumentatione.

Argumentatio, quæ est tertia species modi sciendi, est *oratio vnum ex alio colligens*. Hoc est, veritate aliqua præcognita inferens aliam in priori implicitè inclusam; vt si dicas. *Petrus est homo: ergo Petrus est animal*. Vnde in qualibet argumentatione tria necessario interuenire debent. Primo, præcognitio, quæ dicitur antecedens. Secundo, propositio, quæ ex illa infertur, quæ dicitur consequens, eo quod hæc consequitur, & illa antecedit. Tertio, illatio, significata per vocem *ergo*, vel *igitur*, vel similem; quæ dicitur consequentia, vel consequutio. Et vox per quam significatur dicitur nota illationis, vel consequẽtia vocalis.

Triplex est argumentatio. Causalis, Cõditionalis, & Rationalis. Causalis dicitur, in qua illatio denotatur per particulam *quia*, vt si dicas, *quia Sol lucet, dies est*. Cõditionalis significat suam illationẽ per particulam *si*, hoc modo. *Si Sol lucet, dies est*. Et rationalis per vocem, ergo, vel igitur. Sic. *Sol lucet: ergo dies est*.

Rursus duplex est argumentatio rationalis, vel per entimema, vel per syllogismum. Entimema duplici tantũ constat propositione, quarũ vna antecedens, & altera consequẽs appellatur. Syllogismus vero tribus propositionibus constat, quarũ duæ priores dicuntur præmissæ, vel principia, & prima in particulari dicitur maior, secunda minor, tertia consequẽs, vel conclusio, præter consequentiã, seu notã illationis, vt si dicas. *Omnis homo est animal, Petrus est homo: ergo Petrus est animal*.

Potest autem vna argumentatio antecedens esse respectu alterius, ita vt sit discursus hypotheticus, vt si dicas: lux est ratio videndi colores: ergo solum in die, & non in noctè videntur, sed Sol est causa diei: ergo Sol est causa videndi colores.

Solet autem syllogismus sic deffiniri. Est *oratio in qua quibusdam positis, aliquid aliud necessario sequitur, præter ea quæ posita sunt*. Oratio ponitur loco generis. Per particulam, quibusdã positis: intelliguntur præmissæ, per quas syllogism' differt ab entimemate; per illa verba, aliquid aliud necessario sequitur: denotatur consequens, & significatur etiam illationem necessariam esse debere. Hoc est, quod si quis semel concedat præmissas, teneatur concedere necessario con-

consequentiam si syllogismus sit bonus: eo quod omnimoda necessitate consequens infertur ex præmisis; quia implicitè in illis continetur.

Duplex est argumentationis, vel syllogismi materia. Proxima & remota. Proxima sunt propositiones ex quibus cōstat. Et remota sunt termini ex quibus propositiones constituuntur, qui tantū debent esse tres. Vnus quod dicitur medium & repetitur in vtraque præmissa. Alius qui dicitur maior extremitas, quia iungitur cum medio in propositione maiori. Et tertius qui iūgitur cum eodem medio in minori, & propter hoc dicitur minor extremitas. In conclusione autem repetitur vtraque præmissa sine medio, nam ex coniunctione vtriusque cum medio in maiori, & minori infert intellectus coniunctionem vtriusque inter se in conclusione, ex quadam communi regula suo loco declaranda, quæ est fundamētum totius artis syllogisticæ, videlicet, *quæ sunt eadem vni tertio; sunt eadem inter se.*

CAPVT XIII.

De modo arguendi, & respondendi in disputationibus.

MVlta alia quę hic desiderari possunt, & tractari solent, pronunc necessaria non sunt, vsque ad suum propriū locum; solum circa modum arguendi & respondendi est obseruandum. intentum arguētis semper esse probare aliquam propositionem ignoratam; vel à respondente negatam, quam propositionem non debet ponere in antecedente, vel præmissis, sed in consequenti, alioquin iterum atque iterum a respōdente negabitur, quia res quæ non est per se nota, & ideo negatur, debet ex aliquo principio notiori deduci ac probari, vt negans priori concesso, cogatur etiam posterius; hoc est consequens in illo latenter inclusum admittere, & ideo quotiescumque propositio negata in antecedēti supponitur, petetur. principium, ex quo deducatur, & nota fiat, & dum non ostendatur, negabitur.

Ad probandam igitur propositionem negatam, assumendum est pro antecedenti aliquid quod sit necessario in re coniunctum cum obiecto propositionis negatæ, quod si illud concedatur, etiā & res cum illo coniuncta concedi necessum erit. Vt si velis probare quod Petrus sit animal, assume hoc principium. *Omnis homo includit animalitatem vt partē essentialē, sed Petrus est homo: ergo est animal.* Quod si adhuc negetur aliqua propositio, scilicet, *quod Petrus sit homo*, proba iterū ex effectibus, scilicet, *homo est essentialiter discursiuus, seu rationalis. Petr⁹ discurrit: ergo est homo.*

Res-

Respondens autem obseruare pro nunc debet omnes tres propositiones syllogismi propositi, & eas prius modestè repetere. Postea reuertatur ad primã, quã, si est vera, concedat, si est falsa, neget, si est æquiuoca plures habens sensus, distinguat, & in sensu vero, dicat: concedo maiorẽ, & in sensu falso, nego maiorem. V.g. formaliter, concedo maiorem, virtualiter nego maiorem. Quando negat maiorem propositionem, non pergat ad secundã, sed expectare debet, quod illi probetur talis propositio, in cuius probatione eodem modo procedet ac in qualibet alia argumentatione, quæ illi proponatur: nam probatio cuiuscumquê propositionis negatæ etiam argumentatio est.

Si autem concedat primã propositionem, pergat ad secundam, & dicat similiter: concedo minorem, vel nego, vel distinguo. Si vtramque propositionem præmissam veram inuenerat, & nihilo minus aduertat falsitatem in cõsequenti, repetat prius illud, & dicat: nego consequentiam, non cõsequens; quo modo respondendi denotet arguenti, quod licet propositiones ab illo assumptæ sint veræ, non infertur ex illis consequens, vel conclusio, eo quod nõ sit necessario in re coniuncta cũ præmissis.

Quod si aduertat æquiuocationem in consequenti, & quod secundum vnam significationem inferatur ex præmissis, secũdum alteram verò non. Respondeat. Distinguo consequens (non consequentiam) in hoc sensu, concedo consequentiam, & in illo nego. Si denique aduertat circa maiorem, vel minorẽ parum referre, quod negetur, vel concedatur ad illationem, quam intendit arguens, quia nec ex illa negata, aut concessa sequitur conclusio. Respondeat omitto maiorẽ, vel minorem, vel transeat, aut do illam gratis. Sed tunc arguens potest assumere illam vt concessã, & ex illa concludere suum intentum, si agnoscit in ea efficaciam ad probandum quod vult.

CAPVT XV.

Exponuntur quidam modi loquendi, quibus communiter vtimur in Logica.

Absolutè, vel simpliciter, & secundum quid, vel respectiuè. Res simpliciter, & absolutè dicitur talis, quando verè, & propriè conuenit illi aliquod esse: secundum quid verò dicitur, quod impropriè, vel methaphoricè tale esse participat. Homo verus dicitur simpliciter talis, & pictus homo secundũ quid, manus abscissa dicitur integra secundum quid in ratione manus, vel partis; absolutè tamen, & simpliciter dicitur res, incompleta, quia

quia tãtum habet ex natura sua, quod sit pars animalis, & non aliquod totum.

Respectiuè, etiam solet opponi contra simpliciter, & dicitur illud, quod licet in se non habeat aliquod prædicatum si compare tur alteri, illud videtur habere. Homo v.g. respectu montis dicitur formica, & respectu formicę dicitur Gigas, cum tamen, nec mons, nec formica simpliciter sit etiam in magnitudine, aut paruitate.

Actu & potentia, res dicitur esse actu, quando simpliciter est: non enim actu est, quod simpliciter non est. In potẽtia dicitur res esse quando absolutè non est, & potest esse. Vnde creaturæ possibiles dicuntur ab æterno esse, cũ verè non sint æternæ: quia verè non sunt, dicuntur tamen potentia esse.

Idem ferè significatur his terminis, *virtualiter & formaliter*. Virtualiter dicitur illud, quod cõtinetur intra virtutem suæ causæ, idest, non dum est a sua causa productum. Formaliter verò est, quod iam habet esse in se extra virtutem suæ causæ. Alio modo accipi etiam possunt hi termini, *virtualiter formaliter, & eminenter* ad exprimendum triplicẽ modum, quo effectus possunt esse in suis causis. Formaliter dicitur effectus contineri in causa, quando vnivocè assimilatur illi in sua ratione formali, ratione enim huius conuenientiæ dicitur præexistere in illa secundum suã formalitatem; Virtualiter continetur, quando non est in illa hoc modo, potest tamen ab illa produci; quo pacto Sol dicitur calidus virtualiter, quia potest producere calorem, licet illum formaliter in se non contineat. Eminenter significat effectum contineri in virtute causæ in alio gradu excellentiori ac est in se ipso, quamuis in ea non sit formaliter, vel si sit formaliter, est ablatis imperfectionibus, quas in se habet effectus, & alio modo eminentiori superaddito. Quomodo anima rationalis dicitur eminenter vegetatiua & sensitiua, & Deus dicitur eminentissimè habere perfectiones omnium creaturarum.

Adhuc formaliter, accipi solet vt distinguitur contra materialiter: & sic illud dicitur formaliter alicui conuenire, quod conuenit ei ratione alicuius formæ: quomodo album dicitur disgregatiuum visus, quia verificatur de illo ratione albedinis; materialiter verò dicitur alicui conuenire id quod de illo verificatur ratione materiæ, qua ratione dicitur, quod album potest esse nigrum, quia verificatur hæc potestas; non ratione albedinis, sed ratione subiecti habentis illam.

Idem ferè significant hæ voces, *reduplicatiuè, & specificatiuè*. Reduplicatiuè dicitur, quando aliquid conuenit subiecto, ratione

tione

tione alicuius formæ, & ad hoc significandum vtimur particulis, *in quantum*, *quatenus*, *prout*, & similibus, vt quando dicimus. *Petrus in quantum homo est rationalis*, *vel quatenus animal est sensitiuus*. Idest, ratione animalitatis tamquam formæ. Specificatiuè dicitur illud, quod materialiter, vel realiter coniungitur cum ratione formali, quæ est ratio prædicandi; de quo duplici modo latius in Logica dicitur, quia hic amplius explicari non potest.

Per se, & accidens, per se significat quando subiectum conuenit prædicato ex principijs intrinsecis suæ naturæ, & nõ ex aliquo accidenti, vt homo per se dicitur substantia, vel corporeus: per accidens autem dicitur id quod accidẽtariũ est, vel a casu, vel fortuitò conuenit alicui. Homo dicitur per accidens albus, ambulare, tristari, &c. In causis etiam, per accidens illa dicitur sine qua effectus poterat esse, de quo latè suo loco.

Positiuè, & negatiuè. Positiuè dicitur res esse talis, quando in illa ponitur aliqua forma, a qua ita denominatur; quomodo homo dicitur positiuè rationalis, & positiuè studiosus a virtute. Negatiuè autem dicitur res, quando caret forma contrariam denominationem tribuente; vt homo nõ vitiosus dicitur negatiuè bonus, quia non est malus; & homo abstractus per intellectum a singularibus dicitur negatiuè vnus, quatenus non est plures, prout repræsentatur in illo conceptu; & dicitur negatiuè incorruptibilis, quatenus prout in communi consideratus corruptibilis non est.

In recto, & in obliquo. Grammatici rectum vocant nominatiuum, cæteros autem casus obliquos. Quando ergo res aliqua duos conceptus habet, quorum alter explicatur in nominatiuo, alter in alio casu, cum verbo substantiuo: qui ponitur in nominatiuo, dicitur in recto poni: conceptus vero qui ponitur in alio casu dicitur significari in obliquo. V. g. scientia dicitur ordo ad obiectum: & ex consequenti importare ordinem in recto, & obiectum in obliquo, quia ordo significatur in nominatiuo, & obiectum in accusatiuo. Amor similiter dicitur appetitio boni. Et ideo appetitionem significat in recto, & bonum dicit in obliquo. Et hęc sufficiãt de hoc proœmio Summulistico. Ad laudem omnipotentis Dei.

* *
*
✻


DISPV-





DISPVTATIO I.

DE MODO SCIENDI IN COMMVNI:



IC PRAEMITTI SOLENT quæstiones quædam proæmiales dictæ: quia in illis natura, vnitas, & necessitas inuestigatur Dialecticæ. Melius tamen videtur immediatè ab obiecto incipiendum, quia sine illo prius cognito, saltem in communi, intelligi nullatenus valet ordo essentialis, quem dicunt habitus, & actus Logicæ ad ipsum, & omnia alia, quæ in huiusmodi quæstionibus continentur. Scientia enim, tam habitualis, quã actualis per obiectum notificatur. Cum ergo disputatio hæc versetur circa primarium Logicæ obiectum nullo modo proæmialis dicenda, sed initium intrinsecum illius: qua propter sit.

SECTIO I.

Quid nam sit modus sciendi in communi?

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit repræsentare, & significare.

ARTICVLVS I.

VT a nominibus, & vniuersalioribus iuxta doctrinã Peripateticorum incipiam, necessarium est tria ista prædicata ipsi modo sciendi intrinseca, & essen-

essentialia præmittere: Nimirum facere cognoscere, repræsentare, & significare.

Pro quorum intelligẽtia suppono in cognitione cuiuslibet rei quatuor hęc necessaria interueni re. Primum est potentia cognoscitiua, quæ per cognitionem, rem talem percipiat. Secundum, notitia ipsa, qua formaliter res ipsa cognoscitur, & repræsentatur potentiæ. Tertium, res, vel obiectum, quod cognoscitur. Quartum, instrumentum aliquod, seu imago externa intellectum mouens ad cognitionem obiecti, præsertim quando est absens. Vt imago Christi, quæ facit intellectum cognoscere Christum Dominum.

Hoc supposito dico primo, facere cognoscere nihil aliud est, quam concurrere ad cognitionem, aliquo ex quatuor modis dictis.

Secundo dico. Repræsentare, est *potentiæ cognoscitiuæ rem præsentem facere*. V. g. imago Christi, & vox scripta, siue ore prolata, Christi personam nobis repræsentat. Per *potentiam cognoscitiuam*, intelliguntur in hac deffinitione omnes potẽtiæ, tam rationales, & internæ, quam sensitiuę, aut externæ hominum, & brutorum quibus percipi potest aliquod obiectum, aut eius notitia, assequi, vt potentiam appetitiuam excludam, quæ propter hoc potentia cæca ab omnibus Philosophis dicitur: quia nullatenus obiectum percipit, sed potius ab ipso percipitur, & quasi captiua redditur, vt patet ex differentia, quam docent D. Tho. & Augustin. inter vtramquè potentiam interuenire; quod scilicet *intellectus trahit res cognitas ad se, voluntas vero trahitur ab ipsis rebus*. De quo latius suo loco.

D. Thom.
Augusti.

Rursus per secundam deffinitionis particulam, scilicet, *rem*, intelligenda est non solum quęlibet entitas positiua, sed etiam quodcumquè obiectum cognoscibile, siue sit aliquid positiuum singularis, vel pluralis numeri, vt *homo, leo*, &c. siue sit aliquid priuatiuum, vel negatiuum, vt *cæcitas*, & quęlibet alia negatio: quapropter etiam his nominibus negatiuis *nemo, nihil*, &c. verè conuenit repræsentationis natura.

Vnde est maximè aduertenda æquiuocatio, quæ in illis potest contingere, & esse occasio eorum repræsentationem negandi: nam aliud est dicere; *vox nihil, repræsentat nihil*, & aliud, *vox nihil, nihil repræsentat*. Prima, propositio denotat negationem in obiecto, idest, quod obiectum repræsentatum per illam sit quædam carentia, vel negatio. Secunda vero, denotat negationem repręsentationis in ipsa voce; vt sensus sit ipsam non esse repræsentatiuam, & prima est

est vera, & secunda falsa.

Quidam recentiores deffinitioni hic expositæ addunt particulam *obiectiuè*, vt aduertant necessarium non esse ad repræsentationem, quod obiectũ fiat præsens potentiæ secundum rẽ, idest, quod realiter existat, siue intra, siue extra potentiam; sed satis est fieri præsens secundum cognitionem, idest, quod cognoscatur, quod est fieri præsens obiectiuè.

Superfluè tamen, & sine fundamento additur hęc particula: nam propriè loquendo repręsentatio, aut præsentia qualiscumq; sit, dicit essentialiter ordinem ob iecti cogniti ad potentiam cognoscentem, atquè adeo omnis præsentia compræhenditur sub hac deffinitione. Quod sic declaro: nam aliud est rem aliquĩ alteri coexistere in eodem tempore, vel loco; & aliud, illi esse præsens (vt optimè aduertit Reuerẽdisim' noster Magister Zumel, *tom. 1. opuscul. dubio. 1.*) Primum dicit solum simultaneam existentiam duorum: Presentialitas verò propriè solum dicit esse obiectiuè in aliqua potentia cognoscitiua: vnde cum duo lapides eodem loco, & tempore coexistũt, non dicuntur propriè esse vnum alteri pręsens, sicut neque quod vnus sit in conspectu alterius, nec si duo homines simul in vno loco existant, ita vt alter oriens, alter occidens respiciat, dicentur sibi inuicem pręsentes: superfluè igitur additur deffinitioni particula obiectiuè, si includitur in particula, præsens.

M. Zumel

ARTIC. II.

Quotuplex sit repręsentare?

Repræsentare propriè loquendo stat tripliciter; instrumentaliter, formaliter, & obiectiuè: illud dicitur instrumentaliter repræsentare, quod *ex suppositaa cognitione sui aliquid aliud facit præsens potentiæ*, vt vestigium pulueri impressum cognitum, facit nos in notitiam animalis, quod transiuit, venire, & vox homo audita, naturam nobis hominis repræsentat.

Vnde duplex cognitio prærequiritur ad hoc quod instrumentum aliquod rem aliam potentiæ cognoscitiuæ percipiendam offerat. Vnam instrumenti, vt res quædam est & alteram repræsentationis talis instrumenti V.g. vt hæc vox homo, hominis repræsentet naturam, primo audienda est, deinde illi' impositio. i. significatio cognoscenda. Ex quo fit hanc vocẽ, nec surdo, nec Greco aliquid repręsentare. Non primo: quia somnum non percipit vocis. Nec secundo: quia licet illam audiat, vim,

quam habet ad repræsentādum, ignorat.

Repræsentare formaliter non est aliud, quam *efficere formalē notitiam alicuius rei distinctæ a se, sine vlla præsuppositæ cognitione sui*: vel est *forma quædam, aut similitudo, vel imago intentionalis alicuius rei, qua mediante, sine eo quod ipsa cognoscatur, potentia cognoscitiua percipit obiectum per illam expressum*; quæ similitudo, vel forma, si sit in intellectu dicitur verbum mentis, & si in alijs potētijs cognoscitiuis, appellatur species expressa, de quo latè in libris de anima. V.g. quando intellectus hominē cognoscit, producitur quædam forma in tali potentia, in qua tanquam in imagine hominis natura percipitur, sine hoc quod ipsa videatur imago; quia cum spiritualis, & indiuisibilis sit, est extra obiectum proportionatum intellectus humani, sub quo tantum obiecta sensibilia, quę externis sensibus percipiūtur, possunt naturaliter cadere; iuxta illud vulgatum Aristot. & omnium Philosophorum assertum, *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Similiter quando color videtur, vel auditur sonus, experimur non aliud percipi, quam colorem, aut sonitum; & tamen huiusmodi obiecta potentijs nō præsentantur, nisi per formas, aut species expræssas ab ipsis realiter distinctas: ergo tales species, sine eo quod audiantur, aut videantur, aliud a se ipsis distinctum videre, vel audire faciunt.


Aristot.

Ex quo patet discrimen inter vtramque repręsentationem formalem, & instrumentalem: ad hanc enim vt dixi duplex præexigitur notitia, instrumenti, scilicet, & repręsentabilitatis illius. Ad illam vero nulla cognitio est necessaria: propter quam appellari solet medium, vel ratio cognoscendi incognita; instrumentum vero ratio cognoscendi præcognita.

Deniquè repræsentare obiectiuè est *seipsum præsentem facere potētiæ cognoscitiuæ, & nō aliquid aliud a se*, est enim quodlibet obiectum cognoscibile, quod seipsum obijcit potentiæ, per se, & non per aliud terminans illius notitiam.

Huic diuisioni aliud quartum membrum solet annecti, scilicet repręsentare effectiuè, quod potentiæ conuenit, & cuicumque principio repræsentationem aliquam efficienti formalem, vel instrumentalem, sed non est propria, bene tamē figurata locutio, denominatione sumpta ab effectu, sicut mors dicitur pallida, &c.

(?)



Requi-

Requiratur ne ad ſignificandum diſcurſus?

Sed contradicta de inſtrumẽ tali repreſẽtatione obijcies: quia videtur ad ipſam requiri diſcurſus, ſed hoc falſum eſt: ergo & illud, ex quo ſequitur. Sequela probatur: nam diſcurrere non eſt aliud, quam ex vna cognitione ad aliam currere, ideſt. Vnum cognoſcere ex vi cognitionis alteri⁹, ſed totum hoc in repræſentatione inſtrumentali inuenitur: nam requiritur prius notitia ſigni, & ex cognitione illius potentia in agnitionem rei repræſentatę venit: ergo ad talem repræſentationem diſcurſus neceſſario requiritur. Vnde vlteri⁹ ſequitur, quod ſignum inſtrumentale ſit idem quod antecedens, ex quo infertur illatio: & è conuerſo quod omne antecedens in quantũ tale ſit inſtrumentaliter repræſentatiuum; quæ, & ſimilia videntur a communi ſententia recedere; nã omnes de ſignis, & repræſentatione in principio Logicæ agũt, quia ad primam mentis operationem ſpectare videntur.

Reſpondetur tamen primo, non ſemper intellectum, quoties ex cognitione vnius ducitur in cognitionem alterius, formaliter diſcurrere; alioquin brutis diſcurſus ineſſet, quia multa habent ſigna, quibus præcognitis ad notitiam mouentur alterius: requiritur ergo ad formalem diſcurſum, quod intellectus ex obiecto antecedenter cognito inferat per iudicium, aliud obiectum illi conuenire, vel diſconuenire a parte rei: vnde ſi ex cognitione vni⁹ moueatur ad ſimplicem apprehẽſionem alterius, nõ affirmando, vel negando vnum de alio, vel vnum cum alio a parte rei connexionem habere iudicando, propriè non diſcurrit; imo etſi iudicet ex vi alterius præcedentis cognitionis poteſt eſſe iudicium non illatum, quia nullam in re cõnexionem cum ea habet; vt patet ſi audita voce *homo*, ducatur aliquis in iudicium circa humanam naturam, quia nihil infert ex tali voce: alioquin inepta eſſet illatio, cum talis vocis natura nullam ex ſe habitudinem ad humanam dicat.

Addo tamen ſecundo etiam antecedenti, & quibuſcumque præmiſsis eſſentialiter competere repræſentationem inſtrumentalem: nam antecedens eſt illud, quod ex præſuppoſita cognitione ſui ducit intellectum in agnitionem alterius: vt poſtulat deffinitio aſsignata. Vnde repræſentatio inſtrumentalis, ſicut & formalis abſtrahit ab hoc, vel illo modo, & in tribus mentis operibus poteſt inueniri: patet in vulgari exemplo fumi repręſentãtis ignem, aut veſtigij, tranſitum ex primentis animalis, quæ etiam præmiſſæ antecedentes ſunt, ex quibus vt effectibus intellectus

causas deducit. ¶ Neque hæc doctrina a communi est aliena; sed clarè deducta ex communibus deffinitionibus traditis. Ratio autem quare præmittitur tractatus repræsentationis, & significationis non est, quia ad solam primam mentis spectet operationem, sed quia ad omnes, vt patet in repræsentatione formali; & quia vniuersaliora sunt priora, & notiora, vt ab omnibus pro certo supponitur, ideo ab illis incipit Logica.

Insurgit adhuc quidam, quod cognitio effectus per causam est a priori, cognitio vero rei per signum est a posteriori: nam demõstratio a posteriori vocatur a signo, vt infra suo loco dicetur: ergo nõ quodlibet antecedẽs habet rationẽ signi instrumentalis. Sed hæc ratio parum vrget; nam demonstratio a priori dicitur a causa, & a posteriori dicitur ab effectu, vel signo; non quia quãdo antecedens est causa, vel effectus conclusionis, non sit etiam signum instrumentaliter illam ostẽdens, sed è contra, quia quando antecedens non est causa, vel effectus, satis est quod sit signum naturaliter conclusionem deducens, ac si dicas quod demonstratio a posteriori est ab effectu, vel saltem a signo, licet non sit effectus.

(?)

ARTIC. III.

Quid & quotuplex sit significare?

Significare est *potentiæ cognoscitiuæ aliud a se repræsentare*: cuius deffinitionis particulæ iam sufficienter explanatæ sunt in deffinitione repræsentationis, imo ex eadem etiam colligitur, quod significare stat dupliciter. Instrumẽtaliter, & formaliter; sicut his tãtũ duobus modis stat, quod vnum, aliquid aliud a se repræsentet. Ex quo rursus colligitur, quod significare sit idem omnino quod repræsentare formaliter, vel instrumentaliter; sub eisdẽ enim latent deffinitionib⁹: nã habẽt se ista duo sicut superius & inferius: omne quod significat, repræsentat; non autẽ è contra. omne quod repræsentat significat: quia repræsentare obiectiue tantũ, cum sit repræsentare se ipsum, non potest signi participare naturam. Nullum enim signum potest adæquatè significare seipsum, sed necessariò aliquid distinctum a se, vt in eius constat deffinitione essentiali. Patet etiam ex Augustino, *tom.5.lib.15.de ciuit. cap.10.* sic illud describente (*est id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Et D. Anselm. *in* *August.* *Anselm.*

in cap. 4. epist. ad Rom. sic loquente: (*Signum dicitur, cum per id quod videtur, aliquid aliud indicatur.*) Et ex D.Thom. *3.p.quæst. 60.art.2.* vbi ait: (*Signa propriè dantur hominibus, quorum proprium est per nota ad ignota peruenire*, id autem verificari non posset si idem significaret seipsum; nam idem non potest esse notius, & minus notum seipso. Præterea constat; quia signum est veluti imago aut instrumentum, quo in alterius rei ignotæ notitiam ducimur, nihil autem est imago, aut instrumentum sui ipsius.

D.Thom.

Dices, licet hæc vera sint de signo naturali, nulla apparet contradictio, quare ex hominum beneplacito vox aliqua: Blyctiri. V.g. non possit ad significãdum adæquatè seipsam imponi; poterit ergo sicut imponitur vox homo ad hominis insinuandam naturam, cum qua nullam in re connexionem habet, magis quam cum natura leonis, ita ad seipsam adæquatè significandam institui. Patetquè instantia in hac propositione, *Ego sum propositio*, quæ seipsam tantum indicat, & tamen est verum signum, vt infra dicetur.

Respondetur humanum beneplacitum posse quidem pro libito signa instituere, cæterum intra lineam, & naturam ab eius deffinitione præscriptam, & quidquid aliud tentauerit, eo ipso signum non erit: ideoque si vocem imponeret ad repræsentandum seipsam, eo ipso esset repræsentatio obiectiua, & non significatio. Repræsentatio etiam obiectiua non pendet ex hominum beneplacito, sed ex intrinseca cuiuslibet entis cognoscibilitate, quæ passio transcendens est.

Instantia etiam non est ad propositum, quoniam inadæquatè bene potest signum aliquod seipsum exprimere: nam hæc vox *signum*, significat omnia signa, & consequenter seipsam, prout est quodam particulare signum sub communi signi ratione contentum; satis enim est quod totale significatum sit aliquid distinctum a signo, vt eius deffinitio essentialis saluetur, quidquid sit de obiecto partiali illius, & sic propositio illa, *ego sum propositio*, constat ex signis inadæquatè ipsam exprimentib': nam ly *propositio* significat omnem propositionem in communi, vt totale significatum, & seipsam vt partiale quid, quatenus quædam particularis propositio est. Item vox *ego*, totam propositionem illam significat, & seipsam inadæquatè, quatenus est subiectum illius.

Insuper est obseruanda generalis regula in omnibus ferè semper deffinitionibus, quod eorum verba non dicunt actum, sed aptitudinem, ita vt idem

sit dicere in deffinitione posita, *aliquid aliud à se repræsentat*; ac habet aptitudinem vt repræsentet. Ratio huius est; nam essentia signi, quam hìc intendimus explanare, non potest in actuali repræsentatione consistere, quia vox *homo* scripta in libro clauso, & imago Christi latens sub velamine aliquo, verè sunt signa, & tamen nulli actu repræsentant, tametsi possint repræsentare: ergo non in actuali, sed in aptitudinali repræsentatione consistit eorum essentia. Sicut homo dormiens actu, est homo, licet actu non discurrat: quia solum in potentia ad ratiocinandum eius essentia consistit: In eo enim quod potest adesse, & abesse nullius poterit stare essentia.

Exponitur amplius forma signi constitutiua.

Tandem colligitur, quod sicut album. V.g. pro materiali dicit corpus, & pro formali albedinem, ita signum est quodam concretum compositum ex materia & forma quadam. Materia est res illa, quæ mouet potentiā cognoscitiuam ad notitiam alterius rei distinctæ. Forma vero est potentia proxima, quam res illa habet ad repræsentandum aliquid aliud potentiæ, quæ dici potest significabilitas seu repræsentabilitas actiua, ad drīam significabilitatis passiuæ, seu obiectiuæ, quæ est potentia quam habet obiectum, vt repræsentetur per signum; sic enim in alijs potentijs distinguimus intelligibilitatem. V.g. seu appetibilitatem actiuā, quæ se habet ex parte potentiæ, & passiuam, seù obiectiuam, quę se tenet ex parte obiecti.

Dixi *potentia proxima*, ad excludendam remotam, quę non satis est ad frālem signi rationem: hanc ob causam *Blictiri* & quælibet alia huiusmodi vox nō dum imposita, non est signum: quia licet habeat aptitudinē, vt ab omnibus imponatur ad significādū hominem. l. leonem, hæc aptitudo est remota, & insufficiens, qualis est illa, quam habet semen virile in vtero matris ad cōstituendum hominem.

Sed vt clarè cognoscatur qualis debeat esse aptitudo proxima ad essentialem alicuius constitutionē; aduerto, quod proxima potentia est illa, quę immediatè potest ad actum reduci, sine aliqua noua suę entitatis mutatione: nā potentia ꝓxima est idē, quod potētia vltima, inter quam & actū non mediat alia mutatio entitatis causæ. Aptitudo V.g. quā habet vox *homo* ad repręsentandum suum obiectum nō indiget aliquo medio, vt significet potentię obiectū, Ex quo patet quid sit aptitudo remota: ea scilicet, quę non potest reduci ad actum, nisi priꝰ ipsa mutetur in aliud. l. diuersum aliquod, aut nouū esse accipiat.

Non

Non est tamen intelligẽda tota hæc doctrina de vera, aut propria potentia, quę per physicam, & propriam causalitatẽ reducatur ad actum, sed magis latè de omni ea, ex qua aliud quomodo libet resultat: vnde in signis hæc aptitudo non est aliud, quam signum esse talis naturæ, quod moueat, aut excitet potentiã ad cognoscendum aliquid distinctum à se; quod dupliciter euenire potest l. tamquam ratio f̃ralis, informando potentiam modo dicto de signo formali, vel tamquam instrumentum, non causando physicè alterius notitiam, sed tantum obiectiuè excitando potentiam, vt ipso cognito veniat in cognitionem alterius, ꝓpter cõnexionem quam habet cũ illo ex natura rei l. ex hominum institutione, vt iã dicam.

ARTIC. IIII.

¶ Diuiditur signum in cõmuni in naturale, & ad placitum.

Signum in communi, aliud naturale, & aliud ad placitum. Signum naturale est illud, *Cuius significatio, seu significabilitas illi cõuenit ex sua intrinseca natura, & seclusa hominis imponentis voluntate.* Imagini V.g. siuè intẽtionali, siuè reali Christi Dñi, naturaliter, & independenter à quauis extrinseca impositione, conuenit repræsentare Christum: & effectui significare suam causã, & è cõtra causæ etiam competit suum indicare effectũ; quod posterius nõ bene aliqui negãt: quia licet causa non sit ex natura sua ordinata ad repræsentandum effectum, (vt ipsi aiunt) & ideo nõ sit imago illius, potest esse signũ tantum, sicut fumus respectu ignis. Nec obstat particula illa *ex sua natura intrinseca*, posita in deffinitione signi naturalis: quia non est sensus, quod signum naturale debeat esse institutum à natura ad repręsentandum, sed solũ quod repræsentatio illi ex natura rei conueniat independẽter ab humano beneplacito.

Signum ad placitum è cõuerso est illud, *cuius significatio non ex natura sua sed ex authẽtica hominum impositione illi inest.* Quomodo hęc vox *homo* repręsentat hominem, nõn ex natura vocis, quæ ex vi ꝓpriæ entitatis non habet maiorem connexionem cum natura hominis ad illã repręsentandam, quam cum equi, l. leonis substantia; sed quia homines pro sua libertate eam imposuerunt, vt hominem significaret, ideo illum potius quam rem aliam indicat, possetq; ad aliud repræsentãdum imponi, quod nõ est in imagine naturali, quæ determinatè prothotypum exprimit, nec est indifferens ad alia obiecta significanda; imo nec in imagine artificiali

ciali,quæ ex voluntate pendet artificis: nam si semel taliter formetur ad alicuius rei determinatę similitudinem, velit, nolit,eā necessario significabit. Vnde collige, non quemlibet voluntatis concursum efficere signum ad placitum. Sicut enim intellectus quandoque intelligit res, prout in se sunt,quandoquè verò aliter ac sunt,tribuendo illis, quod re vera non habent,& tunc dicitur formare entia rationis, & non priori modo; sic voluntas quandoquè accommodatur ipsis rebus, appetendo eas, prout in se sunt iuxta conditiones, & proprietates illis connaturales, aut quomodolibet insitas, quandoquè verò eas vult aliter ac sunt; supplendo quod illis deest, & eis vtendo ac si illud haberent. Optimum huius exemplum est in filio naturali,& adoptiuo, ad vtrumque enim voluntas concurrit,aliter tamen,& aliter: ad primum volendo generare hominem,qui ex propria rei natura filius sit; ideoque filius naturalis dicitur. Ad secundum verò supplens filiationem, quam ex rei natura non habet, habensquè pro filio eum, qui naturaliter filius non est: Ideoq; filius adoptionis,seu voluntatis, seu ad placitum nuncupatur. Sic pariter in signis,aliud est naturale, quod ex intrinseca rei natura aliquid aliud repræsentet,siue sit a volūtate expetitum, siue non, aliud est signum ad placitū, seu adoptiuum; id scilicet, quod in signū adoptatur,& habetur pro signo a voluntate supplente deffectum naturalis repræsentationis; ideoque specialiter voluntati tribuitur,sicut ens rationis intellectui.

Dixi supra, hanc impositionem,vel voluntatis adoptionem debere esse authenticam, ad excludenda multa alia signa, quæ tantum ex impositione priuatæ personæ aliquid repræsentant, cuius modi sunt illa, quibus aliquis specialiter,aut secretò alloquitur suum amicum,& similia, quæ etsi verè, & propriè signa sint (quod male ab aliquibus negatur, cum illis tota conueniat signi deffinitio) non tamen sunt signa doctrinalia, de quibus loquimur: quia sicut non sunt publicè, vel authenticè imposita ad significandum, ita non habēt aptitudinem proximam, vt apud omnes significēnt,quod ad doctrinam & ad omnia, quæ ad illā spectant,requiritur.

Soluuntur aliquot argumenta.

Sed contra dicta obijcies primo,potest imago aliqua naturaliter repræsentans nunc exprimere D. Augustinum,postea S. Ambrosium,vel alium sanctum Episcopum, solētque frequenti vsu imago repræsentans B.M.Magdalen. assumi ad B.Catherinam, vel Luciam significandam: ergo signum

signum naturale potest indifferẽter plura repræsentare ad placitũ voluntatis.

Respõdetur optime posse imaginem repræsentantem naturaliter speciem, esse signum ad placitum respectu indiuidui, & ideo in exemplis positis voluntas assumit imaginem naturaliter similẽ solum in natura specifica, & supplet deffectum similitudinis differentiæ indiuidualis, quę ignoratur, vel haberi non potest. Vnde quantum ad illam est verè signum ad placitum ex impositione hominis repræsentans saltem priuata, posset tamen fieri authentica.

Secundò obijcies. Omne signum naturaliter significat: ergo non ad placitum. Antecedẽs probatur: quia omni signo essentialiter conuenit significabilitas: ergo naturaliter. Patet consequentia: quia nihil est alicui rei magis naturale, quam quod est illi essentiale. Respondetur signum dupliciter accipi, vel denominatiuè, pro materiali, aut re, quæ denominatur signũ, vel quidditatiuè pro toto concreto intrinsecè includente significabilitatẽ, tãquã rationem formalẽ; in hoc secũdo sensu cõcedendum est, quod omne signum naturaliter significet, sicut significat essentialiter. Vt contendit argumentum: quẽadmodum homo albus formaliter in quantũ albus dicitur essentialiter disgregare visum. At si solũ in primo sensu loquamur de re; quę signũ denominatur, negãdũ est, quod essentialiter, vel naturaliter significent omnia signa. Nã vox *homo*, sicut accidẽtaliter, & ab extrinseco imposita fuit ad significãdũ, ita accidẽtaliter conuenit illi significabilitas; sicut homini in hoc sensu accidentaliter cõpetit tñ albedo, quã ratio disgregatiua visus. Sẽsus igitur prædictæ diuisionis est, significabilitatẽ aliquibus rebus naturaliter cõuenire, seu ab intrinseco, aliquibus autẽ ab impositione extrinseca

Tertiò obijciũt, quia si voces a natura nõ haberẽt vim significãdi, homo esset naturaliter imperfectus; quia non haberet a natura modum exprimendi res, & conceptus suos, sicut habent reliqua animantia, quæ signis proprijs vtuntur, quibus naturaliter alijs passiones suas manifestant, vnde quantum ad hoc homo esset cæteris inferior. Confirm. 1. quia audita voce canentis, frequẽter venimus in cognitionem illius: ergo voces a natura habent significare, & non ex hominum voluntate. Secundo confirmatur, quia Adam commendatur in sacra Scriptura, eo quod singulis rebus nomina ipsis accommodata imposuerit: *Omne quod vocauit Adam ipsum est nomen eius*: ergo in ipsis vocib⁹ est aliqua naturalis aptitudo, indepẽdens ab hominũ impositione ad significãdũ hoc poti⁹ quã illud.

Cratilus, & Heraclit⁹, quos refert Plato in Cratilo.

Genes. 2.

Ad

M. Oña. 1. Ad hoc Argumentũ optimè sanè respondet noster Gætens. Episc. Mag. Oña, li. 1. d interpretatione, cap. 1. in com. illi'. In primis hominem plu. a signa habère, quibus naturaliter, & perfectiori, ac expressiori modo, quam cætera animãtia repræsentat suas passiones, gemitus scilicet, fletus, risus, mutationes vultus, manus & aliorum mẽbrorum. Præterea habet a natura ingenium ad imponendas voces, characteres formandos, &c. quod satis fuit vt altioris esset conditionis cæteris animantibus, sicut & illa excedit in hoc quod manus, & ingenium a natura habet, quibus instrumenta conficeret, non solũ ad sui defensionem, verum etiã ad alia capienda & subiuganda, non obstantibus armis, quibus naturaliter munita sunt.

Ad primam confirmationem respondetur, quod si vox canentis, vel loquentis consideretur respectu prolatoris, à quo procedit, tamquam verus effectus illius, repræsentat illum naturaliter, si vero consideretur respectu alterius rei, ad quam significandam fuit imposita, sic induit aliã significationem, non naturalem, sed ab extrinseco illi prouenientem, vt dictũ est: vnde fit, quod audita voce loquentis, cognoscatur statim prolator, & res ab eo dictæ non percipiantur, si verborum extrinseca impositio ignoretur.

Ad secundam confirmationẽ respõdetur primo, testimonium illud Geneseos sic intelligi. *Omne quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius*, idest, ipsum est nomẽ quod postea semper retinuit, sicut illud: *Ioannes est nomen eius*; Luca. 1. quod solum denotat, & commẽdat authoritatem, quam habuit primus parens condendi linguã, & instituendi signa suæ posteritati. Secundo, inuẽta iam lingua, & impositis nominibus pro reb' simplicibus, commendatur ingenium & peritia Adami, in hoc, quod rebus compositis naturam participantibus, & proprietates plurium simplicium, eadem, vel similia accomodauerit nomina, quibus earum proprietates innotescerent. Sic enim in Scriptura nomina imponuntur deriuata à proprietatibus, vel qualitatibus, quæ insunt rei significatæ. Maria enim interpretatur Domina. Ioannes dicitur Gratia, &c.

Dubiolum expeditur.

Dubitari autẽ solet, ad quodnam ex prædictis membris signa reducantur, quæ ex consuetudine sic dicuntur? Est namque huiusmodi signum, cuius significatio ex vsu dumtaxat, & consuetudine aliqua illi prouenit. V. g. mappæ supra mensam appositæ significant prandium futurũ, & nõ naturaliter, quia nullam cõnexionem naturalem habent cũ prandio,

prandio, vt patet; potuerunt enim homines prandio assuefieri absque linteis, & linteis vti ad alium finem, neque ex impositione aliqua hominum, quia impertinens fuit talis impositio, & ad nihilum necessaria, nam illa seclusa, sola consuetudo sic comedendi duceret nos in cognitionem prandij.

Dicendum tamen est, quod si consuetudo fundetur in aliqua institutione voluntaria hominũ, reducitur ad signum ad placitũ, nam etsi institutio primariò explicitè talem repræsentationem non intendat, satis est quod radicem, & fundamentum talis repræsentationis causet, scilicet habitudinem & connexionem signi cum re repræsentata, estquè saltem virtualis impositio, & sic mappas mensę superponi, ad placitum horam prandij significat:, quia talis connexio, vel coniunctio inter mappas, & prandium, ex libera hominum institutione ortum habuit, si verò oriatur talis consuetudo ex natura rei, ad signum naturale reducitur. Sic canis ingressus aduentum significat Domini: quia naturali inclinatione ductus Dominum comitatur, sic etiam micæ, quæ ceciderunt ex mensa, prandiũ præteritum denotant, vel oris, vel dentium emundatio: quia sunt res naturaliter connexæ cum illo.

QVAESTIO II.

Vbi exponitur multiplex, & varia signorum diuisio.

Hic de terminis, & varijs eorum differentijs fusse tractari solet; sed cum termini ratio in habitudine ad propositionem cõsistat, quam componit, & terminat vt subiectum, aut prædicatum illius, melius in disputatione de secunda intellectus operatione, illius naturam & proprietates elucidabimus; nunc verò solam signi rationẽ, quæ in omnibus operib⁹ intellectus generaliter residet, consideramus.

ARTIC. I.

Diuiditur præcipuè signum doctrinale in vocale, mentale, & scriptum.

Diuiditur vlterius signum in communi in manifestatiuum tantum, & in manifestatiuum & suppositiuum simul. Primi generis est illud, quod

quod rem a se distinctam significat cuius vicem non gerit, vt sonitus campanæ repræsentat festum, vel concionem, pro ea tamen non supponitur. Manifestatiuum vero, & suppositiuum est, quod non solum ducit nos in agnitionem alterius, sed pro illa etiam substituitur, vt calculi habiti loco numerorū, imago Christi loco Christi adorata, Prorex, vel minister, qui substituitur loco Regis, aut Principis.

Diuiditur insuper signum in communi vt compræhendit formale, & instrumentale, naturale, & ad placitum, in sermotionale, vel doctrinale, & reale, vel non doctrinale. Sermotionale est id, quod profertur a substantia rationali, vt per ipsum loquatur, & manifestet, quod in sua retinet mente, quod etiam dicitur doctrinale: quia omnis doctrina in sermone interno, conceptib⁹. videlicet intellectus, consistit, & per sermonem externum petit manifestari, cuiusmodi sunt voces, & scripturæ. Signum reale, vel non doctrinale sunt omnia alia signa, siue instrumentalia, vt imago, fumus, &c. siue formalia vt visio, auditio; siue naturalia, siue ad placitum, vt pulsatio cymbali, ramus ante tabernam, &c. quæ neque sunt doctrina, neque partes, aut manifestationes per se conducentes ad illam.

Ponitur tertia principalis diuisio

Hinc patet tertia, & celebris diuisio, in qua signum tantum doctrinale in mentale, vocale, & scriptum partitur. Mentale est conceptus mentis, qui est naturalis similitudo, & ratio formalis cognoscendi obiectum, vt supra explicui de signo formali. Vocale est vox prolata ab ore aliquid a se instrumentaliter repræsentans. Scriptum est scriptura imposita ad significandum simili modo ac voces.

Vnde vt bene hic aduertit R. N. Episc. M. Oña. Signum vocale, & scriptum non differunt formaliter penès diuersos modos significandi: quia vtrumque instrumentaliter, & ex humano beneplacito significat: solum ergo materialiter differunt, in hoc.s. quod materiæ ad significandum impositæ diuersæ sunt: vtrumq; autem signum a mentali formaliter differt: quia hoc est formale, & naturale intrinsecè, ac inseparabiliter suam significationem retinens, ille verò nō ita, sed pro libito hominum variabilis est. *M. Oña.*

Differunt secundò, ex parte rei significatæ, ad quam repræsentandam, tanquam ad propriū finem ordinantur, nam voces, & scripturæ non solum significant res, ad quas significandas fuerunt impositæ, sed etiam mentis cōcept⁹. Quoniā vt docet Arist. *li.1. de interpret.ca.1. Voces sunt* *Aristot.*

eorum,

eorum quæ sunt in anima passionum notæ. Signum vero mentale non est per se institutum ad significandas voces, nam licet eas repræsentare soleat, non respicit eas vt finem per se, sed per accidens, in quantum sunt quædam res intelligibiles.

Hic etiam obseruari solet, ad signum mentale posse reduci sensationes cogitatiuæ, seu extimatiuæ, quatenus aliquid rationis participat, & ad signum scriptum characteres digitales, quibus multoties vtimur ad cordis secreta loquenda, vel homini surdo aliquid manifestandum, licet non in papyro, sed in digitis, aut vultu subiectentur, quæ quidem etiam manifestant obiectum hominibus absentibus, licet non secundum rem, tamen secundum auditum; nam surdus tam absens est loquenti vocaliter, ac si non esset præsens. Neque est essentia signi scripti, quod absenti proferatur; nam & præsentibus causa secreti loquimur per scripturas, & absentibus ratione materiæ, in qua tale signum residet, quando scilicet portatilis est sicut tabula, aut papyrus; secus verò quando est ipsum corpus loquentis.

Obijcies contra: signum vocale nō posse vnquam in rerum natura existere: mala est ergo diuisio posita. Probatur antecedens: quia vox componitur ex multis syllabis successiuè ab ore prolatis, quarum quando vna existit, alia iam præterijt, & alia nondum est; & quando vltima habet esse, iam præcedentes penitus destructæ iacent: sed significatio conuenit voci ratione omnium syllabarum simul: ergo si nunquam possunt omnes syllabæ simul existere, numquā poterunt signū vocale constituere.

Respondetur negando antecedens, & ad eius probationem dico, quod licet vox non existat tota simul quoad omnes suas partes, existit tamen successiuè quoad omnes illas in rerum natura, sicut quodlibet aliud ens successiuum, quod satis est vt absolute dicatur in re habere esse, & etiam vt significet: nam licet quælibet syllaba seorsim non significet, sed omnes simul; non requiritur, ad hoc quod omnes simul significent, quod simul existant in re; sed satis est quod simul obijciantur potentiæ cognoscitiuæ, aut maneant in memoria, vt illam moueant ad notitiā rei significatæ.

Subdiuiditur signum mentale.

Vel conceptus in vltimatum, & non vltimatum. Non vltimatus est intellectualis similitudo signi aliquid repræsentātis. Et vltimatus est conceptus nō solum signi, sed rei significatæ per illud: Cum audio hanc vocem homo, duplicem in intellectu formo conceptum, vnum vocis, & alte-

alterum naturæ hominis: primus dicitur non vltimatus, quia ordinatur ad alium, ad conceptum scilicet rei significatæ per vocem, in quo vltimo sistit cognitio: vnde conceptus qui taliter vocem exprimit, vt vltimò in ea sistens, nihil de re per illam significata curet, dicitur etiam vltimatus; quia ad illam vltimatè fertur, sicut ad quamlibet aliam rem.

Secundò, signum mentale, seu conceptus. Alius directus, notitia scilicet, *qua primo tendit intellectus ad obiectum aliquod ab ipsa cognitione distinctum*. Alius est reflexus, videlicet, *cognitio alterius cognitionis in eadem potentia*. Quando scilicet intellectus super suum actum reflectitur, non solum iterum cognoscendo rem intellectam, sed cognitionem etiam quam habet, vel habuit de illa.

Dixi *in eadem potentia*, quia conceptus, qui ad cognitionem terminatur alterius potentiæ, nõ reflexus, sed directus est. Reflexio enim, vt ad præsens attinet, non est aliud, quam redditus potentiæ, quæ quasi exiuit extra se ad obiectum externum, & post ad se ipsam reuersa, ipsam formalem notitiam in se intuetur. Est autem ad hanc reflexionem necessarium, quod intellectus ab obiecto reuertatur, non solum ad potentiam per cognitionem ipsius, sed etiam ad actum, quo tale obiectum externum contéplabatur, nam primum esset tantum reflexio super potentiam, non autem super cõceptum, qui etiam esse debet super se reflexiuus.

Deniquè signum mentale, seu notitia alia est intuitiua, *quæ rem, vt præsentem, vel existentem clarè repræsentat*; vnde cognitio, quæ obscurè circa rem existentem versatur, intuitiua non est. Ab hac deffinitione non differt alia, quæ communiter tradi solet, scilicet, est *cognitio rei existentis per propriam speciẽ*, quia quando res repræsentatur per propriam speciem, eo ipso cognoscitur clarè, secùs vero quando per alienam: ideoquè notitia, quę de Deo in hac vita habetur, per extraneas creaturarum species, etsi de obiecto existẽte sit, obscura est, ac proinde nõ intuitiua. Alia est abstractiua notitia, *quæ est cognitio rei, vt abstractæ a sua existentia, vel præsentia*, idest, quæ ad solam rei quiditatem, & non existentiam terminatur, vel si existentiam respiciat, non clarè sicut ad visionem, seu intuitionem requiritur, sed valde confusè, & obscurè.

AR-

ARTIC. II.

De signo vniuoco, æquiuoco, & analogo.

QVartò principaliter diuiditur signum doctrinale in communi, in vniuocum, æquiuocum & analogũ. Vniuocum est illud, *quod significat vnum, vel plura significata sub vnica tãtum ratione*; hoc est, quod non significat plura, nisi prout sunt vnum in aliqua ratione, homo v.g. licet significet Petrum & Paulũ, hoc fit quatenus conueniunt in eadem ratione hominis. Aequiuocum verò est illud, *quod significat plura vt plura*, idest, sub rationibus omnino diuersis, quatenus.s. omnino differunt, & nullo modo conueniũt in ratione significata per nomẽ, quomodo Canis cœlestem indicat, marinum, ac latrabilem, quæ rationes prout significantur nomine *Canis* omnino diuersę sũt. Analogum est signum quodam medium *plura significans, vt partim conuenientia, & partim differentia in ratione per illud significata*. Sic dicitur homo respectu viui, & picti: vtrũq; enim exprimit, quatenus partim in figura.s. hominis, & delineamẽtis conueniũt, & in quantũ partim in eadẽ natura, & essentia humana differũt, quæ in pictura nullatenus inuenitur. Dico semper *in ratione significata per nomẽ*, quia optime potest stare, quod signũ vniuocũ significet plura differẽtia in alijs rationib' per alia nomina repræsentatis. Animal v.g. signat rõnale, & irrõnale, quæ species diuersæ sunt: cęterũ quia in rõne significata per animal, sunt omnino similes, vniuocãtur in eo nomine. Similiter æquiuocũ, canis signat plura aliàs cõueniẽtia, latrabilẽ.s. marinũ & cœlestẽ, qui in ratione substãtiæ corporeę cõueniũt, & cõsequenter vniuocãtur sub tali nomine; cęterũ quia in rõne significata per vocẽ *Canis* penit' differunt, æquiuocãtur sub illa, eãquè æquiuocam reddunt.

Hinc colligo 1. signum æquiuocũ, si pro vno tãtũ accipiatur ex suis signatis (Canis. v.g. pro latrabili) esse tãtum vniuocũ: quia tantũ, quãdo est in vsu respectu aliorũ signatorũ differẽtiũ, ęquiuocationẽ patitur. ¶ Infero 2. res oẽs p signũ vniuocũ repræsentatas in duob' conuenire. In nomine.s.l. signo, & in re p illud signata, quæ propriè ab omnibus illis participatur: res verò quę significãtur p ęquiuocũ, solũ in voce.l. nomine cõueniũt, etsi in re est aliqua cõuenientia, nõ est signata per nomẽ. ¶ Infero 3. quod licet res ipsæ signatæ dicãtur etiã vniuocæ.l. æquiuocæ, aut analogæ, vt infra suo loco dicetur, dicuntur non ita propriè, sed vniuocæ vniuocatę.l. ęquiuocatę, aut analogatæ: Signũ verò dicitur vniuocans, æquiuocans, & analogans.

Denique infero pro analogis communem regulam, quod absolutè prolatum nomen analogum intelligendum est solum de illius significato principali: quod intellige, quando ratio significata per signum analogum principaliter & propriè est in vno, in alijs verò significatis est impropriè, & metaphoricè quando V.g. profertur vox *homo*, intelligenda est de viuo, non de picto, nisi ex contextu sermonis extensio vocis ad omnia sua significata insinuetur. Cum vero ratio analoga intrinsecè, & propriè in pluribus inuenitur; sicut ratio entis in Deo, & creatura, substantia, & accidenti, de omnibus intelligenda est, si non apponatur limitatio aliqua.

Soluitur duplex obiectio.

Sed contra dicta obijcies primò signum æquiuocum est vniuocum, ergo diuisio non est bona. Antecedens probatur: nã signũ æquiuocum significat rationẽ quãdam vniuocè cõmunem, in qua omnia signa æquiuoca ęqualiter cõueniũt, s. in hoc quod est significare plura vt plura.

Respõd. distinguo antecedẽs. Signũ ęquiuocũ, si summatur in propositione dicta loco sui, est vniuocũ, cõcedo antecedens. At vero si sumatur loco rei significatæ, nego antecedens. Explico distinctionem. Ipsa vox *signum æquiuocum*, quatenus significat plura signa conuenientia in eadem ratione significandi æquiuocè, signũm vniuocum est: at res significata per talem vocem est signum æquiuocum significans plura vt plura. Vnde est maximè aduertendum, quod sicut quando dicimus: *homo est nomẽ*, ibi *homo* accipitur pro ipsa voce, & non pro re significata per illã; & quando dicimus: *homo est animal*, vox *animal* non verificatur de voce *homo*, sed natura significata per animal, prędicatur d̃ re significata per vocẽ *homo*; sic in præsenti, & similibus casibus, quando dicim⁹; *quod signũ æquiuocum & vniuocũ*, est sermo de ipsa voce, & non de re significata per illam; cum vero dicimus: *signum æquiuocum est quod significat plura vt plura*, tunc prædicatum illud verificatur, non de voce illa *signum æquiuocum*, sed de re significata per illam.

Secundò obijcies: quia videtur omne signum esse ęquiuocũ, & nullum dari vniuocum: ergo male diuiditur. Probatur antecedens, quia omnis vox significat non solum rem aliquam, sed etiã conceptum; nam voces sunt eorum, quæ sunt in anima passionum, notæ, teste Aristot. & etiã omnis concept⁹ significat rem, & vocem, & omnis scriptura nõ solum res, sed etiam voces, & conceptus exprimit, vt docent Isidorus dicens: literæ sunt indices *Aristot.* *Isidorus.*

ces rerum,& signa verborum:& Augustin. 15. de *Trinit. cap.* 10. inquit: *Inuentæ sunt etiam literæ, per quas possemus etiam cum absentibus loqui:* ergo tam signum vocale,quam mentale significãt plura semper vt plura.

August.

Respondetur, quod conceptus significant res,& voces tam quam significata partialia inter se connexa , quod non est contra rationem signi vniuoci , sed quod plura vt totalia obiecta, & disparata repræsentet : idemquè similiter dico,si vox,rem & conceptum significet vt partialia obiecta vnum integrum componẽtia. Quinimo etsi illa indicet vt significata totalia, significat illa distinctè,& determinatè , & cũ subordinatione vnius ad aliud, quod vniuocationem non tollit; tùm,quia vox æquiuoca significat plura indeterminatè,& confusè vt dicam ; tùm etiam , quia bene potest aliquod signum etiã mentale significare vnum primariò,& immediatè;& secundariò alterum:& cum specificatio vocis,vel conceptus sumatur a primariò,& non a secundariò significato, ita & vniuocatio ; voces autem significant primariò res, & secundariò conceptus.

Secundò respõderi potest:voces,& scripturas naturaliter significare conceptus, & ad placitũ tãtum res, ac proinde duplicem habere significatione diuersam, & vniuocam, & ex consequenti non æquiuocationem , quæ penès eandem significationem debebat attendi. Quod voces naturaliter concept' exprimant,probatur,quia in tantum illos repræsentant,in quantum cum illis naturalem connexionem habent, & ab eis pendent in sua prolatione:non enim potest vox ab ore produci, nisi prius in intellectu, & imaginatiua formetur, vt dicitur in libris de anima, atq; adeò sicut quilibet effectus potest naturaliter repræsentare suam causam,& vox suum prolatorem,vt supra dixi , ita & conceptus sui prolatoris,quib' mediãtibus voces format. ¶ Neq; obstat dicere hanc naturalẽ connexionẽ esse tantũ inter vocẽ,& conceptũ non vltimatum,quia res sigñata per vocẽ est tãtũ ex humano beneplacito,ac proinde quãdo formatur similitudo vocis in mẽte, nõ ideo formatur similitudo significationis illius . Ad hoc enim respõdeo,quod ex suppositione, quod vox homo. V.g. iam imposita ad significandã naturam hominis , assumatur ab intellectu, formatur intus nõ solum cõceptus nõ vltimatus,sed etiã cõceptus vltimat',vt ea mediãte cõceptũ rei repræsentatæ,quẽ in mẽte habet alijs manifestet:adhunc enim finẽ intellect', & imaginatiua voces formãt propter carũ significationẽ,quã semper in memoria retinẽt:& cũ cognita voce,cognoscatur simul res signifi-

cata per illam, ita ex suppositione talis significationis vterquè conceptus naturaliter manifestatur, quando ore profertur.

Declaratur modus significandi æquiuocè.

Obijcies tertio: signum æquiuocum nõ est aliud, quam plura signa vniuoca, sed plura signa vniuoca continẽtur intra latitudinem signi vniuoci: ergo signum æquiuocum nõ est species diuersa. Maior probã: nam signum æquiuocũ est illud, quod plures habet significationes totales, eo ipso quod significat plura vt totalia obiecta, vt dictũ est; sed quęlibet significatio istarum est vniuoca respectu sui proprij significati: ergo est plura signa vniuoca. Confirmatur, quia licet materialiter vox sit vna, significatio est multiplex, & hęc cum sit forma constitutiua, sufficit multiplicare signa; sicut in actibus volũtatis, considerant Philosophi morales multiplicem speciem bonitatis & malitiæ, etiam si act' entitatiuè vnus sit. Adulterium v. g. dicitur iniustitia, & fornicatio; sic ergo in præsenti eadem vox duplicem induere poterit significationem vniuocam, & nõ propter hoc æquiuoca dicenda erit.

Resp tamen omissis alijs solutionib': Signũ æquiuocũ vt tale est, vnicã tantũ indiuisibilẽ importare significationẽ cõfusam, & indeterminatã, qua plura indeterminatè significat, & vagè: determinatur autẽ per vsum, & accõmodationem ad hoc, vel illud repræsentandum, & tunc fit signum vniuocũ; & idcirco est generalis regula, quod in deffinitione, vel argumentatione, omne ęquiuocũ prius distinguatur; hoc est, quod assumatur significatio determinata signi æquiuoci, quæ congruit, & omittatur significatio confusa. Ex quo patet iam ad confirmationem: Concedimus enim signum æquiuocũ etiã induere plures significationes vniuocas, & determinatas, sic tamen æquiuocum non esse, sed solum quoad significationẽ confusam & vagam.

Detur ne æquiuocatio in mente?

Ex dictis colligitur iam resolutio alterius dubij, quod hìc solet controuerti; an scilicet detur ęquiuocatio in mẽte, idest in cõceptibus, sicut datur in vocibus, & scripturis? Breuiter enim respondeo conceptum minimè plura æquiuocè repræsentare.

Ratio est, quia conceptus est naturalis similitudo sui obiecti, nõ potest autem pluribus naturaliter assimilari, nisi in quantum illa plura in aliqua ratione conueniunt, vel in quantum sunt partes alicuius vnius; nam quæ sunt eadem vni tertio per assimilationem debent similiter esse' similia inter se: & idcirco colligunt oẽs

Philo-

Philosophi vnitatem, & distinctionem actuũ colligi ex vnitate & distinctione obiectorum, quia implicatorium existimant eundem actum æqualiter, & primò plura obiecta totalia respicere.

Præterea dato, quod illa vt totalia respiceret; repræsentaret determinatè, & non vagè, & confusè: quia natura semper est determinata ad vnum, vel plura per modum vnius, semperque determinatè attingit, quidquid respicit, neque est intelligibilis indeterminatio, & indifferentia in significando, nisi ab extrinseca impositione orta.

Ex qua doctrina patet iam, quod licet quodlibet signum vniuocum in plurali significet plura vt plura, vt homines, Apostoli, &c. non sit æquiuocum (vt quidam male intellexit) quia significat illa plura determinatè, & per modum vnius collectionis, & nõ indeterminatè, & confusè, sicut postulat signum æquiuocum.

Inferunt deniq; iuniores, quod licet conceptus non vltimatus, quo repræsentatur tantum vox æquiuoca, sit vnicus sicut & ipsa vox, & significatio confusa, & indeterminata illius, at conceptus vltimus signo æquiuoco, vel analogo correspondens est multiplex, sicut & res significatæ per illud: supposito quod in mente æquiuocatio plurium non datur, sed nihilominus negari non potest illa plura significata repræsentari etiam vnico actu cæterum determinatè, & per modum vnius, scilicet, vt obiecta signi æquiuoci, & vt correlatiua illius: nam eodem actu, quo repræsentatur aliquod signum, vel imago possunt saltem secundariò respici omnia obiecta illi'.

ARTIC. III.

De signo complexo, & incomplexo.

Quintò diuiditur sig. doctrinale vniuocum in incomplexum, & cõplexum. Incomplexum est *signum simplex; cuius nulla pars per separata significat in ordine ad suum significatum*: Nam licet ei' partes respectu aliorum sint per se significatiuæ, eo qd. ad alia significanda sint impositæ, vt *Dominus, legifer*, &c. satis est quod respectu rei significatæ per tales voces, non sint seorsim significatiuæ. Vnde potest cõtingere, quod eadem vox materialis, quæ respectu vnius obiecti incomplexa est, respectu alterius sit complexa; vt patet in voce *Dominus*. si *do*, sumatur pro verbo, & nomẽ *ego* sub intelligatur. Signum ergo complexum, quod etiam oratio dicitur, *est signum compositũ ex pluribus signis congruè se habentibus, vt homo iustus & sapiẽs. Ex plurib⁹ signis* dico; quia dbẽt esse specie, & signatione diuersa,

qua ratione plura synonoma, scilicet *Marcus Tullius Cicero* compositionem non efficiunt, nisi tãtum materialem, & voce tãtum, formaliter verò sicut in significatione non differunt, ita nec possunt esse partes componentes aliquod tertium a qualibet seorsim distinctum.

Nec satis est, quod vox aliqua virtualiter, aut explicitè contineat plures significationes, sed requiritur quod explicitè illas importet. Vnde licet *humanum*, idem significet quod habens humanitatem, & *homo* idem quod animal rationale, priores voces sunt signa incomplexa, & posteriores sunt complexa.

Aliqui contendunt requiri ad signum complexum, vel orationem, quod componatur ex pluribus vocibus materialiter diuersis, & non sufficere quod plures significationes explicitè contineat, & hac ratione excludi signum æquiuocum a ratione complexi. Hoc tamen est planè falsum, quia sicut in intellectu oratio, propositio, & deffinitio, sunt qualitates realiter simplices, vt suo loco dicemus, & tamen sunt signa complexa, quia formaliter, & explicitè plures significationes continent; ita pariter in vocibus poterit vna & eadem materialiter simplex, esse formaliter composita ex pluribus significationibus explicitis, & congruè se habentibus, si ab hominibus sic imponeretur. Quod sic declaro: nam si litera *A* imponeretur ad significandum explicitè idem quod animal rationale, & litera *B* vt sonet, quod homo est animal, prima esset perfecta deffinitio; quia clarè, & explicitè verum genus, & differentiam manifestaret hominis. Et secunda esset vera propositio & iudicium: quia subiecto & prædicato constaret, essentquè orationes, & propria signa deffinitionis, & propositionis mentalis: ergo essent vera signa complexa. Patet consequẽtia, nam omnis propositio & deffinitio est oratio, & consequenter signum complexum, vt in suis locis dicetur.

Confirmatur: quia deffinitio, argumentatio, &c. propriè non est in vocibus, sed analogicè vt in signis, sed potest vox simplex significare deffinitionem & argumentationem mentalem: ergo potest esse oratio deffiniens, vel discurrens, &c. Minor probatur: quia cum voces impositę sint ad significandum ex libero beneplacito hominum, sicut vox *homo* fuit imposita ad significandum hominem, potuit etiam ad significandum explicitè, homo est animal rationale: institui, ac proinde tunc esset perfecta oratio, & propositio.

Sed obijcies Aristotelem orationem deffinientem. Est *vox significatiua ad placitum, cuius partes per se separatæ significant*, & signum

ſignum incomplexum, *cuius nulla pars per ſe ſæparata ſignificat*, quas deffinitiones etiam nos admittimus vt veras: ſentit ergo Ariſt. ſignum complexum, & orationem partes continere materialiter ſæparabiles.

Reſpondetur, Philoſophum per illam particulam, per ſe ſæparatę, idem intelligere quod ſeorſim ſumptæ, & conſideratæ, abſtrahendo a vera, & reali ſæparatione, & ab ea, quæ fit per intellectum.

Vltimo aduerte illam particulam *congruè ſe habentibus*; nam ſigna diſparata & nullam connexionem inter ſe habentia, non poſſunt compoſitionem, vel cōplexionem efficere, neceſſarium enim eſt, quod congruentiam aliquam Grammaticā inter ſe ſeruent, ſ. ſubſtantiui, & adiectiui, vel nominatiui, & verbi, &c. vt ſenſum aliquem poſsint efficere in animo audientis, ratione cuius hæ voces, *homo*, *quia leo*, nullam complexionem efficiunt: quia nec vllum congruum generant ſenſum. Et ſignum æquiuocum etiam: quia plura diſparata ſignificat, & non determinatè, ſed confuſè, & vagè.



ARTIC. IIII.

De ſigno cathegorematico, & ſyncathegorematico.

SExto diuiditur ſignum vniuocum, & incomplexum in cathegorematicum, & ſyncathegorematicū. Incomplexum diuido; nam complexum cum ſit compoſitum ex multiplici ſigno, poteſt coaleſcere ex pluribus cathegorematicis, vel ex vno cathegorematico, & alio ſyncathegorematico. Eſt igitur cathegorematicum, illud *quod ſignificat rem vt res eſt, vel admodum rei, & loco illius poteſt eſſe integrum ſubiectum, aut prædicatum in propoſitione, ſi aliàs tale ſignum ſit terminus*, vt *Petrus*, *homo*, &c. Syncathegorematicum eſt, *quod ſignificat modum quem habēt ſubiectum, vel prædicatum in terminando propoſitionem, vt mod⁹ eſt, ideſt, modum terminationis ſubiecti, vel prædicati, & ratione huius, non poteſt eſſe integrum ſubiectū, aut prædicatum in propoſitione, ſed tantum vt modus ſubiecti, vel prædicati in ea conſtitui*; vt *velociter*, *omnis*, &c. Per particulā *rem*, intelligò in deffinitione res, prout diſtinguntur a modis, non tamen prout diſtinguntur a negationibus, & priuationibus, ſi vt res ſignificentur.

Dixi etiam, *rem vt res est*, *& modum vt modum*, quia non sufficit ad cathegorematicum, quod significet rem, si illam ad modū rei propriam entitatem habentis non indicet, qua ratione hæc signa. *Substantialiter, sapienter, realiter*, &c. Etsi rem significēt, cathegorematica non sunt; quia instar modi aliud modificantis illā repræsentant. Sincathegorematicum etiam debet significare modum vt alteri adiacentem, quia de causa *velocitas finitas*, &c. et si in re sint modi, sunt verè cathegorematica quia significantur vt res, ac si propriam entitatem participarent, & non vt res alias modificantes: vnde in huiusmodi signis non tam attendenda est res significata, quam modus significandi.

Propter hanc rationē non est cur admittamus signum mixtū inter cathegorematicum & sincathegorematicum medians (vt aliquibus placet) quia si aliquod daretur signum mixtum, maximè illud quod rem, & modum significat, sed hoc nullo modo mixtum dici potest: ergo. Probatur minor, quia, vel significat tale signum explicitè modum vt modum, & implicitè rem, & sic erit sincathegorematicum, vel significat explicitè rem, & implicitè modum, & sic erit cathegorematicum, vel significat vtrumque explicitè, & rem vt res est, & modum vt modum, & sic erit formaliter signum complexum ex cathegorematico & sincathegorematico compositum: vnde etsi materialiter esset vna tantum vox, esset complexa formaliter, si haberet explicitè plures significationes congruè se habentes, vt dixi supra art.3. qua ratione hoc signum. *semper* (quod adducitur vt mixtum ab authoribus oppositis) si sumatur vt in modo significādi æquiualeat huic *omni tempore*, erit iam formaliter complexum iuxta dicta quidquid sit de simplicitate materiali vocis, si vero sumatur prout significat eodem modo, ac vox Hispana vulgaris. *Siempre*, erit signum sincathegorematicū implicitè significans tempus, sed explicitè tantum modum extensionis illius sub ratione modi.

Confirmatur, quia in distinctione horum signorum, vel attendendum est solum ad rem significatam, quod scilicet sit modus, vel res, & hoc dici non potest, aliàs *substantialiter*, *& sapiēter* essent cathegorematica, & *velocitas*, *curuitas*, &c. sincathegorematica, quod est falsum: ergo solum attenditur modus significandi; sed hic si sit omnino simplex, solum potest ferri in obiectum, vt res est, vel vt modus est, nam vtraque simul ratio cū sit opposita repugnat respectu eiusdem: ergo omnis significatio, vel cathegorematica, vel sincathegorematica dicenda est.

Expo-

Exponitur amplius discrimen inter vtrunq. signum.

Vlterius ad maiorem explicationem, dixi signum cathegorematicum, *esse ponibile vt integrū subiectum vel prædicatum in propositione*, quia ex hoc quod significet ré, vt res est, sequitur quod per se solum possit esse subiectum, aut prædicatum, & sincathegorematicum non ita, quia significat modú termini vt modum: tantu enim vt modus subiecti, vel prædicati potest in propositione constitui, ideoque sincathegorematicum a verbo sincathegoreo, teste Ambr. Calep. deriuatur, qd. significat idé, qd. cōsignificó, vel cōprædico; quia sincathegorematicū tātū est cō significatiuū, idest cū alio simul.

Ambros. Calepinꝰ

Sed addidi in descriptione supra posita, *si aliàs sit terminus:* quia ex duplici capite prouenit, quod aliquod signum non sit integrum subiectum, aut prædicatum in propositione. Vel quia nullo modo potest propositionē terminare, vt patet in simplici apprehensione, vt suo loco dicemus, & de casibus obliquis cathegorematici, qui non nisi in obliquo, & de connotato terminant, idest, sunt extrinseca connotata a termino. Vel secundo, quia signum non habet sufficientem significationem, vt sit terminus totalis, sed tantum partialis, ex eo quod tantum est modus subiecti, aut prædicati, & sic se habet sincathegorematicum.

Dixi preterea, sincathegorematicū, nō esse ponibile in propositione, vt integrum subiectū, aut prædicatum loco sui significati; nam loco sui bene potest constitui. vt si dicas *velociter est aduerb.ū. realiter est aduerbium*, &c.

Dices: hęc est bona propositio *velociter est modꝰ rei*, & tamē ibi intrat signū sincathegorematicū loco sui significati, vt integrū subiectū: ergo doctrina nō est vera.

Resp. aliquādo sincathegorematicū sumi pro cathegorematico, & sic in dicta propositione, velociter, idē denotat ac velocitas, & sic formari possūt similes propositiones. s. *omnia creata sunt, nullꝰ inuētꝰ est*, &c. In quibus sincathegorematicū incōplexū *omnia* sumitur pro hoc complexo, *omnes res creatæ sunt* & *nullꝰ* pro hoc, *nullꝰ homo*. Si autē sincathegorematicè solū sumantur illa signa, nullū cōgruū sensum propositiones efficiūt. Vt videri potest si fideliter Hispano sermone traducātur, s. *velozmēte es modo de la cosa, todas fuerō criadas*, non designādo quid, &c. ¶ Colligitur ex dictis 1. deffinitiones alias, quæ cōmuniter proferri solét, s. quod cathegorematicū est *quod significat aliquid*, & sincathegorematicum, *quod significat aliqualiter*, non differre ab assignatis supra, quia *significare aliquid*, est idem quod rem significare, strictè sumendo vocem aliquid, pro re.

Signi-

Significare aliqualiter, est denotare modum rei, seu qualiter alicuius, magis tamen claræ sunt priores deffinitiones.

Colligitur secundò, nomina adiectiua, seu connotatiua non esse idem quod sincathegorematica (vt quidam hocce tempore existimauit, etsi non improbabiliter) nam in contrarium est communis sententia diuidens solum cathegorematicum signum, in substantiuum & adiectiuum, & sincathegorematicum ab vtroq; excludens. Secundò, quia nomen adiectiuum est per se ponibile in propositione, vt integrum subiectum, vel prædicatū illius, quod de vero sincathegorematico dici non potest, vt iam visum est. Patet in his: homo est albus, visibilis: & in omnibus prædicationibus quarti, & quinti prædicabilis, in quibus prædicatum semper est nomen adiectiuum.

Dices: Hæc sunt nomina adiectiua, & verè sincathegorematica. Relatus, vbicatus, productus, situatus, & similia: quia significant modum vt actu modificantem subiectum, & tamē sunt integra prædicata, vt constat: ergo optimè potest sincathegorematicum & adiectiuum integrū prædicatum esse.

Præterea, cætera nomina adiectiua, etsi non significent in re verū modū, in modo tamē significandi, qui solum in hac materia attenditur, modi naturam imitātur; nam accidens denotant prout alteri adiacens, seu modificās: ergo sunt verè sincathegorematica. Denique, quia signa hæc sincathegorematica. *Omnis, nullus*, &c. Sūt vera nomina, & nō substantiua: ergo adiectiua. Patet cōsequentia: quia nomen in cōmuni diuiditur ab Antonio Nebrissens. Emmanuele Aluarez, & cæteris Grammaticis in substantiuum, & adiectiuum; coincidunt ergo sincathegorematica & adiectiua nomina. *Anto. Nebrissens. Emman. Aluarez.*

Respondetur tamen ad primū adiectiua illa non esse nisi vera cathegorematica, quia non significant immediatè purum modū, sed etiam connotant, & confusè saltem repræsentant subiectum modificatum; ideoquè etiam cōnotatiua dicuntur, ac proinde nil mirum quod integrè prædicentur, cum de ratione prędicati sit, quod confusè subiectum exprimat, vt suo loco dicetur: legitimum autem sincathegorematicum tantum purum explicat modum, & taliter modificationem ipsius, quod rem modificatam non indicet immediatè. Sed clarius secundo dico sincathegorematicum significare modum afficientem vnionem prædicati cū subiecto, hoc est, modum actualis prædicationis, aut subiectionis, vt dixi in deffinitione: at connotatiuum tantum indicat modum rei, quæ est subiectum, vel prædicatum, non verò modum actua-

actualis terminationis, aut copulę vni' cum alio. Exemplum primi *velociter*, quæ vox modificat vnioné propoſitionis. Exemplū ſecundi eſt *velox*, vel *iuſtus*, qui modificant immediatè extremum, quod eſt materiale propoſitionis. Ex quo patet ad ſecundum, patebitque amplius, & ad tertiū ſequēti Articulo. ¶ Solū de verbo dubiū eſſe poteſt, ſuppoſito quod vèrum ſignum eſt, an cathegorematicum ſit dicendum, vel ſincathegorematicum?

Reſpondetur, verbum in propoſitione de ſecundo adiacente ſignum cathegorematicum eſſe, quia per ſe ſignificat, & æquiualet prædicato integro. V.g. Petr' amat, in re, & modo ſignificandi idem ſignificat, ac Petrus eſt amans: in propoſitione vero de tertio adiacente, quæ ſubiecto conſtat, & prædicato formali, verbum tātum ſincathegorematicè ſignificat, quia tantum modum vnionis, ſeu copulæ prædicati cū ſubiecto deſignat, prout afficit vtrumque propoſitionis extremum, ac proinde conſignificat cum vtroque.

Dubium appendix.

Hic controuerti ſolet an ſincathegorematicum ſignum per ſe ſolum & ſeorſim ſumptum aliqualem habeat ſignificationem, an vero non, niſi ſimul cum cathegorematico? quidam enim prorſus negant, dicentes, quod ſicut litera O. quæ ab Arithmeticis dicitur *zero*, per ſe ſola nullū numerum denotat, ſi vero iungatur alicui numero, illum multiplicat decies. V.g. iunctum binario, ſignificat viginti, & ternario triginta, &c. ſic pariter ſincathegorematicum ſeorſim nihil ſignificare, iūctum vero cathegorematico facere illud aliter ſignificare. Probant ſecundo ex vocis æthimologia dicta, nam verbum *ſincathegoreo*, idem ſonat ac cōſignifico, ideſt non niſi ſimul cū alio ſignifico. Tertio, quia ſincathegorematicum eſt quod ſignificat modum vt modū; ſed modus propriè dictus, vt metaphyſica docet, non poteſt per ſe ab intellectu percipi ſine re modificata: ergo neque poteſt per ſe ſignificari, ſine re per cathegorematicum ſignum deſignata. Minor probatur, quia vnio, vel diſtinctio duorum per ſe ſola intelligibilis non eſt ſine extremis vnitis, rotunditas ſimiliter ſine re aliqua, quæ rotunda concipiatur, &c. vt patebit volenti formare conceptum alicuius modi, & nō rei modificatæ; ex quo patet etiam conſequentia: quia cum ſignificare, ſit idem quod aliquid intellectui repræſentare, ſi repugnat repræſentari modum ſolitariè ſine re cuius eſt, etiam repugnat quod illum ſignificet ſincathegorematicum, ſine eo quod cathegorematicum rē eius ſignificet.

Sed

Sed opposita sententia mihi vera videtur, nimirum quod licet sincathegorematicum, non possit per se solum subijci, aut prædicari in propositione iuxta superius dicta, potest tamen per se solum aliqualem significationem habere: quia amplius requiritur ad hoc quod sit prædicatum, vel subiectum, quã ad hoc quod sit signum, & ideo nihil mirum, quod etsi solitariè significet, solitariè non prædicetur.

Aethymologia etiam vocis tantum de prædicatione loquitur, aut subiectione: nam cathegorematic⁹ dicitur a *cathegoria*, quæ prædicationem, vel coordinationem prædicabilis cum subijcibili significat, vnde sincathegorematicũ solum hanc perfectam, & integram prædicationẽ excludit, non verò aliqualem, licet imperfectam significationẽ, & ratione suæ imperfectionis in significando dici potest, etiam huiusmodi signum consignificatiuum, quia sine cathegorematico non perfectè, sed valde confusè significat.

Ratio ergo principalis huius asserti est experientia manifesta, qua semper audita voce sincathegorematica, aliud præter ipsam cognoscimus: ergo verè significat per se sola: patet consequentia ex definitione signi instrumentalis, quod præter sui notitiam, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Et antecedens probatur manifestè: quãdo quis audit hoc sincathegorema, præsertim lingua Hispana. *Siempre*, præter sonitum vocis, percipit durationem magnã alicuius rei, etsi determinatè non appræhendat cuius sit. Et quando audit hoc, *veloz mente*, percipit similiter velocitatem, & confusè rem aliquam, quam modificat, non specificando hanc, vel illam: ergo aliqua imperfecta significatio ei negari non potest, quantũuis solitariè sumatur. Confirmatur, quia licet sincathegoremata directè, & immediatè, ex vi suæ impositionis purum modum designent, connexio tamẽ essentialis, quam habent cum re modificata, est sufficiens, vt cognoscantur simul cum illa, sicut cognitio vestigio, statim recordatur quis transitus animalis, & ex fumo ducitur in notitiam ignis: ergo audita voce significante modũ, potest mediatè percipi res illi⁹ saltẽ cõfusè, & vagè, absq; cõsortio alicui⁹ signi cathegorematici. Patetq; hoc manifesti⁹ in multis signis cathegorematicis tãtũ modũ significãtibus, vt *velocitas, curuitas*, &c. quæ solitariè significãt, imo & prædicãtur, & propter connexionem cum re modificata, quam confusè indicant, nemo de illorum significatione dubitat, cum tamen in illis esset maior dubitandi ratio: quia tales modi significantur vt abstracti

abstracti, & sæperati a re modificata, quod non fit insignis sincathegorematicis, vt patet ex modo significandi illorum. Et per hoc patet iam ad secundum & tertium fundamentũ sententiæ oppositæ. Et ad primũ respõdeo literam illam *O.* æquiuocam esse apud arithmeticos, & in vtroq; casu aliquid significare, solitariè enim significat nihil in ratione numeri, & adiuncta alicui numero binario, vel ternario, efficit cum illo significationem incomplexã viginti, aut triginta. Sicut particula *do*, solitariè sumpta significat dare, & iuncta particulæ *minus*, significat dominum, & nihil horũ in sincathegorematico inuenitur, sed vnam, & eandem semper retinet significationem.

ARTIC. V.

Diuiditur signũ in substantiuum, seu absolutum, & adiectiuum, seu connotatiuum.

Septimò diuiditur signum cathegorematicum in substantiuum seu absolutum, quæ idẽ sunt, & in adiectiuum, seu connotatiuum. Substantiuum est, *quod significat rem per modum per se stantis*, id est, per modum substantiæ, de cuius ratione est per se stare, vt *homo leo*, &c. adiectiuum est, *quod significat rem prout alteri adiacentem*, vt *albus, coloratus*, &c. quod ideo dicitur connotatiuum: quia præter significatum primarium, & principale, quod est forma alteri adiacẽs, quam directè, & explicitè significat, habet aliud secundarium, quod est subiectum, cui adiacet talis forma, & confusè tantũ significatur. Propter hoc enim huiusmodi adiectiuum comitatur in oratione suum substantiuum, per quod exponit suum subiectũ connotatum, & perficitur consequenter eius significatio: discernetur autẽ vtriusq; signi natura in hoc, quod licet per substantiuum significari etiã soleat forma prout in aliquo habente. *Homo*, v.g. humanitatẽ significet prout in supposito, indicat tamẽ illam vt quidditatiuam, seu essentialiter cõstitutiuam illius; adiectiuũ verò significat formam prout alteri accidentalem, & aliquo modo extraneam, vt denotat particula: *adiacens alteri.*

In his autem, sicut in præcedentibus signis, non tam res significata, quam modus significandi attendi debet, ita vt siue res significata sit in se substantia, vel accidens, si significetur per modum per se stantis, erit substantiuum vt *albedo*, quæ verum accidens est, etsi per modum alteri adiacentis, erit adiectiuum,

vt

vt *rationale*, *humanum*, &c. quæ veræ substantiæ sunt, & nihilominus significantur vt formæ adiacentes; quia sunt accidentia saltem Logica, & prædicabilia, de quibus suo loco erit sermo. Vnde etiam formæ priuatiuæ, aut negatiuæ, si significentur vt per se existentes, *vt cæcitas*, *negatio*, &c. sunt substantiua, & si vt alteri adiacentes, erunt per signa adiectiua repræsentata.

Colligitur ex dictis primo nomen adiectiuum aliquando posse sumi substantiuè sicut sincathegorematicum, vt dixi, potest accipi pro cathegorematico; sic dicimus: *Bonum est appetibile*, *album est disgregatiuum visus*, &c.

Colligitur secundo nomẽ adiectiuum aliter cõsiderari a Grãmatico, & aliter a Logico. Per adiectiuum intelligit Grammaticus omne, quod cum substantiuo concordat in genere, numero, & casu, in quo plura sincathegorematica includit. Logicus verò strictius adiectiuum solum pro connotatiuo accipit, pro eo s. quod formam alteri adiacentẽ significat, discerniturq́; ab omni sincathegorematico, quia hoc, tantum modum vt purè modũ immediatè significat non connotando subiectum, illud verò rem, etsi alteri adiacentem, designat, ac proinde id quod significatur vt modus per sincathegorematicum, solitariè in propositione subiici, aut prædicari non potest, vt *omnis*, bene tamen id quod significatur vt *res* per cathegorematicum. Semper tamẽ attendi debet ad modum significandi, & non ad rem significatam; quia sicut mod⁹ potest significari vt res per se stans, vt *curuitas*, ita potest significari vt res alteri adiacens, vt *curuum*, *vel vbicatum*. Vel clarius secundo sincathegorematicum significat modum vnionis prædicati cum subiecto, vt dixi, connotatiuum verò modũ solius extremi, idest, solius rei, quæ prædicatum, vel subiectum est.

Anto. Nebrissens. *Emman. Aluarez.*

Dices: Antonius, & Emmanuel Aluarez dicunt nomen adiectiuum esse illud, quod non potest per se poni in oratione sine substantiuo: ergo omne adiectiuum sincathegorematicum est, siquidem hoc explicuimus proprium sincathegorematici esse.

Respondetur optimè verificari de quocumque adiectiuo, etsi sit integrum subiectum, vel prædicatum, quod sine substantiuo, quod refert in oratione poni non possit. Quod autem assignaui, vt proprium sincathegorematici, est quod non possit poni, neque ex parte subiecti, neque ex parte prę dicati sine cathegorematico.

(?)

* * *

A R

ARTIC. VI.

De signo communi, & singulari.

Diuiditur itē signum vniuo cū in tota sua latitudine, in cōmune, & singulare. Singulare est *quod vnā rem vni solū conuenientem significat*; *vt Petr⁹*, commune verò, *quod naturam pluribus diuisiuè communem repræsentat*, vt *homo*. Ab hoc excluditur æquiuocum plura significans, sed non vt in aliqua vna ratione conuenientia, & etiam signum collectiuum, vt *ciuitas*, & *respublica*, quod rem communem pluribus collectiuè indicat, non diuisiuè.

Excluditur insuper nomen *Deus*, quod licet naturam repræsentet diuinā tribus diuinis personis communem; non significat illam vt diuisiuè commūné, sicut postulat communitas Logica. Quod sic declaro; nam esse communem pluribus diuisiuè duo importat. Et quod talis res tota in quolibet, & in omnibus existat, & quod sit diuisa in pluribus, ita vt res communis plurificetur, & de illis pluraliter dicatur, vt latius exponam tractando de vniuersalis natura: quia ergo natura diuina in tribus diuinis personis non diuiditur, aut triplicatur; hinc est quod nec cōmunis Logicè sit, nec voce designata communi, quidquid sit de communitate alia, quam habeat, quæ singularitati non opponitur.

Sed obijcies: Deus non solū diuinitatem significat, sed etiam personam, vel habens diuinitatē, sed persona habens deitatem est diuisiuè communis tribus personis: nam ratio habentis deitatem, & personæ plurificatur, & triplicatur in illis: ergo est signū commune.

Propter hoc quidam absolutè aiunt esse signum commune, quidam verò esse partim commune, & partim singulare, quia res significata partim communis est, scilicet quātum ad rationem personæ, & partim singularis, scilicet quantum ad naturam habitam. Melius tamen dicendū cum Reuerēdissimis nostris Magistro Zumel, 1. *p.q.*39. & Episcopo Oña, in *tract. Summular.* & alijs esse absolutè singulare. Probr. primo, authoritate D.Thomæ dicentis; *Nomina substantiuè significantia diuinam essentiam, singulariter prædicari de tribus personis*, hoc est prędicari, vt signum, & terminum singularem. *M.Zumel* *M.Oña.* *D.Thom.* *1.p.q.39. art.3.*

Secundò ratione: quia terminus communis vel signum, est illud quod naturam significat cōmunem pluribus diuisiuè, prout sub tali nomine significatur, quidquid sit de illa prout alijs vocib⁹ significatur: sed tres personæ diuinæ,

uinæ, vt significantur hoc nomine *Deus*, nō diuiduntur, aut sunt plura, sed vnum: quia non dicuntur plures dij, sed vnus Deus, vt docet Ecclesia: ergo De' est signum omnino singulare. Confirmatur: quia ex hoc quod plurificetur ratio personæ, aut habentis deitatem, solū sequitur, quod nomen *persona*, aut *habens deitatem* sint signa communia, quod libenter admittimus, non vero quod nomen *Deus*, cōmune sit, quia Deus non obstante pluralitate personarum, retinet sub hoc nomine singularissimam vnitatē secundum Catholicam fidem, non solum quātum ad naturam in abstracto, sed etiam quantum ad concretum *Deus*, vt latius Theologi docent prima parte.

Tertio declaratur hoc ampli'; nam quoties per aliquod signum vnum significatur immediatè, & expressè, seu primariò, & alterum mediatè, & secundariò vt quid materiale, significatio vocis attendi debet per ordinem ad significatum immediatū & formale, quidquid sit de materiali: hac enim de causa homo est terminus vniuocus & communis, quia natura humana primariò, & immediatè significata communis est, & vna diuisiuè, licet indiuidua habētia talem naturam, quæ secundariò, & mediatè significantur, plura sint, & singularia; sed signum *Deus* pro formali & immediato significato importat deitatem, quæ vna omnino, & indiuisa est, non solum in abstracto, sed in concreto, vt omnes Catholici docent, & Theologi cum S. Thoma probant loco citato: ergo est singulare, quid quid sit de pluralitate personarum, quæ materialiter, & secundario significatur per hoc nomē *Deus*. *D.Thom.*

Neque obstat, quod S. Thomas, 1.*p.q.*13.*art.*2. asserit: *Nomē Deus esse incommunicabile multis secundum rem, commune vero secundum existimationem*, & in 1.*dist.*2.*q.*2.*art.*1.*ad* 4. ait: *Tale nomen esse partim commune, & partim singulare.* Sed respondeo in primo loco tātum velle quod secundum rem, idest, in veritate ipsa nomen *Deus* est singulare, commune vero solum secundū existimationē Ethnicorū, quod potius confirmat sententiā nostram. Et in secundo tantum asserit esse partim commune, per ordinem scilicet ad significatum materiale, & secundarium, sed non asserit absolutè vocem communem esse, cum hæc pars secundaria sit, & materialis, sed potius totis virib' explicat Deū vnum absolutè dicendum in tribus, de illisque singularissimè prædicari.

Expo-

Exponitur diuiſum huius diuiſionis, & ſub diuiditur ſignum commune.

Dubitabis, an non tantum cathegorematicum, ſed etiam ſincathegorematicum ſignum in commune, & ſingulare diſtribuatur? Reſpondetur affirmatiuè, & propter hoc dixi ſupra, ſignum vniuocum in tota ſua latitudine diuidi. Et probatur; quia ſignum ſincathegorematicum, & poteſt eſſe affectio ſigni communis vt talis eſt, *vt omnis, nullus*, & ſic eſt ſignum commune, modũ communitatis cathegorematici explicans; & poteſt eſſe affectio ſingularis, eius ſingularitatem determinans, vt *hic, ille*, &c. & ſic erit ſingulare.

Dices: ad quod iſtorum reducitur hæc vox, *aliquis*, aut *quidam*, quia non eſt ſingularis, cũ nec Petrum, nec Franciſcum determinet, nec eſt communis, quia non ſignificat naturam cõmunem pluribus, ſed potius vnũ tantum vagè inſinuat, vt amplius ſuo loco dicetur?

Reſpondetur hanc vocem *aliquis*, vel poſſe accipi æquiuocè, prout indeterminatè ſignificat plura vt plura: cũ. s. mens, audita hac propoſitione *aliquis homo currit*, anceps, & dubia manet de quo indiuiduo accipiatur, & ſic nec communis, nec ſingularis erit, quia diuiſum huius diuiſionis eſt tantum ſignum vniuocum; ſi verò in aliquo ſenſu vniuoco accipiatur, vel eius æquiuocatio negetur, erit ſingulare, non verò determinatum, ſed indeterminatum & vagum, quod infra, quæſtione de indiuiduo latius exponam.

Colligitur tandem ex dictis ſignum commune in tria membra diuidi poſſe. In tranſcendẽs, ſupratranſcendens, & non tranſcendens. Tranſcendens eſt, quod ſignificat omnes res tam exiſtẽtes, quam poſſibiles, & de omnibus verificatur. Huiuſmodi ſunt ſex. *Res, ens, verum, bonum, aliquid, vnum*. Quæ ſingula ſingulis literis correſpondẽt huius vocis, *Reubau*. Supratrãſcẽdẽs eſt, quod continet ſubſe non ſolum omnes res veras exiſtentes, & poſſibiles, ſed etiam impoſſibilia omnia, quæ imaginatione fingi poſſunt; huiuſmodi ſunt hæc: *imaginabile, intelligibile*, & ens ſi ſumatur in tota ſua latitudine analoga, qua dicitur de ente reali, & rationis, de poſſibili, & impoſſibili, de negatiuo, & poſitiuo. Signum non tranſcendẽs eſt quodlibet aliud commune, ſignificans plura, ſed non omnia intra latitudinem entis, vt *animal*.

ARTIC. VII. De ſigno finito, & infinito.

Diuiditur tãdẽ ſignũ doctrinale, in infinitũ, & finitũ,

finitum est *quod aliquid determinatum significat, vt homo* infinitū est *quod indeterminatè & absque vllo termino significat omne aliud præter significatum signi finiti, cui opponitur sub negatione illi*⁹. V.g. vox *nonhomo*, significat omne aliud præter rem significatam per vocem *homo*. Sed vt hæc deffinitio, & signi infiniti natura explicetur, aduerte, negationem istam *non* dupliciter poni in propositione. Vel negāter, quando scilicet cadit supra copulam principalem propositionis, & illam negat, constituens signum complexum cum ea, vt in hac propositione, *non homo currit*, si hunc sensum efficiat, homo non currit, vel non est cursus in homine. Vel potest accipi infinitanter, & tunc cadit supra immediatum significatū, quod subsequitur illam, & tanquam syllaba facit cum eo vnam vocem incomplexam quasi affirmantem, non amissa facultate negandi, sed alligata solum ad excludendum significatum signi, cui proximè adiungitur, & vlterius non progrediendo ad excludendam copulam propositionis, quin potius propositionem reddit affirmatiuam: nam excludendo significatum signi, cui adiungitur, significat, & affirmat esse omne aliud præter tale significatum, absq; vllo termino, seu limitatione, ideoquè infinitè repræsentans dicitur. Ex quo patet iam sensus deffinitionis, dicitur in ea, *quod indeterminatè significet omne aliud præter significatum signi finiti, cui opponitur*, &c. quia cum signum infinitum constet ex negatione, & ex aliquo signo finito, cuius significatum excluditur per talem negationem, debet significare ipsum non esse rei significatæ per signum finitum, ac proinde omnia alia præter tale significatum, quod solum in obliquo respicitur, sicut omne positiuum in obliquo connotatur a sua negatione.

Dubium appendix.

Hoc non esse significati per signum finitum, v.g. in hac voce *non homo* tripliciter potest intelligi. Primò ita vt collectiuè importet omnia, quæ non sunt homo. Vel secundò, ita vt indeterminatè & disjūctim pro qualibet negatione hominis accipiatur. Vel tertiò pro negatione hominis in communi prout abstracta ab omnibus singularibus negationibus, significatis per vocem *non homo*, & ab omnibus subiectis, in quibus inueniuntur. Est igitur dubium, quæ ex prædictis modis negatio hominis, v.g. repræsentetur per signum infinitum, *non homo*?

De primo modo facilè constat non esse de ratione signi infiniti, quod collectiuè importet omnia

omnia sua significata, vt patet ex communi modo accipiendi eam vocem, secundum quē hæc est vera propositio: *equus est non homo*, esset tamē falsa si ly, *nō homo*, significaret collectiuè quidquid non est homo, ex quo vlterius sequeretur signum infinitū propositionibus deseruire non posse, nec de aliquo verificari, quia ferè nullum est, cui collectio rerum omnium conueniat; quare multæ propositiones essent falsæ, quæ communiter haberentur vt veræ.

Existimo ergo dicendum solum secundo modo significari per signum infinitum omnia significata illius, scilicet vagè & disiunctim omnes particulares negationes rei significatæ per signum finitum, & non rationem communem negationis, vt habetur in tertio modo. Vnde consequenter hoc signum æquiuocū dicendum est; quia indeterminatè, & vagè plura significat vt plura. Declaratur hoc ex ipsa deffinitione signi infiniti; est enim illud quod indeterminatè significat omne aliud, quod non repræsentabatur per signum finitum, & id circo audita hac voce. *nonhomo*, manet mens anceps, & dubia, pro quo accipienda hęc negatio hominis sit; signum ergo est quod æquiuocè, & indeterminatè significat.

Nec valet si dicas, ideo signū infinitum *non homo* indeterminatè significare: quia eo ipso quod significat vniuocè, & immediatè negationem hominis in communi, significat mediatè, & indeterminatè, omnia fundamenta & singularia talium negationū; quia contra hoc est quod omnis terminus communis vt *homo*, vel *animal* diceretur infinitè significans; nam licet immediatum significatum sit finitum, & determinatum, significatum mediatum .s. indiuidua naturæ communis, infinita sunt & indeterminata, præsertim signa transcendentia, & supra transcendentia, vt *ens intelligibile*, &c. infinita obiecta exprimunt sub ratione communissima entis, & intelligibilis, & tamen non dicuntur infinita, non alia de causa, nisi quia significatum immediatum, a quo vox specificationem, & denominationem sumit, est ratio quædam finita & determinata, scilicet ratio entis vt præcisa a suis differentijs, &c. ergo signū infinitum solū potest dici, quod immediatè, & indeterminatè plura absque vllo prorsus termino significat. Patet consequentia; nam eo ipso quod plura vt conuenientia in aliqua vna ratione, siue positiua, siue negatiua significet, erit iam finitum a suo immediato, & primario significato, quod vnicum erit, quidquid sit de materiali, & remoto.

Dices: hoc signum *non creatura* est infinitum, & tamen significat

nificat vniuocè & determinatè quoddam singulare, scilicet Deũ; quia præter creaturam nihil aliud restat, quod possit significari nisi creator: ruit ergo doctrina posita. Respondetur negationem creaturæ non solum conuenire Deo, sed etiam omnibus entibus rationis, & obiectis impossibilibus, quæ infinita sunt: præterea quamuis Deus in re singulare quoddam sit, habet infinitas veritates significabiles sub negatione creaturæ, ac proinde hoc signum *non creatura*, ex modo significandi, & ex vi impositionis suę infinita & indeterminata significat.

Possint ne transcendentia infinitari, & supratranscendentia?

Hinc constat alterius dubij resolutio, scilicet signa transcendentia infinitari posse; quia si negatio cadat supra *ens*, significat indeterminatè quidquid non est ens, entia videlicet chimerica, & negatiua. De supra trãscendẽtibus non video, quomodo possint infinitari, & ideo pars negatiua tenenda est. Probatur: quia signum infinitum debet sub negatione signi finiti, cui adiungitur indeterminata & infinita exprimere obiecta, sed hoc supratranscendens, scilicet *non intelligibile* nullum habet obiectum, quod repræsentet præter significatum signi finiti, cui adiungitur: ergo. Probatur minor: quia sub voce *intelligibile* compræhendũtur omnia obiecta significabilia tam positiua, quam negatiua, tam realia, quam rationis: ergo præter significatum huius vocis, non est aliud, quod nec determinatè, nec indeterminatè possit significari; ac proinde infinitari non valet.

Sed quidam iuniores (quibus oppositum placet) obijciũt multa esse obiecta inintelligibilia, scilicet duas contradictorias simul veras, sed inintelligibile æquiualet huic voci *non intelligibile*; potest ergo infinitari vox *intelligibile*, si illi negatio præponatur, & significabit indeterminatè omnia inintelligibilia.

Confirmatur: quia nullum est signum præsertim cathegorematicum, cui contradictorium non sit assignabile; quia cuicumque rei opponitur eius negatio: ergo voci *intelligibile* contradicet hæc; *non intelligibile*: ergo aliquod significatum diuersum correspondet secundæ, quod non correspondet primæ: poterit ergo prima, scilicet *intelligibile* infinitari.

Respondetur ad primum; *intelligibile* dupliciter accipi, primo vt significat proprietatem entis veri, & sic non est supratranscendens, sed transcendens, sicut ens, & infinitari potest, quod tantùm argumentum conuincit.

uincit. Secundò magis latè sumitur pro omni eo, quod intelligi potest ab intellectu, siue per assensum, siue per dissensum, siue per iudicium verum, siue falsum, & sic comprehendit omnia entia impossibilia, & negatiua, & hoc modo *nihil* est significabile, quod intelligibile non sit aliquo modo, cum significari idem sit, quod potentiæ cognoscitiuæ aliquid repræsentari. Vnde licet duæ contradictoriæ simul verè dicitur intelligibiles, vt aliquid verum, & possibile, non dicuntur inintelligibiles, vt aliquid impossibile cognitum per dissensum, vel per errorem.

Ad secundum respondetur, quod si *intelligibile* sumatur in tota latitudine explicata, prout extenditur ad impossibilia, & negatiua, sic est vox valde æquiuoca, seu analoga plura immediatè significans, & sic nihil mirū, quod non habeat contradictorium adæquatum significato illius, præsertim cum talis vox vtrumque extremum contradictionis exprimat, habet tamen sua contradictoria vox illa, si in aliquo sensu vniuoco, aut limitato proferatur.

Addo secundò, non esse necessarium, quod vox incomplexa habeat contradictorium: quia vtrumque extremum contradictionis potest continere, sed solum propositió cōtradictoriam semper habet, si illi particula *non* neganter proponatur. Iuxta illud Aristot. vulgatum assertum: *Non est melius contradicere, quam toti propositioni negationem apponere*, & sic si de illo supratranscendenti propositio formetur, nimirum; *intelligibile est passio entis*, poterit illi contradictoria assignari, non est passio entis, vel non intelligibile est passio entis sumpta particula neganter, ita vt cadat supra copulam, & non infinitanter. *Aristot.*

Alias diuisiones signi in concretum & abstractum, in primæ, & secundæ intentionis pro nunc omitto, tractaturus infra de abstractis, & concretis, & de primæ, & secundæ intentionis natura: etiam plures ex assignatis diuisionibus (quæ tyronibus obscuræ adhuc, & molestæ valde erant) infra suis locis, cum de vniuersalibus, & singularibus disputemus, de concretis substantialibus, & accidentalibus, de re, & modis illius, &c. plenius & clarius percipientur, nunc hæc rudimenta pro viribus capiant, ampliorem notitiam postea sua patientia, & perseuerantia in Logicæ progressu adepturi.

(?)



QVAESTIO III.
In quo consistat modus sciendi in communi.

ARTIC. I.
Modi sciendi deffinitio exponitur.

PRædicatis essentialibus præmissis ad naturam modi sciẽdi intrinsecè pertinentibus, quid ipse sit, facilè deffiniri potest. Est igitur *signum mentale complexum, seu oratio manifestans aliquid ignotum, certo quodam artificio rationis*, quæ deffinitio optima est, si rectè explicetur. Prima enim particula *signum complexum seu oratio mentalis*, excludit a ratione modi sciendi omnia alia signa instrumentalia, siue naturalia, siue ad placitum, siue formalia aliarum potentiarũ sensitiuarum, & etiam mentalia incomplexa. Vnde colligitur in vocib⁹, & scripturis propriè modum sciendi non esse, sed impropriè tanquam in signo, ac proinde vulgaris illa diuisio, qua communiter modus sciendi in mentalem, vocalem, & scriptum distribuitur, analoga est, sicut ea, qua homo dicitur de viuo & picto. Cuius ratio est: quia modus sciendi non est aliud, quam modus scientiæ, vel rectitudo intellectionis in ordine ad suum obiectum: ergo in actibus tantum intellectus, & non in vocibus & scripturis inuenitur modus sciendi: Voces namquè, aut scripturæ tantum signa scientiæ sunt, non modus illius, nequè in mente vbi scientia residet, sed in aere ab ore prolato, aut papyro existunt.

Excluditur insuper simplex appræhensio incomplexa, quæ non est per se, & ratione sui dirigibilis a Logica, cum in ea non possit esse error, aut falsitas, vt suo loco dicemus: neque sit indifferens, propter suam simplicitatem, ad varios modos, & dispositiones conceptuum, quos Logica corrigere, & dirigere possit; solum igitur in obliquo, & reductiuè ad modum sciendi pertinet.

Particula *manifestans* ponitur ad significandum, non quamcũque repræsentationem obiecti sufficere, sed illam, quæ est explicatio, seu declaratio alicuius quæsiti; manifestatio enim, seu declaratio, idem quod clara obiecti repræsentatio significat.

Additur denique illa particula, *Certo quodam rationis artificio*, maioris claritatis gratia, ad significandum hanc explicationem, seu manifestationem fieri ab intellectu nostro, media quadam compositione, & diuisione artificiosa, qua rem confusè, & indi-

indistinctè conceptam pluribus exprimit conceptibus, eorumquè pluralitate, quasi per partes, eam penitùs declarat, vel qua res infinitè dispersas in vnam cógregat rationem communem, sub qua illas ad certam & determinatam scientiam reducit.

Sic enim deffinitio métalis, est oratio ex duplici conceptu coalescens, hunc ordinem inter se habente, quod vnus rationem genericam indicet alicuius rei, & differentialem alter. Propositio item est oratio subiecto constans, & prædicato: & syllogismus ex maiori, minori, & consequentia compositus: hic ergo modus artificiosus est, qui exprimitur in deffinitione posita, & per se a Logica consideratur.

Vnde constat, quod licet multa disputet Logica de syllogismo fallaci, non illum consideret vt primarium obiectũ, aut quid contentum sub illo, sed vt secundarium: quia contrariorum eadem est disciplina, quomodo quamuis Theologia disputet de peccatis, non agit de illis prout sunt aliquid Dei, sed quatenus sunt offensæ contra Deum. Sic ergo, quia ad Logicum spectat modum rectè intelligendi primariò tradere, etiam secundariò deffectus illius, vt inter vtrumquè intellectus discernere valeat.

An autem modus istè realis sit, vel rationis. Vel si realis, an diuersus, vel idem ipsis actibus mentis, commodiùs sequenti sectione dicetur, & in reliquis huius libri disputationibus, cum modum quemlibet sciendi in particulari explicemus.

Solum hic breuiter est supponendũ, tres esse modi sciendi species. Prima est deffinitio, seu simplex appręhensio complexa, quę ad primam pertinet intellectus operationem, qua scilicet essentiam, aut proprietates alicuius rei simplicis, clara notitia exprimimus, non affirmando, vel negando, aut aliquid ex illa inferendo; qua ratione animal rationale hominis essentiam simplici modo denotat, & descriptio, hęc animal risibile, & admiratiuum, eius proprietates declarat.

Secunda, species modi sciendi, quæ etiam secunda mentis operatio dicitur, est iudicium, quod in compositionem, & diuisionem distribuitur, & est ille actus, quo intellectus iudicans, compónit vnum cum alio, vel vnum ab alio discernit; quando videlicet iudicat hominem esse album, vel non esse leonem.

Tertia, species, & operatio intellectus est discursus: nimirum quando ex rebus simpliciter appræhensis per primam operationem, & compositis, vel diuisis per secundam; vlterius progreditur ratio, vnum ex alio colligens. V. g. quando supposita

apprehensione horum terminorum, *homo, Petrus & risibilis*, & hoc iudicio formato, *homo est risibilis*, *Petrus est homo*, infert intellectus: ergo *Petrus est risibilis*. Hic ergo triplex modus per se a Logica intenditur, de illisquè in communi, & in particulari erit sermo in hoc libro.

ARTIC. II.

Quid sit methodus, & an distinguatur a modo sciendi.

Methodus, vt colligitur ex Cicerone & alijs, est quædam ratio facilis rerum tradendarum in aliqua sciẽtia, vel ordo secundum prius & posterius distinctè, & facilè explicandi, quæ in aliqua disciplina continentur, ita vt omnia ordinatè, & suo loco collocentur. Quæ methodus, etsi latè modus sciendi nuncupari posset, quia est modus tradendi, & addiscendi, debito ordine & dispositione omnia obiecta, de quibus scientia tractat; distinguitur nihilominus a modo sciendi præcedenti articulo deffinito, in hoc, quod methodus ordinat totam disciplinam, & scientiam, docens, quomodo veritas quærenda sit, & examinãda, quo pacto sententiæ, & argumenta opposita dissoluẽda, quæ prænotanda ante conclusionẽ & illius probationes; & quo ordine, numero, & loco hæc omnia tradenda sint: At modus sciẽdi strictè, sunt actus, qui immediatè versantur circa veritatem in particulari, & illam inueniunt, post inquisitionem dictam.

Declaratur amplius vtriusq; necessitas, & distinctio; quia nõ minus necessarium est in sciẽtia tradere bonas deffinitiones, diuisiones, & demonstrationes; quã tradere illas suo loco, & ordine; ordinateq; & sine cõfusione procedere in modo inuestigãdi illas: nã tres illæ species modi sciendi strictè sumpti suas habent præcognitiones, sine quibus, & recto ipsarum ordine, illæ assequi non possunt, vt suis locis declarabimus. Patet etiam frequenti experientia intellectum sæpe confundi, scientiamq; perturbari deffectu huius methodi, aut ordinis. Quantumuis enim Magister verax sit, veritatemquè perceperit, si prius tradat, quæ in fine scientiæ doceri debent. v.g. si incipiat à difficillimis, & ex illis progrediatur ad notiora & faciliora, si totũ simul sine distinctione suarũ partiũ seorsim exprimere velit, &c. confusionem potius, quã scientiam, & claritatem generabit in addiscentibus.

Quotuplex sit methodus?

Galenus initio Microtegni tres tradit species methodi. Prima est cõpositiua, qua à minutis elemẽtis, *Galenus.*

tis,

tis,& partibus paulatim compo nendo progredimur,donec totú obiectum cognoscitur,ac perficitur. Secunda diuisiua est, quando.s.è contra toto obiecto prius cõfusè,& indistinctè proposito, illud diuidimus prius in maiores partes,hasq; postea in minores, & minores subdiuidimus vsque ad minimas;quo pacto metaphysica prius rationem entis in communi,& indistinctè considerat, postea illud diuidit in substantiã & accidens,postea substantiã incorpoream & spiritualé,& accidens in nouem genera,& sic paulatim progreditur vsq; ad indiuidua. Tertia deniq; est resolutiua,quãdo videlicet effectú cognoscimus per omnes suas causas & conclusioné probamus per sua principia,ascendẽdo pri' a proximis,vsq; ad prima,& indemonstrabilia.

Hi tres modi procedendi in omni doctrina simul inueniri possunt, ita vt via doctrinæ, & methodus perfecta in tribus illis simul consistat: sic patet in Logica,quæ & procedit modo cõpositiuo,incipiens a simplicioribus prædicatis, &. signis, donec ad totũ modũ sciendi constituẽdũ perueniat;procedit itẽ modo diuisiuo,distribuens prius modũ sciendi in deffinitionem,enũtiationem,&argumentationem. & postea subdiuidens hæc tria genera in omnes suas species: deniq; modo resolutiuo probat omnes conclusiones per sua principia, tradens causas omniũ, quæ docet,vt in discursu totius Logicæ perpendenti constabit.

Possumus etiã cum cõmuni sententia duas species methodi, seu ordinis procedendi ita distinguere,vt in eadem scientia minimè cõpatiantur; s.cõpositiuam, qua procedunt omnes artes, & scientiæ practicæ,quarũ finis est obiectũ etiam in genere rei componere,seu construere, dirigẽdo ad illius opus,potẽtias, quę illud exequi possunt; & resolutiuam, qua procedunt scientiæ speculatiuæ sistendo in cognitione rei per suas causas tanquam in fine, non quia sciẽtiæ speculatiuæ nõ habeant suas compositiones, & scientiæ practicæ suas resolutiones,& diuisiones,sed quia primariò, & principaliter speculatiuæ finem in resolutione constituũt, & secundariò compositioné respiciunt. E contra verò scientiæ practicæ cõpositionem obiecti primariò,resolutionem verò secundariò attingunt, vt latè dixi disput.1.vtriusq; scientiæ discrimen asignans. Tradit autẽ hãc methodi doctrinam Arist. *1.physic.in princip.* vbi de illo fusè agere solent expositores,& *1.ethicorum,c.3. primo de partibus animalium,c.1.& 1. metaphy.c.1.* *Aristot.*

(3)

AR-

ARTIC. III.

Quis sit ordo, seu methodus doctrinæ, quis verò naturæ?

EST insuper maximè hic obseruãdus duplex alius ordo, seu methodus procedẽdi in scientijs. Alter, qui dicitur ordo naturæ, & doctrinæ alter. Ordo naturæ tũc seruatur, quãdo sciẽtia in suis obiectis tractandis se accõmodat ipsorũ naturis, imitãdo ordinẽ & dispositionẽ, quã ipsę res habẽt a natura inter se. Quod dupliciter cõtingit, vel seruando ordinem generationis, & executionis, vel ordinem perfectionis, & intẽtionis. Tũc dicitur seruari ordo generationis, quãdo a minus perfectis procedimus ad magis perfecta, videlicet a partib' ad totũ, & a causis ad effect': quia hũc ordinẽ seruat natura in rerũ generatione. Qui ordo etiã in duos alios subdiuiditur. Compositionis: s. quando a causis ad effect', & a partib' ad totum actuale, quod actu ex illis cõstat, progreditur: & diuisionis, quãdo' s. ab vniuersalio rib' ad inferiora scientia procedit. Qui ordo vocatur naturæ: quia superiora sũt partes inferiorũ, & dicitur diuisionis, quia superiora sunt simul quædã tota potẽtialia, quæ diuiduntur in plura inferiora, & nõ aliter descẽdim' ab illis ad inferiora, nisi per diuisionẽ rationis cõmunis in particulares, de quo latè suo loco dicemus.

Ordo perfectionis.l. intẽtionis est, quãdo a perfectiorib' ad min' perfecta in sciẽtia, pgredimur, nimirũ a toto integro ad suas partes.l. ab inferiorib' ad superiora.l. ab effectib' ad causas. Alter est ordo doctrinæ, quãdo sciẽtia ea pri' tractat, quę sũt necessaria.l. certè valdè cõducũt ad cognitionẽ aliorum: deinde verò ea quæ ex his pẽdẽt in cognitione. Ne autẽ cõfundatur ordo seu method' cũ modo sciẽdi strictè declarato, semp præ oculis haberi oportet, quod ordo nõ cõsistit in illatione vni' ex alio, aut pbatione, sed tantũ in dispositione rerũ tractãdarũ, res autẽ tractãdę ita disponi debẽt, quod prius ea tradãtur, quæ faciliora aut notiora sũt, & ad aliorũ notitiã disponũt.

Ex quo infero, semper seruandũ in sciẽtijs doctrinæ ordinem, qui nobis faciliorẽ cognitionẽ cõferat, ordinẽ autẽ naturę solũ imitari deberi, quãdo iuuat & conformis est doctrinę dispositioni, ac methodo: secùs verò relinqui debet, & sẽper nostræ considerationis ratio habẽda. V.g. ordo naturę postulat vt a partib' pcedatur ad totũ; ordo sciẽtię vt a notiorib' & facilioribꝰ ad min' nota; si cognitio partis facilior sit, & ad totiꝰ notitiã disponens, aut manuducẽs: ordo naturę seruabitur; sin autẽ, ordo doctrinę anteponi debet.

SEC-

SECTIO II.

Vtrùm, modus sciendi in communi sit obiectum per se Logicæ?

DVpliciter titulus intelligi potest. Primò, an modus sciendi in tota sua latitudine vt compræhendit mentalem, vocalem, & scriptum sit obiectum per se Logicæ. Vel secundò; an prout solum in mente, & de triplici intellectus opere vniuocè dicitur, sit Logicæ primarium obiectum, vel tantum quoad aliquam specialem intellectus operationem. Et in vtroquè sensu difficultas hæc sequentibus expedietur quæstionibus, & simul quid ipse modus sciendi in se sit, magis explanabitur.

QVAESTIO I.

An subiectum per se Logicæ sit tantum modus sciendi mentalis.

ARTIC. I.

Multiplex subiecti, & obiecti acceptio declaratur.

PRo tituli intelligentia. Primò, obserua hæc duo nomina *obiectum*, & *subiectum* in sensu minus proprio vulgariter confundi, cum tamen re vera sint diuersa, vt ex D. Thom. *secunda secundæ, quæstione prima, articulo primo*, colligitur, & ex Capreolo, & alijs; constatque ex vtriusque deffinitionibus. Obiectum enim est illud, *quod scientiæ obijcitur considerandum*, id scilicet quod scientia considerat; subiectum verò *illud tantum est de quo scientia proprietates demonstrat*, vnde differunt inter se sicut superius, & inferius, vel sicut includens, & inclusum: omne enim subiectum obiectum scientiæ est, non tamen obiectũ omne subiectum est, quoniam scientia non tantum considerat subiectum de quo passiones demonstrat, sed etiam ipsasmet passiones, seu prædicata de illo demonstrata, in quo intellectus discernitur, & habitus qui ad illum pertinet, a voluntate, cæterisquè potentijs, quod istæ non dicuntur respicere subiectum aliquod, aut prædicatũ, cũ non sint judi-

D.Thom.

Capreol.

iudicatiue, nec vnum de alio enuntient, sed totū id, circa quod versantur, est, & appellatur obiectum, nimirum bonum respectu voluntatis, & color respectu visus. Intellectus verò iudicatiuus cum sit, duo partialia respicit obiecta, quorum vnum subiectum dicitur, & prædicatum alterum. Omitto nunc subiectum inhæsionis, seu physicum, quod dicitur intellectus respectu omnium scientiarum; nam subiectum, de quo est sermo in præsenti, subiectum Logicum, seu prædicationis est, quod sub obiecto continetur, & dici etiam solet materia circa quam.

Rursus subiectum duplex est, vnum formale, & materiale alterum. Materiale est, quod a scientia consideratur non ratione sui, sed tantum ratione alicuius formæ, quam in illo intendit introducere, si scientia sit practica; aut contemplari, si sit speculatiua, de quo infra. Et hæc forma introducta, vel ratione sui ibi cō siderata, dicitur formale subiectum. Vnde sic deffiniri solet: formale subiectum, vel obiectum est, *id quod primò, & per se attingitur a scientia, vel potentia, & est ratio propter quam cætera attinguntur obiecta.* Voluntas v. g. habet pro obiecto formali finem, quem primò, & principaliter intendit; sanitatem, scilicet; & pro obiecto materiali respicit media, potionem videlicet amaram, quam non ratione sui, sed propter sanitatem desiderat.

Vnde collige primo, obiectū formale primariū necessariò esse causam, propter quam obiectum materiale ametur, vel cognoscatur, quod explicatur his vocib⁹; *quia*, & *ideo*, scilicet, quia amo sanitatem ideo potionem amaram desidero, & non e contra. Id circo huiusmodi obiectū formale solet primarium, & immediatū appellari, quia est id quod primo mouet potentiam, vel habitum tanquam finis vltimus, & principalis, & cætera obiecta, quæ propter illud attinguntur dicuntur secundaria, & mediata.

Secundò collige, per subiectum materiale hic non intelligi materiam circa quam versatur scientia; (nam hæc tam de subiecto formali, quam de materiali dicitur) sed materiam tantum ex qua subiectum scientiæ componitur.

Tertio collige, quod non quæ libet materia ex qua subiectum componitur, vel obiectum in re dicenda est subiectum, vel obiectum materiale per se, sed illa tantum in qua scientia suam introducit aliquomodo formam, quā per se considerat. Color. v. g. licet dicatur obiectū frale visus, subiectū tamē, cui in re color innititur, nō est dicēdū obiectū materiale p se, sed tātū per accidēs; nam licet sit materia illius in esse rei, non est materia illius in es

se

se obiecti; cum non obijciatur vi sui vllo modo, etiam tanquam materia, inquam talis potentia colorem inducat: at ligna, & lapides obiectum materiale dicuntur domificatoriæ artis: quoniã dispositio in formam dom', quã habent, fuit in illis introducta per artem.

Tertiò subiectum, vel obiectum aliud est *quod*, & aliud *quo*, vel ratio formalis sub qua attingitur subiectum, vel obiectum. Quæ distinctio nouitijs laboriosa semper fuit, & obscura: supposita tamẽ distinctione, inter subiectum & obiectum facilius ab eis capietur; si enim sermo sit de subiecto, subiectum *quod*, dicitur illud de quo scientia proprietates demonstrat, & subiectum *quo* est prædicatum quod de illo demonstratur, ideo namque prędicatum dicitur forma subiecti, quia est formalis ratio sub qua explicitè subiectum consideratur: quia cum in eodem subiecto plures lateant rationes formales cognoscibiles, vel quod idẽ est, diuersa de illo sint demõstrabilia per diuersas scientias, prædicatoru genera, hinc est quod scientia, quæ explicitè considerat, & prædicat de illo aliquam rationem formalem, reliquas omittens in eo latenter inclusas, subiectum sub tali ratione formali explicitè considerata dicatur attingere. ¶ Si verò de obiecto sit sermo, vt distinguitur contra subiectum, obiectum *quod*, dicitur proprietas, seu prædicatum quod de aliquo subiecto a scienti, demonstratur; obiectum verò *quo*, est ratio sub qua tale prædicatum ab intellectu attingitur, idest, modus cognoscibilitatis, quo tale prædicatum cognoscitur, & prædicatur de suo subiecto: vnde quod est obiectum formale, & *quo*, respectu vnius, potest esse materiale, & *quod* respectu alterius. v.g. prædicatũ respectu subiecti de quo demonstratur est obiectum formale *quo*, vel ratio sub *qua* illud formaliter constituens in genere rei; respectu vero talis cognoscibilitatis, qua specialiter attingitur ab intellectu, se habet vt obiectum *quod*, seu materiale: quia tale prædicatum indifferens est vt actus terminet diuersarũ sciẽtiarũ; actũ. s. simplicis intelligentię, vel discursiuũ, actũ fidei, opinionis. l. sciẽtię practicę, aut speculatiuæ.

Ex quo vlterius colligi potest, vt vtraquẽ ratio *sub qua* discernatur clari', quod prior, idest prędicatũ dicitur ratio formalis ex parte rei cognitę, vel cõstituens formaliter subiectum in genere rei; posterior vero est solũ ratio formalis, *subqua* ex parte cognoscẽtis, mod'. s. cognoscibilitatis, quo obiectũ ab intellectu attingitur, & hęc posterior est quę principaliter sciẽtiã specificat, & cũ illa cõuertitur, vt suo loco dicem'

Prior

Prior autem est indifferens, vt a pluribus scientijs consideretur, ideoquè materialis dicitur respectu alterius. V.g. homo est subiectum, quod consideratur a physico, medico, a phylosopho morali, a logico, & metaphysico, sub diuersis tamen rationibus formalibus, & secundum diuersa prædicatorum genera, quę de illo demonstrantur. A physico enim consideratur sub ratione entis mobilis: a metaphysico sub altiori ratione entis vt sic; a medico, vt est sanabilis; a philosopho morali, vt est rectus in volũtate, vel in moribus dirigibilis: & a logico vt est rectè intelligens, vt postea dicam.

Deniquè vtrumquè. s. obiectum, & subiectum, aliud per se, quod necessariò, & ratione sui consideratur a scientia, ita vt sine illo esse, aut intelligi non possit talis scientia. Aliud est per accidens, quod licet consideretur ab illa, non per se, & ratione sui, sed ratione obiecti per se intenti, ad cuius notitiam conducit. Quo pacto sphęra materialis est obiectum per accidens respectu Astrologiæ: quia solum assumitur tanquam medium, vel conditio requisita ad explicandam spheram cœlestem, quæ est obiectum, & finis per se intentus per talem scientiam.

(?)

ARTIC. II.

Reijciuntur voces, & scripturæ ab obiecto per se Logicæ.

PRima sententia (quam multi nominalibus attribuunt, sic eos dicentes, quia totum dialecticæ negotium ad voces, & nomina retulerunt) asserit voces vt artificiosè dispositas informã modi sciendi esse obiectum per se logicę. Fundamẽtum eorum est: quia logica principaliter agit de natura nominis & verbi, de signo tam in communi, quam in particulari, de æquiuoco, analogo, & denominatiuo, quæ, & similia, vel competunt solis vocibus, vel dicuntur eodem modo de vocibus, ac conceptibus: ergo vel modus sciendi vocalis, vel modus sciendi in communi, prout abstrahit a mentali, vocali, & scripto, est obiectum per se logicæ. Confirmatur: quia propter hoc logica scientia dicitur sermotionalis, & Garrula a Platone; quia de vocibus agit: idcirco etiam Porphyrius, *tractatum addidit de quinque vocibus*: ergo.

Quidam iuniores, nominales excusant ab hac sententia, quia eã in ochamo, Gregorio & Gabriele non inueniunt, & non aduertunt fuisse alios multo his antiquiores, quos ipsi non viderũt; nam

D. Thom. nam S. Thomas, 1 *p.q.14.ar.15. ad* 3. qui fuit antiquior Ochamo centum fere annis, eos appellat *Albertus Magnus.* antiquos nominales, & Albertus Magnus similiter eos tanquam antiquos Authores refert, *tractatu 2. in Porphiricum, cap. 2.*

Cuiuscúque tamẽ hęc sententia sit, iam exulat ab scholis, nullumquè habet fundamentum firmũ, quo possit deffendi. Primo enim est contra Arist. 1. *post. c. 9.* *Aristot.* dicentem: *Demonstrationem, aut syllogismum non consistere in verbis, sed in mente:* & cõtra S. Thomam postea citandum. *Hurtado, disput. 1. suæ logicæ sect. 2. & disp. 5 metaphysicæ, sect.* Secundo ratione impugnatur efficaci; quia finis, & obiectũ, quod præcipuè consideratur a logica, est modus sciendi, & rectè intelligẽdi, sed in vocibus non est modus sciendi nisi tantùm analogicè, tanquam in signis, quibus mod' sciẽdi exprimitur, sicut per sphęram materialem declaratur cœlestis: ergo sicut propter hoc sphæra materialis non est obiectum per se Astrologiæ, nisi tantum per accidens, ita modus sciẽdi vocalis, vel vt melius dicam locutio modi sciendi non per se, sed per accidens est obiectum logicæ.

Deniq; quia supposito, quod nullæ fuissent voces, aut scripturæ, quod re vera potuit contingere, adhuc posset intellectus res benè, vel malè intelligere, & cõficere deffinitiones, iudicia, & discursus, & tunc sine dubio esset logica sine vocibus: ergo voces non sunt obiectum per se illius. Patet consequentia: quia nulla scientia esse, aut intelligi potest sine suo obiecto per se, a quo speciem & naturam sumit.

Fundamentum etiam oppositum nullius est momenti, facilè enim respõdetur, quod aliud est de vocibus, aliud vocibus disputare. Primum pertinet ad Grammaticam, vel Rethoricam. Secũdum vero ad Logicam, & si aliquo modo ei contingat de vocibus agere, est tanquam de obiecto per accidens, quatenus deseruiunt ad rectè dirigendos, & manifestandos conceptus; quinimo non nisi rarò logic' tractat, quo pacto conceptus internus sit manifestandus per voces; quando scilicet de æquiuocis tractat, vel analogis; sed quo modo ipsa ratio sit in se dirigenda. Porphyrius etiam licet titulum sui tractatus inscribat de quinque vocibus, non agit in toto discursu illius de natura vocũ, sed de quinque modis vniuersalitatis significatis per illas.

Deniquè, quando Logica garrula dicitur, aut sermotionalis, vel sumitur latè, prout compræhendit Grammaticam, Rethoricam, Poesiam, & rationalem, & sic merito appellatur sermotionalis sumpta denominatione ex maiori parte illius, vel sumitur strictè pro dialectica rationali, & sic etiam rectè vocatur sermo-

motionalis: quia agit primò, & per se de sermone interno, qui est in mente, & secundariò, & per accidens de sermone externo: neque in re tam facili est cur amplius immoremur.

ARTIC. III.

Statuitur modum sciẽdi mentalem esse obiectum per se Logicæ.

Vera igitur, & hoc tempore recepta sententia est, operationes mentis prout dirigibiles in formam modi sciẽdi, esse obiectum primarium, quod per se consideratur à Logica, ita sentire visus fuit Aristot. cum Logicam sic distribuit, vt singulas eius partes singulis mẽtis operationibus accommodauerit. In prima videlicet agens de prima operatione intellectus, in secunda, idest, in libris de interpretatione, de propositionibus, quæ pertinent ad secũdam, & in tertia de argumentatione, vt patebit in discursu hui⁹ libri.

Aristot.

Docuit etiam, *6. metaphysicæ*, vbi diuisit scientiam in rationalem, & realem: & rationalẽ Logicam dicit, quia de actibus rationis differit. Et *2. metaphysicæ*, Logicam modum sciendi appellat, priusquè addiscẽdam, quam cæteras scientias, quia modum rectè iudicandi & discurrendi, quo cęterę vti debẽt, ipsa docet.

Tenuit etiam illam Augustinus dicens: *Proprium est Logicæ agere de ratione intelligendi, & de discernendo verum a falso:* & *2. de ordine, cap. 13. disciplina,* ait: *Disciplinarum, quam dialecticam vocant docet seire, in hac se ratio ipsa demonstrat, atque aperit.*

August.

Expræssi⁹ multo adhuc loquut⁹ fuit. S. Thom. 1. enim *periarm. lect. 1.* inquit: *Cum logica sit rationalis scientia, necesse est quod eius consideratio versetur circa ea, quæ pertinent ad tres prædictas operationes rationis.* Et *1. posteriorum; lect. 1.* ita habet. *Ars quædã necessaria est, qua sit directiua ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinetur, & facilitetur, vt sine errore procedat. & hæc est Logica, idest rationalis scientia, quæ non solum rationalis dicitur ex hoc quod est secundum rationẽ, quod est omnibus artibus commune, sed etiam ex hoc quod est circa ipsum actum rationis tanquam circa propriam materiam.* Quod clarius idem docuit *initio posteriorum, & in opusculo de palatis, cap. 1.* sic exorditur: *Quia Logica est rationalis scientia, & ad ratiocinandum inuenta, ad Logicæ rationem spectat, vt per rectam ratiocinationem, ad veram cognitionem perueniat, & errorem falsitatis*

D. Thom. *Boetius.* *Albertus Magnus.* *Auicena.* *Philoponus.* *Auerro.* *Algazel.* *Alexãd.* *Ammonius.*

tatis euitet. Ita tenent etiam ferè omnes alij scholastici huius ætatis.

Probatur ratione.

Ratione tandem probatur: quia illud est obiectũ per se sciẽtiæ, de quo ipsa per se ostendit partes, species, & proprietates; sed Logica hoc totum per se ostendit de actibus rationis artificiosè directis in formam modi sciendi: ergo ipsi sunt obiectum per se Logicæ. Minor probatur: quia quod per se intẽdit Logica est tradere naturam modi sciendi, illumq; diuidere in deffinitionem, diuisionem & argumentationẽ, quæ omnia, vt constat ex eorũ deffinitionibꝰ, propriè solũ dicuntur de actibus intellectus: nã sicut solum conceptus est ratio formalis sciendi, & cognitio est formaliter ipsa sciẽtia, ita modus sciendi propriè non potest esse aliud, quã modus rectè intelligendi.

Species etiam modi sciendi, scilicet simplex appræhensio, aut deffinitio, quæ est clara repræsentatio alicuius rei, & propositio, quæ iudicium quodam, seu enuntiatio est, & proprietates illius; s. esse affirmatiuam, vel negatiuam; veram, vel falsam; vniuersalem, vel particularem; certam, aut euidentem; discursus similiter, & ratiocinatio clarè indicant in suis nominibus, rationibꝰ, & proprietatibus, solũ conceptibus conuenire prop stea fusè declarabimus.

Confirm. quia Logica inuẽta fuit ad emẽdanda vitia rationis, & dirigendum intellectum, vt rectè intelligat; sed rectitudo in intelligendo, aut error, solum in cõceptibus reperitur: ergo hos solũ Logica per se intẽdit disponere tanquam primarium obiectũ.

Secundo confirm. quia recta, & artificiosa dispositio conceptuum est obiectum ita scibile ab aliqua scientia, vtpotè difficile, & arduum, ad quod intellectus indiget aliquo habitu, sicut recta directio actuum voluntatis: ergo sicut propter hoc rectitudo actuum voluntatis consideratur per se a Philosophia morali, sic rectitudo actuum intellectus ad Philosophiam rationalem, seu Logicam per se pertinet tanquã primarium obiectum illius. Patet consequentia: quia non est alia scientia ad quã posit reduci.

Deniquè nomina, quibus semper facultas hęc nuncupatur, clarè indicant eius obiectum, seu finem intrinsecum: dicitur enim *Dialectica*: idest ars disputandi, dicitur *Lógica*: idest scientia rationalis, dicitur *modus sciendi*: quia ipsum tanquam primarium obiectum respicit, alijsq; scientijs subministrat.

(?)

* * *

ARTIC. IIII.

An res pertineant aliquomodo ad obiectum per se Logicæ.

CErtum est res omnes, si considerentur secundũ se, & secundum sua prædicata realia, pertinere ad metaphysicam, & alias scientias, & consequenter non ad Logicam. Neq; in hoc existimo aliquem dubitasse, quia nihil eorum, quę tractantur in Logica, conuenit rebus secundum se; solum igitur est difficultas de illis, quatenus extrinsecè disponuntur per conceptus nostros, & denominantur genera, & species, subiectum & prædicatum, &c. & de rebus sic cõsideratis multi asserentes Logicæ finem principalem esse entia rationis tradere, quibus actus dirigit aliarum scientiarum; consequenter dicunt, eius primarium obiectum res esse, prout substãt secundis intentionibus Logicis, vel prout fiunt modus sciendi obiectiuus: conceptus verò esse secundariò, vel per accidens, quatenus ad talem extrinsecam rerum dispositionem deseruiunt. Alij vero in opposito extremo totis viribus contẽdunt res nullo modo ad Logicam cõsiderationem spectare, nisi tantum per accidens, ex eo quod principale obiectum est modus sciendi prout in conceptibus, & vna scientia nõ nisi vnum obiectum habere debet.

Sed nos media via incedẽtes asserimus, modum sciendi obiectiuum, idest res omnes, quę subsunt modo sciendi formali, esse obiectum per se Logicæ, non intrinsecum primarium & in recto sed secundarium, extrinsecũ, & in obliquo. Quo modo inconueniens vitatur de multiplici obiecto; nam licet respectu vnius scientiæ plura obiecta primaria repugnent, non vero plura secundaria per se cum primario connexa. Hæc fuit sine dubio sentẽtia Platonis, in *Philebo*, enim ait: *Dialecticã versari circa id quod vere est*, & in *Sophista*. *Dialecticæ munus esse diuidere genera*. Idẽque habet, 7. *de Republica*; quam sententiã sequuntur Platonici. Tenuit etiam Arist. 4. *Metaphysicæ textu* 5. *& 1. Rethoricorum ad Theod. c.1. 1. Poster. textu 2. 1. Elenchor. c.11* vbi inquit: quod *Dialectica disserit de omnibus rebus*, vbi S. Thomas. *Plato.* *Aristot.* *D. Thom.*

Declaratur conclusio; nam ea omnia, quorum esse essentialiter consistit in ordine ad alia extrinseca, vt potentiæ & habitus in ordine ad actus, & actus in ordine ad obiecta, non possunt obiici alicui scientiæ, vel cognitioni, etiam imperfectè, nisi cognoscantur

cantur etiam illa, ad quæ essentialiter ordinantur. Hinc enim fit, quod deffinitio cuiuscumquè potentiæ, habitus, vel actus sit essentialiter manifestatiua obiecti illius, sed modus sciendi mẽtalis est obiectum primarium, & per se Logicæ; vt probatum est: ergo etiam modus sciendi obiectiuus, idest res omnes, quatenus deffiniuntur, componuntur, diuiduntur, &c. per modum sciendi formalem, sunt obiectum per se Logicæ, saltem secundarium & in obliquo. Maior patet: nam illud est per se obiectum alicuius sciẽtiæ, quod essentialiter, & per se includitur, aut pertinet ad obiectum primarium talis sciẽtiæ: quia sicut implicat considerari rem aliquam sine sua essentia, ita implicat quod sit obiectum alicuius sciẽtię, sine omni eo, quod pertinet ad essentiam illius. Consequentia etiam patet, nam hac ratione conceptus mentis dicuntur, etiam ab opposita sententia, subiectũ materiale Logicæ: quia sunt materia, ex qua essentialiter componitur obiectum primariũ illius, & dispositio horum conceptuum dicitur obiectum formale: quia est forma intrinseca modi sciendi primariò, ac per se intenti, & voces dicuntur non esse obiectum per se: quia non pertinent per se ad essentiam modi sciendi: ergo eadẽ ratione, si res omnes sunt materia circa quam versatur essentialiter modus sciẽdi, & quæ extrinsecè, & in obliquo pertinent ad essentiam illius, eadem perseitate, scilicet in obliquo & secundariò, dicentur obiectum per se Logicæ.

Confirmatur primò, quia nihil aliud est agere de modo bene intelligendi res, quam agere de rebus vt bene intellectis: ergo qua ratione Logica necessariò, & per se considerat prius, debet considerare posterius.

Confirm. 2. quia si discurramus per omnes Logicæ partes, semper aduertemus eadem necessitate, & perseitate, qua tractant operationes mentis, tractare etiã de earum obiectis. In disputatione enim de prima operatione intellectus agitur de rebus omnibus prout induunt rationem generis, differentiæ, speciei, proprij, & accidẽtis. discerniturq; in hoc deffinitio essentialis a descriptiua, quod obiectum illius est essentia rei, obiectũ verò huius accidẽs. Item in disputatione de secunda operatione intellectus explicantur ex professo ratio subiecti & prędicati, quæ cõueniunt rebus omnibus, discerniturq; iudiciũ necessariũ a contingenti, & propositio idẽtica a formali, & directa ab indirecta penès diuersitatẽ, & denominationes obiectorum; idemquè patet de tertia operatione, vt latius declarabitur in discursu huius libri: ergo tam necessariò & per se Logica agit de rebus, sicut de conceptibus.

Deniquè hoc confirmatur: nam propter hanc rationem Philosophia moralis tractans de recta directione actuum voluntatis, agit etiam de rebus non absolutè, & secundum se, sed quatenus eligibiles sunt per rectam rationem: cõsiderat namq; naturã vltimi finis, & diuersitatẽ mediorũ bonorũ & malorũ, rectam rationẽ, legẽ naturalẽ, &c. ergo eadẽ de causa Logica agens de rectitudine actuũ intellectus, debet per se agere de reb⁹ repręsentatis essentialiter per tales act⁹.

Ex quo colligitur, & est maximè notandũ, non ideo dici res obiectũ Logicæ extrinsecum & in obliquo, quia pertineãt ad Logicam extrinsecè, & in obliquo (nam hoc modo etiã actus intellectus comparantur ad Logicã, & quodlibet obiectum primariũ ad suam propriam scientiam, nimirum vt ratio extrinsecè, & in obliquo terminatiua) dicũtur ergo, quid extrinsecum & in obliquo respectu obiecti primarij logicæ, ad quod pertinent essentialiter hoc modo, sicut conceptus dicuntur materiale obiectum: quia sunt materia, ex qua essentialiter componitur ipsummet obiectum primarium. Dicuntur etiam obiectũ secundarium, non quia obijciantur per accidẽs, sed quia nõ ita immediatè, & ratione sui, sed mediãte modo sciẽdi mẽtali terminant (licet omnimoda perseitate) cõsiderationẽ logicę.

Impugnatur specialiter sententia quæ docet, res, & non conceptus obiectum esse per se Logicæ.

Ex his impugnata manet satis secunda sententia. Specialiter autem contra authores primæ, ponderandæ sunt rationes, quibus articulo tertio ostendi modum sciendi, species, & proprietates illius tantum posse conceptibus ipsis propriè conuenire, rebus autẽ impropriè & per metaphorã, quæ efficaces valde meo videri sunt.

Secundo argumentari potest ad hominem ex eorum doctrina; quia res omnes, si considerentur secundum sua intrinseca, & realia prædicata, vt de homine, quod sit animal rationale, risibile, &c. ad scientias reales pertinent, & non ad Logicam, si verò reduplicatiuè vt sunt modus sciendi obiectiuus accipiãtur (vt loquitur hæc sententia) sic constituuntur formaliter in esse obiecti ab actibus intellectus: ipsi ergo obiectum Logicæ erunt. Patet consequentia, & minor probatur: quia esse obiectum supra intrinsecam rei entitatem nõ addit aliquid intrinsecum, sed tantum extrinsecum, vt patet, sed hoc extrinsecum a quo denominatur extrinsecè non potest aliud esse præter actum intellectus: ergo ab actibus intellectus formaliter constituitur modus sciendi obiectiuus.

Confirmatur primo: nam obiici intellectui idem est, quod actu cognosci, vel illi repræsentari, & esse obiectiuum consideratum in actu primo, idē est quod esse cognoscibile, sed rem actu cognosci, vel esse cognoscibilem non addit supra id quod cognoscitur, nisi tantum cognitionem, a qua formaliter prouenit talis denominatio: ergo actus intellectus sunt forma modi sciēdi obiectiui, ac proinde obiectum formale, vel ratio sub qua res possunt attingi a Logica.

Secundo confirmatur, quia secundùm authores oppositos, res constituuntur formaliter vniuersales per notitiam abstractiuam, vel comparatiuam intellectus, ita vt res dicantur vniuersale *quod*, seu denominatiuum, & cognitio, vniuersale *quo*, seu forma constituens vniuersale: ergo si res pertinent ad Logicam formaliter vt vniuersales sunt: erunt obiectum Logicæ formaliter in quantum ipsis actibus afficiuntur, & denominantur, ac proinde actus ipsi erūt adminus forma cōstitutiua obiecti Logicæ.

Dicet aliquis, cognitionem esse formam extrinsecam, & cōnotatam, non verò intrinsecè cōstitutiuā vniuersalis: sit ita (de quo infra) cæterum negari nō potest res in quantum deffinibiles, prædicabiles, & demōstrabiles, tam in actu primo, quam in actu secūdo, importare cognitionem formaliter in recto, & non in obliquo, sed sic pertinent primario ad Logicam: ergo, &c. Probatur maior, quia rem deffiniri non est aliud quam repræsentari per deffinitionem formalē, & similiter rem prædicari, vel demonstrari de alia est per propositionem mētalem ennuntiari, vel per discursum formalem colligi. Vnde prędicabilitas, vel deffinibilitas, non est aliud, quam specialis quędam cognoscibilitas, vt suo loco dicetur: ergo sicut esse cognitū, vel cognoscibile formaliter in recto dicit cognitionem, vel concretū ex obiecto, & cognitione coalescens, ita esse deffinitum, vel deffinibile, prædicatum, vel prædicabile, &c. Minor etiam cōstat, quia Logica eatenus attingit res vt vniuersales, in quātum vniuersalitas est conditio necessaria vt possint deffiniri, diuidi, prædicari, & demonstrari: ergo magis principaliter agit de illis sub hac posteriori ratione, sub qua immediatius obijciuntur modo sciendi formali, qui est deffinitio, diuisio, vel argumentatio.

Dices secundo: His rationibus solū probari, quod vterq; modus sciendi tam formalis, quam obiectiuus sit æquè principaliter intentus, & non primario vnus, & secundario alter, vel si est aliquod discrimen, rebus potius quā conceptibus videtur locus primarius tribuēdus in ratione obiecti: quia obiectum est finis actus, nam

actus sunt propter obiecta, & dicuntur viæ, & tendentiæ ad illa, vt ad terminum vltimum: ergo actus diriguntur a Logica propter obiecta, & non è contra. Et confirmatur: quia Deus est vltimus finis hominis, & non visio Beata, vt latè dicitur 2.2. sed eadem proportio est inter cæteros actus, & sua obiecta: ergo.

Respondetur tamen breuiter omissis alijs, iam in hoc, & præcedenti articulo probatum sufficienter fuisse rationibus, & authoritatibus modum sciendi primariò dici de cōceptibus, quam de rebus, imò propriè solis actibus conuenire. Ad obiectionem autem contra hoc, negatur obiectum esse finem, ad quem actus tanquam mediū ordinetur. Imo hoc discrimen constituunt Aris. (9.*metaph.* & 2.*ethicor. c.*7. & 10.*ethic.c.*8. & D. Thomas, 1.*cōtra gentes, c.*100. & *lib.*2.*c.*1. & 1.*p.q.*87.*art.*3. & *q.*34. *artic.*1. *ad* 2.) inter actiones immanētes, & transeuntes, quod hæ sunt expetibiles tantum propter suos terminos, illæ verò non ita, sed secundum se, & propter se expetuntur, quia sunt vltimæ perfectiones rationalis naturæ, in quibus vltimò quiescit appetitus illius, tamquā in fine. Verba Aris. 2.*ethic.c.*2. sunt: *Cùm finis actuū ipsæ sint operationes, & non præter eas aliud, finis actuum terminus est*, nec loquitur de actibus excludēdo obiecta, sed prout ex vtroq; coalescit integer finis per sciēs. s. ex actu in recto, & ex obiecto in obliquo; dicitur verò actus immanens via analogicè, ex eo quod sit operatio respiciens obiectum, & tendens nostro modo concipiendi ad illud; non est tamen via per modum transit*, aut medij, sed per modum finis in quo potentia vltimò quiescit, & viuit.

Ad confirmationem respondeo esse discrimen, quod Deus est finis visionis Beatæ, non præcisè, quia obiectum est, sed quia tale obiectum, quod est vltimus finis omnium rerum, & consequenter visionis Beatæ & quod est summum bonum possidendum per ipsam visionem, quod non habent cætera obiecta. Præterea alij respondent visionem esse vltimum finem *quo*, & Deum vltimum finem qui, de qua doctrinā latè 2.2. disputo, non est tamen huius loci.

Colligitur tandem ex dictis eandem omnino esse formam, & essentiam vtriusque modi sciendi, tam formalis, quam obiectiuī, materias verò esse diuersas, conceptus videlicet ex quibus intrinsecè componitur, tanquam ex materia ex qua, & res omnes, quas considerat vt materiam circa quam versatur, quæ duæ materiæ non repugnant sub eadem forma, cum sint valde diuersæ rationis; nam eadem forma intrinsecè denominās subiectum, potest

Aristot.

D.Thom.

Aristot.

potest extrinsecè denominare obiectum aliquod. Omitto nunc materiam in qua physicè subiectatur ipse modus sciendi, intellectum videlicet; quia cum non sit intrinseca ipsi modo sciédi, neq; essentialiter ad ipsum pertinens, siue in recto, siue in obliquo, sicut nec vniuersaliter loquendo subiectum non est de intrinseca ratione accidentis, ideo non spectat aliquo modo ad obiectum per se Logicæ.

ARTIC. V.

Obijciuntur, & soluuntur aliquot argumenta contra dicta.

PRimò enim authores, qui solas res constituunt Logicæ primarium obiectum, excludentes modum sciendi mentalé, arguunt contra nos his medijs. Primum est, quia Logica agit de conceptibus in quãtum sunt signa rerum, & in quantum dicunt ordinem ad res: ergo præcipuè, & primariò agit de rebus: peraccidens vero de conceptibus. Patet consequentia, quia propter hanc rationem exclusimus ab obiecto per se Logicæ voces: quia non considerantur ab illa propter se, sed tantum propter conceptus in quantum sunt signa eorum, & dicunt ordinem ad illos: ergo eadem ratione côceptus excludi debent, & res tãtum constitui obiectum primarium Logicæ.

Secundum est, si actus intellectus rectè dispositi essent obiectum per se Logicæ, sequeretur quod Logica respiceret tanquã proprium & primarium obiectum, non solum actus aliarum scientiarum, sed etiam proprios actus, sed hoc est impossibile: ergo & illud ex quo sequitur. Sequæla patet: quia tam actus aliarum scientiarum, quam ipsius Logicæ debent esse actus intellectus rectè dispositi in formam modi sciendi: nã sicut aliæ scientiæ, per deffinitiones, diuisiones, & demõstrationes circa sua obiecta procedunt, ita & Logica. Minor etiam probatur: nam actus nullo modo possunt esse subiectum sui habitus: ergo. Alia argumenta pro his authoribus adducentur quæstione sequenti.

Ad primum autem concedéda est absolutè illa propositio: *Logica agit de conceptibus in quã tum sunt signa rerum*, licet alij eã admittere non audeant, sed immeritò: quia conceptus ex sua ratione formalissima est signum mentale alicuius rei, & imago intentionalis illius, ac subinde non potest scientia vlla agere de conceptibus secundum se, quin agat de illis, vt sunt signa rerum. Neganda tamen est consequentia. s. ergo *magis præcipuè agit de rebus*, sed potius deducitur, quod magis

magis principaliter tractet de signis mentalibus rerum, vel de modo intelligendi res.

Ad cuius intelligentiam aduertè, quod aliud est considerare significationem alicuius signi ratione sui, vel propter se, & aliud est considerare illam per accidens ratione rei significatæ. Logica enim agit de significatione conceptuum ratione sui, & de rebus, quatenus in obliquo pertinent ad essentiam illorum; de significatione vero vocum agit non ratione sui, sed ratione modi sciendi mentalis manifestati per illas, ad eum modum, quo sphæra materialis solum intenditur propter cœlestem ab Astrologo, vt supra dixi. Similiter illa altera propositio antecedẽtis distinguenda est, *Logica agit de conceptibus in ordine ad res*, idest in quantum dicunt essentialem ordinem, & transcendentalem ad res, tanquam ad obiecta illorum concedo. Agit de illis in ordine ad res, idest tanquam ad finem propter quem considerantur cõceptus ipsi a Logica, ita vt non propter se, sed propter res, quatenus sunt media ordinata ad manifestandas illas desiderentur, neganda est, Itaque illa particula *in ordine*, vel potest referri ad ipsos conceptus, vel potest referri ad Logicam ordinantem conceptus ad res, tanquam media ad finem, quinimo licet conceptus haberent pro fine res (quod nunc omitto) Logica nõ habet pro fine, nisi considerare naturam speculationis rerũ, quæ est intrinseca ipsis conceptibus: quemadmodum ars sartoris habet pro fine conficere vestes, & indumenta, non tamen vsum, aut finem ad quem tales vestes ordinantur.

Ad secundum concessa maiori, neganda est minor, & ad eius probationem distinguendum est antecedens: actus non possunt esse obiectum adæquatum, & totale sui habitus, & sic conceditur: non possunt esse obiectum particulare, & inadæquatum, & sic negatur. Quia nullum est inconueniens, quod ipsa scientia, & sui proprij actus, si participẽt rationem communem sui obiecti adæquati, & contineantur sub illa, per se considerentur ab ipsamet scientia, vt obiecta inadæquata illius, vt patet in metaphysica, quæ seipsam considerat, & suos proprios actus, quatenus comprehenduntur sub communissima ratione entis, & in scientia de anima, & qualibet alia cognitione reflexa. Hac enim ratione deffinitio in communi potest seipsam deffinire, quatenus est particularis quædam deffinitio, contenta sub ratione communi deffinitionis & signum in communi significat seipsum, vt obiectum inadæquatum, vt supra dixi.

Authores vero, qui taliter cons-

constituunt modum sciendi mẽtalem obiectum per se, vt ab illo res excludant, arguunt hoc modo. Res omnes sunt obiectum per se respectu aliarum scientiarum: ergo non respectu Logicæ, patet consequentia: nam idem omnino obiectum nõ potest per se pertinere ad plures scientias.

Neque valet dicere, quod respectu Logicæ sunt obiectum secundarium, & in obliquo, respectu autem aliarum sciẽtiarum sunt obiecta primaria, & in recto: ac per consequens diuersimo de obijci. Hoc inquam nõ valet, nam iste diuersus modus non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte scientiæ, ex eo quod nõ immediatè, & primario res illas respiciat, sufficiet tamen quod illas per se attingat saltẽ secũdariò, vt tollatur necessitas aliarũ sciẽtiarum.

Quod amplius sic declaro; nam si eodem modo ex parte obiecti considerentur res omnes a Logica, quatenus sunt obiecta actuum aliarum scientiarum, & propriorum actuum, qui omnes continentur sub obiecto primario illius: ergo respiceret illas sub eisdem rationibus, sub quibus obijciuntur actibus aliarum scientiarum, & consequenter secundum sua prædicata & proprietates reales, vnde manifestè tollitur necessitas aliarum scientiarum, si intellectus instructus solo habitu Logicæ, potest saltem secundariò omnia obiecta illarum considerare.

Facilè tamen respondetur aduertendo, quod Logica non dicitur considerare actus omnes aliarum scientiarum secundum suas rationes particulares, sed solum secundum rationem quandam communem & genericam modi sciendi, qua ratione deffinitio hominis, & equi, vt considerantur a Logico, sunt eiusdem speciei, licet quatenus sub Philosophiam cadunt, maximè inter se distinguantur. Et demõnstratio mathematica, & metaphysica, licet in ordine ad suas proprias scientias sint valde diuersæ, a Logica non considerantur, nisi sub ratione communi demonstrationis vt sic, in qua omnino conueniunt: sic ergo res omnes non considerantur a Logica secundum suas rationes, & proprietates particulares reales, sed secundum quædam prædicata rationis communia, secundum quæ correspondent modo sciendi in communi, scilicet vt sunt genera & species, subiectum & prædicatum, &c. ex quo satis liquido apparet quam valde diuerso modo obijciantur Logicæ, & alijs scientijs.

(?)

QVAE-

QVAESTIO II.

Vtrùm, modus sciendi secundum quod per se consideratur a Logica, sit ens reale, vel rationis.

ARTIC. I.

QVæstio hæc est appendix præcedentis, maximeque necessaria ad declarandam naturam modi sciēdi, quam per se considerat Logica. Suppono autem pro expositione tituli sensum illius non esse, an ratio formalis propter quā modus sciēdi consideratur a Logica, sit, quia est ens reale, vel rationis: in hoc enim sensu modus sciendi ad metaphysicam considerationem pertinet: sensus ergo quæstionis est: an hoc ens, quod formaliter in quantum modus sciendi est obiectum Logicæ, sit quid reale, vel rationis, quod valde diuersum a primo est.

Secundo suppono, ens reale esse illud *quod habet, vel potest habere esse a parte rei*, vt cœlū, terra, homines, &c. quæ veram entitatem habent; ens autem rationis est id, *quod tantum habet esse obiectiuè in intellectu, & nun quam potest existere a parte rei*, idest, quod non veram entitatē, sed apparentem, vel fictam per rationem habet. Per hoc quod est *non posse existere a parte rei*, conuenit ens rationis cum obiectis impossibilibus, tanquam sub ratione quasi generica, quia non omne impossibile est ens rationis, addit tamen vt vltimam differentiam constitutiuam illius, quod *habet esse quodam apparēs & obiectiuum in intellectu*, quod infra suo proprio tractatu latius declarabitur.

Solum aduertenda est pro nūc particula illa, *obiectiuè tantum*, quæ posita est etiam ad excludēdum omne id, quod dici solet ens rationis effectiuè, vel subiectiuè, quia realiter emanat a ratione, vel subiectatur in illa secundum veram & realem entitatē, quam in se habet, vt conceptus mentis, potentiæ & habit⁹. Ens autem rationis, quod distinguitur contra ens reale, tantum habet esse obiectiuè in aliqua fictione, vel operatione intellectus, vt chimera, mons aureus, &c.

Proponuntur aliquæ sententiæ circa propositam difficultatem.

PRimò enim omitenda est opinio quorundam asserentiū obiectum formalissimū Logicæ esse ens rationis in communi, & de illo vt sic demonstrare proprietates, sicut metaphysica de

de ente reali; quæ sententia ab omnibus meritò reijcitur. Tũ, quia plura sunt entia rationis, vt negationes, priuationes, relatio dominij, &c. quæ minimè considerantur a Logica: quia nec sunt modus sciendi, neque ad illum aliquo modo pertinent, tum etiam quia agere de ente rationis tanquam de primario & formali obiecto ad nullam scientiã spectat, sicut nec agere de ente impossibili; quia sicut respectu intellectus solum ens reale dicitur obiectum primarium adæquatũ (vt ex metaphysica suppono & communi omnium scientia) ita respectu scientiæ, quæ est principalis eius perfectio, solum ens reale potest esse primarium obiectũ; qua ratione sicut Philosophia tractans de visu, secundariò agit de cæcitate, & sicut metaphysica naturam considerans entis realis, secundariò agit de ente impossibili: ita etiam de natura entis rationis secundariò disserit: vt fictum & apparens a vero & reali ente discernat.

Deniquè, quia scientia est cõtemplatio veritatis, ens autem rationis tãtum a veritate distat, sicut impossibile, ab esse possibile, solumquè potest ad scientiam pertinere, quatenus ad veritatis manifestationem conducit: ergo non potest alicuius scientiæ obiectum, aut finis principalis esse, sed tantum medium peraccidens propter illum assumptum.

Secunda sententia supponens obiectum per se Logicæ esse tãtum modum sciendi obiectiuũ, & non nisi peraccidens, & secundariò conceptus, asserit primarium Logicæ obiectum esse res omnes, quatenus concipiuntur vt genera & species, prædicata, & subiecta, &c. Et consequẽter esse ens rationis pro formali, licet pro materiali sit ens reale, quoniam ratio generis, speciei, &c. est entitas ficta, solumquè per rationem excogitata, vt suo loco dicetur.

Tertiò, alij distingunt duplicem modum sciendi mentalem, alterum naturalem, qui intrinsecè in conceptibus reperitur, & artificiosum alterum: Priorem dicunt realem esse, sed tantum materiale subiectum, posteriorem vero esse dispositionem quandã, seu artificium rationis, quod ab intellectu in ipsis actibus fingitur, & hoc esse ens rationis, & formalissimum Logicæ obiectum.

Declaratur, primo hæc sententia: quia finis per se intentus Logicæ est dispositionem quandam artificiosam, & extrinsecã ipsis actibus traddere, per quam intellect⁹ regulet suos actus, discernatquè inter vitiosos, & rectos, regulas conficiens, & instrumenta sciendi, quibus conformatus actus euadat rectus; huiusmodi autem instrumenta sunt formaliter entia rationis: ergo & obiectum

obiectum Logicæ. Minor probatur: quia bona, & artificiosa deffinitio debet constare ex genere, & differentia, propositio ex subiecto, & prædicato ratione tantum distinctis, syllogism' ex maiori, minori, & consequentia, quæ, & similia non sunt aliquid reale intrinsecum, sed artificiosum quasi figmentum ab intellectu in ipsis actibus excogitatum: ergo instrumēta, & species modi sciendi, quę sub considerationem Logicam per se cadunt, sunt pro formali entia rationis.

Secundo, quia idem omnino obiectum non potest per se pertinere ad duplicem scientiam; sed agere de actibus mentis, etiam vt intrinsecè dispositis in formā modi sciendi mentalis ad Philosophiam pertinet: ergo non ad Logicā. Minor probatur: quia ad Philosophiam pertinet agere de conceptibus mētis, & de omni modo reali, & diuersitate naturali, quam possunt in re habere, ac proinde de triplici intellectus opere, & specie modi sciendi, secundū id quod illis in re cōuenit ante vllam mentis fictionem: ergo agere de modo sciendi naturali munus Philosophi est. Eo enim ipso, quod agit de anima, consequenter de omnib' actibus, & affectionibus tractat illius.

Deniquè probatur hæc opinio: quia videtur expressa Sancti Thomę, 4.*metaphy.textu* 5.*lect.* 4.& 1.*poster.lect.*20.& *opusc. de natura generis,c.*4. *& alibi*, sæpè dicentis: *Logicam per se considerare secundas intentiones generis, & speciei, subiecti, & prædicati, quæ formaliter sunt entia rationis.*

D.Thom.

Quarta deniquè aliorum sententia, quę iam communiter amplectitur a ferè omnibus huius ætatis, asserit adæquatum obiectum esse reale; tam pro materiali, quam pro formali: entia vero rationis per accidens omnino ad Logicam pertinere, in quantum conducunt vt instrumenta & regulæ ad modum sciendi realem, quem per se Logica intendit.

ARTIC. II.

Statuitur obiectum primarium, & in recto aliquid reale esse.

EGo vero iuxta distinctionem supra positam: Dico primò, quod si sermo de modo sciendi mentali sit, quantum ad id quod in recto importat, & est formale, & primarium Logicæ obiectum, est sine dubio verum ens reale; quod intellige, non quod entitas realis sit ratio propter quam modus sciendi consideratur a Logica, sed e cōuerso, quod hoc ens, quod in quan-

quantum modus sciendi est obiectum Logicę, sit reale, vt supra notaui & in hoc sensu eam videtur sensisse Plato in *Philebo*, dicens, Dialecticam versari circa id quod verè est, quod tantum verificatur de ente reali.

Plato.

Præterea probatur: quia seclusa quauis entitate, aut fictione rationis saluatur adæquatè modus sciēdi artificiosus, quem per se Logica considerat quantum ad essentiam, species, proprietates, & effectus de illo demonstrabiles: ergo est quid reale. Antecedens quoad primã partem de essentia modi sciēdi probatur: quia talis nō est aliud quã recta & ordinata intellectio alicuius rei, cōnotando in obiectis artificiosam quandam dispositionem rationis; rectè autem intelligere hoc, vel illo modo est quid reale imò essentiale ipsis actibus intellectus.

Præterea ratio orationis in cōmuni, in qua tanquam sub genere omnes species modi sciendi conueniunt, non est aliud, quam plura signa mentalia realia congruè se habentia in ordine ad repræsentationem, idest ordinatè & rectè obiectum attingentia, quod totum quid reale est: ergo etiam species modi sciendi sub hoc genere contentę, reales sunt. Patet consequentia: nam ab eadem indiuisibili realitate, vt dicetur infra, sumitur gradus genericus, & specificus, ac proinde non potest vnus realis, & alter rationis esse.

Secundo probatur hoc, discurrendo per omnes species modi sciendi: simplex enim appræhensio est cognitio simplici modo, idest non affirmando, vel negando, repræsentans obiectum, quæ repræsentatio tam quoad substãtiam, quam quoad modum realis est. Secunda operatio est realis oratio vnum de alio enuntians, hoc est repræsentãs vnum alteri conuenire, vel disconuenire, in quo essentialiter a parte rei a prima differt, & etiam a tertia quæ est cognitio quędam vni°, ex vi alterius prius cognitæ, realiter causata. Quis enim conclusionem neget realiter pendere a præmissis, sicut in voluntate electio mediorum est ab intentione finis? sed hæc omnia euidentius suis proprijs locis, cum naturam cuiusque explicemus, elucidabuntur.

Rursus 3. pars antecedentis de proprietatibus realibus demonstratis de modo sciēdi, probatur: quia de deffinitione demonstratur claritas. De propositione veritas, & falsitas. De syllogismo probabili, quod generet opinionē, & quod non necessariò intellectum ad assensum determinet. De demonstratione quod generet sciētiã, & necessariò intellectũ ad notitiã moueat veritatis illatę. quę & alia id genus indubitanter realia, & verissima sunt.

Vltima

Sed dices, eadem propoſitio inuariata poteſt nunc eſſe maior in vno ſyllogiſmo: & poſtea minor in alio: ergo eſſe maiorem, & minorem non eſt quid reale intrinſecum, ſed extrinſecum actibus a ratione, alioquin entitas actus mutaretur. Reſpondetur negando conſequentiam: nam eadem propoſitio reſpectu diuerſorum poteſt eſſe maior, minor, & conſequẽtia, abſque eo quod in ſua intrinſeca ſubſtantia varietur, vel aliquid rationis illi ſuperaddatur. Nam in naturalibus, quod eſt effectus reſpectu vni', poteſt eſſe cauſa reſpectu alterius, poteſtquè ex cõcurſu cum alijs cauſis diuerſos effectus producere, abſque mutatione vlla ex parte cauſæ. Idem calor. v.g. qui reſpectu ignis eſt effectus, cũ tali temperamento efficit mixtum, cum carne efficit carnem, & cum igne ad ignem concurrit, & ſic in alijs cauſis æquiuocis hoc maximè contingit abſq; vlla variatione in virtute ipſius cauſæ; eàdem ergo ratione eadẽ propoſitio in ſe inuariata poteſt cum pluribus alijs coniungi, & ratione illarum nunc vt maior, nunc vt minor ad varias concluſiones concurrere.

Soluitur obiectio.

Sed ad dicta reſponderi poteſt, aliud eſſe loqui de operationibus, quas Logica dirigit; aliud verò de inſtrumentis & regulis, quibus ipſas dirigit: priores ſunt vera entia realia, & non obiectũ Logicæ, ſed actus aliarum ſcientiarum, ad quos vt finem remotum Logica ordinatur; poſteriores vero ſunt entia rationis, & obiectum, ac finis primarius illius: quod ſic declarant quidam iuniores; quia munus Logicæ eſt tradere regulas, quibus dirigat actus aliarum ſcientiarum; hæc autem ſunt entia rationis: ergo. Minor probatur: quia operationes intellectus tunc recte ſunt, quando conformantur rebus; ideſt quando ita res appræhendunt, vel componunt, vel diuidunt, aut circa illas diſcurrunt, ſicut re ipſa ſunt a parte rei; ſed hoc indubitanter cognoſcitur per entia rationis: quando deffinitio. V.g. proprium genus reſpicit, aut differentiam rei, diſcernimus rectitudinem illius: ſimiliter quando propoſitio prædicatum attingit & ſubiectum, &c. ergo per huiuſmodi entia rationis ſufficienter Logica dirigit actus aliarum ſcientiarum: quia cum fundamentum habeant in rebus ipſis, ſpecialemquè connexionem cum illis, ex eorum applicatione conformitas actuum cum rebus ipſis dignoſcitur.

Sed doctrina hæc in quãtum probat entia rationis per ſe ad Logicam ſpectare, actusquè aliarum ſcientiarum dirigere, vera quidem eſt, confirmabiturq; a nobis

a nobis in sequēti articulo. Quatenus verò in eis tantum regulas Logicæ cōstituit, & intellectus operationes excludit, admittenda non est, potiusquè retorqueri potest argumentum in suos authores: nam in quauis arte illa est præcipua regula dirigēs, quæ est idæa, seu exemplar adæquatum illorum, quæ per artē fiunt. Idæa enim est, quæ vt regula in genere dirigentis concurrit, docens modum, quo opus fieri debeat; sed idæa, & exemplar adæquatum respectu operationum aliarum scientiarum non sunt tantum entia rationis, sed principaliter actus intellectus, cui huiusmodi entia rationis vt obiecta annectuntur: ergo non solum entia rationis, sed principalius ipsi actus intellectus sunt primarium obiectum, & regulæ, quas Logica tradit ad directionem aliarum scientiarum. Maior, & consequentia patent: & minor probatur; nam idæa seu exēplar, si sumatur formaliter, est similitudo operis faciendi, quam imitatur artifex, vel ad quam respiciens operatur. Et si obiectiuè accipiatur, est ipsum opus artificiale sub ratione commum ab arte propositum; sed quocumq; modo consideretur, actus intellectus, & non tantum entia rationis, sunt exemplaria actuum aliarum scientiarum: nam actus actibus assimilantur, tam in ratione entis realis, quam in ratione talis entis specialis, actus. s. intellectualis, non autem entibus rationis, quæ nec actus, nec reales sunt, sed obiecta per rationē ficta.

Confirmatur: quia entia rationis Logica eatenus concurrere possunt ad regulandos actus aliarum scientiarum, quatenus similia entia sunt obiecta illis annexa: nam omnis deffinitio in Philosophia, aut Metaphysica respicit genus, & differentiam, vt partes sui deffiniti, & deffinitum ipsum sub ratione speciei, & sic propositio, subiectum, & prædicatum, &c. ergo a fortiori actus intellectus concurrere possunt ad regulandos actus, cum quibus maiorem conuenientiam habent; nam entia rationis solū extrinsecè & in obliquo connotantur per actus aliarum scientiarum, ratio verò actus intrinsecè, & in recto importatur.

Dices, obiecta notiora esse ad notificandos, & regulandos actus. Transeat: quia hoc faciūt tanquam indicia extrinseca, ex quibus a posteriori colligitur eorum rectitudo, sed non tāquam ideæ, aut exemplaria, quæ primariò intenduntur per artem, & directè ad artefactum concurrunt: cæteris enim secundariò vtitur ad examinandum opus, sit ne rectè constructū, vel non. Vt patet in arte domificatoria, in qua nemo dicet plumbeū, planam, & similia instrumenta, quibus

bus tanquam notioribus vtitur, ad structuram ædificij regulandam, esse obiectum præcipuum illius; sed per accidens tantum: exemplar autem domus est pro prius actus, vel obiectum per se artis. Quod dico, quia exemplar sumi solet, vel formaliter pro actu dictante, quomodo opus fieri debeat, qua ratione manifestè constat non esse ens rationis. Vel obiectiuè pro ipso opere faciendo sub communi ratione appræhenso, & proposito, & hoc modo non est aliud, quam ratio communis seu generica, in qua actus aliarum scientiarum conueniunt, quę specificatiuè loquẽdo, non est ens rationis, sed deffinitio realis, compositio, seu diuisio, & demonstratio, quæ sub sunt tali rationi cõmuni, vt manifestè constat: nam actus aliarum scientiarum, nõ aliud quam deffinitiones, diuisiones, & demonstrationes reales sunt: ergo deffinitio, demonstratio, & modus sciẽdi in communi, prout in actibus realibus inuenitur, est obiectum primarium Logicæ. Vnde licet actus aliarum scientiarum quãtum ad particulares rationes eorum sint obiectũ materiale, & per accidens; quãtum ad communem rationem, in qua tanquam sub genere conueniũt, sunt obiectum principale ac per se: quia licet Logica non immediatè exerceat actus particulares aliarum scientiarum, docet saltem in communi modum faciendi illos.

Quod amplius confirmatur: quia omnis ars respicit vt obiectum, opus, ad quod dirigit, prius in communi illud attingendo, & postea dirigens, & applicans potentiam executiuam ad ipsum in particulari efficiendum, vt satis monstrabitur infra, sed opus ad quod Logica dirigit, sunt actus aliarum scientiarum, vt etiam aduersarij fatentur, & nemo negabit: ergo ipsi actus secundum rationem communem prius, & postea secundum suas particulares rationes sunt obiectũ, quod per se Logica intendit.

ARTIC. III.

Statuitur obiectũ per se secundarium esse formaliter ens rationis,

Vlterius dico secundo: obiectum per se secundarium in obliquo connotatum, quod dixi esse modum sciendi obiectiuum, est pro formali ens rationis, & pro materiali omnia entia realia, vel rationis, quę per scientias deffiniri possunt, ac demonstrari. Hæc conclusio patet ex dictis. Probaturq; argumẽtis & authoritatibus Sancti Thom, positis

positis pro 3. *sententia*, *artic.* 1. quæ certè efficaciter conuincũt Logicam non per accidens, sed per se intendere compositionem illam artificiosam rationis generis cum differentia, subiecti cum prædicato, &c. idquè expresse docet Sanctus Doctor in citatis locis, sed in eisdem non excludit modum sciendi mentalem, & realem articulo præcedenti explicatum, imo clarè docet Logicam per se contemplari operationes intellectus; syllogismum, scilicet, deffinitionem, enuntiationem, &c.

Ratione item efficaci probatur conclusio: quia res omnes in quantum sunt obiectum modi sciendi in communi, prout consideratur à Logica, sunt formaliter entia rationis: ergo obiectũ per se secundarium, & in obliquo, vel (quod idem est) modus sciendi obiectiuus est pro formali ens rationis. Patet consequentia ex dictis precedenti quæstione, vbi ostendimus obiectum per se secũdarium & in obliquo esse res omnes; prout obijciuntur modo sciendi formali, & probatur antecedens: nam essentia cuiuslibet rei, licet in se sit realiter indiuisibilis, tamen prout obijcitur deffinitioni Logicæ, est necessario quid ex genere, & differentia compositum, & consequenter aliquid rationis. Quod sic declaro: nam essentia, quæ indiuisibilis realiter est, non potest pluribus, & formaliter distinctis conceptibus exprimi sicut deffinitio postulat, vel iudicium, nisi in se compositionem aliquam rationis habeat, nimirum ex duplici ratione obiectiua, quarũ vna dicatur genus, & differentia altera, vel vna sit subiectum, & altera prædicatum, quod latius demonstrabitur infra, cum explicemus genus, & differentiam, prædicatum & subiectum in re non distingui, sed sola ratione, hancquè distinctionem rationis consistere in hoc, quod eadem realitas secundum diuersas rationes formales obiectiuas plurib' correspondeat conceptibus.

Præterea dicemus infra, vniuersalia, & prædicabilia, vt formaliter entia rationis sunt, esse nobis ad scientias simpliciter necessaria, & consequenter ad modum sciendi, cum de singularibus scientia nõ detur: ergo cum ad Logicam, modum sciendi tradere pro alijs scientijs pertineat, consequenter de rebus omnibus, prout vniuersales sunt, deffinibiles, prædicabiles, subijcibiles, &c. ipsam agere oportet.

Sed quidam vir satis doctus ingeniosè contendit, nec secundariò Logicam in suo obiecto entia rationis respicere: nam res esse abstractas, genera & species, subiecta & prædicata, non sunt entia rationis, sed denominationes extrinsecæ reales, quibus naturæ

turæ reales inadæquatè, & confusè conceptæ dicuntur genera, & species, &c. absque fictione vlla alicuius nouæ entitatis, quę in obiecto appareat; quæ doctrina partim vera est, & partim falsa, quatenus entia rationis penitus remouet ab obiecto Logicæ; infraquè examinabitur tractando de entibus rationis, & vniuersalibus.

ARTIC. IIII.

In quo explicatur modum sciendi mẽtalem ad Logicam, & Philosophiam pertinere, aliter tamen, & aliter.

EX dictis patet iã solutio ad primum fundamentum tertiæ sententiæ, artic. 1. relatę. Vt autem secundo satisfaciam: Dico tertio, idem omnino modus sciendi mentalis, prout est naturalis, & speculabilis pertinet ad Philosophiam, quatenus verò est artificiosè operabilis, est obiectum primarium Logicæ, ac proinde secundum diuersas rationes formales non inconuenit a diuersis scientiis attingi. Quod vt explicem aduerto modum sciendi mentalem, vel tres operationes mentis considerari dupliciter. Vel vt sunt affectiones quædam rationalis naturæ ex vi naturalis luminis sufficienter producibiles, & vt proprietates illi connaturaliter debitæ, & hoc modo eorum speculatio sub Philosophiam cadit, neque est necessaria aliqua Ars, quę de modi sciendi ita sumpti constructione, practicè differat, cum ad illius structuram vis indita naturæ sufficiat, & ad Philosophiam, quæ per se contemplatur naturam rei, pertinet consequenter speculatio cuiuslibet accidentis, & proprietatis tali naturæ debitæ. Vel possunt secundò considerari he operationes, quatenus sunt producibiles recto quodã, & artificioso modo superante propter suam difficultatem vim cõgenitã naturalis luminis intellectus, & sic pertinent ad Logicam: nam quotiescumque ad effectus aliquos rectè efficiendos sola natura non sufficit, adiuuatur ab arte, quæ solum inuenta est, & illi superaddita propter obiecta difficilia & ardua; neque potest talis ars esse Philosophia, quæ scientia purè speculatiua est eorum, quæ naturalia sunt, idest a sola natura operantur independẽter ab aliqua arte.

Declaratur hoc amplius: quia sicut quamuis agere de motu locali spectet ad Philosophiam, agere tamen de recto quodam, & ordinato modo saltandi, pertinet ad artem saltandi; & sicut

agere de lignis, & lapidibus secundum suam naturam pertinet ad eandem Philosophiæ scientiam agere tamen de illis, quatenus possunt artificiosè disponi in formam domus, specialem artem postulat domificatiuam, & sicut licet agere de actibus voluntatis, prout sunt naturales animi affectiones, ad Philosophum naturalem pertinet: considerare tamen illos, vt rectè dirigibiles, & conformabiles rationi rectæ, spectat ad moralem Philosophum: & tandem sicut corpus humanum, vt speculabile ad Physicam spectat, & vt sanabile ad Medicinam, ita similiter licet modus sciendi, vel operationes intellect', vt naturales sunt, sub Philosophicam cadant speculationem, tamen vt artificiosè dirigibiles, & prout respiciunt artificiosam quandam compositionem rationis ex parte obiecti, cui conformatus actus euadit rectus, petunt indubitanter specialem artem, quæ dicitur Logica, seu Philosophia rationalis.

Ex quo iam colligitur subiectum & obiectum formale, quod Logica considerat, esse huiusmodi dispositionem in formam modi sciendi intrinsecam ipsis conceptibus. Subiectum materiale esse ipsos conceptus, in quibus talis forma, desinitionis. v. g. aut argumentationis reperitur. Obiectum vero formalissimum specificatiuum, vel rationem sub qua esse talem dirigibilitatem, aut structuram artificiosam modi sciendi, quatenus pendet in suo fieri a directione Logicę, quę distinguitur a ratione formali sub qua attingitur a Philosophia, quę est speculabilitas talis modi sciẽdi, in quãtũ est quædã perfectio naturalis indepẽdẽs in suo esse a tali sciẽtia, de quo lati' infra, præsertim in posteriorib'.

Soluitur duplex obiectio.

Sed contra primò obijcies, sequitur ex dictis Logicam subalternari Physicæ, sicut illi subalternantur Medicina, & moralis scientia, hoc autem est apertè falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur: quia sicut Medicina subalternatur Physicæ, eo quod sanabilitas est accidens reale corporis humani, quod per se consideratur a Physica, & moralis etiam, quia dirigibilitas actuum voluntatis est accidens reale animæ, sic Logica; quia dirigibilitas actuum intellectus accidens reale est respectu ipsius intellectus, & operum eius, quæ ad Philosophiam naturalem per se spectant. Falsitas consequentis probatur quia iam Logica non esset prima omnium scientiarum ordine doctrinæ, neque ad illas addiscendas necessaria vt modus sciendi præ requisitus, sed post illas acquiri deberet: sicut sciẽtia subalternata

non

non acquiritur nisi post subalternantem, a qua pendet; & sicut Medicina & moralis Philosophia post naturalem Physicam; hæc autem falsa sunt manifestè, vt postea demonstrabo: ergo Logica non est subalternata Physicè, & consequenter, nec eius obiectum sunt actus intellectus, vt dirigibiles.

Ad hoc tamen respondetur, negando Logicam propriè, & simpliciter Physicę subalternari., sed ad summum secundum quid, in quantum obiectum materiale Logicæ, quod sunt operationes intellectus, continetur sub materiali obiecto Philosophiæ, sicut inferius sub superiori, quod non satis est: nam scientia subalternata debet respicere, vt principia, conclusiones subalternantis, & ex illis suas proprias conclusiones inferre: ideoquè addiscitur post illam, quia conclusio non nisi ex præexistentibus præmissis generari potest; quapropter etiã Medicina Physicã supponit, eiquè propriè subalternatur, quia omnia medicamenta ad sanitatem necessaria ex virtutè naturali herbarum infert, & ex complexione, & temperamẽto corporis, quæ per Physicam contemplantur, & probantur: non sic autem procedit Logica, quæ sua propria habet principia, ex quibus independenter a Philosophiæ conclusiones deducit. Quod enim deffinitio per genus, & differentiam quidditatem rei exprimat, & propositio per subiectum & prædicatum, &c. omnino certo, & euidenter absquè Philosophia sciuntur: quod autem aliqua breuis notitia de triplici operatione intellectus ex Philosophia supponatur, non satis est ad rigorosam subalternationem: quia sola ratio naturalis, vel experientia sufficit ad talem notitiam, ac proinde habitum Phylosophiæ præmitti non est necesse; quemadmodum ars saltandi non indiget Philosophia, in qua eius materiale obiectum, scilicet mot⁹ localis demõstratur, nec ars domificatiua etiam, cuius obiectum materiale, scilicet ligna, & lapides, in Physica speculantur: quia eorum scientifica speculatione ad suos actus non indiget, quod latius elucidabitur infra tractando de subalternatione scientiarum.

Secundo obijcies: Hic modus, vel dispositio in formam deffinitionis, diuisionis, & argumentationis est essentialis, & indistinctus ab ipsis conceptibus: ergo naturaliter conueniens illis, & independenter ab artificio, & directione Logicæ. Antecedens supponitur ex infra dicendis, & consequentia probatur; quia ars directiua, aut operatiua solum requiritur ad introducẽdam formam aliquam in materia in qua ipsa non est, supposito quod naturalis potẽtia nõ

habet sufficientem vim & efficaciam ad vincendas difficultates, quæ in tali introductione interueniunt: ergo quando forma supponitur introducta, & taliter quod est inseparabilis, & indistincta a sua propria materia, impossibilis est ars directiua, aut dispositiua talis materiæ, & inductiua talis formæ.

Respondetur in primis, hoc argumentum applicari posse actibus liberis volútatis, quibus supposita aduertentia rationis, intrinsecè, & inseparabiliter inest bonitas, vel malitia, & nihilominus est necessaria prudentia, quę illos dirigat, & voluntas ipsa dicitur moraliter obligata ad apponendam rectitudinem actui malo, cum tamen repugnet inductio rectitudinis in talem actū. Respondeo ergo in vtroque casu actus tam voluntatis, quam intellectus non ideo dici dirigibiles, quia secundùm suas rationes particulares sint indifferentes & capaces, vt illis apponatur ab extrinseco rectitudo, aut deffectuositas, quam non habebit, sed quia secundum rationem cōmunem, & genericam actuum intellectus, aut volútatis vt sic, indifferentes sunt ad habendam rectitudinem, vel deffectuositatem, idest, quia intellectus, & voluntas indifferentes sunt ad eliciendos actus intrinsecè bonos, vel intrinsecè malos. Et quia in discernendis actib⁹ bonis a malis, & in omittendis his, & illis eliciendis, est maxima difficultas, ideo est necessaria ars, quæ dirigat tales potentias in suis operationibus, ne errent, & solum in hoc sensu dicūtur apponere rectitudinem, aut illam introducere in suis actibus, quatenus. s. producentes actus intrinsecè rectos, apponunt rectitudinem rationi communi, & genericę, producentes illam vt contractam, & identificatam cum rectitudine, & non cum deffectuositate.

QVÆSTIO III.

An subiectum adæquatū Logicæ sit modus sciendi in tota sua latitudine sumptus?

ARTIC. I.

SVbiectum Logicæ duplex est. Aliud totale, seu adæquatum, quod complectitur omnia quæ per se tractantur in sciētia, siue in recto, tanquam partes actuales, aut potentiales, vel secūdum prædicationem, quomodo ens, quod est obiectū Metaphysicæ, continet sub se decem genera suprema rerum: siue in obliquo, qua ratione dixi modum sciendi mentalem continere in obliquo

obliquo modum sciendi obiecti uum. Aliud est obiectum partia le.s.quælibet pars obiecti tota-lis. Omitto fusiorem huius diui sionis declarationem, quia nō est huius loci.

Albertus Magnus. Scotus. Lemosius Iauellus. Prima sententia quam tenent Albertus Magnus, *tract. 2. prædic. c. 4.* Scotus, *q. 3.* in *Porphyrium*, Lemosius, Iauellus, & alij, asserit obiectum Logicæ adæquatum esse solam argumentationem, reliquas autem mentis operationes esse obiectum secundarium, vel in obliquo; quia de illis non agitur nisi propter argumentationem. Quorum fundamentum est, quia argumentatio continet in se omnia alia, quæ per se tractantur in Logica, siue in recto, siue in obliquo, eaquè exhauritur totum obiectum: cōponitur enim ex alijs, vel saltem connotat deffinitionem, & propositionem, quæ sunt secunda, & tertia operatio: ergo est obiectum adæquatum.

Confirmatur: quia Logica dicitur ars disputādi, vel ratiocinādi sumpta denominatione a suo principali, & adæquato obiecto; sed ratiocinatio, vel disputatio solum argumentationi competit: ergo.

Ammonius. Alexan. Sed alij magis hoc restringētes, solam demonstrationem obiectum adæquatum dixerūt. Ita Aegidius, Simplicius, Alexāder, Philoponus, & ferè omnes Græci, quorum fundamētum potest esse: quia obiectum & finis Logicæ est modus sciendi, ideoquè initium & mater dicitur omniū scientiarum; sed modus scientiæ tantum in demonstratione reperitur, non in syllogismo probabili, aut in deffinitione & propositione: ergo illa tantum per se ad Logicam pertinet. *Philoponus. Aegid. Simplic. Fōsec. & ferè omnes Græci.*

Tertio alij docent esse modū sciendi in tota sua latitudine, vt compræhendit omnes tres mentis operationes, etiam simplicē apprehensionem incomplexam. Alij verò, non omnes operationes intellectus Logicam per se considerare dicunt, sed deffinitionem tantum, diuisionem & argumentationem.

Statuitur conclusio.

Vera tamen sententia est, subiectum Logicæ adæquatum esse modum sciendi vt compræhendit omnes operationes complexas, quæ rectitudinis Logicæ capaces sunt, præsertim ea, quæ ad sciendum concurrere possunt, vt supra illum deffiniui, quæst. 3. sectionis præcedentis, vnde præter simplicem apprehensionem incomplexam, & syllogismum fallacem, & deffectuosam quam libet, aut incertam operationē, quæuis alia recta sub adæquato Logicæ obiecto concluditur.

Prima pars huius asserti probatur: quia argumentatio, vel demonstratio, vel modus sciendi

 strictè

strictè sumptus, prout alias excludit operationes, continetur sub alia superiori ratione primariò, ac per se considerata per Logicam, respectu cui' sunt partes potentiales, scilicet sub ratione rectę intellectionis vt sic, vel modi sciendi supra explicati: ergo solum recta intellectio, vel modus sciendi vt sic, est obiectum adæquatum. Patet consequentia: tùm quia obiectum adequatum non potest esse pars potentialis respectu obiecti primarij; tum etiam quia de ratione obiecti totalis est, quod sub se contineat in recto ea, quæ in recto participant rationem obiecti primarij, & in obliquo ea, quæ tantum in obliquo pertinent ad talem rationem: ergo si argumentatio, vel modus sciendi strictè sumptus non contineat in recto alia quæ per se, & primariò considerantur a Logica, non erunt obiectũ adæquatum. Antecedens autem probatur: quia finis, & obiectum, quod per se Logica intendit, est recta intellectio, seu modus rectè intelligendi, vt omnem deffectum, & errorem ab operibus intellect' expellat; sed modus rectè intelligendi non solum conuenit in recto argumentationi, sed etiam iudicio, deffinitioni, & diuisioni: ergo recta intellectio, quam per se Logica considerat, continet sub se vt partes potentiales, de quibus prædicatur in recto, non solum argumentationem, sed etiam deffinitionem, iudicium, &c.

Confirmatur: quia omnes istæ operationes dictæ, vt continentur sub ratione intellectionis vt sic, sunt deffectibiles, & per se dirigibiles ab aliqua scientia independenter ab argumentatione, & non ab alia, nisi a Logica: ergo. Minor patet, & maior probatur: quia in deffiniẽdis rerum essentijs, & proprietatibus magna est difficultas, pluraquè traduntur præcepta & regulæ, vt intellectus proprium genus, differentiam, proprietates, & accidentia cuiuslibet rectè inuestigare conetur. v.g. de deffinitione, quod sit clarior, conuertibilis cũ suo deffinito, &c. vt suo loco videbitur. De propositione similiter demonstratur veritas & falsitas, contingentia, & necessitas, vniuersalitas, & particularitas, oppositio, æquipolentia, &c. quę & similia sine vllo ordine ad argumentationem considerantur, suntquè propter se expetibilia, & scibilia, ab aliqua scientia, etiã si homo discursiuus non esset.

Sicut enim Angelo rectitudo in iudicando, & in essentia, & proprietatibus cuiuslibet rei dignoscendis est per se desiderabilis independenter a discursu, qui illis naturaliter non inest, ita & hominib', etsi conueniat vis discursiua, & propter hoc in ratiocinando rectitudinem appetat, etiam

etiam ei competit vis iudicatiua, & appræhensiua, cum triplici se exerceat operandi munere, ac proinde rectitudinem in omnibus suis operibus per se quærit, & cum in hoc arduitatem inueniat, indiget habitu, qui dicitur Logica.

Sed dices eadem ratione probatur etiam simplicem appræhẽsionem incomplexam per se ad Logicam pertinere. Respondeo discrimẽ esse, quod simplex apprælıensio incomplexa nõ est dirigibilis, vel capax alicuius artificij Logici sicut reliquæ operationes, quoniam in ea (vt supra notaui quæst. 3. sectionis prę cedentis) nullus error, vel deffectus esse potest, nulla vè indifferẽtia, aut capacitas ad recipiendos diuersos modos rectos, & deffectuosos, cum sit omnino simplex in repræsentando, & omnino cõformis obiecto repræsentato (*de quo latè disp.* 3.) ac proinde non indiget directione alicuius habitus, magis quam apprehensio phantasiæ, aut sensus exterioris. Et quãuis ex huiusmodi apprehensionib' error occasionari possit, etiam ex imaginatiua, & exteriori sensu, in quo prius res apparent aliter ac sunt, his tamen deffectibus non Logicis præceptis occurritur, sed Philosophicis: nam cognita rei natura, de qua agitur, apprehensio vtriusquè sensus interni, & externi corrigenda est, alioquin rectitudo videndi, & imaginandi etiam ad Logicam pertineret, quod nemo dicit.

Quid dicendum de syllogismo probabili?

De hoc quidã iuniores aiunt, non primariò ad Logicam pertinere, sed secundariò in ordine ad demonstrationem: quia Logica non dicitur modus opinandi, sed modus sciendi, alijs scientijs præbens instrumenta sciendi, syllogismus autem probabilis ad scientiam non pertinet directè, sed ad opinionem; & consequenter nec ad Logicam, quæ propter scientias, vt eius nomen indicat, instituta est.

Sed probabilius meo iudicio est etiam hunc syllogismum directè, & per se ad Logicam pertinere; quia sic videtur esse communis omnium sententia, quæ semper syllogismum topicum vt speciem per se enumerat modi sciendi. Quinimo Aristot. partem topicam Dialecticam appellat, & ipsa Logica communiter ars disputandi, disserendi, & Dialectica indifferenter nuncupatur, & licet frequentius dicatur modus sciendi, sumitur denominatio a principaliori parte, vel accipitur latè sciẽtia pro qua uis intellectione recta, cuiuscumquè generis sit, quod etiam solet vsurpare communis modus loquendi.

Moueor

Moueor adhoc, quia etiam opinio est facultas rectitudinem seruans in suis actibus intra suã sphæram, experiturquè in eis difficultates tanto maiores, quanto obiectum illius minus certum, ac necessarium est: indiget ergo directione alicuius artis, quę modum opinandi illi præscribat, maiori iure, quam aliæ scientiæ modum sciendi desiderant: sed aliàs Logica docet modum rectè intelligendi in communi, prout cõpræhendit sub se modum rectè sciendi, & opinandi: ergo vtrumquè continet sub obiecto primario suo. Patet consequentia: quia si opinio, & scientia continentur directè sub ratione superiori rectæ, & artificiosæ intellectionis, (quam per se Logica cõsiderat) tanquam inferiora sub genere, & aliàs vtraquè iuuamine indigeat, & directione Logicæ, neutra erit adæquatum obiectum, consortium alterius excludens, sed vtraque erit pars illius.

Neque obstat, quod scientia longè excellentior opinione sit, & præcipuè ab intellectus desiderio naturali expetita; iuxta illud vulgatum prouerbium. *Omnis homo naturaliter scire desiderat.* Quoniam pars præcipua in genere rei non excludit minus principales, quæ directè continẽtur sub genere obiecti, etiamquè desiderat intellectus res quas scientificè non valet comprælhẽdere, saltem opinatiuè cognoscere, & in tali notitia iuncta pia affectione, vt suo loco dicemus, naturaliter quiescit appetitus illius, vnde excellentior finis, tam ipsi, quam Logicæ assignatur in recta intellectione prout scientiam simul, & opinionem includit, quam si vnam, vel alteram seorsim in suo conceptu diceret.

ARTIC. II.

Proponuntur, & soluũtur argumenta contra dicta.

Sed quidam ex iunioribus (cuius scripta postea vidi) multis probat, & doctè satis, solam demonstrationem obiectum attributionis, siue finem Logicæ principalem. Primo ex Aristotele, cuius testimonia non affert, sed manifestè docuisse supponit; & certè si sermo sit de ea parte, seu tractatu Logicæ, quam Philosophus Dialecticam vocat, & proprio edidit marte, & ingenij acumine, solam argumentationem vt obiectum adæquatũ habet. Eã verò vt tractatum ab alijs separatum scripsit, non quia in eo totam Logicam consistere existimaret, sed quia eam partẽ ipse primò inuenit, & excogitauit, voluitquè opus suum, alijs antiquorum non admisceri, vt solus ipse præcipuus illius inuentor agnosceretur, correxit autem

tractatus alios de deffinitione, quā magister suus Plato docuit, & de diuisione quam ipse Arist. Socrati inuentori tribuit, vt in proæmio docui.

Secundò ratione arguit: quia sola demonstratio est finis vltimus, in quo quiescit intellectus humanus, & quæuis alia scientia, & qua vltimò, & completè perficitur; reliquæ vero operationes ex natura sua ad demonstrationem, vt finem, ordinantur: ergo sola demonstratio est finis adæquatus, ac proinde obiectum attributionis. Patet consequentia: nam finis Logicæ est perficere intellectum in suis operibus, ideoquè sicut finis intellectus est recta intellectio, ita & Logicæ. Antecedens verò probatur primò: quia ex triplici operatione intellectus humani, demonstratio est, in qua vltimò sistit appetitus potentiæ: nam ex parte obiecti totum percipit, & exhaurit, quod desiderat; scilicet naturam rei, proprietates, & omnes illius causas: hęc enim omnia de qualibet re attingit demonstratio, & ex parte actus supponit omnes alias intellectus operationes, appræhensionem videlicet simplicem, & deffinitionem subiecti, iudicium & assensum principiorum, discursus, & alios actus, quibus veritatem inquirit, donec per demonstrationem eā tandem inuenit, & comprræhendit.

Secundo, quia quidditatiua, & propria hominis differentia, ac perfectio est esse cognoscitiuum per discursum: hoc enim sonat rationalitas; sed eam virtutem discurrendi reducit in actū perfectum & vltimum per demonstrationem, vt suo loco magis constabit: ergo ea est, quæ vltimò perficit potentiam, & quietat.

Tertio, quia quæuis alia cognitio est imperfecta, & non satians appetitum potētiæ: nam sola deffinitio, nisi enuntietur de definito, nihil de veritate assequitur, aut iudicat; nec percipit ex vi talis act⁹, an illius obiectū ita in re sit, sicut repræsentatur. Rursus, solum iudicium certitudinem non affert, & euidentiam potentiæ, nisi enim eius causæ, & proprietates percipiantur, illi obscurum valde est, & ideo non quiescit donec per demonstrationem eius veritatem clarè comprræhendat.

Quartò, quia cognitio partis non intenditur per se, sed refertur ad cognitionem totius tanquam ad finem, sed deffinitio & iudicium tam ex parte actus, quam ex parte obiecti sunt partes demonstrationis, eamquè intrinsecè componunt: ergo non sunt expetibiles propter se à Logica, sed propter totum, quod est demonstratio.

Denique, quia Logica est facultas instrumentaria respectu

alia-

aliarum scientiarum, illis præbés modum sciendi, sed instrumenta lis facultas habet pro vltimo fine conferre illud instrumentum, quo facultas principalis suum finem consequitur: ergo Logica solam demonstrationem vt vltimum finem respicit. Probatur consequentia: quia sola demonstratio vt composita ex deffinitione, & diuisione tanquam ex partibus, est adæquatum instrumétum, quo scientia generatur. Minor patet etiam: nam facultas instrumentaria, frænofactoria v.g. quia deseruit principali vt ministra.(Equestri.s.)vt suũ finem assequatur, qui est equum domare, non potest vltimò sistere in sola effectione clauorũ, sed in effectione omnium, quib⁹ indiget equestris ad suum vltimum finem: ergo Logica nõ potest vltimò sistere in sola deffinitione, sed eam in ordine ad demonstrationem attingit, qua mediante f...es aliarum scientiarum assequitur.

Sed hæc, & similia facile soluuntur, si aduertamus, quod aliud est loqui de fine aliarũ scientiarum, & aliud de fine Logicę; & aliud de deffinitione, propositione, demonstratione in particulari, & in actu exercito, & aliud de illis in communi, & in actu signato. Intellectus enim prout operatur in alijs sciétijs, etsi pro fine proximo, & immediato vltimam rei demonstrationem, & speculationem in particulari respiciat, & deffinitionem, non nisi prout enuntiatam de deffinito, & simplex iudicium, non nisi vt partem, aut causam demonstrationis: Logica tamen non scientiam rei, sed scientiam modi sciédi quamcumque rem vt finem intendit. Hic autem sciendi modus, non est tantum modus intrinsecus scientiæ, sed est progressus ille, quem intellectus habet in suis operibus, vt scientiã, quam per se intédit, assequatur, prius videlicet apprehésione simplici rem speculandam confusè percipiens, postea deffiniens, diuidens, de deffinito prædicans, & tandem de illo proprietates demonstrans.

11 Hunc ergo procedendi modum (qui respectu aliarum sciétiarum est via, vt probant argumenta facta) Logica perficere intendit, in eoquè finem proximum & immediatum cõstituit, vt intellectus ad scientiam capessendam recto itinere dirigatur, & in suis operibus sine errore procedat; ideoquè modum rectè deffiniendi, diuidendi, iudicãdi ita per se intendit, ac modum demonstrandi. Et licet quælibet deffinitio, & diuisio particularis in genere rei demonstrationi seruiant, illiquè subordinentur vt fini, ceterum si in communi considerentur, & in genere obiecti scibilis per Logicam, non subordinantur demonstrationi, sed æquè

æquè immediatè intenduntur, ac propter se, sicut ipsa demonstratio: terminantquè considerationem Logicam vt fines proximi partiales, vel vt partes obiecti adæquati illius.

Quod vltimum sic declaro, nam quemadmodum manifestare essentiam rei, quod propria & essentialis ratio deffinitionis est, non conuenit deffinitioni in cómuni sumptæ, sed tantum particulari, & in actu exercito, vt omnes vnanimiter docent, ita nec potest in communi sumpta demonstrationi subordinari, quatenus essentiam manifestat, ex qua conclusiones, aut propositiones intellect⁹ demonstret. Idemquè assero de alijs instrumentis sciendi, & de ipsa demonstratione, quæ in communi considerata prout attingitur per Logicá, actum demonstrandi rem aliquam, in quo intellectus quiescere debet, non exercet, nisi assumatur aliqua in particulari ab alijs scientijs: ergo quidquid sit de deffinitione, aut diuisione, particulari, & in genere rei, si hæc & alia instrumenta sciendi in communi, & in genere obiecti scibilis per Logicam accipiantur, possunt æquè immediatè, ac propter se intendi.

Declaratur hoc amplius manifestis exemplis: ars namq; frænofactiua frænum conficit, in eo q; loris, & estapedibus tanquam in fine proximo, & inmediato sistit, quamuis in genere rei hæc instrumenta fini alterius artis, equestri. s. deseruiát. Vnde quod respectu vnius artis est finis, respectu alterius potest esse mediú & instrumétú, ideoq; vna ars vt finé sibi præcipuú hęc instrumé ta respicit, vt aliter in ordine ad alium finem possint deseruire. Sic etiá faberferrarius arma conficit, quibus militaris vtitur, sic etiam moralis Philosophia, seu prudentia modú rectè eligendi media principaliter vt finem respicit, & tanquá adæquatú & pręcipuú obiectú, cum tamen media non intendátur a voluntate, nisi propter finé: prudentia auté non est de fine, sed de medijs, in illisq; vltimò sistit tanquam in proprio fine; eadé ergo ratione Logica modum deffiniendi, diuidendi, &c. vltimò respicit, licet aliæ scientiæ in deffinitione, aut diuisione non persistant, sed vlterius ad demonstrationem tá quam ad finem tendant.

Satisfit obiectis.

Ex quo iá ad arguméta supra facta respódeo: cócedo quod vltim⁹ finis intellect⁹, & cuiuslibet sciétię, imo & ipsius Logicę, vt quędá sciétia particularis est, sit demóstratio, & veritas, vt demóstrata: ná si de habitu etiá Logicę sit sermo, respicit proprios actus vt finé intrinsecú, & cú sit vera sciétia (vt dicem⁹) acquiritur p démóstrationé, eaq; perficitur, si verò

si verò sit sermo de Logica actuali, respicit suum obiectum vt demonstrabile propter eandem rationem; cæterum hoc obiectū quod demonstratur, est modus sciendi prout includit deffinitionē, & alias species enumeratas: nam demonstratio particularis, & in actu exercito potest deffinitionem & alias species, & ipsam demonstrationem in communi, vt obiectum proprium respicere. sicut & deffinitio particularis deffinitionem in communi. Vnde actus prout in particulari, sunt actus Logicæ, & aliarum scientiarum, & sub ratione communi considerati, sunt tantū Logicæ obiectum. Vt in particulari habent subordinationem illā inter se, quam probant argumenta: quod. s. deffinitio est propter iudicium, & iudicium propter discursum, in quo vltimò sistit potentia, vel scientia, tanquam in fine intrinseco, at prout in cō muni, non sunt ita subordinati vt dixi, sed æquè immediatè, ac propter se omnes intenduntur, vt finis extrinsecus, licet aliàs sint instrumenta, aut media ad alium finem ordinata. Sic enim fra[?]ofactiua & prudentia, solū in medijs vltimò sistunt tanquā in proprio fine, et si aliàs hæc media alium finem habeant per aliam facultatem intentum, qui respectu alterius dicitur finis remotus.

Ex quo patet ad secundum, & tertium, quæ solum de fine intrinseco, tam intellectus, quam Logicæ, & cuiuslibet scientiæ probant, qui finis est proprius actus cuiuslibet istarum facultatum, & de quo in præsenti non loquimur, sed tantum de fine extrinseco; qui est obiectum. De fine inquàm extrinseco, non remoto, qui potest per aliquam externam facultatem intendi, sed de immediato, & proximo. Vnde cauenda est maximè æquiuocatio in hoc triplici fine: nam ea sola videtur occasio dissensionis inter nos, & authores oppositos, quoniam eorū rationes, vel probant de fine intrinseco, vel de remoto, esse scilicet demonstrationem, quod libenter fatemur, quęstio tamen præsens de obiecto est, quod est finis extrinsecus, & dicitur immediatus, & proximus etiam respectu habitus: quia pertinet ad actum essentialiter saltē in obliquo, & de connotato, & idcirco efficit cum eo vnum indiuisibilem, & æquè immediatū finem, licet non intrinsecum, sed extrinsecum & in obliquo connotatum.

Ad quartū, dico primo, quod deffinitio, diuisio, & iudicium in communi, prout considerantur a Logica, non sunt partes demonstrationis, vt dixi, sed ad summum in particulari, quomodo iam fatemur habere subordinationem ad demonstrationem tanquam ad finem; sed tanquam ad

ad finem intrinsecum qui est actus Logicæ, vel tanquam ad finem remotum, qui est actus aliarum scientiarum.

Addo secundo, nec etiam in particulari alias operationes esse partes actuales demonstrationis, vel argumentationis, sed esse species omnino distinctas, & in per mixtas: nam vt suo loco probabo, nec propositio componitur ex pluribus simplicibus appræhensionibus, nec argumentatio, vt tertia operatio est præcisè, ex pluribus propositionibus, sed quælibet est in se simplex qualitas. Quamuis verum sit quod eminenter secunda species continet perfectionem primæ, & tertia perfectionem primæ, & secundæ, sicut anima sensitiua continet eminenter perfectionem vegetatiuæ, & anima rationalis perfectionem vtriusquè, propriam aliam superaddens, & non dicitur ex triplici anima realiter componi. Quod autem in obliquo argumentatio, vel demonstratio alias connotet operationes, non sufficit vt obiectum adæquatū dicatur: quia debet continere in recto ea, quæ in recto participant rationem obiecti primarij, & in obliquo ea, quæ in obliquo ad talem rationem pertinent, atquè adeo cum aliæ species in recto participent rationem modi sciendi, vt partes potentiales illius, nō satis erit quod illas in obliquo contineat demonstratio.

Ad vltimum respondetur, potius confirmare nostram sententiam: nam eo ipso quod Logica ars instrumentaria est, habet pro fine extrinseco proximo omnia instrumenta ad scientiam necessaria, ac proinde non solam demonstrationem, sed etiam alias species, quę illam antecedunt, vt dixi, & non vt partes solum demonstrationis, sed vt species imperfectiores paulatim disponentes intellectum ad illā: sic enim frænofactiua, prudentia, & aliæ huiusmodi artes, non solum vnū instrumentum, aut medium, sed plura inter se subordinata ad finem attingendum alterius facultatis, cui seruiunt, principaliter respiciunt.

Ex hoc soluta manent fundamenta alia initio articuli posita. Solum ad cōfirmationem illam, quod Logica dicitur rationalis. Respondeo, ideo sic dici, quia actus rationis in communi dirigit, & quia nomen Dialectica, idem significat, ac disputare, idcirco solum parti syllogisticæ accommodatur, sed non ita frequēter est in vsu, sicut nomen Logica; sed quidquid de hoc sit, quid frequentius quam denominationem totius accipere a principaliori parte?

Sed obijcies: Propositio, aut est ex terminis nota, & sic est primum principium, cuius directio non spectat ad Logicam; aut nō est ex terminis nota, sed cognos-

noscitur per discursum eius obiectum, & sic pertinet ad argumētationem: ergo quidquid Logica de propositione cōsiderat, continetur sub argumentatione.

Respondetur, quod quamuis propositio aliqua sit ex terminis nota quantum ad veritatem sui obiecti, non est tamen ex terminis notum, talem propositionem esse necessariam, aut contingentem, mediatam, vel immediatā, euidentem, vel probabilem, quæ primariò Logica de tali propositione considerat, eademque similiter, & alia prædicata demōstrat Logica de propositione, quę non est ex terminis nota, omnino independenter ab argumentatione; docetque similiter in cō muni, quæ nam propositio sit per se nota, & quæ non, sed per discursum colligenda, &c.

Quod nam sit obiectum præcipuum.

Sed inquires an de obiecto principali magis præcipue intento a Logica sit saltē vera aliqua ex supra positis opinionib⁹? Multi respondent, quod licet obiectum adęquatum primarium Logicæ sit modus sciendi strictè, vel in tota sua latitudine, obiectum partiale præcipuum, idest, quod magis Logica intendit, & ad quod magis principaliter ordinatum est demonstratio. Sed si sermo sit de obiecto in ratione obiecti considerato, falsa est omnino horum sententia, & non cōsequenter ad eam, quam deffendunt de obiecto adæquato. Probatur: quoniam obiectum primarium specificatiuum, & obiectū principale non possunt non conuertibiliter se habere, quia nihil magis principaliter scientia potest intendere, quam suum primarium obiectum, a quo specificatur, & intra latitudinem talis proprij obiecti non potest magis principaliter vnam partem intendere, quam aliam quia specificatur ab vtraque æquè primò & indiuisibiliter, æqualique necessitate pendet ab illis: ergo eo ipso quod docent isti authores demonstrationem non esse obiectum adęquatum primariū, debent consequenter asserere neque ipsam solam esse obiectum præcipuum, sed rationem rectè intellectionis vt sic.

Dixi, si per obiectum præcipuum intelligatur, quod magis præcipue intenditur a scientia, vel in ratione obiecti, quod idē est: nam loquendo de obiecto in genere rei, illud dici potest obiectum præcipuum, quod magis a parte rei participat rationem obiecti, quam per se scientia considerat. Deus. v.g. dicitur, hoc modo præcipuum obiectum metaphysicè, quia magis in re includit de ratione, & perfectione entis, quam primariò ac per se ipsa speculatur.

Sic

Sic igitur modus sciendi strictè sumptus, prout distinguitur contra modum rectè opinandi, & claudit tantum cognitiones certas, & euidentes, dici potest obiectum præcipuum in genere rei: quia nobilior est sine comparatione scientia, quã opinio; ideo què Logica modus sciendi ab hac principaliori parte nuncupari solet, & non mod' rectè intelligẽdi, quę ratio vniuersalior est. Sed quia multi probabiliter existimant modum sciendi strictè esse obiectum adæquatum primarium, modum autem rectè opinandi secundarium dumtaxat, partem præcipuam illi', definitionem, vel demonstrationẽ dicunt; quæ nam autem harum excellentior sit, commodius disput. 2. de deffinitione, sect. 1. quęsti. 2. art. 5. explanabo.

QVAESTIO IIII.

Quomodo, & in quo genere causæ Logica actus disponat aliarum scientiarum

ARTIC. I.

Maximè necessaria est difficultas proposita ad intelligentiam eorum, quæ diximus, & dicenda sunt. Diximus enim Logicam respicere actus aliarum scientiarum vt disponibiles in formam modi sciendi; idest, vt materiam, in quam rectam introducit intelligendi formam, nunc videndum est quomodo, vel in quo genere causæ talem artificiosum modum inducat in ipsis actibus.

Prima sententia asserit Logicam ad actus aliarum scientiarũ concurrere in genere causæ efficientis, saltem quantum ad modum artificiosum rectè sciendi, qui reperitur in illis, licet quantũ ad substantiam producantur ab alijs scientijs, idest licet actus secundum se, quatenus sunt materia modi sciendi, effectiuè proueniant ab alijs scientijs, quantum ad rectam dispositionem in formam modi sciendi producũtur a Logica; quemadmodum ars domificatiua non attingit ligna & lapides secundum suam substantiam, sed tantum secundum dispositionem, & artificiosum modum, quem habent in formã domus.

Fundamentum horum est, quia dispositio, quam habent actus aliarum scientiarum in formam modi sciendi, est subiectum, & obiectum formale quod per se consideratur a Logica: ergo non potest effectiuè produci ab alijs scientijs: prouenit ergo a Logica in genere causæ efficientis. Prima consequentia patet:

quia nulla scientia potest effectiuè attingere aliquid, quod per se pertineat ad obiectum formale alterius: ergo talis dispositio, quæ est primarium Logicæ obiectum, nõ nisi ab ipsa valet produci. Confirmatur, quia si ab alijs scientijs effectiuè posset elici modus sciendi, non esset necessaria Logica ad alias scientias; sed hoc est manifestè falsum: vt potè contra communem omniũ scholasticorum, & Aristot. doctrinam, vt infra dicam: ergo & illud ex quo sequitur. Maior probatur: quia Logica solum dicitur necessaria propter modum sciendi, quem ipsa præbet, & sine quo aliæ scientiæ non posśút statum habere perfectum: si ergo aliæ scientiæ efficere possunt proprijs viribus modum rectè sciendi in suis actibus, ad quid est illis necessaria Logica?

Secundò, quia forma & dispositio syllogismorum in quacumquè materia fiant, siue in literis A. B. C. semper est eiusdem rationis: ergo non potest prouenire a scientijs specie diuersis. Patet consequentia: quia diuersæ scientiæ in specie, non possunt eundem in specie actum producere; sed actus diffinitionis. v.g. sunt eiusdem speciei in quacumque materia fiant: ergo quantum ad hãc rationem specificam omnes attinguntur a Logica, illiq; commensurantur.

Eisdem rationibus probari potest, actus aliarum scientiarum secundum se, & secundum substantiam consideratos non posse attingi effectiuè a Logica; sed ab alijs scientijs, videlicet, quia vt sic sunt specie diuersi: ergo producuntur a scientijs specie diuersis, illisquè proportionatè respondẽt. Rursus, quia auferretur necessitas aliarũ scientiarum, si Logica esset sufficiens virtus effectiua attingẽs actus illarũ etiã quantum ad substantiam.

His tamen nihil obstantibus assero primo. Logica non concurrit efficienter ad producendos actus aliarum scientiarum, neque quantum ad substantiam, neque quantum ad illorum modum. Probatur efficaciter: nam essentia habitus cognoscitiui nõ est quod sit productiuus sui obiecti formalis, sed tantum quod sit cognoscitiuus illius: ergo ex hoc quod actus aliarum scientiarum quantum ad rectam eorum dispositionem in formam modi sciendi sint obiectum primariũ Logicæ, non sequitur quod efficiantur, sed tantum quod per se cognoscantur ab illa. Patet consequentia: nã aliud est obijci, quod tãtum denotat terminum actionis immanentis, & non productiuæ, & aliud est effici, quod terminum actionis transeuntis, & ad extra productiuæ significat.

Confirmatur primò, quia habitus tantũ est productiuus cognitio-

nitionis, vel actus, quo extrinſecè repræſentat ſuum obiectum formale; ſed actus aliarum ſcientiarum non ſunt cognitiones obiecti formalis Logicæ: ergo non producuntur effectiuè ab habitu Logicæ. Minor patet: quia actus aliarum ſcientiarum, nō ſunt cognitiones eſſentiæ modi ſciendi, ſed tantum conſiderant naturas aliarum rerum, Dei. s. Angelorum, & animalium, &c.

Secundò confirmatur, quia nullus actus concurrit efficienter, niſi ad actus proprios, a quibus generatur; ſed actus aliarum ſcientiarum non ſunt proprij Logicæ, nec ab illis generātur, quia ſunt actus omnino diſsimiles in ſpecie ab actibus Logicæ: ergo.

Tertiò confirmatur quia Logica non attingit effectiuè ſubſtantiam actus fidei Theologicę, actus prudentiæ infuſæ, & ſupernaturalis Theologiæ, & tamen omnes actus includuntur in obiecto primario, & per ſe illius: ergo non eſt de ratione illi⁹ quod efficiat ſuum obiectum, ſed tantum conſideret illud. Antecedens patet: quia prædicti actus, cum ſint ſupernaturales, non poſſunt ellici ab habitu acquiſito, qualis eſt Logica, ſed tantum ab habitibus per ſe infuſis; vt ex communi Theologorum ſententia ſuppono.

Secundò vrgentius probatur a ſimili, de ſcientia morali, quæ reſpicit vt obiectum primarium actus voluntatis, ſeu aliarum virtutum moralium, & tamen dici non poteſt huiuſmodi ſcientiam effectiuè ellicere huiuſmodi actus, neque quoad illorum ſubſtātiam, neque quoad modum, ſed tantum purè conſiderare illos; ergo neque ſcientia rationalis, ſeu Logica actus aliarum ſcientiarum, quos reſpicit vt obiectum, effectiuè attingere dicenda eſt. Alias rationes omitto.

Deniq; probatur, quia ſi Logica effectiuè attingeret actus aliarū ſcientiarū, quoad ſubſtātiam & modum ſuperfluerent habit⁹ aliarum ſcientiarū, ad quid enim neceſſarij eſſent? Neq; poteſt dici, quod Logica attingat tātum modū artificioſum ſciēdi, & alię ſcientiæ ſubſtantiā ſuorū actuū, quia talis modus imbibitur eſſentialiter, vel ſaltem realiter in ſubſtantia iſtorum actuum, vt ſupra notaui: ergo non poteſt habitus attingens vnum non attingere aliud.

Dico ſecundò, Logica cōcurrit ad actus aliarū ſcientiarum in genere cauſæ exemplaris, & directiuæ, id eſt dirigendo alias ſcientias, vel intellectum, vt tali modo artificioſo, & ſine errore procedat circa obiecta aliarum ſciētiarum. Probatur, & explicatur inductione generali in omnibus artibus; ars enim pictoris tantum concurrit ad picturam dirigendo manum artificis; item

ars saltandi dirigendo potentiam motiuam: & sic similiter quælibet alia ars non efficit suum obiectum, sed tantum, dirigit potentiam effectiuam illius: sic ergo similiter Logica, quę ars quędam est (vt ita dicam) solum dirigit intellectum & alias scientias, docendo quo pacto suos actus rectè, & ordinatè conficere debeant.

Confirmatur, quia Logica est necessaria ad omnes alias sciẽtias, propter modum sciendi, quem præstat, vt est certissima omnium doctrina; sed non præstat illum in genere causæ efficiẽtis, vt probatum est: ergo præstat illum in genere causæ exemplaris, & dirigentis. Patet consequentia: quia non est assignabilis alius causalitatis modus.

ARTIC. II.

Respondetur ad argumenta oppositæ sentẽtiæ.

Ex dictis patet iam solutio ad argumenta oppositæ sententiæ: ad primum respondetur negando vtramquè consequẽtiam. Et ad probationem dico, quod benè potest aliqua sciẽtia, vel potentia effectiuè attingere obiectum alterius, vt patet in exemplis positis, in hoc autem non est inconueniens, esset autem si vna scientia consideraret obiectum alterius: nam vnũ & idem obiectum in quantum obiectum non potest per se pertinere ad duplicem scientiam, quemadmodum neque vnus actus in quantum actus, potest effectiuè ellici a duplici scientia diuersa: benè tamen quod est obiectum vnius scientiæ, effectiuè potest produci ab alia tanquam actus illius, & è contra, quod est actus proprius vnius, esse obiectum proprium alterius.

Ad confirmationem respondeo negando sequelam: quia quãuis intellectus instruct' alijs sciẽtijs, sit sufficiens principium effectiuum actuum illarum, indiget etiam causa dirigente, vt ordinatè elliciat tales actus; atque adeo licet aliæ scientiæ in ratione principij efficienter productiui, sint sufficientia & completa ad producendum modum sciendi, non possunt actu illum producere sine Logica dirigente, vt patet etiam in exemplis positis: nã vniuersaliter quæcumquè potentia executiua, quantumuis sufficiens, & completa in suo genere, potest propter suam indifferentiam indigere aliquo determinãte aut mouente, vt actu, & ordinatè operetur.

Ad secundum respondetur distinguendo antecedens: *sunt eiusdem rationis genericæ*, vel *speciei subalternæ*, concedo; *sunt*

ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ, nego antecedens, & ſimul conſequentiam: quia nullum eſt incommodum, imo eſt neceſſarium, quod plures actus eiuſdẽ rationis genericæ efficienter proueniant a ſcientijs ſpecie diuerſis, quia cũ vnitate generica talium actuum ſtat diſtinctio ſpecifica, ratione cuius ſpecificant ſcientias ſpecie diuerſas, & illis proportionatè commenſurantur.

Sed contra vrges: vnitas generica modi ſciendi, ſpecificat tanquam obiectum Logicam, quæ eſt vna ſpecie infima, vt dicetur diſp. vltima: ergo etiam poterit illam ſpecificare tanquam actus, & conſequenter ab ipſa, & non ab alijs ſcientijs quãtum ad hanc rationem modi ſciendi efficienter proueniet. Patet conſequentia quia eadem proportio & commenſuratio requiritur inter ſcientiam & obiectum, ac inter ipſam & ſuos actus: nam eodem modo ſpecificatur ab obiecto, ſicut ab actu: ergo ſicut obiectum vnum genere, poterit ſpecificare vnam ſcientiam indiuiſibilem in ſpecie, ita & actus vniꝰ generis propter ſimilem vnitatem poterunt ad eandem ſcientiam ſimplicem pertinere.

Quamuis difficultas hæc tangat quæſtionem de vnitate Logicæ in poſterioribus tractandam, ſufficit nunc hìc ſupponere, eſſe vnam ſpecie infima. Et ad argumentum conceſſo antecedenti, neganda eſt conſequentia. Et ratio diſcriminis eſt: quia obiectum, eo ipſo quod ſpecificat, in quantum obiectum cognitum, poteſt conſiderari quantum ad rationem genericam, & non quantum ad diuerſitatem ſpecificam, quam habet à parte rei, ac ſubinde poterit ſpecificare vnam indiuiſibilem ſcientiam, ſecundum talem conſiderationem præciſam, quia cùm non terminet conſideratio nem ſcientiæ, vt plures eſt a parte rei, non poteſt tribuere illi pluralitatem, aut diuiſibilitatem aliquam, ſed tantum vnitatem indiuiſibilem ſecundum quam objicitur tali ſcientiæ: at vero actꝰ cum ſpecificet in quantum productus, ſicut non poteſt produci quantum ad rationem genericam, & non quantum ad ſpecificas (vt nunc ſuppono propter identitatem realem quam habẽt inter ſe, quamquè infra declarabo) ita nec poteſt ſpecificare ſciẽtiam, vt vnus eſt genere, quin ſimul eam ſpecificet vt plures eſt ſpecie, & conſequenter quin tribuat ei pluralitatem ſpecificam.

Explicatur hoc amplius ex differentia, quæ eſt inter cognitionem & productionem alicuius rei: cognitio enim poteſt concipere res aliter, ac ſunt a parte rei, & præſcindere quæ in re ſunt idem, ac ſi eſſent diuiſa, ac proinde vnitas, quæ in re eſt generica, poteſt in ratione obie-

cti esse specifica: quia potest obijci scientiæ sine specifica, ita vt respectu sciētię sit ratio vltima; quia consideratur non descendens ad alias inferiores rationes obiectiuas, respectu quarum sit genus in quātum obiectum est; at verò productio necessariò terminatur ad rem secundum entitatem & modum quem in se ipsa habet a parte rei; vnde quæ realiter sunt idem, non possunt produci vt diuersa, vel separatā, & multo minus vnum sine alio: & consequenter actus, qui attingitur secundum rationem genericam, non potest non attingi a sua productione secundum pluralitatem, aut differentiam specificam.

Secundò præterea, quidquid sit de hac doctrina, de qua infra. Respondetur, quod quamuis actus aliarum scientiarum sufficiētem haberent vnitatem, vt effectiuè procederent a Logica, negatur illis adhuc talis dependentia effectiua ex alio capite: nimirum quia non comparantur ad Logicam vt actus, vel effectus, sed vt obiecta; ac proinde attinguntur ab ea sub ratione dirigibiliū, aut intelligibilium & non sub ratione producibilium.

Secundò vrges contra dicta, quando quis se exercet in faciendis syllogismis, acquirit facilitatem illos efficiendi in quacumquè materia; sed hæc facilitas nō est alia nisi Logica: ergo Logica efficienter concurrit ad efficiendos actus syllogisticos aliarum scientiarum. Patet consequentia: nam habitus ad eosdem actus inclinat, & concurrit efficienter, a quibus generatur: ergo si facilitas Logicæ generatur, & augetur ex actibus syllogisticis aliarum scientiarum, ad illos efficienter concurrit.

Respondetur, quod quando quis se exercet in faciendis syllogismis in omni materia, acquirit duplicem facilitatem illos efficiēdi. Vnam directiuam syllogismorum, quæ est Logica. Et alteram ellicitiuam illorum, quæ est Philosophia, vel Metaphysica: nam interueniunt duo actus in tali exercitio, alter Logicæ dirigentis, seu docentis, quo pacto efficiendus sit syllogismus, & ipse prouenit effectiuè a Logica, vt probat argumentum. Alter verò prouen.ens ab alijs sciētijs, qui dirigitur ab actu Logicę, & tantum directiuè modo explicato, & non effectiuè ab illa prouenit.

Dices: quomodo actus Logicæ dirigit actus aliarum scientiarū, si nullo modo efficit aliquid in ipsis, per quod formaliter disponatur? Respondeo, quod licet efficiendo nihil producat intrinsecum ipsis actibus, efficit tamen dirigendo, dirigit autē non aliter quam docendo, & repræsentando intellectui, vt habituato alijs scientijs, quomodo actus illarum.

illarum effectiuè disponere debeat informá deffinitionis, propositionis, &c.

Vnde duplicem dispositionẽ in prẽsenti distinguere possum⁹. Vnam actiuam, quę est ipsemet actus Logicæ, quo mediante ipsa dirigit actus aliarum scientiarum, & etiá actus proprios (vt dicam infra) determinando intentionaliter intellectum modo dico. Et aliam passiuam, quæ est ipsamet dispositio, quam habẽt actus in formam modi sciendi, quę est obiectum ipsius Logicæ, vt dixi. Prior dispositio est extrinseca actibus directis per ipsam, sicut vniuersaliter omnis causa exemplaris, & directiua est extrinseca effectui directo. Posterior autem dispositio passiua est intrinseca essentialiter, & inseparabilis ab ipsis actibus, vt iam supra explicui.

Tertiò obijcies: si aliæ sciẽtię inclinant, & facilitant potẽtiam ad suos actus elliciendos effectiuè, tam quo ad substantiá, quam quo ad modum: ergo non est ad illas necessaria Logica, etiam in genere causæ dirigentis. Consequentia probatur: quia habitus Logicæ solum potest esse necessarius vt facilitet, & determinet intellectum ad tales act⁹, sed sufficienter facilitatur per habitus aliarũ scientiarũ; quoniá vt in antecedẽti supponitur, sunt facilitates inclinantes potentiá ad tales act⁹ determinatos, nõ solũ secũdũ substãtiá, sed etiá secundum modum rectè sciendi.

Declaratur hoc amplius, quia habit⁹ nõ aliter cõcurrit efficienter ad aliquẽ actũ, quá facilitãdo & determinãdo potẽtiá ad illũ: ergo si act⁹ aliarũ sciẽtiarũ effectiuè proueniũt ab habitibus illarũ, non indigent alio principio facilitante & determinante.

Respõd. cõcedẽdo, quod Logicę directio nõ sit necessaria ad alias sciẽtias, postquá iam sunt acquisitę in statu perfecto, vt bene probat argumẽtũ, est tamen necessaria ad alias sciẽtias, vt acquirãtur, idest ad acquisitionẽ aliarũ sciẽtiarum: quia generãtur ex actibus rectè dispositis artificio Logicę, propter quod dicitur ianua, & mater omniũ scientiarũ.

Deniq; obijcies Arist. & cõmunẽ sentẽtiá asserẽtẽ in hoc distingui sciẽtiá practicá ab speculatiua, quod illa efficit, & operatur suũ obiectũ, hęc verò nõ itẽ, sed Logica est sciẽtia practica, vt dicem⁹ postea: ergo efficiẽter concurrit ad act⁹ aliarũ sciẽtiarũ in quãtũ sunt rectè dispositi in formam modi sciendi, qui per se est obiectum illius. ¶ Respond. quod quia causa excẽplaris & directiua reducitur cõmuniter ad causam efficiẽtem, & appellatur efficiens non strictè, & in rigore loquendo, sed quatenus dirigit causam efficiẽtẽ, vt hoc, vel illo modo agãt, sic quælibet scientia practica dicitur efficere suum

obiectum, vel operari illud dirigendo, non autem efficiēdo propriè, quemadmodum etiam voluntas, quatenus applicat, & mouet potentiam effectiuam ad opus, dicitur etiam causa humanorum operum.

ARTIC. III.

Vtrùm, Logica concurrat aliquo modo vt instrumentum ad actus aliarum scientiarum.

Communiter dicitur Logica ars instrumētaria, tribuereque alijs scientijs instrumenta sciendi; sed in rigore, & propriè hæc loqutio est falsa; & probatur primo; quia propter duo aliquæ artes indigent instrumentis ad suos, vel aliarum actus. Aut propter ineptitudinem, vel incapacitatem potentiæ executiuæ ad opus, qua ratione pictor indiget penicillo ad picturā. Aut propter resistentiam passi, in quo recipienda est forma artis, quo pacto serra, maleus, & cætera id genus sunt necessaria instrumenta fabri lignarij; sed nihil horum habet locum in præsenti; quia nulla est resistentia ex parte rerum, quæ deffiniendæ, & explicandę sunt, neque ex parte conceptuum, qui disponendi sunt in formam modi sciendi; neque ex parte intellectus, qui est potentia executiua, est aliqua incapacitas, aut ineptitudo, sed ipse in suo genere est sufficiens, & expedita causa efficiens, & Logica solum causa exemplaris, & directiua, qua posita nihil aliud requiritur ad actualem operationem: ergo fictitia sunt instrumēta alia.

Declaratur hoc amplius: quoniam in habitu directiuo Logicæ, quatuor distingui possunt. Primum sunt regulę. Secundum actio conficiendi opus. Tertium opus ipsum ellicitum a Logica. Quartum actus ipsiusmet Logicæ. Euidens est primò rationem instrumenti duobus prioribus conuenire non posse: quia instrumētum habet concursum effectiuum respectu effectus; at regulæ nullum habent concursum effectiuum, sed tantum directiuum respectu actionis artis, vt patet in cęteris artibus, in quibus instrumenta distinguntur a regulis. Actio etiam non potest esse instrumentum sui effectus: quia actio ipsa est causalitas instrumenti, & id, quo mediante tam instrumentum, quam causa principalis operantur suum effectum; & quidquid de hoc sit, Logica non est necessaria ad alias scientias ratione huius actionis, sed ratione actus dirigentis, per talem actionem producti. Quartum etiam dici non potest: nam

actus Logicæ solum concurrût vt causa exemplaris,& dirigens, vt probatum est,& nô vt instrumentum.

Tertium deniquè, videlicet opus ipsum confectum, siue directum,quod est modus sciēdi, nullatenus dici potest instrumentum: inquiro enim respectu cui' habeat rationem instrumenti? quia non respectu obiecti, aut quęstionis explicandæ: nam modus sciendi est ipsamet scientia, aut explicatio quæstionis, & ita non potest instrumentum esse respectu sui ipsius, neque respectu alicuius sciētiæ actualis,quę per deffinitionem, aut diuisionē comparatur tanquam ex pręmissis: nam præmissę concurrunt in genere causæ principalis ad conclusionem,& non vt instrumenta,& licet hoc admittamus, adhuc restat difficultas de argumētatione,& demonstratione,quæ sunt diuersa instrumenta sciendi,quomodo illis conueniat esse instrumenta.

Dicendum ergo est solum impropriè Logicam dici artem instrumentariam,eo quod deseruit & conducit ad alias artes,& sciētias,conficiendo deffinitiones,diuisiones, &c. quibus aliæ scientiæ vtuntur ad sua obiecta explicanda, quamuis non conueniat illis proprietas instrumētorum, vt probatum est.

SECTIO III.

De natura Logicæ, & de modo,quo respicit suum obiectum.

CVm scientia, & illius obiectum sint essentialiter correlatiua,ad inuicem se explicant, & declarant. Quinimo vnum sine altero intelligi nullatenus valet, præsertim si sit sermo de ratione formalissima sub quia,constitutiua obiecti in genere obiecti; hæc enim vt dixi non est aliud, quam modus cognoscibilitatis, quo obiectum attingitur a scientia,vel modus tendendi scientiæ ad obiectum, ideoquè hanc appellaui rationem formalem *sub qua*, ex parte modi cognoscēdi quia est intrinseca ipsi scientiæ, & inseparabilis ab eius natura, & consequenter extrinseca ipsi obiecto; quapropter in præsenti sectione idem est quærere naturam Logicæ, & modum respiciendi suum obiectum, ac inuestigare rationem formalem

sub

sub qua, constitutiuã modi sciendi in genere obiecti respectu Logicæ; quæ disputatio recto ordine sequitur ad præcedentẽ, qua exposuimus rationem formalem illius in genere rei.

QVAESTIO I.

Vtrùm, Logica sit scientia, vel ars?

ARTICVLVS I.

Statuitur Logicam esse virtutem mentis.

Aristot. D.Thom. SVppono primò ex Aristo.6.*ethic.c*.3.& ex S.Thom.1.2.*q*.57.*art*.2.*&* 3.quinque esse habitus intellectus, qui dicuntur virtutes mentis, eo quod ita in verum inclinant, & determinãt intellectum, vt non possint inclinare ad falsum, ad differentiam aliorum habituum, quibus falsum subesse potest. Virtutes sunt: *Intellectus, Sapientia, Scientia, Ars, & Prudẽtia*. Habit⁹ verò non virtuosi sunt: *Opinio, error*, & si qui sunt alij, de quibus omnibus in suis locis non nihil dicetur.

In præsenti ergo est difficultas, an Logica nostra sit virtus mentis, & aliqua ex quinque Zabarel. Valduin. enumeratis. Zabarel. *l*.1.*de natura Logicæ*, Valduin. *in quæst. de hac re, quod est primum quæsitũ*, & alij asserunt non esse virtutem mentis, sed solum habitum quẽdam instrumentarium, seu facultatem tribuentem alijs scientijs instrumenta ad sciendum.

Quorũ fundamẽtũ est, quia virtus ex Arist.7.*physicor.ca*.3. est Aristot. Auerro. vltima rei perfectio: ergo virtus mentis est vltima perfectio mẽtis; sed Logica cum non contemplecur res, sed sit via ad contemplationem rerum aliarum scientiarum, non est vltima perfectio mentis, sed via ad illam: ergo non est virtus mentis.

Dico tamen cum communi omnium sententia Logicam esse virtutem mentis. Probatur: nã omnis habitus semper verus cũ incapacitate ad falsitatem est virtus mentis; sed Logica est huiusmodi: ergo. Maior docetur communiter ab omnib⁹ Philosophis, & Theologis, docetq; illam S. D.Thom. Thom.1.2.*q*.55.*art*.3.*&* 4.*& q*.57.*art*.2.*ad*.3.& probatur: nam sicut virtus voluntatis versatur circa bonum honestum, ita virtus mentis circa verum, sed omnis, & solus habitus semper honestus est virtus moralis voluntatis: ergo omnis, & solus habitus semper verus est virtus intellectualis. Patet deniquè ex definitione virtutis, quam tradit Augusti.2. *de lib. arbitr.c*.18. *&* August. 19.*tom*.1.*& alibi*.s.est *dispositio perfecti ad optimum*, quam communiter

muniter recipiunt omnes Theologi. Vel est. *bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus male vtitur*, quam adducit S. Thom. in citato loco: ergo de ratione virtutis est, quod semper habeat bonum vsum, & ordinatum actum vitalem circa verum & bonũ: nam circa falsum, & malum non potest intelligi bonus vsus, aut dispositio ad optimum.

Ad fundamentum oppositũ respondetur ex S. Thom. vbi supra; virtutem mentis ideo dici vltimam perfectionem: quia est dispositio potentiæ ad actum, vel cognitionem, quæ est vltima perfectio mentis, & ideo omnis habitus, per quem intellectus cognoscit aliquod verum, est virtus mentis, ac propterea licet Logica respectu aliorum obiectorum sit via; respectu sui obiecti, s. modi sciendi, qui est per se scibilis, non est via, sed vltima perfectio intellectus.

ARTIC. II.

Præmittuntur ratio artis, & scientiæ, & variæ sententiæ.

HOc supposito dubiũ est, quis nam habitus sit Logica ex quinque enumeratis? in qua re primò certum est non esse intelligentiam, quæ versatur solum circa prima principia; neque sapientiam, quæ versatur circa altissimarum causarum cõtemplationem, neque prudentiam, quæ solum est directiua actuum voluntatis secundum rectam rationem; Logica verò solũ respectu actuum intellectus.

Certum etiam est circa principia Logicæ dari habitum intelligentiæ, & circa cõclusiones probabiles esse opinionem, restat solum difficultas circa conclusiones veras, & necessarias, an Logica sit scientia, vel ars?

Ad cuius intelligentiam primò suppono scientiam, omissis alijs latioribus expositionibus, & acceptionibus, hìc sumi pro cognitione discursiua certa, & euidenti. Quæ alia est actualis, conclusio, s. deducta ex principijs certis, & euidentibus. Alia est habitualis per talem actum genita, & in intellectu, transacto actu, permanenter relicta.

Tertiò suppono artem deffiniri ab Aristot. *lib. 6. æthic. c. 33.* est *habitus, recta cum ratione actiuus, vel effectiuus*, idest habitus determinans, & inclinans intellectum, vt rectè dirigat ad faciendum aliquod opus. Et a S. Thom. *q. 57. citata*, est *recta ratio aliquorum operum faciendorum*, idest, quæ dictat, quomodo rectè efficiẽdũ sit aliquod opus.

Diuiditur autem ars ab Arist. & communi sententia, in artem effectionis, & actionis, vel sub. alijs

alijs terminis, in artem mechanicam, & liberalem. Prior dicitur illa, quę versatur circa externam materiam, & quæ transmutatur a nobis per actionem transeuntem, & idcirco dicitur ars effectiua: quia actio transiens, quam principaliter respicit, propriè dicitur factio, diciturquè mechanica, aut seruilis: quia vsus talis artis ordinatur in bonum corporis, quod dicitur seruus respectu animæ. Ars autem liberalis est illa, quę non respicit externam materiam, sed aliquã actionem immanentem, quæ tantum dicitur pura actio, & non factio: quia non est productiua vt talis est, prout intenditur per talem artem. Et quia ordinatur ad bonum animæ, quæ Domina est, & libera; ars liberalis nuncupatur.

Ex dictis colligitur septem esse genera artium seruilium, ad quæ omnes aliæ reducuntur, némpè *Agricultura*, vel *pastoritia*, quæ sub se continent omnes artes de modo colendi agros. *Militaris*. *Fabrilis*, sub qua continentur omnès artes operandi in materia lapidum, lignorum, & cuiuscumque methalis. *Chirurgia*, seu *Medicina*. *Lanificium* quę continet sub se omnes artes texendi, consuendi, &c. quibuscumquè instrumentis, in quacumquè materia *venatio*, quæ continet færinam aucupationem, piscaturam, & omnem artem conficiendi cibos, s. artem coquinariam. Denique *Nautica*, quæ sub se continet omnem in emendis, & vendendis, vel mutuandis domesticis, vel peregrinis meribus negotiationem, quæ omnes hoc versiculo continentur.

Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

Artes verò liberales sunt alię septem in genere. Videlicet, *Grãmatica*. *Rethorica* (ad quam reducitur Poesis, & Historia) & *Dialectica*. Quę tres dicuntur sermotionales, & aliæ quatuor dicuntur reales, nimirum *Geometria*, quæ agit de quantitate continua permanenti; *Arithmetica*, quæ agit de quantitate discreta permanenti; *Astrologia*, quę agit de quantitate continua successiua; idest de motibus cœlorum; & *Musica*, quæ quantitatem discretam successiuam respicit, quę septem hoc etiam versu exprimuntur.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra.

Prima ergo in hac quæstione sententia docet Logicam non esse scientiam: ita Ammonius, *in prologo prædicabil.* Maxentius, *lib. 1. de interpretat. in principio*, Cimara, *theoremate* 89. Valduinus, *quæsito* 1. Themistius. 5. *poster. c.* 24. Villalp. *q.* 5. *proœm.* Petr. Niger. *q.* 10. *clypei:* Simplic. in *prologo prædicam.* Philopon. in *prologo prior*, Alexãd *initio priorum*, & alij.

Ammonius. *Maxenti.* *Cimara.* *Valduin'.* *Themisti.* *Villalpã.* *Petr. Niger.* *Simplic.* *Philopo.* *Alexan.*

Pro-

Ariſtot. Probatur ex multis Ariſt. teſtimonijs, quibus ille negare videtur rationem ſcientiæ. 1. enim *Rethoric. cap.* 4. ſic ſcribit: *Si quis Dialecticam, & Rethoricam vt ſcientias, & non vt facultates per tractat, imprudens eorum naturã ſubuertit.* Et 4. *met. c.* 2. & 1. *poſt. c.* 8. docet Dialecticam nõ habere certum gen' ſubiecti, de quo differat, ſed per omnium rerum genera vagari; ſed omnis ſcientia debet habere aliquod certũ, & determinatum ſubiectum, de quo tractet: ergo, & 1. *topic. c.* 1. & 9. & 2. & 3. *metaph. c.* 1. aſſerit Dialecticam ſolum ex probabilibus agere, ſed omnem ſcientiam eſſe de neceſſarijs. Item 6. *metaph.* & alibi diuidens ſcientiã in communi, non meminit Logicæ.

Deniquè, 2. *metaph. c.* 3. *text.* 15. *Abſurdum*, inquit, *eſt ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi*; vbi iuxta expoſitionem S. Tho. Alberti Magni, commẽtatoris, & aliorum per modum ſciendi intelligit Dialecticam: ergo Logica non eſt ſcientia.

Secunda ſententia, quam tenet Lemoſius, docet, Logicam, ſaltem quoad partem topicã & ſophiſticã, non eſſe ſcientiã: quia ſecundum has partes non habet certum & determinatum ſubiectum, ſed differit de probabilibus, in quo conuenit cum præcedenti ſententia. Videturquè expreſſa Ariſt. 1. *Rethor. cap.* 1. vbi *Ariſtot.* ait Rethoricam, & Dialecticam eſſe facultates tantum: quia ſunt contrariorum, ideſt, quia ita verſantur circa vnam partẽ, vt poſſint etiam verſari circa aliam, quod obſtat rationi ſcientiæ.

Tertia tamen communior ſerè omnium huius temporis, & vera ſentẽtia docet abſolutè, Logicam eſſe ſcientiam. Ita Auguſ. *Auguſti.* *in libello, qui inſcribitur princip. D. Thom.* *Dialect.* S. Thom. 4. *metaph. lec.* *Hugo.* 4. & *initio periarm.* & *in prologo* *Albertus* *poſter.* & *alibi ſæpè.* Hugo Vic- *Magnus.* tor, *lib. inſtit. monaſt. c.* 6. Albert. *Scotus.* Magn. *c.* 1. *prædicab.* Scot. *ibid.* *M. Oña.* *quæſt.* 1. Reuerend. noſter Epiſc. *Boetius.* Gaet. M. Oña, *q. proœm.* Boet. *Aegid.* *initio prædicabil.* Aegid. Rom. *Tolet.* *initio priorũ*, Tolet. *q.* 2. *proœm.* *Sotus.* Sotus, & illam tenuerũt omnes *Auicenn.* Arabes. s. Auicen. Alphara. Al- *Alphar.* gazel, & omnes recentiores. *Algazel.*

ARTIC. III.

Vbi Logicam eſſe veram ſciẽtiam, & artem oſtenditur & probatur.

Dico ergo primò, Logicam eſſe veram artem, non ſeruilem, & in bonum corporis, ſed liberalem & in bonum animæ ordinatam. Probatur maniſeſtè primò, ex deffinitione artis, quæ quidem ordinatur ad aliquod

quod opus artificiosè fabricandum, abstrahendo ab opere interno, & externo, ab spirituali, & corporeo; vt visum est; sed Logica docet conficere modum sciendi, & ad id tradit regulas, & præcepta: ergo est ars.

Minor probatur: quia dispositio illa, quam habent conceptus in formam modi sciendi, supra explicata, non est naturalis prouenìens ex sola natura: ergo artificialis prouenìens ab aliqua arte: ergo a Logica; quia non est alia cui hoc opus assignari possit.

Prima consequentia patet: quia omnis operatio, vel est a sola natura, vel ab aliquo habitu artis illi superaddito ad vincendam difficultatem operis; sed ex infra dicendis manifestior fiet ista cõclusio.

Dico secũdo, Logica quoad omnes suas partes est verè, & propriè scientia. Docuit Arist. 1. *topi. c. 9. & 12.* Et 2. *de gener. animal.* vbi satis clarè docet Logicam esse partẽ Philosophiæ, idest scientiã, dum ait: *Quæstiones Logicas, Physicas, & Morales, ad Philosophiam pertinere*; nã apud antiquos Philosophia continebat omnes scientias.

Arist.

Ratione probatur: quia illa est vera scientia, quæ de obiecto passiones demonstrat, & attributa certò & euidenter; sed Logica est huiusmodi: ergo est vera scientia. Minor probatur discurrẽdo per singulas Logicę partes & intellectus operationes, vbi plures demonstrationes passim inueniuntur. Illæ videlicet, quib⁹ de deffinitione demõstratur claritas: de propositione veritas, vel falsitas: de diuisione, quod tollat obscuritatem: de demonstratione quod generet scientiã: de syllogismo probabili, quod opinionem: & de sophistico quod errorem inducat: illæ etiam, quibus regulę conuersionum, æquipollẽtium, vtilium, & inutilium syllogismorũ in quacumq; figura probantur: quibus imperfecti ad perfectos reuocantur, &c. quę clarè patebunt in discursu hui⁹ operis.

Confirm. quia hæc omnia probat Logica cognitione discursiua certa, non innitendo sola authoritate alterius dicentis, aut principijs solũ probabilibus, sed omnino certis, & euidentib⁹: ergo non pertinent ad fidem, vel opinionem: est ergo vera & propria scientia.

Secundò, quia si Dialectica non esset scientia, nulla sciẽtia firma esset, & certa. Probatur; quia vt assensus scientificus sit certus, ita vt excludat omnẽ formidinẽ, debet infallibiliter cognosci forma rectè sciẽdi, bonitas illationis, &c. vt infra suo loco dicemus: ergo Logica, quę propter hoc ad alias scientias necessaria est, debet esse certa & infallibilis, aliàs nullatenus deseruire posset vt ianua, & fundamentum aliarum scientiarum.

Deni-

Deniquè etiam quantum ad partem topicam, & ſophiſticã, Logicam eſſe ſcientiam, probatur: quia licet obiectum harum partium ſit ſyllogiſmus probabilis, vel ſophiſticus, actus tamen qui verſatur circa tale obiectũ, eſt vera ſcientia, quia non minus certò & euidenter colligit Logica argumentũ procedens ex probabilibus generare opinionem, & procedẽs ex præmiſsis ſophyſticis, & apparentibus generare errorem, quam quod ſyllogiſm' conſtãs ex certis, & euidentibus principijs generet ſcientiam.

Cõfirm. quia error, & opinio, licet in quantum ſunt quidam actus, non participẽt vllo modo rationem ſcientiæ, poſſunt tamen eſſe obiecta alicuius ſcientiæ, & ab illa euidenter cognoſci, ſicut ſcientia practica poteſt cognoſci per aliam ſpeculatiuam, & ſicut notitia abſtractiua cognoſci poteſt per aliam, quæ ſit intuitiua, & è contra. Antecedens patet: quia licet obiectũ ſyllogiſmi probabilis ſit contingens, & obiectũ ſophiſtici ſit falſum, tamen ſi conſiderentur prout terminant tales actus, & prout reſpiciuntur ab illis, habent eſſentiam neceſſariam & perpetuæ veritatis, non minus quam quælibet alia res ſcibilis: ergo vt ſic poſſunt terminare certã, & infallibilẽ ſcientiã.

Ex quo patet ad aliqua ex teſtimonijs citatis Ariſtot. ad 1. & 2. *libri Rethoricor.* reſpondetur ibi Ariſt. non loqui de tota Logica, ſed ſolum de parte topica (quam ſolum Dialecticã appellat) qua ratione vtens eſt, nõ quidem docendo ſcientificè, ſed de qualibet re ſibi propoſita per cõmunia principia diſputando probabiliter in vtramquè partem, quomodo ad Rethoricam neceſſaria valde eſt.

Ad tertium teſtimonium reſpondetur ipſum loqui de ſubiecto per ſe extrinſeco, ideſt de rebus in quãtum ſunt obiecta modi ſciendi; quomodo etiam de prudentia dicitur, quod diuagẽtur per omnes res, in quantum ſunt eligibiles ſecũdum rectam rationem: non tamen excludit Ariſt. certum & determinatum obiectum primarium, quod eſt modus ſciendi mentalis, ſed ſupponit hoc vt per ſe notum, & alibi ab ipſo explicatum. Vel ſecundò reſpõderi poteſt, quod loquitur de parte topica, qua ratione vtens eſt, vt dixi. Ad illud ex 6. *metaph.* Reſpõd. ibi Ariſt. diuidere & enumerare tãtũ ſciẽtias ſpeculatiuas, quę ſtrictè ſciẽtiæ appellantur ab ipſo, vt infra dicam.

Ad vltimum reſpondetur illum illis verbis ſolum intendere, reliquas ſcientias confundendas nõ eſſe cum Logica, vel ſimul cum illa addiſcendas, ſed prius Logicam acquirendam, eo quod, formam rectè ſciendi tradit, ſiue talis Logica ſit ſcientia, ſiuę non, quod ibi nõ diſputat, aut deffinit.

Alia

Alia testimonia, quæ ab authoribus oppositis afferuntur omitto, tum breuitatis gratia, tū quia ex contextu, & ex solutionibus positis facilius disolui possunt.

ARTIC. IIII.

Vtrùm, Logica possit esse simul scientia, & ars?

RAtio dubitandi sumitur ex Aristot. qui diuidens habitum in illos quinque supra enumeratos, posuit artem distinctam realiter a scientia: nam vt patet ex eodem Arist. quæ sunt diuersæ speciei, si sint entia totalia, non possunt vniri ad efficiendum aliquod vnum, sed scientia, & ars non solum specie, sed etiā genere distinguuntur: ergo Logica non poterit sciētia esse simul & ars. Secundò, ex S.Thom. 1.2.q.57.art.3.ad.3. vbi artes mechanicas excludit a ratione sciētiæ, dicens esse propriè artes, nō scientias, & artes liberales esse propriè scientias; & non artes, nisi secundum similitudinem: sentit ergo rationem scientiæ propriè non compati cum ratione artis.

Aristot.

D.Thom.

Aliqui propter hoc distingūt duos habitus Logicæ, quorum vnus sciētia & alter ars. Vn' speculatiuus, & alter practicus. Vn' docens, & alter vtens nuncupatur. Dupliciter enim, aiunt, Logica se potest habere circa modum sciendi, vel modo resolutorio, demōstrando de illo proprietates, easquè probando per sua principia, & sic est scientia speculatiua, & Logica docens: quia nullum dicit ordinem ad vsum. Vel procedit modo compositiuo, tradendo regulas, & præcepta de modo, quo rectè formari, & confici debeat modus sciendi, & sic est tantum habitus practicus, appellaturquè Logica vtens: quia dirigit alias scientias ad rectum vsum suorum actuū.

Sed de hoc posteriori puncto dicemus postea, q.3. priorem verò partem probant: quia scientia est illa, quæ demonstrat proprietates de suo obiecto, per deffinitionē ipsius subiecti, sed ista cognitio est merè speculatiua: nam est cognitio rei per suas causas, vel effectus, sistendo in consideratione illius tanquam in fine intrinseco, in quo constituit Aristot. deffinitionem scientiæ.

Confirmatur: quia mod' procedendi scientiæ est contrarius modo procedendi artis, vel habitus practici; scientia enim procedit resoluendo conclusiones, vel effectus in sua principia, quod est causas rei speculari; ars verò modo compositiuo a causis ad effectus procedit, tradendo regulas & causas, quibus effectus conficiendus, & componendus

est: ergo sunt actus, & habitus valde diuersi.

Quia principia demonstrationis scientificæ pertinent ad habitum speculatiuum primorū principiorum: ergo scientia genita ex illis est essentialiter speculatiua: repugnat ergo quod sit cognitio aliqua practica, & quod sit scientia. Patet consequentia, quia sicut ex principijs probabilibus non potest colligi certa & euidēs conclusio, neque è contra cōclusio probabilis ex principijs euidentibus; ita neque ex principijs speculatiuis conclusio practica deduci potest, aut è contra.

Ostenditur Logicā esse simul Sciētiam, & Artem.

Vera tamen & communis sententia est, eūdem habitū Logicę esse simul Scientiam, & Artem. Probatur, quia Scientia, & Ars se habēt sicut genus, & species: ergo non repugnat, quod realiter identificentur in eodem habitu: nō ergo multiplicandus est duplex habitus in Logica propter rationem Artis, & Scientiæ, quæ in illa inuenitur. Antecedēs probatur primò, ex communi sententia diuidente scientiam in communi in practicam, & speculatiuam, sed scientia practica essentialiter est Ars, nam conuenit illi propriè tota Artis definitio, vt quæstione sequenti demonstrabitur: ergo ratio sciētię est cōmunis, & generica respectu Artis, & habitus practici.

Secundo probatur: nā omnis Ars est virtus mētis: quia quātū est de se dicit incapacitatē ad falsitatē, aliàs enim cur non numerauit Arist. cum illis quinque habitibus opinionem, signum ergo est numerasse tantū virtutes mētis: ergo Ars essentialiter est habitus certus, aliàs nō semper verus, quod est de ratione virtutis intellectualis: ergo etiā est essētialiter scientia. Patet consequētia; quia euidentia in actibus, & habitibus naturalibus, non potest à certitudine separari, neq; è cōtra: nisi enim intellectus euidenter cognoscat veritatem rei, illi adhærere non poterit sine formidine, & cū certitudine; ideoq; in hoc distinguitur fides diuina supernaturalis ab omni alio habitu natutali, quod est habitus certus, & non euidens, sed potius obscurus. Ex quo tandē sequitur, quod Ars sit verè, & propriè Scientia, quoniam si est habitus certus, & euidens, & aliàs, vt supponimus, est discursiuus (quia in hoc distinguitur ab intelligētia) nihil amplius desiderari potest ad perfectam rationem scientiæ.

Denique probatur; quia dantur principia practica, & demōstrationes practicæ: ergo, & sciētia practica, & cōsequēter Ars, quæ sit vera scientia per euidentem demōstrationem acquisita.

Antecedens probatur: nam omnis regula artis demonstrari potest sicut proprietas de suo subiecto, imo omnes regulæ inuentæ sunt per discursum euidentem, vt manifestè constat in Medicina, & Philosophia morali.

Nam Philosophia moralis, quæ est Ars, & maximè practica, cũ tota sit propter mores componendos, procedit sanè modo scientifico, ac resolutiuo, sua habens principia, quibus nititur. Similiter Medicina, Arithmetica, &c. quæ sunt veræ Artes.

Aristot. Confirmatur hoc primò, ex Arist. 1. *metaph c.1.* vbi supponit artifices suas resolutiones habere, reddendo causas eorum quæ faciunt, in hoc què distingui ab eis, qui manibus operantur opus ab ipsis imperatum. Verba eius sunt: *Eos, qui Artem tenent, quã eos qui experientiam habent, sapientiores esse putamus: hoc autem quoniam illi sciunt causam,* &c. *Quare & eos, qui in quacumquè re Architecti sunt, honorabiliores, & doctiores, ac eis qui manibus operantur, sapientiores putamus: quoniam causam eorum quæ fiunt scimus*: ergo Artes ex mente Aristot. procedunt modo resolutiuo, & scientifico, reddendo causam conclusionis.

D.Thom. Secundò confirmatur authoritate S.Thomę, 1.*p.q.39.art.2.* vbi ex professo docet, quod sicut ratiocinatio speculatiua nititur principijs speculabilibus; ita ratio practica sua habet principia operabilia per se nota, ex quibus conclusiones deducit, demonstratiuè, ac resolutoriè procedens. Et *opusc.70. q.5. art.1. ad.4.* idem de Medicina fatetur.

Neque oppositũ alibi docet: nam *in solutione illa ad tertium obiecta in ratione dubitandi*, Artem propriam vocat eam, quæ versatur circa opera exteriora, & has dicit scientias non esse eo modo, quo communiter ab hominibus traduntur; quia non per veram demonstrationem, sed per fidem & experientiam a rudis hominibus comparantur; Artes verò liberales simpliciter sciẽtias esse, quia non nisi modo sciẽtifico, & resolutorio communiter docentur; cuius ratio discriminis est, quia opera seruilia, quæ intenduntur per Artes mechanicas, magis rudioribus hominibus congruunt; opera verò spiritualia, vt nobiliora a doctioribus, & altioris ingenij appetuntur, & quia in his est maior capacitas, & in illis potius deffectus illius, hinc est, quod perfectiori modo Artes liberales comparentur, quia vnumquodque iuxta modum recipientis recipitur. Deniquè hoc declarabitur ex questione sequenti, & ex solutione fundamenti oppositi.

Sa-

Satisfit fundamentis oppoſitæ ſententiæ.

Ad oppoſitum fundamétum reſpondeo, etiam artem, vel ſciētiam practicam procedere modo reſolutorio, reſoluendo. s. cōcluſiones in ſua principia certa, & euidentia, ex quibus illas deduxit, ſed non omnis reſolutio eſt ſpeculatiua, niſi ſolum quando intenditur propter ſe ab intellectu tanquam finis, in quo vltimò quieſcat eius intentio; cæterum ſi non ſiſtat in tali reſolutione, ſed illam ordinet ad aliquod opus faciendum, talis reſolutio erit eſſentialiter practica & Ars: quia reſpicit ſuum obiectum vt operabile, vt dicetur poſtea.

Sed addendum eſt pro maiori intelligentia, non ideo artem dici procedere modo compoſitiuo, ex eo quod immediatè, & per ſe componat, aut operetur ſuum obiectum, ſed ex eo tantū quod docet, & probat quomodo conficiendum ſit ſuum obiectum a potentia exequente.

Ex quo coligitur, quod licet mediatè, ideſt, mediante potentia executiua, quam dirigit, procedat componendo; immediatè, & ratione ſui procedit primò reſoluendo; quia antequam dirigat in exercitio potentiam ad operādum pro hic, & nunc, demonſtrat regulas in communi, quibus ſuum obiectum conſtrui debet, deducendo eas ex certis principijs, & euidentibus.

Ex quo patet iam in forma ad primam rationem. Diſtinguenda enim eſt maior: ſi enim ſic intelligatur, quod ſcientia in communi ſumpta ſolū intendat cōgnoſcere proprietatem, & illam demonſtrare de ſuo ſubiecto, neganda eſt. Si verò ſenſus illius ſit omnem ſcientiam demonſtrare proprietatem de ſuo ſubiecto, abſtrahendo ab hoc quod talis proprietas attingatur vt operabilis, & componibilis cum ſuo ſubiecto, vel vt purè ſpeculabilis ſiſtendo in ſola contemplatione illius tanquam in fine; ſic vera eſt, & nobis minimè contraria.

Ad confirmationem reſpondebitur clarè quæſt. 3. nunc breuiter dico, quod licet modus cōpoſitiuus quantum ad executionem & vſum ſit contrarius modo reſolutiuo; cæterum ars non procedit ſemper hoc modo compoſitiuo, ideſt actu dirigendo potentiam executiuam ad operandum pro hic, & nunc: hoc enim ſolum præſtat in quantum vtēs, ſed prius in quantum docens demonſtrat modo reſolutorio regulas, quibus poſtea vti debet potentia, cum voluerit ad componendum opus; vnde ſecundū diuerſos actus non repugnat illi vterquè iſte modus.

Ad ſecundum reſpond. negādo, quod omnia prima principia ſint ſpeculatiua: quia etiam dantur

tur plurima principia practica, vt patet in ſcientia morali: *Bonum ſequendum, & malum fugiendũ*; & in medicina Aritmetica, & alijs ſcientijs; imo ex hoc deducimus dari ſcientias, & concluſiones practicas, & habitum primorũ principiorũ eſſe partim practicum, & partim ſpeculatiuum.

ARTICVLVS V.

Satis fit rationi dubitãdi initio poſitę.

EX dictis colligitur primò pro ſolutione rationis dubitandi, ſcientiam tripliciter accipi poſſe. Primò latè pro cognitione certa, & euidenti abſtrahendo à diſcurſiua, & nõ diſcurſiua, qualis eſt cognitio actualis, vel habitualis primorum principiorum, & ſic eſt genus ad quinque illos habitus, ſeu virtutes mẽtis ſupra enumeratas. Secundo magis ſtrictè ſcientia ſumitur pro cognitione certa, & euidenti acquiſita per demonſtrationem, quo ſenſu deffiniuit eam Ariſt. *1.poſter.c.2.* & ſic eſt genus ad quatuor habitus ex quinque illis enumeratis, ſcilicet ad Sapientiam, Scientiam, Artẽ, & Prudentiam. Tertiò ſtrictiſsimè conſiderari poteſt ſcientia, pro illa, quæ tantum eſt ſpeculatiua; vel reſpiciens aliquo modo ſpeculationem tãquam finẽ. Non quamcumq; ſpeculationẽ; *Ariſtot.* quia illa, quæ fit per primas, & altiſsimas cauſas, vocatur Sapiẽtia, & diſtinguitur à ſcientia hoc modo ſumpta: ſed eam, quæ fit per inferiores cauſas, quę tãtum ſunt primæ, & vltimæ in aliquo genere, & non vniuerſaliſsimæ reſpectu totius cognitionis humanæ. Et ſic ſcientia cõſtituitur forte ab Ariſt. vt 3. ſpecies illius numeri, & diſtinguitur realiter ab Arte, & à Sapientia tanquam ab ſpeciebus oppoſitis. Ita docere videtur S.Tho.1.2. *q.art.2.in in corpore*, dicens: tres priores virtutes eſſe ſpeculatiuas; & in ſequenti articulo alias duas, ſcilicet, Artem, & Prudentiam eſſe practicas. *S. Thom.*

Sed contra dices primò, quia nulla apparet ratio, quare Ariſt. ſcientiam ſpeculatiuã intellexerit ſub nomine generico ſciẽtiæ, & non practicam, ſi apud illum erat verè ſciẽtia. Nec ſufficit reſpondere, quod quia ſcientia ſpeculatiua eſt perfectior, quã practica, ideo quaſi per excellẽtiam, & antonomaſiam dicitur ſcientia: quia ſi hoc attenderet Ariſt. ſapientiam vocaret ſolo nòmine ſcientiæ, quia longè præſtantior eſt, & omnes ſpeculatiuas ſupereminens ſcientias: ſignum ergo eſt, ideo tantum habitus ſpeculatiuos appellaſſe ſcientias, quia illos tantum exiſtimauit ſcientiæ participare rationem.

Secundo obijcies cõtra diuiſionem ſic expoſitam; quia vel per

per artem intelligátur ab Aristotele omnes scientiæ practicæ, tam mechanicæ, quam liberales. Et hoc non: quia aliàs non constitueretur prudentia species distincta ab arte, cum contineatur sub illa tanquam sub genere. Vel intelligũtur tantum scientiæ practicæ mechanicæ, aut seruiles, & sic sequitur, vel diuisionem Aristotelis esse diminutam, vel Logicam, & cæteras artes liberales non esse virtutes mentis: quia nullum est membrum, ad quod reduci posśint. Probatur sequela: quia non ad scientiam, cum tantum intelligatur de scientia speculatiua, Logica verò, & aliæ sint artes, & scientiæ practicæ, vt magis patebit postea. Neque ad artem, cum ibi intelligatur ars seruilis tantum, Logica verò, & aliæ artes liberales sint. Neque ad prudentiam, vt constat: ruit ergo tota doctrina posita, atque adeo magis dicendum esset iuxta rationem, & Aristotelis mentem, Logicam scientiæ & non artis participare rationem.

Soluitur triplex obiectio.

Sed ab hoc vltimo incipiendo respondetur, dupliciter posse intelligi diuisionẽ illam. Primò, ita vt sub nomine *scientia*, tantum speculatiuæ intelligantur, vt dixi, & sub arte, omnes scientiæ practicæ, tam liberales, quã seruiles, excepta Prudentia, quæ numeratur distincta ab alijs, propter specialem eminentiam, qua cæteris ante fertur; sicut Sapientia propter hanc rationem distincta ponitur ab alijs scientijs speculatiuis. Excellit autem Prudentia reliquos habitus practicos in ratione virtutis (secundũ quam præcipuè quinque isti habitus enumerantur hic ab Aristotele) quod cæteri solum conferunt facultatem bene operandi, prudentia verò addit etiam bonum vsum. Respicit enim appetitum rectum, ideoque imprudens dicitur, & repræhenditur, qui sciens regulas Prudentiæ operatur contra illas, non autem in quauis alia arte vituperatur quis ob deffectum in vsu, sed solum propter imperitiam in facultate operandi; & quia virtus eo præstantior, quo magis ad vsum accedit, ideo Prudentia excellentior est in ratione virtutis: quod totum est S. Thom. *quæst. citata, art. 4.* D. Thom.

Et iuxta hunc sensum, ad primam obiectionem respondetur, duplicem fuisse rationem, quare Philosophus scientiam tantum speculatiuam explicuerit sub nomine generico scientiæ. Prima, quia nulla vox simplex hactenus inuenta fuit ad explicandam scientiam speculatiuã, sicut nomen Ars fuit inuentum ad scientiam practicam nominandam, & nomen Sapientia

ad significandam præstantissimam illam omnium scientiarum speciem, atquè adeo cum conuenientior fiat diuisio per voces incomplexas, prudenter accommodatum fuit nomen genericum scientiæ, habitui speculatiuo.

Nequè est insolitum, sed consuetudo frequens in alijs scientijs: in capite enim de qualitate, duæ primæ qualitatis species dicuntur *habitus*, & *dispositio*, non obstante, quod dispositio significet rationem genericam respectu vtriusque speciei, quia ex inopia vocum accommodatur nomen generis alicui speciei, sic etiam in materia de Trinitate Theologi processionem Verbi diuini generationem vocat, processionem verò Spiritus sancti nomine generico processionis appellant, vel spirationis, quia nulla alia vox incomplexa imposita inuenitur ad illam significandam. Sic etiam cum secunda persona Trinitatis Filius dicatur & Verbum, tertia dicitur Spiritus sanctus, quę vox communis est.

Secunda ratio sumi potest ex speciali ratione scientiæ speculatiuæ postea latè explicanda: quia in hoc distinguitur a scientia practica, quod illa respicit vt finem intrinsecum ipsum scire; hæc verò non, sed operationem, & idcirco Aristoteles postea citādus inquit *Per scientiam speculatiuā scimus vt sciamus, per scientiam practicam scimus vt operemur.* Atque adeo meritò nomen sciētiæ illi specialiter accommodatur, sumpta denominatione a fine sciendi quem specialiter respicit, & in quo distinguitur a sciētia practica.

Secundò potest intelligi diuisio illa, ita vt per artem intelligātur tantum seruiles, prout communiter traduntur absque modo scientifico, vt conferunt facultatem bene operandi per fidem magistrorum & experientiam comparatā, quomodo magis propriè, & simpliciter artes dicuntur, vt sentit D. Thom. citatus, & per scientiam omnes tā practicæ, quam speculatiuæ significantur, quæ modo scientifico & resolutiuo semper traduntur.

Dicunturquè omnes speculatiuæ, abstrahendo ab speculatiuo simpliciter, & secundum quid, vt supra notaui ex S. Thoma: quia omnis scientia etiam practica dicitur procedere modo speculatiuo, quando scientificè solum suas conclusiones in communi demonstrat. Et in Logica addi potest specialior ratio, quia non solum quoad modum illum resolutorium, sed etiam quoad obiectum materiale, & quoad finem remotum, speculationem rēspicit vt infra dicam.

Ratio autem huius modi diuidendi est, quia cum hi habitus considerentur hic ab Aristot. vt sunt virtutes, & virt⁹ eo maior,

quo magis ad operationem accedit, hinc eſt quod primo loco ponantur facultates, quæ ſolum reſpiciunt verum vt cognoſcibile, ſcientiæ. s. ſecundò illæ, quæ proximè attingunt illud vt operabile, videlicet artes modo dicto. Tertiò illæ, quæ vt actu operatum reſpiciunt, vt prudentia; de quo latius S. Thom. 1. 2. & 2. 2.

D. Thom.

Sed deniq; obijcies: Ars verſatur circa ſingularia, & contingentia; ſciētia verò circa vniuerſalia, & neceſſaria. Ars circa ea, quæ habent principium in nobis, & ſcientia circa ea, quæ habent principium in natura: ergo idem habitus non poteſt ſimul eſſe ſciētia & Ars. Et quod magis eſt Ariſt. propter hanc rationem, artem excludit a ratione ſcientiæ, atque, ſcientiam per ſe demonſtrare rem per cauſas; artem verò per accidens.

Ariſtot.

Sed faciè reſpondetur, ad primum, diſtinguēdo duplicem actionem, quam habet Ars. Aliam, quæ illi primo conuenit in quantum docens, qua reſpicit ſuum obiectum in communi, tradendo, & demonſtrando de illo regulas, & præcepta. Et aliā, quæ illi conuenit in quantum vtens, quę actu dirigit potentiam executiuam ad hoc, vel illud opus exercēdum pro hic, & nūc. Et hæc poſterior reſpicit ſingularia, & ratione illius diſtinguitur Ars a ſcientia vt talis eſt, quæ nunquam ad ſingularia deſcendit, ſed ſemper ſiſtit in conſideratione vniuerſali ſui obiecti. Et hoc intendit Philoſophus, quod. s. Ars in quātum opus reſpicit in particulari, recedit a modo ſcientiæ, & operatur ſolum vt Ars. Ad ſecundum reſpondetur illud eſſe verum de ſcientia ſpeculatiua tantum, non verò de practica, vel arte.

QVAESTIO II.

Vtrùm, Logica ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua.

ARTICVLVS I.

Quid ſit ſcientia practica, quid verò ſpeculatiua.

Licet quæſtionis huius reſolutio iam ſupra tacta ſit, indiget maiori examine, & fuſsiori diſputatione; quare priꝰ præmittēda eſt ratio vtriusquè. Scientia enim ſpeculatiua eſt illa, *quæ verſatur circa ſuum obiectum, ſolum conſiderando naturā, & proprietates illius, ita vt in illius cognitione ſiſtat tanquam in fine*. Ideoquè Ariſt. 2. *metaph. cap. 1.*

Ariſtot.

c.1.inquit: *Quod finis scientiæ speculatiuæ est veritas*, idest cognitio veritatis; at scientia practica est, *quæ versatur circa suum obiectum vt operabile est ex vi talis cognitionis*, idest, quæ docet quomodo conficiendum sit aliquod opus, & ex natura sua ordinatur ad constructionem illius tanquam ad finem.

Aristot. Docet itē hoc discrimē Arist.2. met.c.1 & 2.dicēs: *Quod practici actus quærunt scientiam operis gratia, speculatiui autem gratia ipsius.* Idem etiam 3.*de anima*, c.10.tex.50.vbi ait: *Practicus alicuius gratia ratiocinatur, & est principium agendi. Speculatiuus autem est, qui sola sistit in contemplatione obiecti.* Idem etiam S.

D.Thom. Thom.*in eisdem locis, & insuper*, 1.p.q.14.*art.16.* & 1.2.& 2.2. postea citandus. Vnde est vulgatum illud assertum, *per scientiam speculatiuam scimus, vt sciamus; per scientiam practicam scimus vt operemur.*

Ex quo infero primo, differētiam essentialem inter practicū, & speculatiuum sumendam esse ex fine proximo, & immediato ipsius scientiæ, non verò ex fine remoto, & mediato, vel ex fine scientis, qui accidentales sunt. Potest enim contingere quod aliquis scientiam speculatiuam acquirat, non propter sciendum, sed propter lucrum aliquod, vel honorem. Potestquè etiam artem constructiuam domus, vel medicatiuam corporis, animo se recreandi, aut sciendi, exercere, & non operis gratia, & nihilominus posterior hæc erit simpliciter practica, & prior illa speculatiua, quia finis extrinsecè præfixus a sciente per accidens est respectu talis scientiæ, ideoquè illam intrinsecè variare nequit: aliàs enim eadem scientia modo practica esset, modo speculatiua iuxta scientis beneplacitum.

Sic intellige S.Thomam, quā do ait, 1.p.q.14.art.16. *Artem domificatiuam, quæ agit de modo quo fit domus, non tamen animo ædificandi, speculatiuam esse ex fine.* *D.Thom.* Loquitur enim de fine accidentali, qui de foris aduenit substantiæ actus, & idcirco addit dicendam esse speculatiuam secundum quid. Similiter in eodem loco distinguit in scientia practica duplicem actionem. Vnam, quæ tantum tradit in communi regulas, & præcepta ad opus efficiendum, non descendendo ad operis exercitium, sed resoluendo cōclusiones in sua principia, & hanc vocat secundum quid speculatiuam, quia animus scientis tantum in resolutione sistit, & non transit ad operis effectionem, in quo sensu literatus vitiosus inhonestè viuens, dicitur speculatiuè tantum cognoscere virtutes morales. Et alteram dicit omnino practicam, qua scilicet intellectus in particulari de operis constructione tractat.

tractat. Quam duplicem actionem infra magis elucidabimus.

Hinc enim aliqui decepti fuerunt, dicentes scientiam simpliciter speculatiuam esse, quæ licet doceat operari, non tamen modo operabili. Nã si docet operari, modo operabili necessario docet; quoniam docere modo operabili est præcepta tradere operationis faciendæ ex vi illius notitiæ, cum defffinitio scientiæ practicæ, eatenus versari dicatur circa obiectum vt operabile, quatenus docet quomodo operandum sit, & eatenus dicitur ad operationem sui obiecti ordinari tanquam ad finem proximum quatenus illud operari docet. Aequiuocantur autem hi authores in fine proximo, & remoto, essentiali, & accidentali: vtrumquè confundentes, & non attentè legentes distinctionem S. Thomæ loco citato inter speculatiuum simpliciter, & secundum quid, quod infra latius exponam.

Ex dictis colligitur, quod scientia practica debet esse principium operandi suum obiectum, & nõ sufficit quod sit principium operandi suum actum, hoc enim secundum etiam scientiæ speculatiuæ congruit, quæ efficienter suos actus ellicit, & consequenter respicit illos vt operabiles a se ipsa; vt benè notat S. Thom. *1.2. quæst. 57. art. 1. ad 1.* D. Thom. distinguitur ergo scientia practica ab illa, in hoc, quod medijs suis actibus operatur etiam suum obiectum in genere causæ dirigentis, vt dicam.

Quomodo scientia practica respiciat suum obiectum modo operabili.

Solet esse magna confusio in intelligenda operabilitate scientiæ practicæ, estquè necessaria illius intelligentia ad resolutionem huius quæstionis. Primò certum est, scientiam practicam non immediatè influere in suum obiectum efficiendo illud, sed tantum in genere causæ dirigentis concurrere. Ita S. Thom. *1. par. quæst. 79. artic. 11. ad. 1.* vbi ait: *Quòd intellectus est motiuus, non vt exequens motum, sed vt dirigens ad motum.* Et *1.2. quæst. 9. artic. 1. in fine corporis.* D. Thom. Et *quæst. 17. artic. 1. & 5. ad secundum.* Et *quæst. 18. artic. 2. ad 2. & 4. & alibi sæpè.* Generaliter docet, vel supponit intellectum non aliter operari aliquod opus externum, nisi media volũtate, & cæteris potẽtijs, illis proponendo opus faciendũ, & sæpè vtitur voce rationis dirigentis. Et ratio est, nã cognitio hoc tantũ modo potest esse causa alicuius operis: dictando, s. vel docendo, quomodo opus ipsum fieri debeat, vt patet in scientia morali, Medicina, & alijs artibus, quæ hoc modo operãtur obiecta sua.

Secun-

Secundò conueniunt omnes, non sufficere ad notitiam practicam quod sit de re in se operabili a parte rei nisi versetur circa illud modo operabili, respicere autem obiectum modo operabili est concurrere ad illud, dictando potentiæ executrici, quomodo illud facere debeat, ita vt opus ipsum pendeat in suo fieri a directione talis cognitionis. Itaquè scientia practica sic deffiniri potest. Est illa, *quæ potentiam dirigit ad efficiendum.*

Constat hæc doctrina primò: quia operabilitas obiecti, si non proueniat aliquo modo ab ipsa scientia, sed ex alijs causis, non variat magis rationem scientiæ, quam quodlibet aliud prædicatum reale, quod obiecto tantum in genere rei conueniat; nam operabilitas obiecti, etiam speculabilis cõsideratur ab aliqua sciētia: debet ergo ipsamet scientia operatiua esse, vt practica nominetur, vt ex communi modo loquendi patet: alioquin non distingueretur ab speculatiua ex intrinseco modo procedendi sui ipsius, sed ex conditione materiali obiecti.

Secundò constat, quia scientia quam habet Philosophus, de modo, quo cibus decoquitur in stomacho, & quo ex vi seminis generatur proles, est sine dubio speculatiua, quia licet sit de re vt operabili, non vt operabili ex vi talis cognitionis, sed ex vi aliarum causarum naturalium. Angelus similiter scit modum, quo ipse fit a Deo, & nemo talem scientiam practicam dicet; sed ratio horum, & similiũ est: quia horum obiectorum operabilitas non prouenit ex directione talis cognitionis, ità vt ipsa denominari possit operatiua.

Dices: Angelus scit practicè Logicam, cum non possit habere actus Logicos, sed tantum, quia illam potest hominem docere: ergo non est necessarium, quod scientia practica sit operatiua. Respondetur negando antecedens, quia Angelus practicè scit quomodo docere possit hominem Logicam, ipsam autē Logicam speculatiuè cognoscit.

Hinc modo intelligitur deffinitio alia, quæ communiter traditur pro scientia practica, scilicet est illa, *quæ versatur circa obiectum quatenus operabile est ab habente talem cognitionem.* Cum enim cognitio quia practica operatiua debeat esse, saltem vt dirigens; necessariò denominat subiectũ habens illam, operans obiectum. Solet occasione huius disputari an habens talem scientiã debeat concurrere ad obiectum, non solum vt dirigens, ex vitalis cognitionis, sed etiam vt exequens obiectum practicum. Sed quæstio est impertinens ad nostrum propositum. Per se loquendo solum requiritur, quod cognitio practica dirigat potentiam executricē

ad opus, quod autem hæc potētia exequens sit semper in eodē subiecto cognoscente, vel in alieno supposito parum refert ad intrinsecam illius rationem.

Dici etiam solet communiter scientiam practicam respicere suum obiectum modo compositiuo, sed non ita rigorosè intelligas, quod semper munus illius sit propriè componere: nam sciētia, quam Deus habet de Angelo, est practica & tamen non inducit formam in materiam, quia Angelus ea compositione caret. Quod si dicas quod saltem componitur ex natura & supposito. Potest Deus creare etiam solam naturam absquè supposito, vel qualitatem absque subiectó, & tamen non ideo scientia talis effectus speculatiua erit: intellige ergo per compositionem, quamcumque voluntatis applicationem ad opus.

ARTIC. II.

Vbi ipsosmet actus intellectus posse habere rationem praxis, statuitur, & probatur.

OBserua primò aliud esse praxim, & aliud cognitionem practicam. Praxis est obiectum scientiæ practicæ, & cognitio practica est actus illius. Deffiniri autem solet praxis a pluribus recentioribus sequentibus in hoc Scotum, sic: est *Actus alterius potentiæ ab intellectu posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ*. Quæ deffinitio probatur primò ex Arist. 3. de *anima, cap*. 10. *text*. 50 asserente *Intellectum extensione fieri practicum* idest quatenus habet finem extrà se: ergo praxis debet esse opus extra intellectū. Rursus, 2. *metaph. c*. 1. docet obiectum scientiæ practicæ debere esse contingens, & liberum. Et 6. *metaph c*. 1. diuidens sciētiam practicam in actiuam & factiuam: factiuam appellat, quæ versatur circa opera externa, & actiuam, quæ respicit actiones volūtatis; & obiecta per ipsas eligibilia secundum prudentem rationem. Et idem habet in 6. *æthico. c*. 10. vbi docet scientiam practicam versari circa actiones internas, quarum principium est electio: ergo operationes intellectus ex mente Arist. non sunt praxis, & consequenter, neque obiectū scientiæ practicæ. *Aristot.*

Secūdò probatur ex D. Thoma, 1. 2. *q*. 57; *art*. 1. *ad*. 1. vbi dicit: *Quod duplex est opus, exterius, & interius: practicum ergo, vel operatiuum, quod distinguitur contra speculationem sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculatiuus, sed tantum habet ordinem ad interius* *D.Thom.*

interius opus intellectus, quod est speculari verum. Idemque fatetur, 2.2.*quæst* 179.*art.*2. vbi ait: *Quod finis intellectiuæ cognitionis, vel est ipsa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectum contemplatiuum; vel est aliqua exterior actio, quod pertinet ad intellectum practicum*: sentit ergo praxim esse aliquid extra intellectum: ergo praxis ex mente S. Thomæ debet esse aliquid extra intellectum.

Tertiò ratione probatur: quia nulla cognitio veritatis potest esse praxis, neque habere rationē notitiæ practicæ, nisi vt ordinatur ad praxim: ergo cognitio quæ ordinatur ad aliam cognitionem, neque praxis est, neque practica. Patet consequentia: nam hoc ipso quod vtraque est cognitio, & speculatio, nulla est praxis; nam speculatio, & praxis opponuntur; & hoc ipso quod vna ordinatur ad aliam, non est practica, quia per talem cognitionem scimus vt sciamus.

Confirmatur: quia de ratione speculationis solum est, quod sit propter cognitionem, non verò quod sit propter eadem cognitionem; gratis enim additur rationi speculationis idemtitas illa cognitionis: ergo esse propter aliam cognitionem, dummodo in cognitione sistat, speculatiuum causat, & non practicum: oportet ergo praxim semper esse aliquid extra intellectum.

Statuitur vera sententia.

Oppositam tamen sentētiam semper veram existimaui, nimirum etiam ipsosmet actus intellectus posse induere rationem praxis, & consequenter obijci cognitioni practicæ: amplectiturque magis communiter prædictus modus dicendi. Docuit illum S.Thom.1.2.*q.*57. citata, *art.*3.*ad.*3. vbi ait: *Quod etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum operationis, putà, constructio syllogismi, aut orationis congruæ.* Nequè obstat quod ibi S.Thom. subdit: *Quod quando habitus speculatiui respiciunt huiusmodi opera interna, dicuntur artes liberales per quandam similitudinem, &c.* In quibus verbis supponere videtur habitū respicientē huiusmodi operationes propriè esse speculatiuum, & impropriè practicum. D.Thom. D.Thom.

Hoc inquam non obstat; nam Sanctus Thomas loquitur vniuersaliter de omni arte liberali, vt distinguitur contra mechanicam, quæ strictè tantum dicitur ars factiua, & ars liberalis non nisi per similitudinem ad effectionem operis externi: constat tamē manifestè omnes alias artes liberales, vt Prudentiam, Arithmeticam, &c. esse habitus practicos: ergo eadem proprietate intellexit S. Thom. esse habitum, vel cognitionem practicā,

eam quæ reſpicit conſtructionē ipſorum actuum intellectus.

Ratione itē probatur deſumpta ex verbis S. Tho. quia omnis actio, vel opus, quod poteſt obijci directioni, aut regulis Artis, ita vt ab illa pendeat in ſuo fieri, eſt praxis; ſed actus intellectus poſſunt artificioſè diſponi, & dirigi, vt latè Probavimus ſupra ſect. 2. ergo vt ſic ſunt praxis, & obiectū cognitionis practicæ. Patet conſequentia ex definitione ſcientiæ practicæ, quæ in hoc ſolum cōſiſtit, quod reſpiciat ſuum obiectum, vt operabile eſt ex vitalis cognitionis: ergo ſi actus intellectus ſunt operabiles ex vi alicuius cognitionis, veraciter conuenit illis ratio praxis.

Confirmatur; quia non minus conuenit operabilitas actibus intellectus, quam actibus voluntatis; imo potius actus intellectus frequenter dicūtur artificioſè diſponi, fabricari, conſtrui, &c. quod nunquam dicitur de actibus volūtatis, & in ſentētia probabili, quam tenent multi ex oppoſitis authoribus, ſcilicet, huiuſmodi actus eſſe qualitates realiter compoſitas ex pluribus conceptibus realiter diſtinctis, conſequenter dici poſſunt operabiles ita propriè, ac quodlibet aliud opus externum, ſed actus voluntatis, & quodlibet aliud opus quomodocumque operabile, aut dirigibile eſt praxis, & obiectum cognitionis practicæ: ergo etiam actus intellectus. Patet conſequentia; quia nulla rationabilis diſparitas adduci poteſt.

Secundò efficaciter hoc demonſtratur; quia ratio practici, & ſpeculatiui, & diſtinctio eſſentialis inter vtrumq; nō deſumitur ex obiecto materiali, quod attingitur, ſed ex formali ratione ſub qua attingitur: poteſt enim obiectū materiale, vel in eſſe rei ſcientię ſpeculatiuę eſſe aliquod opus, vel ſaltem non eſſe cognitionem, aut ſpeculationem, ergo ad rationem notitiæ ſpeculatiuæ ſufficit, quod reſpiciat ſuum obiectum, quodcūque illud ſit, ſub ratione ſpeculabilis; id eſt intendendo ſolum in contemplationem, & non in operationem illius, ac proinde quod obiectū cognitum ſit ſpeculatio in re, eſt quid materiale, & per accidens reſpectu ſcientiæ ſpeculatiuæ: ergo ita ſimiliter è contra obiectum materiale, quod attingitur à ſciētia practica, poteſt eſſe ſpeculatio, vel cognitio, dummodo intendatur modo operabili.

Declaratur hoc amplius, aduertendo ipſammet ſpeculationem, & poſſe conſiderari in ordine, ad ſuum obiectum, quatenus eſt contemplatio illius, & etiam quatenus ipſa cognoſcitur per alium actum, ſicut quilibet actus directus cognoſcitur per alium reflexum.

Sub

Sub priori ergo ratione vt cognitio est, dicitur formaliter speculatio, sub posteriori vero minimè, sed obiectum cognitum. Vnde sicut non est impossibile idẽ secundum diuersas considerationes esse cognitionem, & obiectum cognitum per alium actũ, ita nec repugnabit idem esse in se speculationem, & obiectum cognitum per actum practicũ, ac proinde licet cognitio speculatiua, & practica inter se opponantur, non tamen speculatio & praxis; sicut nec cognitio practica, & speculatum: quia ipsamet speculatio in quantum obiectum alterius actus, potest esse dirigibilis, & operabilis, vt probatum est; sicut ipsamet cognitio practica potest speculabilis esse, &per notitiam cognosci speculatiuã.

Ex qua doctrina sic argumentor: quando cognoscitur ipsamet speculatio per alium actũ, vel sistit intellectus in cognitione talis speculationis tanquam in fine, & sic erit speculatiua sine dubio talis cognitio, non quia respicit rem, quæ est speculatio (aliàs scientia de homine, vel de cœlo speculatiua non esset) sed quia respicit eam modo speculabili, sistendo in illius consideratione tanquam in fine. Vel ergo intellectus non ponit finem in consideratione talis speculationis, sed in ipsa, prout operabilis est, tribuendo regulas, quomodo fieri debeat, & sic minimè speculatiua potest dici. Quod euidenter meo iudicio sic probo; quia scientia speculatiua debet intendere vt finem speculationẽ formaliter vt speculatio est; sed talis notitia, vt explicata est, non intendit seipsam vt finem, vt cõcessum est; neque speculationem per ipsam cognitam, vt cognitio est, sed vt obiectum taliter cognitum est: ergo nullam cognitionem formaliter vt finem intendit, sed tantum materialiter, & in esse rei; ac proinde non potest cognitio speculatiua dici.

Satisfit argumentis oppositis.

Ex dictis patet quam valde decipiantur authores oppositi, distinctionem essentialem vtriusquè scientiæ solum penes ordinem ad obiecta materialia considerantes, & quam facilè solui possunt eorum fundamenta; sed vt eo ordine soluantur, quo proposita sunt. Ad primum illud axioma, *intellectum extensione fieri practicum*. Respondeo ibi intellectum non tantum accipi ab Arist. & S. Thoma pro potentia intellectiua, sed pro actuali intellectione practica, de qua verum est, habere finem extra se, videlicet opus, quod dirigit, siuè sit actus eiusdem potentiæ, siuè non: nam actus dirigens debet esse extrinsecus actui regulato etiam eiusdem potentiæ, vt patet: & in hoc distinguitur scientia

tia

tia practica ab ſpeculatiua: quia hæc nullo modo habet finem extra ſe, cum ſe ipſam vt finem reſpiciat: nam eo ipſo quod proprium obiectum attingit formaliter vt ſpeculabile a ſe ipſa, conſtituit finem in ſpeculatione obiecti, & conſequenter in ſe ipſa.

Patet hæc expoſitio ex alijs locis vtriuſque. S. Thom. enim. *opuſc.70.q.4.ar.1 ad 2.* ait, *cognitionē ſcientiæ ſpeculatiuæ, quæri propter ſe ipſam,* & Ariſtot. 1. *Metaph.c.2. ait ſcientiam practicam eſſe, quæ nō eſt gratia ſui ipſius, ſicut ſpeculatiua, ſed gratia alterius rei diſtinctæ.*

Ex quo ſoluta manet vltima cōfirmatio oppoſitę ſentētię. Videlicet quomodo non ſit gratis additū, ſed neceſſariū ad rationē ſpeculationis, quod tendat in ſe ipſam tanquam in finem, & non extra ſe ſicut notitia practica: hoc enim ſufficienter colligitur ex ratione ſub qua dicta.

Patet etiam ex hoc ſolutio ad ſecundam probationem ex D. Thoma, quę hoc tantū probat. Videlicet ipſum per opus externum intelligere obiectum cognitum per notitiam practicam, quod reſpectu cognitionis externum eſt, extrinſecè què ab ea denominatum, etiam ſi aliàs tale obiectum cognitio ſit, & intrinſecū reſpectu potentię cognoſcitiuę. Patet euidenter hæc expoſitio ſi aduertenter legatur argumentum, quod ſoluere intēdit ſanctus Doctor, 1.2. quæſt. 57. art. 1. ad 1. *in ſolutione illa ad D. Thom. primum.* Erat enim argumentum habitus intellectuales non ſunt operatiui, niſi tantum practici: ergo nō ſunt virtutes quę debent eſſe operatiuæ. Et reſpōdet: *etiam habitus ſpeculatiuos operatiuos eſſe, cū hoc tamen diſcrimine à practicis, quod illi operantur ſuos actus internos, quibus exteriora ſpeculātur obiecta, hi verò exteriora etiam operantur obiecta, & in ordine ad illa practici dicuntur.* In quo ſenſu etiā loquitur 2. 2. patet què hic modus loquendi ex alio ſimili, quo vtitur 1.2.q.20. quam inſcribit *de bonitate & malitia externorum actuum,* & præcedentem *de bonitate, & malitia interioris actus voluntatis* & tamē per actum externum contra interiorem condiſtinctum, intelligit non ſolum actus exteriores aliarum potentiarum; ſed etiam ipſos met actus voluntatis, quatenus obijciūntur, & imperātur ab alijs actibus eiuſdem, quia ſic externi dicuntur, extrinſecè què ab alijs denominati: ſic ergo in præſenti.

Ad reliqua teſtimonia Ariſt. Reſpondeo 1. quod ſi intelligenda eſſent iuxta ſenſum oppoſitę ſententiæ, probarēt ſolos actus voluntatis habere rationem praxis, ſolam què prudentiam eſſe artem liberalem practicā, quod eſſe falſum patet ex dictis.

2. Dico

Dico 2. Aristotelem solum velle Sciẽtiam practicam in hoc distingui ab speculatiua, quod hæc respicit vniuersalia, & necessaria; illa verò se extendit ad singularia, & contingentia. Hæc autem eo ipso, quod respiciuntur per scientiam practicam, vt à nobis factibilia, debent esse libera, & eligibilia per actus voluntatis nostræ, saltem regulariter, & ferè semper; nam scientia practica non aliter concurrit ad opus, quam immediatè dirigendo voluntatem, illique proponendo modum, quo opus faciẽdum, vel agendum sit; & mediante voluntate dirigit, & applicat potentiam executiuam, quæcumque illa sit, ad operandum: est igitur necessariũ, quod obiectum cognitionis practicæ sit aliquod liberum, & voluntati nostræ subiectum; atque adeo, quia actus intellectus non possunt artificiosè disponi, & dirigi nisi media voluntate liberè applicante ipsum intellectũ ad cõstructionem syllogismi, &c. (ad eum modum, quo applicat quãlibet aliam potentiam executricem ad suũ opus:) hinc est quod proprissimè illis conueniat ratio praxis.

Sed dices, doctrina hæc habet locum eodem modo in Arte factiua, aut seruili, quam in actiua, sed Arist. in testimonijs adductis solum loquitur de sciẽtia practica actiua, distinguitq; illam a factiua, per hoc, quod illa respicit actus voluntatis, seu eligibilia; ista verò opera externa: ergo minimè cõsentanea est Aristotelis menti.

Respondeo quod discrimen Aristo. inter practicũ actiuũ, & factiuum non consistit in hoc, quod primũ respiciat actus voluntatis ut praxim, aliàs tantum Prudentia, ut dixi, esset scientia practica actiua; sed in hoc quod primum respicit actiones immanentes seu internas, quarũ principium est electio, vel quæ ex libera voluntate nostra pendent. Secundum autem respicit actiones transeuntes, seu externas, quas supponit, vt per se notum, esse liberas, & subditas voluntatis imperio, & Artis directioni. Solũ enim hoc expressit in obiecto practici actiui, eo quod de actionibus immanentibus, & internis est maior difficultas, an habeãt rationem praxis, & quænam dirigi possint à sciẽtia practica, & concludit solum eas esse, quæ sub electionem voluntatis cadunt, ut excludat actiones, quæ liberum antecedunt volũtatis imperium. Qua etiam ratione motus indeliberati, etiam ipsiusmet voluntatis sub prudẽtiam non cadunt, quia rationem praxis nullatenus inducere valent.

Ad rationem, & eius confirmationem, iam patet ex dictis, non sufficere ad notitiam speculatiuam

latiuam, quod respiciat specula-tionem, vt obiectum quod, & materiale, sed requiritur, quod respiciat illam sub ratione spe-culabilis, nam ratio sub qua, & modus cognoscēdi est ratio for malissima specificans scientiam, & distinguens illam ab omni alia, ut præcedenti etiam sectio-ne vissum est.

ARTIC. III.

Proponuntur quatuor sententiæ circa hanc quæstionem.

PRimò non defuerūt aliqui, dicentes Logicam, nec prac ticam formaliter, neque spe-culatiuam esse, quod probant au thoritate Arist. 1. *Topic. c. 9.* Vbi docet problemata omnia prac-tica esse aut contemplatiua, aut quæ ad hæc conducunt, quod tertium genus, *c. 12. eiusdem li-bri*, vocat *problemata Logica-lia*: ergo ex mente Arist. Logica nec est inter practicas discipli-nas, nec inter speculatiuas.

Secundo, quia 6. *Metaphi-phys. in principio* inter scientias practicas, nec inter speculatiuas, quas ibi Philosophus numerat, non cōstituit Logicam: signum ergo est neutram participare na turā. Hæc tamen sententia est omnino falsa; quia nulla est in-telligibilis cognitio, quæ non sit practica, vel speculatiua: quod sic probo: nam omnis cognitio est de aliquo: ergo aut est princi pium operandi illud, & sic erit formaliter practica, & habens fi-nem extra se. Aut non est prin-cipium operandi, sed solum sistit in cognitione illius, nullum aliū finem extra se quærendo, & sic est speculatiua, inter quæ extre-ma, cum sint contradictoria, nullum aliud medium, aut ter-tium assignari valet.

Ad fundamentum responde-tur, quod nihil tale dixit Aristo. nec est vllum verbum in toto il-lo libro, vnde colligatur prędic-ta sententia, sed tantum *cap. 5.* inquit: *tria esse problematum ge-nera, aliud naturale, aliud mora-le, & aliud rationale.* Ad secūdū respondeo Aristotelem tantum ibi numerasse scientias reales, quas ferè semper distinguit à ser motionalibus, & rationali, quæ se habet, vt modus sciendi, & janua omnium aliarum; & ideo nihil mirum quod separetur, prę-sertim, vbi non est sermo ex-professo de natura, & distinctio-ne specifica scientiarum.

Secunda sententia asserit, Lo-gicam esse simpliciter, & ade-quatè speculatiuam, & nullo modo practicam. Ita tenent præcipuè quantum ad hanc se-cundam partem Scotus *in pro-logo sententiarum, quæst. 4.* Ca-preol. *ibid. quæst. 2. ad 1.* Aureo-lus *contra 4. conclus.* Bacconus *Sotus.* *Capreol.* *Baccon.* *quæst. 3.*

Antonius quæst.3. Antonius And. 6.Metaph q.3.Iauellus quæst.7.Socin. quæst.6. Flandria 1.Metaph q.8. Herueus quodlib.1.q.3. Auicen. init.Log c.1. Auerr. 7.Metaph. commento 7. Scotus,& Toletus q.4. proœm.& alij. Illorumque fundamentum est iam supra tactum, quia actus intellectus sunt essentialiter speculationes, & nullo modo praxis, sed obiectũ Logicæ sunt huiusmodi actus, vt rectè dispositi in formã rectè sciendi, & speculandi: ergo Logica prout illos respicit, solum potest esse speculatiua.

And.
Socin.
Flandria.
Auicenn.
Auerro.
Scotus.
Tolet.

Præterea probari solet ex August. lib.8. de Ciuit. cap.4. Vbi Dialecticam inter speculatiuas sciẽtias enumerat, & ex S.Tho. 1.2.q.57.art.3. & 22. q.47.art. 2.ad 3.Vbi inquit, *ratio speculatiua quædam facit, videlicet syllogismum,&c. Et opusculo super Boethium de Trinit. q.5. artic. 1. Dialecticam docet esse Theoricam.*

Tertia sententia in opposito extremo docet, Logicam esse adæquatè practicam, & nullo modo speculatiuam, quam probabimus sequenti articulo.

Quarta,& ultima aliorũ sententia est inter duas præcedentes media, quæ nimirum Logicam partim practicam,partimq; speculatiuam constituit, ita ut eminenter vtramque rationem contineat. Tenent hanc sententiam aliqui ex nominalibus, ut refert Ayala *sup.prædic.* Suarez 2.*tom.Metaphis.disp.*44. *in fine.* Vazquez *tom.*1.*in* 1.*p. D.Thom. disp.* 9. *cap.*2.*nu.* 1. & ex recentioribus nonnulli.

Ayala.
Suarez.
Vazquez.

Quæ sententia non aliter probatur, quam coniungendo fundamenta, & authoritates vtriusque sententiæ;quia videlicet Logica procedit circa suum obiectum modo operabili, tradendo regulas, & præcepta ad cõstructionem modi sciendi, & dirigendo actus aliarum scientiarum: & modo speculabili, demonstrando proprietates, ita ut vltimò sistat in earum resolutione,ad sua prima principia,tãquam in fine:ergo vtramque rationem essentialiter,& eminenter participat.

Secundò, quia Logica est ianua, per quam ad reliquas scientias ingreditur,& quasi organũ, & instrumentum eas acquirendi, sed scientiæ aliæ sunt practicæ,& aliæ speculativæ:ergo necessum est Logicam vtramque rationem habere; practicæ quidem,vt introducat ad practicas, & speculatiuæ,vt viam speculatiuis aperiat.

ARTIC. IIII.

Statuitur Logicam minime posse simul practicam, & speculatiuam esse.

Hæc

HAec posterior sententia tripliciter potest intelligi, & quomodocumque explicetur, est falsa. Primò enim supponendo, quod sit duplex habitus essentialiter diuersus, quorum vnus sit practicus, & alter speculatiuus. Secundò, quod Logica sit vnus habitus, non practicus, nec speculatiuus formaliter, sed tantum eminenter vtramque rationem includens. Tertiò, quod licet sit vnus simplex habitus, formaliter vtramque complectatur rationem.

Primus modus duas Logicas constituit, quod omnes negant. Præterea, modus sciendi, ut speculabilis pertinet ad Philosophiam, & Mephysicam, sub diuersis rationibus formalib', vt supra sect. 2. demóstraui: ergo nó potest specificare Logicam aliã essentialiter diuersam.

Secundus modus coincidit cum prima sententia, contra quam satis probaui impossibilem esse scientiam, quę non sit formaliter practica, vel speculatiua. Præterea, vt dicemus postea, Logica habet formaliter quidquid exprimit, & postulat definitio scientiæ practicæ, & in casu, quod fundaméta nostra non sint valida, nón aliter impugnari possunt, nisi probando esse formaliter speculatiuam.

Tertius modus, quem existimo amplecti ab authoribus citatis, etiam manifestè reijci potest. Primò, quia vel scientia illa sistit vltimatè in cognitione veritatis, vel hanc ordinat ad opus aliud tanquam ad finem. Si sistit, speculatiua est, si non sistit, practica, impossibile autem est sistere, & non sistere; est enim cótradictio: ergo impossibile est esse practicam, & speculatiuam.

Confirmatur vrgentius; quia vel ideo resoluit Logica, vt cóponat, & operetur: vel ideo operatur, ut resoluat: vel vtrumque disparatè exercet. Si primum, erit practica. Si secundum, speculatiua. Si verò tertium, erit eo ipso duplex scientia specie diuersa; quia considerat plura, ut plura, vel vt melius dicam, vnum obiectum materiale sub duplici ratione formali essentialiter diuersa.

Secundò confirmatur; quia nullum certum signum, aut indicium habemus ad distinguendas diuersas scientiarum species, & genera, quam diuersitas rationum formalium, quę in obiectis animaduertimus, etiam si obiectum materiale, quod attingitur, sit idem, sed operabilitas, & speculabilitas sunt rationes formales diuersæ constituentes duo genera scientiarum, & scientiam in communi adæquatè diuidentes, vt fatentur authores oppositi: ergo non possunt cócurrere ad vnius simplicis habitus constitutioné.

K 2 Sed

Sed respondent primò authores oppositi Logicam respicere constructionem, & speculationem modi sciendi, vt fines partiales ad inuicem se referentes, ita vt constructio modi sciendi ordinetur ad speculationẽ illius; & ipsi' speculatio ad eandẽ cõstructionẽ; vnde finis primarius, & adæquatus est exacta notitia, & comprahensio modi sciendi.

Secundò respondent ad secũdam confirmationem, nihil repugnantiæ in hoc esse, quod duæ rationes formales in aliqua tertia superiori, & eminentiori vniantur, vt patet in anima vegetatiua, & sensitiua, quæ vniuntur in anima rationali, & in prima, & secunda operatione intellectus, quæ continentur eminenter in tertia, atque ita, eàdem proportionabili ratione vnam scientiam superiorem eminenter continere posse rationes, & modos specie diuersos scientiarum inferiorum. Quæ non propterea dicenda est, esse in duplici specie, sed in alia eminẽtiori explicata; sicut de Theologia id concedit S. Thom. *1.p. quæst.1. artic.4.* & de medicina, videtur manifestum, in qua corpus respicitur practicè, vt sanabile, & etiam habet definitionem, & proprietates speculabiles, scilicet talem complexionem, & qualitates, in quarum notitia nihil de opere faciendo traditur. Similiter est illi contemplatio herbarum, earum virtutes demenstrans: ergo est partim practica, & partim speculatiua.

S. Thom.

Sed neutra responsio est sufficiens. Non prima; quia committit circulum manifestè vitiosum, qualis est, quod duo sint ad inuicem causæ in eodem genere causæ, quod, vt dicetur disputatione vltima, est impossibile; ergo ita similiter impossibile erit, quod eadem speculatio modi sciendi sit causa finalis, propter quam intenditur eius constructio, & sic etiam effectus pẽdens ab ipsamet constructione modi sciendi tanquam à fine.

Præterea non soluitur ratio à nobis supra facta, etiam si admittatur circulus iste, videlicet, quod sequatur duplex Logica essentialiter diuersa ex dicto modo dicendi. Probatur manifestè, quia speculatio vel potest considerari quatenus ordinatur ad operationẽ modi sciendi, vt ad finem, & sic concedo, quod possit attingi à scientia practica (quia ad eundem habitum pertinent finis, & media) sed non constituet illam, nec partim speculatiuam, quia medium, vt medium non specificat, aut, denominat scientiam, sed tantũ finis. Aut ergo speculatio cõsiderari potest quatenus propter se intenditur, & non cum ordine ad opus, sed potius opus ordinatur ad ipsam tanquam

ad finem, & ſic iam conſtituuntur duo fines totales non ſubordinati, & conſequenter duo obiecta formalia conſtitutiua diuerſarum ſcientiarum. Scilicet ſpeculatio, quatenus propter ſe intenditur, & non propter opus (qua ratione ſolum ſpecificat) & opus quatenus alio actu intenditur propter ſe, & non propter ſpeculationem.

Declaratur, quia ſpeculatio quatenus ordinatur ad opus, non ordinatur ad illud, vt finis partialis ſpecificans, ſed vt medium, ac ſubinde opus intenditur tunc, vt finis totalis: & è cõtra opus, quando ordinatur ad ſpeculationem, &c. ergo ſpecificant, vt fines totales, & obiecta formalia diuerſa: non ergo poſſunt pertinere ad eandẽ ſciẽtiam.

Secunda etiam reſponſio nihil valet, neque eius exempla ſunt ad propoſitum; quia licet duæ rationes ſpecificæ inter ſe ſubordinatæ, vt ſpecies ſubalterna, & infima, poſsint concurrere ad componẽdam vnam ſpeciem, vt genus, & differentia illius, non tamen rationes ſpecificæ inter ſe non ſubordinatæ, ſed immediatè oppoſitæ, ſed practicum, & ſpeculatiuum ſic ſe habent, non enim comparatur vnum ad alterum tanquam genus ad ſpeciem, neque è contra, vt ipſi aduerſarij fatentur: ergo non poſſunt conſtituere vnam ſcientiam. Maior probatur primò, quia vt ait Ariſtoteles, & cum eo omnes Philoſophi in antepraedicamentis, vna ſpecies non poteſt contineri ſub duplici genere immediato, & interſe non ſubordinato: ſed ſi duæ rationes ſpecificæ, vel differentiales inter ſe non ſubordinatæ tanquam genus, & differentia, conſtituerent vnam ſpeciem, illa eſſet ſub duplici genere immediato, v. g. ſi Logica eſſet ſimul practica, & ſpeculatiua, contineretur ſub duplici genere immediato, ſcilicet ſub ſcientia practica in cõmuni, & etiam ſub ſcientia ſpeculatiua, quæ duo genera non ſunt inter ſe ſubordinata: ergo ſicut hoc eſt falſum, ita illud ex quo ſequitur.

Sed reſpondebis, Logicam non contineri ſub aliquo iſtorum generum, ſed ſub alio, quod eſt ſcientia ſimul practica, & ſpeculatiua, quod eſt vnum indiuiſibile genus medians inter vtrumque extremum. Sed hoc potius auget, quam ſoluit difficultatem; nam ſequitur manifeſtè, quod Logica ſit iam ſub triplici genere immediato. Probatur; quia ſuppoſito, quod Logica eſſentialiter eſt ſpeculatiua, & quod abſolutè de illa verificatur hoc prædicatum, ſicut de Metaphyſica, & qualibet alia ſcientia adæquatè ſpeculatiua, negari non poteſt in hoc

prædicato conuenire essentialiter Logicam cum scientijs tantum speculatiuis, ac proinde ab ipsis esse abstrahibilem ratione communem genericam speculatiui in communi. Similiter supposito, quod Logica est essentialiter practica conuenit vniuocè in hac ratione communi cum scientijs, tantum practicis. Et denique in quantum simul includit vtramque rationem, conuenit cum scientijs, quæ vtramque rationem formaliter participant in ratione generica scientiæ simul practicæ, & speculatiuæ: ergo iam continetur sub triplici genere immediato, & non subordinato, quod est planè falsum.

Probatur tandem efficaciter.

Vlterius sic argumentor, Vltimæ differentiæ oppositarum specierum debent esse primò diuersæ, & se totis differre, sed in casu quod daretur species scientiæ simul includens rationem practici, & speculatiui, conueniret in sua vltima differentia, cum differentia scientiæ practicæ, & cum differentia vltima scientiæ speculatiuæ: ergo non se totis differrent istæ species. Minor probatur; nam vtraque species extrema constituitur per esse practicum, & speculatiuum, tanquam per vltimas differentias, ut patet, & fatentur ipsimet aduersarij, & species media nullam aliam rationem differentialem potest habere, quam vtramque rationem practici, & speculatiui simul in se vnitam: ergo conuenit cum vtraque specie extrema in tali ratione.

Neque valet dicere vltimam differentiam huius tertiæ speciei non esse vtramque rationē practici, & speculatiui, sed coniunctionem præcisam vtriusque, & in hac se totis differre ab vtraq; extrema; hoc in quam nihil valet; nam omnis differentia constitutiua habitus operatiui, qualis est scientia, debet constituere illum formaliter in ratione principij alicuius operationis, saltem ratione distinctæ ab ea, quæ prouenit à sola ratione generica, sed præcisa identificatio, vel coniunctio vtriusque rationis dictæ non est principium alicuius nouæ operationis, vel alicuius noui, aut determinati modi operandi, ac est ille, qui prouenit ab esse practico, & esse speculatiuo; nam quantum ad actiones practicas conuenit omnino hæc scientia media, cum ea, quæ tantum est practica; & quantum ad actiones speculatiuas, cum ea quæ tantum est speculatiua: ergo talis coniunctio præcisè sumpta non potest habere rationem differentiæ essentialis, sed tantum potest esse quidam modus differentiæ. Esset autem propriæ differentia, si talis

coniunctio esset principium alicuius tertiæ operationis, quæ nec practica esset, nec speculatiua, sed quid diuersum ab vtraq;.

Ex quo tandem colligitur ratio huius à priori; nam scientiæ, & habitus distinguntur per actus, aliàs nihil certum, aut firmũ haberemus circa eorum vnitatem specificam, & distinctionẽ: ergo quòtiescumque animaduertimus actus specie diuersos, debemus concedere principia habitualia specie diuersa, sed actiones practicæ, & speculatiuæ specie distinguntur: ergo nõ possunt pertinere ad eundem habitum.

Et si dicas, quod pertinent ad illum tanquam ad causam æquiuocam, & emminẽtiorem. Idem poterit quis asserere de quibuscumque alijs habitibus, & illos inter se confundere; vnde si causas æquiuocas licet fingere in habitibus, sicut in potentijs, nihil esset firmum in hac materia, quod esset maximum inconueniens; nam posset quis confundere Methaphysicam cum Astrologia, Philosophia, & cæteris; est ergo dicendum cum communi doctrina, rationem principij elicitiui diuersorum actuum solum posse conuenire potentijs, aut causis æquiuocis, nõ verò habitibus. Et ratio discriminis est, quia potentiæ sunt indifferentes secundum suam naturam, vt determinentur per species intelligibiles, aut motiua, quod non habet locum in habitibus, qui sunt facilitates quædam valde imperfectæ determinatæ ad vnum, & determinantes indifferentiam potentiæ.

Satisfit fundamentis oppositis.

Denique, quod exempla supra adducta parum vrgeant, facile constat ex dictis: nam esse vegetatiuum, sensitiuum, & rationale sunt rationes inter se sub ordinatæ, quia vegetatiuum est genus superius quàm animal, in quo conuenit homo cum plantis, & sensitiuum est genus infimum, quod subalternatur alteri superiori, & habet sub se rationale, atque adeo nihil mirũ, quod simul concurrere posint ad cõstituendam vnam speciem: idẽque dico de ratione appræhensiui, iudicatiui, & discursiui; sed esse speculatiuum, & practicum non ita se habere, quia sunt rationes immediatè oppositæ, & non inter se subordinatæ, vt dixi.

Ad instantiam de Theologia respondeo primò, potius esse contra illos; nam ibi asserit Sanctus Doctor in hoc illam distingui ab alijs scientijs, quod ipsa continet eminenter vtrãque rationem practici, & speculatiui: ergo hoc negat de Logica, & alijs scientijs. Secun-

dò ipse asserit Theologiam non esse æquè practicam, & speculatiuam respectu eiusdem obiecti(nam hoc repugnat, vt probatum est) sed esse principaliter speculatiuam per ordinem ad obiectum primarium, quod est Deus, & solum esse practicam respectu obiecti secũdarij, prout scilicet agit de actibus humanis, &c. de quo latius ibi. Non est autem inconueniens, quod scientia speculatiua per ordinem ad obiectum primariũ, sit practica in ordine ad secundarium obiectum: quia cum tota perfectio, & natura specifica sumatur solum ab obiecto primario, talis scientia erit adæquatè, essentialiter speculatiua, & solum accidentaliter, & secũdum quid practica.

Ad instantiam de medicina. *S. Thom.* Respondet S. Thom. *opu c. citato ad* 5. quod corpus, vt est sanabile per naturam, & vt tales complexiones, & qualitates habet, non pertinet intrinsecè ad medicinam, sed ad Philosophiam speculatiuam; similiter contemplatio herbarum, &c. at corpus vt est sanabile per Artem, & herbæ, ut sunt applicabiles ad medendum corpus attinguntur intrinsecè à medicina, & quia prior consideratio præexigitur ad posteriorem; ideo medicina subalternatur Phisicæ; sicut & Ars alchimiæ, & Agricultura. Neque est necessarium quod scientia subalternans, & subalternata sint in eodem genere speculatiuo, aut practico, nisi quando vna est pars intrinseca alterius, vt aduertit ibi S.Thom.

Præterea sunt alia testimonia Sancti Doctoris, quibus habitũ intellectualem, præsertim naturalis ordinis adæquatè diuidit in practicum, & speculatiuum, sicut & vita hominis in actiuã, & contemplatiuam adæquatè distribuitur. Ita docet 2.2.q.179 art.2.& alibi.

ARTICVLVS V.

Vbi statuitur Logicam esse scientiam practicam adæquatè, & simpliciter.

EX dictis patet iam resolutio quæstionis; nimirum Logicam esse simpliciter, & adæquate practicam. Tenent hanc nostram sententiam Gabriel *in prolog. sentent. quæst.*10. Gregor.*ibid.q.*10.Iandu.6.*Metaph.quæst.*3. Aureol. apud Capreol. *quæst.*2. *prolog.conclus.*4. Scaliger.1.*lib. de subtilitate exercit.*1.*num.*8.*& exercitio* 127.*numer.*23.Fonsec.2.*Metaph.cap.*5. Mathijs.*in Logic.*5. Paul.Venet. *Gabriel. Grego. Iand. Aureol. Capreol. Fonsec. Mathis. Paul. in*

Mirandul. *Mölorius* *Conimbr.* *in proœm Logicæ dub.2.* Mirandul.*in ſua Logic.* Monlorius *præfat.lib.de poſter.analis.* Conimb. *quæſt.4.proœmial.art.5.*

Docuit item illam clarè S. Thom.*opuſc.70. quæſt.4. art.1. ad 2.* Vbi cum dixiſſet *cognitionem ſcientiæ ſpeculatiuæ quæri propter ſe ipſam*, ſubdit, *Logicā non propter ſe ipſam, ſed propter alia quæri. Ideoque Logicam non contineri ſub Philoſophia ſpeculatiua, vt principalem partem, ſed quaſi quodam redductum ad eam, prout eſt modus ſciendi præbens alijs ſcientijs inſtrumenta ſciendi*, ſentit ergo non eſſe ſpeculatiuā, ſed practicam. *S. Thom.*

Et paulò infra Logicam numerat inter cæteras artes liberales; *quia reſpicit*(inquit) *opus aliquod, quod eſt in mente ipſius rationis; vt conſtructionem ſyllogiſmi, orationem formare, &c.*

S. Thom. Nec opponitur S. Doctor, ſi attentè omnia teſtimonia eius legantur, & attendatur æquiuocatio in voce ſpeculatiua, quam vſurpat aliquando pro ſpeculatiuo ſecundum quid; quod quia non explicat in omnibus locis, eſt occaſio allegandi eum pro parte contraria. *Quæſtione enim 57.citata artic.3.ad 3.* (ait) *quod etiam in ipſis ſpeculabilibus eſt aliquid per modum operationis; puta, conſtructio ſyllogiſmi, aut orationis congruæ, aut opus numerandi, aut menſurandi.*

Neque obſtat, quod ſubdit: *& ideo quicumque ad huiuſmodi operationes habitus ſpeculatiui ordinantur, dicuntur per quādam ſimilitudinem artes; ſcilicet liberales:* ſentit ergo ſimpliciter ſpeculatiuos eſſe, & practicos, ſeu Artes, quod idem eſt, ſecūdum quid per ſimilitudinem, aut metaphorā. Hoc in quam non obſtat; alioquin nec prudentia, nec quæuis ars liberalis eſſet practica, ſed ſimpliciter ſpeculatiua, nam de omnibus his loquitur, & qua ratione eas dicit ſpeculatiuas, ita & ſcientias pro eodem vtrumque accipiendo, ac ſi ratio practica ſcientia non eſſet.

Sed hæc omnia clareſcent, ſi attendatur Phraſis loquendi Sancti Doctoris in hac re; diſtinguit enim in eodem habitu rationem artis, & rationem ſcientiæ, vt ſupra dixi. Secundum quod reſpicit ſuum obiectum in communi reſoluendo ſolum concluſiones practicas in ſua principia, & demonſtrando regulas, quibus opus fieri debet, ait, procedere modo ſpeculatiuo, & ſcientifico: cæterum ipſe ſe explicat præſertim. 1.*part. quæſt. 14. artic. 16.* huiuſmodi ſpeculatiuum eſſe ſecundum quid. Idemquè docet de prudentia, procedere ſcilicet modo ſpeculatiuo 1.2. imo eandem ſcientiam Dei vocat practicam, quando operatur, & ſpeculatiuam,

uam, quando non vult operari, quod intelligitur de speculatiuo secundum quid, aliàs ratio practici esset tantum extrinseca denominatio, quatenus verò habitus practicus descendit ad opus in particulari dirigendum, non demonstrando iam, sed vtendo regulis demonstratis, dicit procedere vt ars, & non vt scientia, quod magis sequenti quæstione declarabo. Non excludit tamen à toto habitu, nec rationem scientiæ, nec rationem artis, vt patet, si consulantur alia eiusdem loca; & ea quæ dixi quæst. 1. Vnde sicut ipsi authores oppositi tenentur in Prudentia, & alijs artibus liberalibus quæstionem soluere, quas ipsi practicas admittunt, sic in Logica. *Et quæst. 47. artic. 2. ad 3.* (inquit) *quod ratio speculatiua quædam facit*, vbi particula *facit*, (quæ est ratio constitutiua scientiæ practicæ) explicat priorem particulam *speculatiuam* non sumi strictè, sed latè pro qualibet cognitione, vel pro potentia intellectiua, quæ absolutè dicitur semper speculatiua à principaliori ratione.

Ratione probatur.

Ratio huius conclusionis patet iam ex definitione scientiæ practicæ supra explicata, quæ conuenit Logicæ: quoniam agit de re operabili, quatenus dirigibilis, & operabilis est ab ipsa, scilicet de conceptibus, quatenus ex illis est componibilis congrua oratio, syllogismus, &c. vt latè in superioribus probatum est, sed aliàs ostensum est repugnare, quod idem habitus sit simul practicus, & speculatiuus: ergo Logica tantum practica est. Confirmatur est Arist. 1. *Rethor. cap. 1. & ex S. Thom.* citato *Sectio 2. de obiecto Logicæ* asserentibus Dialecticam inuentam ad dirigendas operationes intellectus, quæ benè, & malè fieri poterant, ideoquè necessariam esse ad alias scientias: ergo iam habet finem extra se; nam præter speculationem modi sciendi intendit aliquid aliud, scilicet ipsius modi sciendi artificiosam constructionem, & ad eius structuram speculationem ordinat: ergo est adæquatè scientia practica.

Dices, interdum Logica demonstrat proprietates de suo subiecto, sistendo in earum resolutione tanquam in fine, absque ordine ad aliquod opus, V. g. quando demonstrat de definitione, quod sit clarior suo definito, de demonstratione, quod generet scientiam, de syllogismo probabili opinionem, &c. in quibus, & similibus nihil dicitur de modo efficiendi tales actus, sed potius supponitur illorum recta constructio: ergo quantum ad alios

ſios actus Logica eſt partim ſpeculatiua.

Reſpondetur, quod benè poteſt ſcientia aliqua per ſe practica, eſſe per accidens ſpeculatiua, quatenus ad perfectam notitiam regularum de opere faciendo deſeruire ſolent, & maximè conducere demonſtrationes ſpeculatiuæ; & idcirco Logica vtitur ſpeculatione proprietatum modi ſciendi, vt ex ipſis colligatur à poſteriori recta conſtructio, & operabilitas ipſius modi ſciendi: quod etiam contingit in ſcientia morali, in Medicina, & alijs ſcientijs practicis. Ex quo rurſus colligitur, quod licet opus faciendum ſit finis extrinſecus, & accidentarius reſpectu horum actuum, illis ab operante pręfixus; reſpectu Logicæ eſt finis intrinſecus, & primarius, quia ſolum ellicit illos, quatenus conducunt ad opus modo explicato.

Ad authoritates D. Auguſt. & S. Thom. adductas pro prima ſententia reſpondeo. Logicam appellari ſpeculatiuam, denominatione ſumpta ab obiecto materiali, quod eſt ſpeculatio, vt dixi. Rurſus appellari ſolet theorica etiam in ſcientijs practicis actus ille, qui reſpicit in communi operabilitatem ſui obiecti, non deſcendendo in particulari ad hoc, vel illud opus faciendum; quia comparatione alterius actus, qui immediatè dirigit, & coniungitur operi, ille dici poteſt ſpeculatiuus, quatenus ſiſtit in docendo, & nondum prorumpit actu ad aliquod opus. Docet ita expreſsè S. Th. *opuſc. 70. q. 5. art. 1. ad* 4. Diuidens Medicinam in theoricam, & practicam, nō quia ſit partim ſpeculatiua, vt vidimus, ſed in quantum ea, quæ in medicina tractantur, ſunt magis propinqua, vel remota ab operatione.

S. Thom.

Proponuntur, & ſoluuntur obiecta contradicta.

Cōtra reſolutionem poſitam reſpondent primò authores oppoſiti, Logicam reſpicere quidē operationem, ſed propter ſpeculationem tanquā propter finem, cum doceat inſtrumēta ſciendi, & habeat ipſammet ſpeculationem aliarum ſcientiarum pro fine, ſed iam explicui præcedenti quæſtione hunc finem eſſe remotum, & non immediatum, ac proximum, de quo loquimur.

Secundò obijciunt, non omnem operationem eſſe praxim; nam ſcientia ipſa ſpeculatiua ſuam ſpeculationem operatur, ſine eo quod propter hoc aliquomodo practica dicatur, vt primo articulo dictum eſt, ſed hanc eandem ſpeculationem, quam ſcientia alia ſpeculatiua, Philoſophia v.g. attingit vt efficiēns, attingit Logica, vt dirigēs; ergo ſicut Philoſophia non dicitur

dicitur practica, vt efficiens speculationem, quia est operatio intra genus speculabilitatis; ita nec Logica, vt diriges ad talem speculationem, practica dicetur, quia respicit talem operationē, vt speculatio est, & intra genus speculabilitatis.

Respondetur negando consequentiam; quia licet non quæuis operatio sit praxis; est tamen ea, quæ attingitur, vt obiectum cognoscibile, vt patet ex definitione scientiæ practicæ, est enim illa, quæ versatur circa obiectū, vt operabile est; vel est illa, quæ non sistit in cognitione obiecti, vt in fine, sed in operatione illius, vt satis supra demonstratū est, & docet S. Thom. citatus, *Solutione illa ad primum*, dicens, *quod practicum, quod diuiditur contra speculatiuum, sumitur ab opere exteriori*; hoc est ab obiecto.

S. Thom.

Et hinc patet discrimen inter scientiam, quæ concurrit ad opus, vt efficiens, & eam, quæ illud attingit, vt dirigens. Quod prior respicit opus, vt purum effectum, vel actum; quod conuenit non solum habitui speculatiuo, sed generaliter omni causæ. Posterior verò respicit, ut obiectum, concurrens ad illius operabilitatem cognoscitiuo modo; nā eatenus dirigit ad tale opus, quatenus cognoscēdo repræsentat voluntati, aut potentiæ exequenti, quo modo efficiendū sit.

Tertiò obijciunt, Logicā non tradere modo operabili regulas, & præcepta ad constructionem modi sciendi, docendo scilicet quomodo efficiendus sit, sed tantum modo speculatiuo, considerando naturā, & proprietates modi sciendi, remanet intellectus ex se facilis ad illum efficiēdum absque alio habitu practico: ergo ex eo, quod intellectus sciat per Logicam modū sciendi construere, non infertur, quod ipsa practica sit. Probatur antecedens; quia vt habitus sit practicus, non sufficit, vt quomodo libet opus ex illo sequatur, sed necessè est, vt sequatur ex habitu, tanquam à dictante, & præscribente regulas, quomodo sit faciendum. Hac enim ratione contemplatio Dei, & visio Beata, etsi ex illis amor Dei resultet, practicæ non sunt; quia nihil de amoris productione dictant; nec voluntas indiget tali dictamine, sed ex se facilis est, cognita bonitate ad amandam illam: ergo eadem ratione intellectus, cognita speculatiuè natura modi sciendi, facilis est ad formandum illum; quia nō est in intellectu difficultas ad formandos actus intellectus, post quam ab eo cogniti sunt, sicut est in manibus ad citarizandum, & in pedibus ad saltandum.

Respondetur tamen negando antecedens; nam eadem cognitio

nitio modi ſciendi, eo ipſo quod docet, quod *propoſitio debet cõſtare ex ſubiecto, & prædicato, & definitio ex genere, & differentia, & ſyllogiſmus in barbara ex tribus propoſitionibus vniverſalibus affirmatiuis*, eſt regula dirigens potentiam executiuam ad opus, & docens qua ratione fieri debeat, ac proinde eſt eſſentialiter notitia practica, quia illi convenit tota definitio ſcientiæ practicæ.

Quod confirmatur, quia illa cognitio eſt practica, & regula operis faciendi, ad quam tanquam ad exemplar ipſum opus comparatur, ut de eo iudicetur, ſit ne rectè effectum, vel non: ſic enim ideæ Diuinæ ſunt cognitiones practicæ, quia iuxta illas judicatur de creaturis, & Architectura eſt regula domus, ſed ſic ſe habet cognitio Dialectica: ergo.

Nec eſt neceſſarium, vt per modum imperij opus proponatur, ſcilicet opus eſt faciendum. Hoc enim eſt ſolum proprium prudentiæ, cuius actus potiſsimus eſt imperium de opere pro hic, & nunc exequendo, cæteris verò ſcientijs practicis ſatis eſt naturam operis factibilis, & partes, & conditiones tradere. Nec vnus, & alter modus ſenſu differunt, ſed tantum verbis, ſcilicet *ſyllogiſmus in barbara conſtat tribus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis, vel ſyllogiſmus eſt faciendus in in barbara ex tribus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis*, & quando eſſet aliqua differentia, Logica vtroque modo loquendi, & docendi vtitur.

Vnde ad probationem antecedentis reſpondeo potius nobis fauere, quia cognitio, ex qua reſultat amor, nihil de amore per ſe dictat, nec per modũ imperij nec per modum alium repræſentandi illum, & ideo nihil mirum, quod practica nõ ſit, Logica verò expreſsè eſſentiã operis factibilis dictat, & omnes conditiones illius, docens quomodo fieri debeat, et ſi non per modum imperij id ſemper faciat, vt dixi.

Nec valet dicere, quod licet doceat operari, non tamen modo operabili, ſed ſpeculatiuo id faciat; nam ſi docet operari, modo operabili docet: quia præcepta tradit operationis faciendæ, vt ſup. art. 2. dixi, & non ſiſtit in ſola contemplatione, ſed tranſit ad opus, vel aſsignent quid ampli' præter hoc requiratur, vt modo operabili cognitio procedat.

Ad id verò, quod vlterius ſubditur, tã in antecedẽti, quã in eius probatione, videlicet, quod intellect' ex ſe facilis eſt ad producendos actus modi ſciẽdi, ſuppoſita ſpeculatione illius, ſicut volũtas ad ſuos actus, ſuppoſita notitia bonitatis dilig bilis, quod nõ cõtingit in pedib' & manib', & ideò indiget habitu practico.

Reſ-

Respondeo ad hoc habitum practicum non tollere nouam difficultatem, quæ remaneat in potentia executiua, supposita cognitione obiecti circa eiusdē effectionem, sed eam tantum tollere, quæ potest esse circa obiecti cognitionem. Vnde difficultates, quas potentiæ externæ experiuntur circa obiecti effectionem, nō vincuntur per habitus intellectus directè, sed partim exercitatione ipsa repellente membrorum impedimenta; partim ex maiori specierum sensibilium perfectione. Habitus vero practicus ex se solum habet dirigere potentiam, proponendo illi obiectum faciendum, supposita autem hac propositione, nullam aliam vincit difficultatem.

Ex quo iam constat, quod licet intellectus sit ex se facilis supposita cognitione obiecti faciendi, indiget habitu practicō ad talem suppositionem cognitionis de opere faciendo; quod.s. ei proponatur: quæ notitia eo ipso iam non erit speculatiūa, vt fallō supponitur, siquidem operari docet.

Instantia autem de voluntate non est ad propositum, sed potius potest retorqueri in suos authores; nam si voluntas sit de vltimo fine, ratio quare non indiget alio ad operandum præter cognitionem speculatiuam, non est, quia ex se facilis sit precisè, sed quia est determinata ad vnū, & non indigens dirigente; si vero sit de medijs, ad quæ indifferens est, indiget pręter notitiam speculatiuam, dictamine practico prudentię, & iuxta hoc idem possumus dicere de Logica, quod præter notitiam speculatiuam; practica indigeat.

QVAESTIO III.

Quid sit logica docēs, & vtens?

ARTIC. I.

Communis est Logicæ diuisio in docentem, & vtē tem, quamuis modus illam explicandi non sit ita frequens, sed in varijs positus opinionibus. Quidam enim dixerūt omnes scientias, quæ à Logica diriguntur, esse Logicam vtentem, ita Marsilius *in argument.* & Lemosius 1. *de erratis Dialecticorum*, qui citant pro se Platonem 7. *de Republica*, & alibi sepè asserentem Metaphysicam esse Logicam. Sed fallūntur in hoc isti authores; nam Plato vtentis Dialecticæ non meminit, sed Metaphysicam Dialecticam appellauit, quia nomen Dialecticæ non erat tunc receptum ad significandam eam scientiam, quam modo significat. Neque tunc tradebatur Logica

Marsil. **Lemosius** **Plato.**

separata

separata ab alijs scientijs, donec Aristot. eius discipulus eius distinctionem aperuit.

Secundo alij distinguũt duos habitus Logicæ, alium speculatiuum, & hũc vocant Logicam docentem. Et alium practicum, qui dicitur Logica vtens; quia tradit præcepta, quibus aliæ sciẽtiæ vtuntur.

Fonsec. 2. Metaph. c. 3. q. 4. sect. 6. Conimbr. quæst. 4. proœm. S. Thom. Alij per Logicam vtentem intelligunt solum eam partem Logicæ, quæ docet probabiliter disputare, de quauis re, quibus patrocinari videtur S. Thom. 4. *Metaphys. lect.* 4. Vbi asserit demostratiuam partem tantum habere doctrinam, & non vsum in alijs disciplinis.

Sed certè absque vllo fundamento restringitur Logica vtẽs ad solam partem topicam, imò principalius parti demonstratiuæ, definitiuæ, &c. ratio Logicę vtentis tribui debebat. Quod sic probo: quia Logica dicitur vtẽs, quatenus actu dirigit alias scientias in suis actibus. Vel quatenus suis præceptis alię sciẽtiæ vtuntur: ideoque modus sciendi, & ad alias scientias necessaria dicitur, sed actus aliarum scientiarum principaliter in demostratione, & definitione, ac diuisione, consistunt, & quilibet discursus probabilis potius est extra rationem scientiæ, & pertinens ad alium habitum specie diuersum, qui dicitur opinionis: ergo principalior pars Logicæ vtentis ea erit, quæ præbet scientijs instrumenta sciendi, qualia sunt definitio, & diuisio, quã ea, quæ præbet opinioni instrumenta opinandi.

Confirmatur, quia scientia est de necessarijs, & euidentibus, non de probabilibus, & quando Philosophia, vel Metaphysica efficit demonstrationem *in darij*, vel definitionem compositam ex genere, & differentia, constructio earum, quo ad formalem dispositionem, pertinet ad Logicam, & ab ea illam aliæ scientiæ acceperunt: ergo mediante actuali eius directione suos actus exercent, ac proin de vtuntur Logica, quantum ad partem demonstrativam, definitiuam, &c.

Quarta sentẽtia est Logicã, docentẽ, & vtentẽ, tam quoad act', quam quo ad habitus non distingui, nisi sola intellectus consideratione, nam eadem Ars, inquit, quatenus per illam scimus definire, diuidere, & argumentari, dicitur docens, & quatenus est id, quo utimur ad definiendum in alijs scientijs, dicitur vtens. Vnde inferunt aliqui recentiores, qui hanc tuentur sententiam, vtramque esse verè & propriè scientiã: quia si vtens est idem realiter, etiam quo ad actus, cum Logica docente, etiã erit realiter scientia. *Tolet. & Sot. q. 2. proœm.*

Sed pro veritatis explicatione. Suppono primò, quod Logica

Logica vtens dupliciter potest intelligi, vel actiuè, vel passiuè. Logica vtens actiuè appellari solet quælibet alia scientia, quatenus Logica vtitur. Et Logica vtens passiuè est ipsamet Logica, quatenus ea aliæ scientiæ vtuntur. Sed certè neutro modo istorum intelligitur Logica in illa diuisione, qua [illegible] nté, & vtentem diuiditur, quia Logica vtens actiuè modo dicto non est Logica, sed Philosophia, vel Metaphysica, quæ ipsa vtitur. Nec ponitur in hoc sensu Logica in casu nominatiui, ita vt de ipsa tanquam de subiecto verificetur, quod sit vtens, sed in casu ablatiui, ita vt significetur tanquam terminus extrinsecus, quo aliæ scientiæ vtuntur, ac proinde non potest esse membrum diuidens sub hac consideratione, siquidem non participat ratione diuisi. Neque etiã præcisè, ut vtens passiuè, quia sic est ipsamet Logica docens, nam ipsius regulis, & præceptis aliæ scientiæ vtuntur, ac proinde non erit membrum diuersum ab ea, nec erit diuisio, vbi membra diuidentia non sunt diuisa.

Secundò, ergo suppono, quod iam supra etiam animaduerti; in qualibet Arte, vel scientia practica duos actus distinguendos esse. Vnus, quo intellectus solũ in communi modum operis efficiendi docet, tradendo regulas, & præcepta, absque eo, quod actu cogitet de exequtione alicuius operis in particulari, quomodo dixi, Artem habere rationem scientiæ, & respicere vniuersali, & necessaria: & dici solere speculatiuam comparatione alterius actus, quo Ars actu dirigit ad exequtionem alicuius determinati operis pro hic, & nunc efficiendi, mouendo ad illud potentiam exequtiuam; qui posterior appellari solet simpliciter practicus propter actualem coniunctionem cum opere, & excluditur à ratione scientiæ, eo quod respicit singularia, & contingẽtia, & non procedit demonstrando, sed vtendo regulis demonstratis.

Quo supposito, dico primò, si consideretur Logica, quatenus respicit modum sciendi in communi, solum tradendo ad illum regulas, & præcepta, dicitur docens. Vtens verò in quantum actu dirigit intellectum ad actus tam proprios, quam aliarum scientiarum rectè efficiendos. Ex quo patet eundem omninò habitum docentem, & vtẽtem appellari per ordinem ad diuersos actus.

Hanc conclusionem docet in primis S. Tho. 4. *Metaph. lect.* 4. S. Thom. Vbi hanc diuisionem expressit, & loquitur de Logica docente, & vtente tanquam de eadem re, & habitu, dicens, quod *Logica dupliciter potest considerari, & secundum quod est docens, &*

secun-

secundum quod est vtens. Secundum quod est docens tradit demonstratiuè modum rectè sciendi, & est scientia; & secundum quod est vtens, & vtitur probabiliter modo sciendi demonstrato ad concludendum aliqid probabiliter in singulis scientijs; recedit a modo scientiæ. Ex quibus verbis colligo ex mente S. Thomę Logicam docétem, eo ipso quod est scientia, respicere modum sciédi in communi: quia scientia est de vniuersalibus, & Logicam vtentem esse de actibus in particulari, eo ipso, quod est ars, & illos respicit, prout exercētur in singulis sciétijs.

Dixi, *Logicam vtentem dirigere proprios actus*, nimirum sui ipsius, in quantum docens est: quia non solum est necessaria ad alias scientias, sed etiam ad suos proprios actus, quatenus rationem sciétię participant, vt supra notaui. Semper tamen est aduertendum esse distintionem realem inter actus Logicę vtētis, & docentis, sicut vniuersaliter inter ... dirigentem, & directum semper est talis distinctio, quo suposito.

Probatur ... ratione conclusio.

Ratione item declaratur, & quidem quoad primam partem, quod in quantum modum sciendi in communi respicit, docens sit, facilis est; quia sic tantum docendo procedit, sicut quęuis alia scientia speculatiua, imo propter hoc, quęuis ars, vel scientia practica quantum ad hanc partem dicitur theorica, & speculatiua secundum quid, vt supra retuli ex S. Thoma, quia quantum ad illam solùm resolutoriè procedit, & non modo compositiuo ad vsum, & exequtionem objecti descendit.

Quoad secundam verò partem, in qua est maior difficultas probatur, quia Logica considerata quatenus actu dirigens, habet omnem vsum, qui Logicę vtéti tribui, & arti desiderari potest, imo, qui nulli alteri conuenit pręter ipsam: ergo sub hac consideratione dicitur, & est verè Logica vtens. Consequentia patet, & probatur antecedens primò, quia sic considerata dicitur vtens actiuè simul, & pasiuè. Actiuè: quia vt actu dirigat alias scientias, vtitur pręceptis a se traditis, in quantum docés erat, ad hoc quippe prius illa docuit, & demonstrauit, vt postea in particulari illis vteretur ipsa applicans ad opus. Pasiuè etiam dicitur vtens, prout distinguitur a docente, quia ipsa prout actu dirigens, est qua immediatè, & proximè alię scientię vtuntur; quia non vtūtur Logica nisi prout ab ipsa diriguntur, & applicantur ad suos actus sic, vel sic efficiendos, quod non facit Logica, secundum quod suum

obiectum in communi docet, sed in quantum postea ad illud in particulari exequendum actu dirigit: ergo sub hac consideratione dicitur propriè passiuè vtens.

Secundò efficaciter probatur idem antecedens, aduertendo, quod vox *vsus*, vel *vtēs* est maximè æquiuoca. Aut enim accipitur latè pro operatione cuiuscumque causæ, aut instrumenti ad Logicam, vel artem concurrentis. Aut accipitur strictè pro vsu proprio, & principali artis. Primò modo non potest rationabiliter tractari quæstio; quia aliàs intellectus, diceretur propriè Logica vtens, essetquè potentia, & non habitus, quinimo, & os eam explicans diceretur Logica vtens; quod nemo antiquorum, ex quibus hæc diuisio sumitur, somniauit. Patetquè manifestè in alijs artibus, vsus enim Prudentiæ, quæ voluntatem dirigit in suis actibus, propriè habitui intellectuali tribuitur, non volūtati, nisi in alio sensu valde diuerso, vsus similiter proprius artis domificatoriæ in Architecto est, & non in alijs rudis hominibus, quibus tāquā ministris, & instrumentis vtitur.

Si verò sermo sit de vsu proprio, & principali artis, sola Logica prout actu dirigens, & non quæuis alia scientia, nec ipsa in quantum docens, dicitur vtens. Quod sic declaro: nam vsus proprius, & principalis artis est, qui immediatè subsequitur eius doctrinam, quando ipsa doctrinam de opere in communi faciendo actu exequitur, & applicat ad opus, ipsum in particulari operans, sed hic conuenit solum Logicæ, prout actu dirigenti alias scientias: ergo vt sic conuenit illi primariò, ac principalius, quod sit vtens. Maior probatur; nam ars, vel habitus practicus, continet vsum suæ doctrinæ, nam ipse est, qui dicitur operari suum obiectum, vt ex eius definitionibus supra declaratis constat.

Imo in hoc differre dicitur habitus practicus ab speculatiuo, quod ille tantum procedit, vt docens circa obiecta vniuersalia, & necessaria; ille verò ad singularia, & contingentia se extendit, quatenus ea, vt operabilia respicit, sed tantum operatur obiecta sua, vt dirigens, non vt efficiens, vt etiam præcedenti quæstione art. 1. monstraui.

Ex quo iam minor, & consequentia patent: nam si vsus primariò conuenit arti, prout actu opus suum exequitur in genere causæ dirigentis; ergo Logica prout actu dirigens ad efficiendos actus proprios, & aliarum scientiarum, qui sunt modus sciendi in particulari, erit verè, ac propriè vtens. Vnde reliquæ scientiæ solum, vt exequentes in alio genere causæ efficientis,

scilicet, velut motæ, & applicatæ à Logica, & non in genere artis dirigētis (cum ipsę sint speculatiuæ) dicentur Logica vti, sicut calamus, & manus dicitur vti arte scribendi.

Declaratur hoc tandem in Prudentia, quæ est ars rectè vollendi, & ferè in omnibus Logicam imitatur, quæ non tantum dicitur continere doctrinā, sed etiam vsum: ipsa namquè dicitur prudentia docens, quatenus solùm in communi obiectum ante omnem vsum considerat. Diciturquè vtens, quatenus actus volūtatis imperat, & ad exercitium mouet. Sic etiam in Medicina, & alijs artibus discurrere possumus, in quibus S. Tho. citatus supra, theoricam distinguit, & practicā secūdum diuersos actus, hoc est, doctrinam, & vsum.

A R T I C. I I.

Statuitur Logicam docentem, & vtentem esse eundem habitum.

QVidquid sit, de diuersitate actuū Logicæ docētis, & vtentis, nō est admittenda distinctio realis inter habitus. Probatur; nam idē habitus, qui facultat, & inclinat potentiam ad obiectum aliquod in communi, inclinat etiam, & facilitat ad idem obiectum, vel opus in particulari exercendum; aliàs in omnibus artibus, & sciētijs practicis duo habitus distinguendi essent. Vnus, qui respiceret opus in communi, tradendo ad illud regulas, & præcepta. Et alter, qui regulas applicaret ad particularē materiā, quod nemo cōcedit, quia licet in applicatione ad particularē materiam, & in actuali directione sit nonnulla maior difficultas, non petit facilitatem, vel habitū essentialiter diuersum, sed tantum maiorem promptitudinem, & perfectionē eiusdem habitus.

Sed Contra obijcies: idem omnino habitus non potest esse scientia, & non scientia: quia hęc duo contradictoria sunt: ergo si Logica docens est scientia, & vtens non, non poterūt esse idem habitus. Confirmatur; quia habitus specificantur, & distinguntur per actus, ita vt actibus specie differentibus, necessariò habitus specie diuersi corresponderc debeant; sed actus Logicę vtentis, & docentis specie distinguntur; nam hic est demonstratiuus, & sciētificus, ille verò nō: ergo pertinent ad habitus specie diuersos. Secundo Confirmatur, quia actus opinatiu⁹. & sciētificus propter hanc distinctionem, quam inter se habēt, elliciūtur a diuersis habitibus: ergo eadem ratione actus Logicæ docentis, & vtentis, in quibus est similis, vel maior distinctio.

Respondetur tamen ad primum, nullum esse inconueniés, quod de eodem subiecto secundum diuersas rationes, verificêtur predicata inter se contradictoria; quia respectu illius nõ opponuntur contradictoriè, atquè ita idem omnino habitus, si consideretur quatenus ellicitiuus est actus scientifici, dicitur scientia, & quatenus ellicitiuus est actus non demonstrantis, sed tantum actu dirigẽtis, dicitur solùm ars, & non scientia, quemadmodum idem intellectus dicitur aprehẽsiuus, judicatiuus, & discursiuus penès ordinem ad diuersos actus, de quo latius infra.

Ad primam confirmationem distinguenda est maior quoad secundam partem: quando actus specie diuersi nullam habent inter se subordinationem, vel connexionem, & sic concedenda est: secùs verò quando est inter ipsos aliqua naturalis sequela, aut connexio; quia tunc idem habitus, qui potens est ad primum actum, est potens ad omnes alios, qui naturaliter primum consequuntur, eo quod in primo virtualiter continentur. Et ideo, quia actus Logicæ vtentis virtualiter continetur in actu Logicæ docentis, & illi essentialiter subordinatur, poteit ellici ab eodem habitu, non obstante distinctione specifica.

Cuius doctrinæ innumera sunt exempla: eadem charitas ellicit dilectionem Dei, & proximi. Eadem spes gloriam quærit animæ, & corporis. Eadem Theologia de Deo agit, & de virtutibus, ac peccatis; in quib', & similibus exemplis actus plus quam specie differentes ad eundem habitum pertinent.

Ex quo patet solutio iam ad secundam confirmationem, quod quia actus opinatiuus, & scientificus nullam inter se necessariam connexionem, vel subordinationem habẽt, ideo ex illorũ distinctione specifica colligitur similis diuersitas in habitibus, à quibus efficienter procedunt.

Denique patet iam ex dictis falsitas aliarum opinionum. Solum ad fundamentum pro tertia sententia, quod desumptum fuit ex authoritate S. Thomæ, respondeo, quod quamuis obscurè locutus fuerit, iuxta communem ferè omnium expositorum sententiam alium sensum diuersum intendit in illis verbis, quamuis non omnes conueniãt in sensu illorum propter obscuritatem dictam.

Ego verò existimo tantũ voluisse, quod vsus demõstrationis in alijs scientijs saltem regulariter, & vt in plurimum non pertineat ad partem analyticam, sed solum ad propriam scientiam cuius est, quia tale argumentum principaliter generat

rat scientiam, & habet suam vim ratione materiæ propriæ talis scientiæ, & ratione principiorum eius. At argumentum probabile, vel sophisticum, principaliter habet vim ratione formæ syllogisticæ, quam tribuit Logica, & ratione principiorum eius probabiliũ, & ideo illi semper tribuitur principaliter talis vsus. Sic etiam vsus iudicij primorum principiorum non tribuitur Logicæ, quamuis tribuatur doctrinæ, eo quod tale iudicium ratione materiæ est clarum, & non indigens directione Logicæ, saltem regulariter loquendo.

QVÆSTIO IIII.

De fine, & necessitate Logicæ ad alias scientias.

ARTICVLVS I.

EX dictis quæstionibus præcedentibus de obiecto Logicæ, & de modo, quo cõcurrit ad actus aliarum scientiarum, duplex alia difficultas facilè resolui potest. Prima de fine Logicæ; secunda verò de illius necessitate ad alias scientias. Pro explicatione primæ suppono, quatuor esse genera causarum, de quibus disputari potest, in cõueniant alicui rei. Duæ sunt intrinsecæ, materialis, & formalis ex quibus intrinsecè componitur essentia talis rei; & aliæ duæ extrinsecæ, efficiens, & finalis. De tribus prioribus nulla est in præsenti difficultas, nam cum Dialectica sit forma quædam simplex, nullam aliam causam formalem habet, neque materialem, ex quibus intrinsecè cõponatur, sed ipsa est sibi forma, & cum sit accidentalis, intellectus est subiectum, cui realiter inest, vel materia extrinseca in qua subiectatur.

Causa efficiens Logicæ actualis est intellectus, vt ipse motus habitu Logicæ; causa verò efficiẽs Logicæ habitualis, sunt actus ipsi, à quibus gignitur, & augetur habitus, nam vt ex Metaphysica constat, habitus ad eosdem actus, à quibus generantur, inclinant, & facilitant potentiam. Solum restat difficultas de causa finali.

Ad cuius intelligentiam suppono, quod alius est finis naturalis alicuius scientiæ, qui dicitur ille, ad cuius consecutionẽ scientia ipsa ordinatur ex natura sua. Alius est finis solius scientis, vel addiscentis illam, & hic dicitur ille, ad quem scientia aliqua ordinatur ex libera voluntate scientis, & non ex natura sua. Vnde cum natura sit semper determinata ad vnum, vni scientiæ vnicus tantum finis natu-

naturalis correspondere debet: finis autem illi ex libera voluntate scientis præfixus, potest esse multiplex, & varius pro beneplacito illius.

Ideoquè de hoc posteriori fine non est sermo in præsenti, sed tantum de priori. Qui rursus duplex est. Alius est immediatus, & proximus. Alius mediatus, & remotus; vt in arte frenefactiua confectio freni est finis proximus, & immediatus illius, at domatio æqui est finis remotus, & mediatus.

Tandem finis est iterum duplex. Alius formalis, seu intrinsecus, qui intenditur tanquã forma respiciens aliquod obiectũ: Et alius obiectiuus, seu extrinsecus, obiectũ scilicet talis formæ per se intentę. Vsurpantur enim hę voces in sensu, quo illas explicui in obiecto Logicæ, vbi dixi, actus intellectus esse finem intrinsecum, & in recto, & eorũ obiecta, extrinsecum, & in obliquo. Solent tamen accipi in alio sensu, nimirum quod finis intrinsecus sit idẽ, quod finis proximus, prout essentialiter cõnotat suum propriũ obiectum, cũ quo indiuisibiliter vnum finem constituit, & finis extrinsecus sit finis remotus, quod est valde obseruandum ad intelligendos authores, & æquiuocationes vitandas. Quo suposito.

Dico primò, finis intrinsecus & immediatus Logicæ actualis est modus sciendi, vel recta, & artificiosa intellectio supra explicata. Finis intrinsecus immediatus, & formalis Logicæ habitualis est actus, qui versatur circa naturam modi sciendi. Finis vero extrinsecus, seu obiectiuus, immediatus tamen, est ipse modus sciendi, qui respicitur, vt obiectũ ab actu Logicæ. Patet tota hæc conclusio ex communi omnium sententia afferente, habitus esse propter actus, & actus propter obiecta, tanquam propter finem; quod intellige modo supradicto *sect. 2. q. 1. art. 5.*

Pateтq; etiã ex ratione vtriusque; nam id quod immediatè respicit actus Logicæ, sicut & cuiuslibet alterius scientiæ est suũ proprium obiectũ, ad illud enim essentialiter ordinatur, & in illo vltimò sistit eius tendentia, obiectum autem proprium actus Logicæ est modus sciendi, vt dictum est. Similiter id, quod immediatè respicit habitus Logicæ, sicut & quilibet alius, est actus, quem ellicit, & in eo vltimò sistit, talisque actus intenditur ab habitu, in quantum terminatur ab obiectum: ergo finis immediatus, & intrinsecus formalis habitus Logicæ est Logica actualis, & finis immediatus obiectiuus est modus sciendi, qui est obiectum talis actus.

Sed dices: habitus immediatè respiciunt actus, & medijs actibus tendunt ad obiecta, vt est com-

communis modus loquẽdi omnium: ergo falsò dicitur obiectũ actus Logicæ esse finem immediatum obiectiuum respectu habitus ipsius; melius enim diceretur finis mediat⁹, & extrinsecus.

Respondetur tamen, quod licet inter habitum, & obiectum mediet aliquo modo actus, non mediat tanquam finis cõpletus, & totalis, sed tanquã partialis: finis enim cõpletus habitus est actus, non vt præcisus a suo obiecto, sed in quantũ illud actu respicit. Quinimo cum actus essentialiter obiectũ cõnotet, & sine illo intelligi nequeat, ita nec sine illo intendi potest, aut esse finis cõpletus. Solum ergo dicitur finis mediatus in præsenti ille, qui cõsequitur finem immediatũ completum, & illi subordinatur, vt alius finis totalis diuersus.

Dico secundò, finis mediatus, & extrinsecus Logicæ, qui etiã remotus dicitur, sunt fines interni aliarum scientiarum. Probatur, quia Logica respicit, vt finem immediatũ, & intrinsecum, modũ sciẽdi in communi, vt ex illo intellectus descendere possit ad modum sciẽdi in particulari, sed actus aliarum scientiarũ sunt modus sciẽdi in particulari; quia nõ alio modo procedere possunt ad rectè speculanda sua obiecta, nisi per actus dispositos in formam definitionis, demõstrationis, &c. ergo tales act⁹, qui sunt fines interni aliarum scientiarũ, sunt finis externus Logicæ.

Confirmatur ex dictis de directione Logicæ respectu aliarũ scientiarum; respicit ergo vt finem saltem mediatum, actus aliarũ scientiarum. Quos dirigit.

ARTIC. II.

Vtrum Logica sit necessaria ad alias scientias, & quanta necessitate.

LOquimur de necessario, quod requiritur in ordine ad aliquem finem in quocũque genere causæ sit, vel tanquã cõditio sine qua non, vel tanquam causa efficiẽs, aut exẽplaris, &c. Et sic necessarium est duplex. Aliud absolutè, & simpliciter; aliud verò, quod tantum secundum quid necessarium dicitur, vel ad melius esse. Necessarium simpliciter est id, sine quo finis non potest vllo modo consequi perfectè, neq; imperfectè: quomodo potentia motiua necessaria dicitur ad deambulandum, & respiratio ad viuendum. Necessarium secundum quid est illud, sine quo absolutè finis comparari potest, licet non ita commodè, & faciliter: qua ratione equs necessarius dicitur ad iter agendum, etsi cum difficultate tale iter quantumuis lõgum peragi possit.

Secundò ſuppono, quod ſciẽtia, alia eſt perfecta intenſiuè, vel extenſiuè, & alia imperfecta. Perfecta intenſiuè, eſt quæ vnam tantum, vel paucas veritates penetrat, perfectè tamen reſoluendo eas, vſque ad ſua prima principia. Scientia autem extenſiuè perfecta eſt, quæ extenditur ad omnes, vel ferè omnes veritates ſui obiecti. Vnde conſtat ſcientiam imperfectam illam eſſe, vel quæ caret debita extenſione in ordine ad veritates ſui obiecti, vel quæ non perfectè penetrat per omnes cauſas, & principia, veritates quas cognoſcit.

Quibus poſitis, vt certa ab incertis ſeparemus, manifeſtũ eſt primò, Logicam naturalem ſimpliciter neceſſariam eſſe ad alias ſcientias; quia cum hæc nõ aliud ſit, quam lumen naturale intellectus, ſicut aliæ ſcientiæ ſine intellectu nullatenus poſſunt comparari, ita nec ſine hac Logica.

Secundò de Logica artificiali certum eſt, ad minus eſſe valdè vtilem ad alias ſcientias comparandas. Probatur; nam vt cõſtat ex ſupra dictis, ſcientia actualis eſt obiectum, quod per ſe conſideratur à Logica, quia eius munus eſt actus aliarum ſcientiarum, vt ſine errore procedant diſponere; ſcientia autem habitualis eſt habitus acquiſitus per actus rectè diſpoſitos informam modi ſciendi: ergo Logica artificialis valde vtiliſsima eſt ad ſcientias.

Qua propter meritò reprehenduntur hæretici donatiſtæ, & alij antiqui, qui Logicam, vt inutilem reiecerunt. Epicureus videlicet, vt referunt. Cicero 2. de finib. & Seneca in ſuis epiſtol. Diogen. Cynic. apud Laer. 2. de vitis Philoſophorum. Ariſtip. etiam & Ariſtochius in ſuis ſimilibus comparat Dialecticam luto viarum, & argumenta Dialect. aranearum telis, quæ ſubtilia, ſed nullius vtilitatis ſunt. Epicur. Cicer. Senec. Digen. Laer. Ariſtop. Ariſtoch.

Potius tamen inde maximè extollitur, & cõmendatur Dialectica; quia ſuis erroribus maximè contraria; cum per ipſam omnia ſophiſmata aperiantur, & euaneſcant. Neque illam damnarunt aliquando Sancti Patres, ſed tantum malum vſum illius, potius enim maximis eam extulerunt præconijs, ac laudibus, vt videre eſt apud S. Auguſtin. contra Creſconium Grammaticum, & alios.

Eſt igitur ſolum dificultas de neceſsitate ſimpliciter, in qua tertiò certum eſt Logicam neceſſariã non eſſe ad alias ſcientias; poſtquam iam acquiſitæ ſunt in ſtatu perfecto, ſed vt acquirantur. Ratio eſt quam ſupra tetigi ſectione præcedenti quaſt. vltima artic. 2. quia habitus aliarum ſcientiarum, poſtquam acquiſiti ſunt, concurrunt efficienter

ter ad suos actus, tam quo ad substantiam; quam quo ad modum; facilitantque, & determinant potentiam ad eosdem actus, à quibus geniti fuerunt, vt est communis doctrina in materia de habitibus: ergo postquam iam semel aliæ scientię genitæ fuerunt, nulla indigent directione Logicæ.

Nec valet respondere nō indigere Logica, vt efficiente earum actus; indigere tamen ipsa, vt dirigente, eo quod causa completè efficiens non excludit dirigentem. Contra hoc est, quod quando causa efficiens indifferentiam, aut difficultatem habet in ordine ad suas operationes; indiget tunc causa dirigente, à qua instruatur, quomodo operari debeat; secus verò quando efficiens est omnino facilis, & determinata ad vnum, sed habitus aliarum scientiarū, postquam geniti, sunt facilitates, & determinationes potentiæ ad eosdem actus, à quibus geniti sunt: ergo iam non indigent ad illos vllo dirigente, indigebant tamen in statu imperfecto, quando in illis erat difficultas ex sua imperfectione proueniens.

Proponuntur aliquæ sententiæ.

Iand. *Iauellus* Prima sententia (quam tenent Iand. 2. *Methaph. q.* 12. Iauellus *tractatu.* 1. *cap.* 4. Scotus 1. *Metaph. quæst.* 1. & 2. *Metaphysic. quæst.* 12. & multi recentiores) ait, Logicam siue habitualem, siue actualem, non esse necessariam simpliciter ad acquirendas alias scientias tam perfectas, quam imperfectas, sed tantum secundum quid, seu ad melius esse. *Scotus.* Eorum fundamentum est, quia nullus habitus acquisitus est simpliciter necessarius ad vllum actum potentiæ in qua est: ergo neque habitus Logicæ erit necessarius hoc modo ad actus intellectus, quibus aliæ scientiæ comparantur. Consequentia patet, quia Logica est habitus acquisitus. Et antecedens probatur primò inductione in omnibus habitibus: deinde S. Thom. 2. 2. hanc differentiam docet inter habitus infusos, & acquisitos; quod habitus infusi dant simpliciter operari, & acquisiti solùm ad facilius, & melius operari tribuuntur: ergo solum secundum quid est necessarius habitus Logicæ.

Secundò, quia si Logica esset necessaria ad alias scientias, maximè, quia docet modum disserendi, quo vti debent aliæ scientiæ; sed ex hoc sequitur, quod ipsi Dialecticæ, cum ipsa sit sciētia, sit etiam, necessaria alia Dialectica, quæ illi modum disputandi præbeat, & illa alia vsque in infinitum: ergo, &c.

Tandem experientia probari potest

potest plures floruisse jurisperitos, Mathematicos, Astrologos, & alios, sine arte Logicę: ergo non est necessaria simpliciter ad istas scientias: ergo neque ad alias cum sit eadem ratio de omnibus.

Secunda sententia asserit Logicam esse simpliciter necessariam ad quamcumque scientiam comparandam siue perfectam, siue imperfectam: vtrumque tamen extremum vitandum est, & media via tenenda.

ARTIC. III.

Statuitur, & probatur vera sententia.

Dico primò, Logica non est simpliciter nececessaria ad scientias intensiuè, vel extensiuè imperfectas acquirendas, sed tantum secundũ quid. Probatur primò, quia multa sunt principia, quæ solo lumine naturali possunt cognosci, et si materia sit clara, eodem lumine possunt inferri conclusiones saltem in modis perfectis, in quibus bonitas illationis est per se nota, euidenterquè percipi demonstrationes à Magistro traditæ: ergo acquiri possunt aliquæ demonstrationes sine Logica. Patet consequẽtia; quia sicut lumen naturale extenditur ad prima principia, ita etiam ad vnũ, vel alteram conclusionẽ proximiorem talibus principijs.

Confirmatur, quia quotiescũque datur aliquod principium ex terminis notum in materia communi, etiam est ex terminis notum in materia particulari, v.g. si est notũ in se hoc principium: *omne totum est maius sua parte*, etiam est in se notũ, quod aliquod totum sit maius sua parte: ergo si alicui proponantur hæc duo principia. *Omne totum est maius sua parte: corpus humanum est quodam totum.* Euidẽter inferri poterit naturali lumine: ergo *corpus humanum est maius sua parte*; quia principia per se nota, & etiam bonitas illationis per se nota, sufficienter determinant intellectum ad inferendam conclusionem, aliàs nulla esset Logica naturalis, si nulla demõstratio attingi posset à potentia intellectiua.

Probatur secundò, quia primæ demonstrationes Logicæ inuentę fuerunt solo lumine naturali ducę; nam primi actus alicuius habitus non præsuponunt habitum, neque alios actus; aliàs daretur processus in infinitum, si non sisteretur in aliquibus primis actibus, qui non præsuponant alios: ergo eàdem ratione inferri potuerunt in alijs scientijs aliquæ primæ demonstrationes immediatè illatę ex principijs per se notis sine iuuamine Logicæ. Patet consequentia: quia

quia aliqua principia sunt ita notissima apud omnes, vt de illis nemo possit dubitare, neque de conclusionibus proximioribus ipsis. V g. quod duæ contradictoriæ nō possint simul esse à parte rei, ex quo facillimū est applicare tale principiū materiæ particulari, & cōclusiones deducere.

Dico secūdò, aliqua pars Logicæ artificialis simpliciter necessaria est ad acquirēdam quācumque scientiam integram, & perfectam intensiuè, aut extensiuè, siue acquiratur propria inuentione, siue per doctrinam à Magistro traditam.

Aristote. *Plato.* *Galenus.* *Cicer.* *Ammonius.* *Alexan.* *Simplic.* *Philopo.* *Auicenn.* *Algazel.* *Boet.* *Albertus Magnus.* *Aegid.* *Tolet.* *Sotus.* *Episco.* *Oña.*

Dixi *aliqua pars Logicæ*, quia vsus omnium præceptorū, quæ traduntur in Logica non inuenitur in quacumque scientiā, vt experientia constat. Ita Arist. 1. *Metaph. c. 4. 6. & 7. & 2. Metaphy. text. 15.* Plat. *in Parmenide, & in phedone, & 7. de repub.* Galen. *in lib. an sanguis cōtineatur in arterijs.* Cic. 2. *de finibus, & 2. de de natura deorū.* Ammon. *initio prædicabil. & prædicatorum.* Alex. *in prolog. prior. & topico.* Vbi etiam Simplicius, & Philop. *initio prior.* Boet. *lib. 1. in topic. Cicer.* Auicen. Algazel, & Alber. Mag. *initio Logicæ*, & Aegid. *initio poster.* Tol. & Sot. *q. 1. proæ.* Noster Epis. Gae. M. Oña *q. 2. art. 3.* Vbi etiā fere omnes recentiores nostri tēporis.

Probatur primò ex Aug. *lib. 2. de Ordine c. 13.* vbi inter alia hæc dicit. *Disciplina disciplinarum, quā Dialecticā vocant, hæc docet docere, hæc docet discere. sola sciētes facere potest* (& alibi inquit) *Quomodo ratio ad alia transiret fabricanda, nisi ipsa prius quasi machinamenta quædā, & instrumenta distingueret, notaret, dirigeret. &c.* vbi aperte docet. S. Doctor, transitum ad alias scientias sine iuuamine Logicæ nullatenus fieri posse.

Secūdò ratione efficaciter probatur; quia ad hoc, vt aliquis habeat perfectam scientiā requiritur (vt docet Arist. *1. post. tex. 5.*) non solū, vt intelligat rem scitā, & causas illius, sed etiā vt sciat se scire, ita vt omnino immobiliter in veritate scita persistat, & omne cōtrariū eius judicet impossibile; sed hoc fieri nō potest sine Logica: ergo tā necessaria est illa, sicut sciētiæ perfectę est necessaria omnimoda certitudo, & euidentia. Maior probatur; quia quamuis aliquis cognoscat principia esse vera, & habeat aliquam euidentiam de illis, si ignorat connexionem, quam habent talia principia cū consequēti, vel si non habet euidentiā de illa, aut de recta dispositione præmissarum, non habebit euidentiā perfectam; nam poterit multis argumentis sophisticis à veritate perturbari, & decipi, habetque obscuritatem, eo ipso quod illa dissoluere non valeat: requiritur ergo, vt calleat omnia argu-

argumenta contraria, eorumque efficientiam, ac proinde vt sciat euidenter se scire. Minor etiam probatur, quia vt aliquis sciat se scire euidenter, necessarium est cognoscere, non solum quod principia sint vera, sed etiam, quod consequentiæ sint bonæ. Principia autem nō semper sunt prima, & per se nota quo ad nos, neque consequentiæ semper sunt tales, vt earum bonitas solo lumine naturali percipi possit: requiritur ergo quod euidēter cognoscat rectam præmissarum dispositionem, & bonitatem consequentiæ, & cum talis bonitas, & dispositio sæpe sit difficillima, vt patet in omnibus modis imperfectis trium figurarum, & quādo materia est obscura, quando scilicet præmissæ sunt modales, exponibiles, vel ex terminis obliquis, aut implexis: indigent examinari, & dirigi per regulas Logicæ artificialis, vt intellectum perfectè scientem reddant. Patet consequentia, quia licet intellectus quoad vnam, vel alteram cōclusionem vincat hanc difficultatem sine Dialectica, impossibile est, quod collectionem omnium, vel plurium conclusionū alicuius scientiæ perfectè possit cognoscere sine illa.

Confirmatur, quia sine Logicā impossibile est soluere omnes fallacias, quibus veritas impugnari potest, nec cognoscet euidenter definitiones, an sint essentiales, & principia sufficientia demonstrationis scientificæ sine arte discernendi genera, & differentias specificas. Ideoque ait Alber. Mag. tract. 1. c. 3. *Eum, qui caret Logica, & aliquid scit, se habere sicut se habet idiota, quia neque suum, neque alienum depræhendit errorem, neque ad inquirendum, neque ad inueniendum aliquid procedere potest. Neque etiam quando quæsitum inuenit, scit an sit inuentum.* Vbi multa alia idem author prosequitur. *Alber. Mag.*

ARTICVLVS IIII.

Vbi satis fit fundamentis oppositis.

AD fundamentum oppositæ sententiæ respondetur negando antecedens, & ad eius probationem dico, quod licet habitus acquisiti non dent simpliciter posse, sunt nihil ominus simpliciter necessarij tāquā determinationes illi, quod dat simpliciter posse; quoniam vt supra notaui, ex multiplici capite prouenire potest, quod aliquid sit simpliciter necessarium ad consecutionem alicuius finis, vel quia est potentia simpliciter productiua, vel quia est conditio sine qua non, vel applicans, aut determinans potētiam, &c. & hoc

in hoc posteriori modo sunt necessarij habitus acquisiti, & priori modo habitus infusi.

Ex quo rursus infero, quod licet omne obiectũ intelligibile, & omnes actus aliarum scientiarũ cadant sub potentia intellectiua, non est necessum, quod omnes immediatè ellici possint à tali potentia, sed sat est, quod saltem mediatè, & cum subordinatione procedant. Sic enim conclusiones non procedunt nisi medijs principijs, & electio voluntatis non nisi ex præexistente intentione finis, ac proinde sicut non obstante, quod potentia det simpliciter posse, sunt nihilominus principia necessaria ad conclusionem, ita & habitus Logicæ, & aliarum sciẽtiarum ad suos actus.

Ad secundum respondetur, quod Logica, & est scientia, & modus sciendi, non solum respectu aliarum scientiarum, sed etiam respectu sui ipsius; quia ipsa dirigit suos proprios actus, modo iam supra explicato, nimirum per priores actus, posteriores cum subordinatione, vt dictum est.

Sed dices, prima pars Logicę facilis, est sufficiens ad acquirendam alteram partem, etsi difficilem, & illa facilitat potentiam ad aliam difficiliorem, vsquequo acquiritur tota Logica in statu perfecto: ergo sic prima pars Philosophiæ, vel cuiuslibet alterius scientiæ poterit esse sufficiens ad alias difficiliores acquirendas, & sic cum subordinatione, ad totam Philosophiam, atque adeo ad illam non erit necessaria Logica, sicut neque ad priores actus illius.

Respondetur esse magnum discrimẽ inter Logicam, & alias scientias quantum ad hoc; nam Dialectica, cum sit scientia, & modus sciendi, vincit per priores actus duplicem difficultatem, quæ in posterioribus inuenitur. Alteram communẽ, quam habent in ratione modi sciendi, aut demonstrandi, & alteram specialem, quatenus respiciunt tale, vel tale determinatum obiectum. Philosophia verò cum solum scientia sit, & non modus sciendi, quamuis perse possit vincere specialem difficultatem, quam habent sui actus in ordine ad peculiare obiectum, quod ipsa Philosophia considerat; non potest vincere aliam difficultatem, quam habent sui actus in ratione communi modi sciendi, atque adeo indiget Logica, cuius proprium munus est huiusmodi rationem, vt obiectum considerare.

Ad tertium respondetur, cõcedendo plures homines floruisse in Iurisprudentia, Mathematicis, & Astrologia, sed huiusmodi facultates non esse perfectas sciẽtias, vt ab his hominibus tradebantur, fuerunt tamen insig-

insignes, quia extensiuè plures assecuti fuerũt veritates, propter practicum earum vsum, & applicationem ad particulares materias; non autem, quia modo exacto, & sciẽtifico causas perceperunt, & prima earum principia, sed multa per fidem humanam, & multa per experientiam effectuum.

Proponuntur, & soluuntur alia argumenta contra dicta.

Sed contradicta obijcies primò; bonitas illationis in quatuor modis perfectis non probatur à Logica, sed supponitur tanquam primum principium, ex terminis notum, omnis autem dispositio syllogistica, quæ inuenitur in alijs modis obscuris, & imperfectis reduci potest ad quatuor modos perfectos, & per se notos: ergo non est necessaria simpliciter ad alias sciẽtias. Antecedens patet, & probatur consequentia: quia si esset necessaria maximè, vt doceat alijs scientijs bonitatem illationis, vt patet ex ratione fundamentali nostræ conclusionis: ergo si hęc bonitas in omnibus syllogismis potest esse per se nota, Logica naturalis sufficiet, & artificialis necessaria non erit.

Respondetur in primis negando antecedens; quia licet bonitas illationis sit primum principium per se notum in se, quoad nos tamen habet obscuritatem. Probaturquè à Logica à posteriori per inductionem, &c. Præterea dato antecedente, est maxima difficultas in applicatione formæ syllogisticæ, quæ est in quatuor modis perfectis ad materias particulares aliarum scientiarum, & licet dispositio syllogismi perfecti, si reducatur ad perfectum, possit esse per se nota, cæterum talis reductio est maximè difficilis, atque adeò indigens Logica artificiali.

Secundò obijcies; quia videtur implicatio in terminis, quod Logica sit necessaria simpliciter ad alias scientias; & quod solum ad scientias perfectas necessaria sit, & non ad imperfectè illas acquirendas. Quod sic probo ex deffinitionibus supra adductis; quia necessarium simpliciter est *illud sine quo assequi non valet aliud, neque perfectè, neque imperfectè.* Necessarium verò secundum quid est *id sine quo aliquid imperfectè comparari potest, non autem perfectè.* Sed sine Logica artificiali imperfectè acquiri possunt aliæ scientiæ, non tamen perfectè, vt probatum est: ergo solũ secundũ quid, & non simpliciter necessaria est ad alias scientias.

Respondetur tamen facilè, si aduertatur æquiuocatio, quæ est in illa particula *Perfectè,*

quia vel potest sumi præcisè, vt se tenet ex parte adeptionis finis, & prout eam tantum modificat, hoc est, prout significat perfectam, vel facilem consequtionem alicuius finis, siuè perfecti, siue imperfecti. Vel potest intelligi, prout se tenet ex parte ipsius finis assequibilis, in ordine ad quem res aliqua necessaria dicitur: in definitionibus ergo positis solùm primo modo intelligenda est particula *Perfectè*, ita vt sensus sit, illud esse necessariū simpliciter, sine quo aliud nullo modo assequi valet, neque imperfectè, id est, cum difficultate in modo illud comparandi. In conclusionibus verò intelligimus particulam *Perfectè* secundò modo, prout se tenet ex parte finis solius, vel scientiæ acquirendæ, ita vt sensus sit: Logicam ad scientias perfectas simpliciter necessariam esse, quia talis scientia perfecta nullomodo etiam difficiliter cōparari potest sine Logica.

Tertio obijcies. Si Logica esset simpliciter necessaria ad alias scientias, maximè, vt dirigeret intellectum, docendo quomodo confici debeat modus sciendi, & ad illius structuram tradendo regulas, & præcepta, sed constat experiētia, quod quoties aliquis se exercet in Philosophia, aut Theologia, non recurrit prius ad Logicam, vel ad aliquam actualem directionem illius, sed immediatè efficit actus Philosophiæ; vel cuiusvis alterius sciētiæ: ergo non est simpliciter necessaria Logica ad illas.

Respōdetur, Aliud esse quod Logica sit necessaria ad alias sciētias perfectas acquirendas, aliud verò quod eius actualis directio sit semper necessaria ad illas exercendas, postquam iam sunt acquisitæ in statu perfecto. Primū solum est verum. Secundū autē non ita, neque à nobis assertum, sed potius oppositum supra declaratum: quia habitus ab eisdē actibus, à quibus generatur, ad eosdem inclinat, & facilitat potentiam; sed habitus aliarū sciētiarum geniti, fuerunt ex actib⁹ rectè dispositis in formam modi sciendi media directione Logicæ: ergo postquam iam habitus ex talibus actibus rectè dispositis acquisiti sunt, non indigent Logica, vt exerceantur.

Confirmatur exemplis: nam qui artem scribendi, aut depingendi addiscere incipiunt, prius indigent exemplari aliquo externo ad talē habitum acquirendū, postquam tamen talis habitus rectè scribendi, ab actibus medio exemplari directis semel genitus fuit, non est illis amplius necessarium exemplar ad exercitium illius, sed sufficit solus habitus propter rationem dictam: ergo eàdem ratione postquam iā aliæ scientiæ in statu perfecto sunt acquisitæ, non indi-

indigent amplius directione Logicæ. Vnde si Deus ab homine docto, qui mediante Logica acquisiuit Philosophiam, & alias scientias, auferret miraculosè habitum Logicæ, & relinqueret alios, posset optimè ratiocinari in materia Philosophiæ, & rectè procedere propter rationem dictam, quæ certè euidens est.

QVAESTIO VLT.

Vtrum Dialectica sit prima omnium scientiarum.

DVpliciter primatus Logicæ super omnes alias scientias potest considerari. Vel acquisitione, aut inuentione, ita vt sit addiscenda ante omnes alias. Vel dignitate, ita vt cæteras scientias, in perfectione antecellat. Ad primum facilis est solutio ex dictis, eam priusquam alias scientias acquiri, & inueniri debere: quia si est simpliciter necessaria ad alias tanquam modus sciendi, illis tradens instrumenta ad rectè intelligendum, propter quod janua, & mater illarum nuncupari solet, easquè sine ipsa acquiri minimè posse saltèm in statu perfecto (vt monstratum est) manifestè sequitur ipsam ante alias addiscendam, quia causa effectum naturaliter præcedere debet.

Ex quo constat, hanc prioritatem esse ordinis doctrinæ, non naturæ: quia Logica non agit de ijs, quæ secundum naturam sunt priora, scilicet de causis, vel principijs, vel partibus obiectorum aliarum scientiarum, imò secundum hanc rationem esset posterius ad discenda, quia actus intellectus, & entia rationis posteriora sunt obiectis realibus aliarum scientiarum: solum ergo est prior secundum ordinem doctrinæ, quatenus scilicet tradit instrumenta sciendi, quibus mediantibus aliæ scientiæ debēt acquiri, vt dictum est.

Hinc patet ratio, quare Logica alijs scientijs obscurior videatur: quia. s. cum ipsa sit acquisitione prior, inuenit intellectum satis indispositum, & rudem in modo discurrendi, quo mediante scientiæ humanæ acquiruntur, reliquæ verò scientiæ supponunt intellectum per Logicam ad benè discurrēdum, definiendum, ac diuidendum expeditum, ac proinde difficultates, ac impedimenta maiora superata inueniunt.

Circa secūdū punctū supponēdū est, ex duplici capite vnā sciētiam altera perfectionem esse, (vt optimè notauit Fonseca 2. *Metaphys. cap. 3. quæst. 7. sect.* 1. Sumpsitquè ex Arist. 1. *de Anima in principio.* & S. Thom. 1. *p. q.* 1. *artic.* 5. *& alibi sæpe.*) primò ratione obiecti excellentioris, quod

Fonsec. Aristot. S. Thom.

quod respicit; quia cum scientia suam specificationem sumat ab obiecto, necessum est, quod & perfectionem ab illo accipiat, atque adeò, quod illa sit nobilior scientia, quæ præstantius respicit obiectum.

Secundò sumi potest maior dignitas scientiæ ex modo procedendi circa suum obiectum, eo quod nobilior sit modo procedendi alterius. Qua ratione scientia illa erit altera perfectior, quæ euidentior est in demonstrando suas veritates, quia cum certitudo, & euidentia sint de ratione scientiæ, quæ certior fuerit, & euidentior, magis perfecta erit cæteris paribus. Similiter scientia speculatiua erit perfectior ex suo genere, quam scientia practica, si cætera sint paria, nimirum obiecti nobilitas, & demonstrandi certitudo, cuius ratio sumitur ex Aristotel. 1. *Metaphys. cap.* 2. dicente perfectiores esse scientias, quę sunt gratia sui (scilicet speculatiuæ) quam illæ, quæ sunt gratia aliorum (scilicet practicæ) similiter scientia subalternans perfectior est subalternata, ex eo, quod ab ea pendet, & accipit certitudinē scientia subalternata. *Aristote.*

Secundò suppono, quòd si duę sciētię, ita inter se se habeāt, quod vna sit altera perfectior ex parte obiecti, imperfectior verò ex parte certitudinis, vel modi procedendi, tunc habebūt se sicut excedens, & excessum secundum diuersas rationes; absolutè tamen, & simpliciter illa erit perfectior, & dignior, quæ præstantius habuerit obiectum, licet non habeat tantam certitudinem demonstrandi. Docet hoc expresſè S. Tho. 1.2. *q.* 66. *artic.* 5. *ad* 3. & Aristo. 1. *de cælo, text.* 6. & 1. *de partibus animalium, cap.* 2. dicens. *Minimum, quod haberi potest de cognitione rerum altissimarum desiderabilius esse cognitione certissima, quæ habetur de rebus minimis.* Super quem locū inquit Auerroes, quod sicut minima portio rei perfectissimæ præstantior est quam magna quantitas rei imperfectæ, ita minima cognitio cæli præstantior est perfectissima cognitione horum inferiorum, ex quibus patet dignitatē scientiarum potissimè sumendam esse ex obiecto. *S. Thom. Aristote.*

Comparatur Logica ad alias sciētias in perfectione, seu dignitate.

Dico primò Dialectica simpliciter, & absolutè est ignobilior pluribus scientijs, Theologia, scilicet Metaphysica, & Phisica. Patet: quia respiciunt obiecta longè præstantiora: obiectum enim Theologiæ est Deus. Obiectum Metaphisicæ est omne ens, prout comprehēdit tam substantiale, quam accidentale,

tam substantias corporeas, quã spirituales, tã creatas, quam increatas: at obiectũ Logicę sunt operationes mentis, quæ accidentia quædam rationis sunt. Rursus: neque in demonstrandi certitudine vincit huiusmodi scientias, vt patet. Neque in modo alio procedendi, cum ipsa sit practica, & gratia alterius, Metaphysica verò, & Philosophia, cum sint speculatiuæ, sunt gratia sui: ergo omnibus pensatis Dialectica fere omnibus modis his scientijs ignobilior est.

Dico secundò, Dialecticam absolutè nobiliorem esse Mathematicis, & alijs artibus, & scientijs naturalibus practicis. Patet discurrẽdo breuiter per obiecta cuiuslibet: Mathematicæ enim respiciunt quantitatem vt obiectum, quæ accidens quoddam corporeum est, & omnis alia ars, excepta Prudentia respicit operationes externas, Prudentia verò actus internos voluntatis, cæterum Dialectica considerat actus intellectus, qui accidentia sunt spiritualia, & prestantiora actibus voluntatis in esse naturæ, vt nunc ex libris de Anima suppono: est igitur illis simpliciter, & absolutè præstantior.

Secundum quid autem exceditur à Mathematicis, eo quod scientiæ speculatiuæ sunt, & gratia sui; Dialectica autem scientia pratica. Etiam à Prudentia exceditur, quia in genere moris Prudentia æstimabilior est, quam Logica, eo quod respicit virtutem, vt obiectum: homo enim studiosus, & Prudens dignior est, & æstimabilior, quidquid sit de maiori nobilitate Physica.

Tãdem tertiò dicendum est, Logicam secundum quid excedere omnes alias sciẽtias, quatenus scilicet dirigit illas, præbẽs ipsis modum rectè sciendi, probatquè syllogismos earum, tradẽs bonitatem illationis, qua vti debent.

Ex quo fit, alias scientias in certitudine, & rectitudine suorum actuum pendere à Logica. ob id enim meritò S. August. *lib. 3. contra academicos.* Illam vocat disciplinarum disciplinã. *Augusti.* Tullius *lib. 9. de Oratore*, dicit eam omnium lucem. *Tullius.* Plato 7. *de Repub.* omnium scientiarum apicem ac finem vocat, & ferè omnes omnium scientiarum matrem, januam, regulám, & multa alia huiusmodi nomina Logicæ tribuere solent, quibus maximè hæc specialis eius dignitas commendatur. *Plato.*

SEC-

SECTIO IIII.

De entitate rationis, quã dicit pro formali modus sciendi obiectiuus.

CVm habitus, actus, & obiectum, ad inuicem se explicent, & notificent, necessum est, vt frequenter ex vno transgrediam in aliud, & è conuerso, quapropter declarato iam modo sciendi formali in communi, restat vt obiectum explicemus, antequam ad particulares eius descendamus species. Et quia dixi modum sciendi obiectiuum pro formali esse ens rationis, & pro materiali ens reale, erit pri' sermo de entitate rationis, & de eius speciebus, postea verò de materiali, quod est ens reale in tractatu decem prædicamentorum sufficienter quidquid ad præsens attinet institutum, dicetur.

QVAESTIO I.

An sit, & quid sit ens rationis?

ARTIC. I.

An sit?

NOn sumitur hic ens rationis pro omni eo quod quomodocumque efficitur à ratione, vel in illa subiectatur, in quo sensu actus, & habitus intellectus dici possunt entia rationis, quia habent entitatem à ratione (sic enim intellectus nũcupari solet) de his inquã entibus, cum sint verè realia, veramque existentiam à parte rei habeant, nulla est in præsenti difficultas; sed solum de ente rationis, quod distinguitur cõtra omne ens reale; & definitur hoc modo. Est id quod nullibi habet esse à parte rei, sed tantum obiectiuè in intellectu. Vel est id quod non habet aliud esse, nisi cognosci. Propter quam rationem dici solet ens rationis obiectiuũ, ad differentiam alterius, qui dicitur effectiuum.

Est iterum obseruandum, ens reale, vt diuiditur contra ens rationis comprehendere obiecta omnia, quorum esse non consistit in cognosci, sed potius est independens à cognitione, & consequenter omnia entia possibilia, etiam si numquam actu existant à parte rei, & omnia im̃possibilia, negationes videlicet, & priuationes dicũtur entia realia in hoc sensu, non positiua, sed negatiua, quia illud esse, vel non

esse, quod habent, competit illis etiam nullo intellectu considerante. Esse autem entis rationis debet illi conuenire quatenus ab intellectu cognoscitur.

In hac re non desunt qui negent dari huiusmodi entia rationis, fortasse disputandi, potius quã asserẽdi gratia. Citari solent *Mayron.* Mayron. *in quodlibet. quæst.*7. *Ber.Mir.* Bernardin. Mirand. *in expositione prædicam.* *Valles.* Valles *controuerſ.* 10. *Phisica.* *Cano.* Cano. *lib.*9. *de locis* *Durand.* *cap.*7. Durandus etiam citatur *in* 1. *dist.*19. *quæst.*5. *num.*6. Quatenus asserit, nullum dari ens rationis præter denominationem extrinsecam ab actu rationis, quam aliqui iuniores satis probabilem reputant.

Sed pars affirmatiua amplectitur, vt certa ab omnibus, tam antiquis, quam recentioribus *Aristote.* scholasticis. Docuit illam Arist. *Alexan.* 4. *Metaphyſ. text.*20. Vbi Ale*Auerroes* xander, Auerroes, Albertus, & *Albertus* 5. *Metaphy. textu* 14. vbi Sanct. *S. Thom.* Thom. *lect.*9. & ipse S. Doctor *Caiet.* 12. *quæst.*8. *art.*1. *ad* 3. vbi Caiet. sed præcipuè vterque, *cap.*1. *de ente, & essentia. & alibi sepè.* Idem tenet *Anton. Andr.* 4. *Me-* *Henric.* *taphy. lect.*2. Henricus Gandau. *Auicenn.* *quodl.*4. *q.*6. Auicena *in Logic.* *Durad.* Durand. *in* 1. *distin.*19. *quæst.*6. *Sotus.* Scotus *sepè in Logica.* Suarez *Suarez.* *to.*2. *Metaph. disput. vltim. sect.*1. *Rubio.* Rubius.

M.Perez. Ex nostris Magist. Perez, super 1. *p. D. Tho. q.*14. *ar.*5. Episcopi, & Magistri florentissimi Petrus de Oña & Ambro- *Oña.* sius de Aquena Hic 1 *parte & ille quæst* 1. *vniuersalium.* Item Reuerẽdissimus noster Zumel, & communiter omnes Theologi sepissimè id supponunt, quoties admitunt in 1.p. relationes, & distinctiones rationis inter diuina attributa. Expressè Aristo & S. Tho. in numeris in locis.

Patet: què manifesta experientia, qua frequenter cernimus multa prædicata attribui rebus ab intellectu; genus videlicet, differentiam, rationem subiecti, & prædicati, &c. quæ illis re vera non conueniunt à parte rei eo modo, quo ab intellectu considerantur: ergo signũ euidens est huiusmodi prædicata nullum aliud esse habere præter hoc, quod est cognosci ab intellectu, vel esse obiecta ab illo repræsentata.

Sed plurima obijci possunt negatiuæ partis fundamenta, quæ quia solũ contendunt euertere quidditatem entis rationis; refellendoq; omnes modos, quibus explicari solet ab authoribus, sigillatim in sequentibus articulis adducemus, quædamquè probabimus, quædam verò, quæ contra nostram specialem sententiam militare vi- debentur, solue- mus.

AR-

ARTIC. II.

Vbi proponitur, & declaratur prima sententia de natura entis rationis.

Durand. PRima sententia celebris in hac re quã tenuit Durand. *1.d.19. quæst.5.artic.1.* est, ens rationis consistere in denominatione extrinseca, vel in tota sua latitudine sumpta, vt aliqui explicant, vel in speciali quadam denominatione, qua obiectum denominatur cognitum ab actu rationis, vt dicunt alij. Itaque asserit hæc opinio ens rationis pro materiali tantum importare obiectum, quod cognoscitur, pro formali verò cognitioné per quam cognoscitur: ideoquè ens rationis dici, quia per rationem ipsam, tanquam per formam in suo esse constituitur.

Quorum fundamentum est primò, quia intellectus nullum aliud esse, potest conferre suo obiecto, præter denominationem extrinsecam cogniti, seu repræsentati, sed esse cognitum est solum denominatio extrinseca, ergo. Quod fundamentum latius prosequemur, & probabimus postea ad nostrũ propositum.

Secundò probatur hæc sententia: nam esse cognitum duo dicit, & obiectum, quod cognoscitur, & formam, per quam formaliter cognitum denominatur, sed hæc forma in obiecto nihil reale potest ponere: ergo solum ponit in eo aliquid rationis: in hac ergo denominatione, solum poterit ens rationis consistere, supposito quod ex parte obiecti nihil potest fingere de nouo. Minor, in qua est difficultas, facilè probatur: quia cognitio, qua intelligitur homo, v.g. nihil ponit in homine, sed tantum in potentia cognoscente, quod euidẽtius patet in obiectis, quę non existunt à parte rei, sed tantum sunt possibilia, aut impossibilia.

Sed vt hæc sententia, & simul falsitas illius percipiatur, aduerto primò, quod vox *denominatio*, si sumatur iuxta suam primariam impositionem, significat idem, quod nominatio, seu nominis impositio, quo pacto dici solet, hic homo denominatur, vel nominatur *Petrus*, sed iam ex communi omnium consuetudine translata est hæc vox ad significandam causalitatem cuiuscumque formæ, vel quamcumque prædicationem alicuius formæ de aliquo subiecto, ex eo quòd nomen imponitur ad notificandam differentiam specialem rei, secundum quam ab alijs discernitur, & ideo à forma desumitur, & non à materia:

in hoc ergo posteriori sensu est de illa controuersia præsens.

Hæc quidem duplex est. Alia intrinseca, & secũdum esse. Alia extrinseca, quę dici potest denominatio secundum dici, intrinseca nihil est aliud, quã informatio alicuius formæ realiter vnitæ, vel physicè inhærentis subiecto, ideoque dicitur *intrinseca, & secundum esse*, quia talis denominatio tribuit subiecto, quod denominat, aliquod esse reale nouum, & intrinsecum, quod antea non habebat.

Extrinseca denominatio est illa, quæ extrinsecè respicit obiectum aliquod, quod denominat, non tribuendo ei aliquod esse nouum, nec per veram aliquam inhærentiam, aut vnionem se illi coniungens, sed potius extra illud existens. Et idcirco solum *secundum dici* informatio, seu denominatio dici potest, quia non potest dici, aut explicari talis denominatio, nisi per modum informationis, sicut relatio secundum dici appellatur in Metaphysica ea, quæ re vera relatio non est, sed ad modum relationis semper concipitur, & explicatur.

Ex hac duplici denominatione colligitur duplex concretum, seu compositum. Aliud intrinsecum, quod simpliciter, propriè, & *secundum esse* sic dicitur, illud videlicet, quod ex vera, & propria forma, & materia componitur inter se vnitis, vt homo ex anima, corpore, & album ex pariete, & albedine. Aliud verò concretum extrinseca denominatione resultans, quod impropriè, & *secundum dici* tantum compositum appellatur, quoniam vbi non est vera, & realis vnio, nec vera, & propria potest esse cõpositio. V. g. esse cognitum, seu visum.

Ex quo vlterius colligitur rem denominatam per formam extrinsecam, propriè, & rigorosè dicendum esse obiectum, potius quam subiectum, quia cum talis denominatio non cõsistat in communicatione alicuius esse, ita nec res denominata per illam est subiectum in se recipiens aliquod esse, sed tantum obiectum, quod extrinsecè respicitur, seu terminat tendẽtiam alicuius formæ, cognitionis, v. g. aut amoris, secùs verò res intrinsecè denominata, quæ semper subiectum dicitur propter oppositam rationem.

Rursus in præsenti materia tria hæc sunt maximè distinguenda. Forma denominans. Res per ipsam denominata. Et denominatio ipsa, quæ medium quoddam est inter vtrumque extremum. De hac enim est difficultas, quid nam sit, & loquor de denominatione extrinseca, nam de intrinseca facilè constat esse vnionem realem, quæ est inter formam deno-

denominantem, & subiectum denominatum, quæ distinguitur realiter modaliter ab vtroque extremo, & si consideretur, prout se tenet ex parte formæ denominantis, & est causalitas, seu exercitium illius, dicitur informatio, si verò ex parte subiecti denominati, dicitur receptio, vt ex Philosophia suppono.

De denominatione autem extrinseca obscurè hactenus loquti sunt omnes, sed si proportionabiliter ad intrinsecam denominationem philosophandum est, dico non esse aliud, quam habitudinem, vel tendentiam, quam dicit forma aliqua ad aliquod obiectum extrinsecum, quæ nunquam realiter distinguitur à forma totali denominante. V.g. intellectio, & est forma repræsentans obiectum, & est etiam actualis repræsentatio illius, & seclusa quacumque alia realitate, aut modo superaddito denominat illud repræsentatum. Patet ex dictis; quia cum talis denominatio non consistat in vnione, aut exhibitione alicuius formæ intrinsecæ, solum restat, quod possit esse tendentia, aut respectus alicuius formæ extrinsecę.



ARTICVLVS III.

Reijcitur dicta sententia, & statuitur omnē denominationem extrinsecam prouenientem à forma reali, realem esse.

EX dictis patet, quam falsa sit sententia docens, omnem denominationem extrinsecam esse quid rationis, quoniam si talis denominatio proueniat à forma reali, non distinguitur realiter à tali forma, sed est ipsamet forma, quatenus extrinsecè, & essentialiter respicit aliquod obiectum: ergo tam realis debet esse huiusmodi denominatio, ac forma denominans.

Sed respondebit aliquis, denominationem extrinsecam, si sumatur quasi actiuè, prout se tenet ex parte formæ denominantis, sic realem esse, & indistinctam ab ipsa forma: at si sumatur quasi passiuè, vt se tenet ex parte obiecti, & denominat illud cognitum, sic non esse aliquid reale; quia in obiecto nihil reale ponit, sed aliquid rationis tantum.

Sed contra hoc est, quod denominatio extrinseca cogniti

actiua, & passiua non distinguntur vllo modo, ac per consequens eadem est vtriusque ratio, nam sicut eadem realitas actionis, si consideretur, vt egreditur ab agente, dicitur actio, & vt recipitur in materia, dicitur passio, & sicut in denominatione intrinseca eadem vnio realis indiuisibilis, si consideretur ex parte formæ denominantis, dicitur informatio, & si ex parte subiecti denominati, appellatur receptio; ita eadem denominatio extrinseca, quasi actiuè considerata ex parte formæ denominantis, dicitur repræsentatio, v.g. vel dilectio obiecti, & si passiuè ex parte obiecti intelligatur, denominat illud repræsentatum, vel dilectum, absque aliquo alio superadito.

Quod amplius sic declaro: quia cognitio sub eadem ratione formali est intrinseca, & actiua potentiæ, & extrinseca obiecto, ipsumque denominans: ergo si prout intrinseca, & actiua, realis est, etiam vt extrinseca, & passiua. Probatur antecedens; quia potentia per eandem omninò formalitatem, qua actiuè, & intrinsecè intelligens denominatur, aliquid extrinsecum intelligit, aliàs non denominaretur intelligens vllo modo: ergo per illam eandem realiter formalitatem aliquid extrinsecum intelligit: ergo per eandem aliquid extrinsecè intelligitur: ergo denominatur extrinsecè intellectum quæ omnes consequentiæ satis notæ sunt.

Confirmatur secundò, quia propter hanc rationem talis denominatio extrinseca dicitur, quia nullomodo est in re denominata, sed potius extra illam: ergo eadem denominatio, quæ est intrinseca formę denominanti, sufficiens est denominare extrinsecè obiectum aliquod, atq; adeò impertinens est, quodcumque aliud ad talem denominationem. Nam quodcúque aliud excogitetur, quod non sit intrinsecum formæ denominanti, debet necessariò intrinsecum esse obiecto denominato, ac subinde nō extrinseca, sed intrinseca erit denominatio.

Secundò probatur; quia antecedenter ad quamcumque operationem intellectus, si visio terminetur ad colorem, est à parte rei obiectiuè verum, quod oculus videt colorem, & quod color videtur ab oculo, imò ab vno ad alterum est mutua, & euidens consequentia, quia sunt vna, & eadem indiuisibilis veritas: ergo tam realis, & independens ab intellectu est vna, sicut altera.

Confirmatur, quia esse visum vel cognitum, si sumantur quidditatiuè, prout sunt concreta quædam, includunt pro formali, & in recto visionem & intellectionem, quæ formæ reales sunt, &

& penès illas constituuntur, & distinguntur essentialiter. Etsi denominatiuè solum accipiantur, solum important in recto obiectum, quod respicitur, & denominatur; & in obliquo visionem, & cognitionem, quæ semper reales sunt, vt docent isti authores: ergo nihil est in his denominationibus, quod non sit verè existens à parte rei, & reale.

Neque valet respōdere, quod esse cognitum, vel visum de formali, & in recto non dicunt cognitionem, & visionem realem, sed tantum relationem quandam obiecti visi, ad visionem, &c. quæ cum realis non sit, erit ens rationis. Hoc inquam planè falsum est: nam obiectum non est formaliter visum per aliquā relationem, sed per actum vidēdi; ab illo enim videri, & repræsentari dicitur, & non ab aliquo alio, nam eadem forma eo ipso, quod in se est repræsentatio alicuius, velit nolit intellectus, denominabit obiectum per illam repræsentatum.

Confirmatur; quia creatura, v.g. non denominatur creabilis à virtute creatiua in illa existente, sed in Deo; & intelligibilis non ab aliquo alio, quam à potētia intellectiua existente in extrinseco cognoscente; solumq; fatētur omnes præter virtutem creatiuam existentem in Deo, & virtutem intellectiuam, &c. correspondere ex parte creaturę quandam non repugnantiam, vt creetur, & intelligatur; quam consequenter dicunt, non esse extrinsecam sed intrinsecam denominationem: ergo eàdem ratione color denominabitur visus à visione, & quidquid aliud intelligatur, erit iam intrinseca, & non extrinseca denominatio.

Responderi potest, esse cognitum tantum, fundamentaliter ens rationis esse, antequam reflexè cognoscatur, postquam verò sic intelligitur, fieri formaliter, quia cognoscitur tunc cognitio tanquam forma obiecti cogniti.

Sed contra est primò, quia vel talis cognitio reflexa terminatur ad esse cognitum, secundum illud esse, quod habebat antequam sit reflexè cognosceretur, & sic nec talis cognitio reflexa potest constituere ens rationis, quia terminatur ad obiectum secundum illud esse præcisè; quod habebat à parte rei antequam cognosceretur. Vel ergo cognitio reflexa talis est, quod repræsentet esse cognitum aliter ac est in re, scilicet cognitionē, vt formam, & obiectum cognitum, vt materiam. & sic non negamus tunc intellectum quodam ens rationis efficere, seu compositum monstruosum ex cognitione, & obiecto, sicut quando ex partibus diuersorum ani-

animalium chimeram fingit: cæterum hæc denominatio est alia longè diuersæ rationis à præcedenti: prior enim sumitur à cognitione reali, quatenus realiter repræsentat suum obiectum. Posterior verò non item, sed à cognitione quadam ficta, quæ concipitur, vt forma intrinseca obiecti, atque adeò potius denominatio intrinseca rationis dici debebat, quia ad similitudinem denominationis intrinsecæ realis excogitata fuit.

Vnde rursus infero, quod esse cognitum, fundamentaliter sit ens rationis, quatenus potest concipi aliter ac est in re, & sic fieri ens rationis, formaliter tamen est denominatio realis extrinseca. Patet, quia est ibi obiectum denominatum, & forma realis denominans, non intrinsecè: ergo extrinsecè.

Satisfit fundamentis oppositæ sententiæ.

Sed vrget opposita sententia: si paries est realiter visus; & obiectum est cognitum à parte rei: ergo visio est aliquid reale in pariete, & cognitio in obiecto aliquid reale ponit à parte rei, sed hoc est planè falsum: ergo & illud ex quo sequitur.

Respondetur tamen negando consequentiam, sed tantum infertur: ergo visio realis est ad parietem, vel respicit realiter parietem; quia per hæc verba: *paries est visus à me*; hoc tantum significare volo nẽpe, quod visio mea versatur circa parietem, tãquam circa obiectum, non verò quod sit aliquo modo in pariete, potius enim repugnat explicitæ rationi denominationis extrinsecæ, quod dicat *in*, solũ dicit *extra, & ad, & in*, non nisi tantum secundũ dici. Quod si aliquis velit prolibito suo visionem cõcipere, vt formam existentem in pariete, efficiet sine dubio ens rationis, quod nũquam negamus.

Secundò obijcitur: si obiectum cognitum, aut visum includeret formaliter cognitionẽ, aut visionẽ, denominaretur obiectum formaliter cognoscens, aut vidẽs, sicut potentia cognoscitiua propter hãc rationẽ sic denominatur: sicut ergo hoc est falsum, ita illud ex quo sequitur.

Sed facilè respondetur, potius esse in cõfirmationẽ nostrã: quia cum forma denominans extrinsecè non sit verè forma dicens esse in subiecto, sed solum dicẽs esse ad obiectum, ideò non denominat eo modo, quo cõtendit argumentũ, sed alio valde diuerso.

Tertiò obijcitur: quia videtur implicatio in terminis, quod hoc concretũ *esse cognitum*, essentialiter, & in recto importet cognitionẽ tãquam formã, & quod illa nõ sit forma intrinsecè denominãs, & cõstituens tale concretũ. Probatur implicatio: quia nihil magis intrinsecum est alicui rei,

quam

quã sua essentia in recto importata, & eo ipso quod aliquid essentialiter requisitum sit extrinsecum, dicitur solum in obliquo pertinere ad essentiam alicuius rei, & non in recto.

Respondetur tamen distinctione; quia vel cognitio, seu forma denominans comparatur ad obiectum, quod denominatur, & respectu illius est omnino extrinseca, & nullo modo essentialis. Vel comparatur respectu totius concreti, quiditatiuè sumpti, & sic est illi intrinseca, & essentialis, vt cõtendit argumentũ, sicut si albedo comparetur ad parietem est illi accidentalis, at si respectu albi, vt album est, cõsideretur, est essentialis tali cõcreto.

Deniq; obijciunt quidam iuniores non esse veram vniuersaliter doctrinam supra factã; quia quando cognoscitur obiectum aliter ac est à parte rei, v.g. compositum monstruosum ex partibus diuersorum animalium, illud monstrum eatenus est ens rationis, quatenus cognitum, sed quatenus cognitum est denominatio extrinseca proueniens à cognitione reali tanquam à forma: ergo. Maior probatur; quia illud obiectum monstruosum nullum esse reale potest habere à parte rei: ergo solum potest habere esse cognitum; quia intellectus nullum aliud præter esse cognitum confert suis obiectis.

Confirmatur ex definitione ipsa entis rationis. Est enim illud, *cuius totũ suum esse est cognosci, vel cuius non est aliud esse nisi cognosci*: ergo solum in denominatione extrinseca à cognitione reali essentia entis rationis consistit.

Sed hic modus dicendi non minus falsus est, ac pręcedens; quia rationes supra factę de alijs denominationibus extrinsecis, probãt similiter de ista: solũ enim distinguuntur materialiter ex parte obiectorũ he denominationes, ex eo quod obiectum vnius alibi existit, obiectum verò alterius nullibi; cæterũ tam realiter, & verè cognoscitur obiectũ mõstruosum, quod nullibi est, ac quodlibet ens reale; quia tam realis est cognitio, qua fingit intellectus entia rationis, & tam vera est à parte rei repræsentatio illius, ac est repręsentatio entium realium, sicut tã positiua, & realis est cognitio, qua repręsentatur negatio, ac est illa, qua ens positiuum exprimitur.

Confirmatur, quia he denominationes distinguuntur solum, quoad obiecta denominata, quo ad reliqua enim vniformiter se habẽt: ergo si vna est realis, & altera, rationis, ratio formalis cõstitutiua in esse entis rationis erit obiectũ denominatũ; quia eadẽ est ratio, quę cõstituit & distinguit: ergo in solo obiecto, prout subest cognitioni, saluatur essẽtia intrinseca entis rationis, & nõ in deno-

denominatione extrinseca, quæ formaliter ab actu prouenit. Patet hæc vltima consequentia: quia hæc denominatio extrinseca non prouenit ab obiecto tanquam à forma constitutiua, sed ab actu, quo respicitur tale obiectum: ergo denominatio, quæ solum ex parte obiecti est ens rationis, erit solum ex parte materiæ ens rationis, & consequenter simpliciter, & absolutè realis; quia denominatio absoluta sumitur à forma constitutiua, atque adeò solum obiectum dicetur simpliciter ens rationis.

Quare ad argumentum factū in oppositum respondetur distinctione; nam esse cognitum dupliciter accipi potest. Vel quidditatatiuè, prout significat totum concretum, quod ex obiecto, & cognitione coalescit. Vel denominatiuè, prout dicit in recto solum obiectum, quod subest cognitioni, cognitionem autem ipsam, non nisi tantum extrinsecè, & in obliquo, & sic in forma distinguenda est illa propositio. *Illud monstrum eatenus est ens rationis, quatenus habet esse cognitum*, denominatiuè, cō cedo, id est quatenus obiectum quodam est, quod subest cognitioni. Quiditatiuè autem sumédo *esse cognitum*, nego. Et sic proportionabiliter distinguenda est definitio entis rationis, vt patet ex alia, qua etiam definiri solet. *Est illud, quod tantum habet esse obiectiuè in intellectu*. Ex quo manifestum est, obiectum quod cognoscitur, & non cognitionem ipsam constituere ens rationis: cognitionem autē connotari essentialiter, vt causam, vel formā extrinsecam, de quo infra. Quomodo autem sententia hæc de denominatione extrinseca ad verum sensum reduci posit, infra declarabitur.

ARTIC. IIII.

Exponitur, & reijcitur secunda sententia, & varius modus deffendendi illam.

Secunda sententia maximè celebris, à multisque doctissimis defensata viris, est, ens rationis esse obiectū quoddam fictum, distinctum ab actu intellectus, ita noviter ab ipso fabricatum, vel causatū saltem quantum ad modum aliquem positiuum, vt nullibi habeat, vel posit habere esse à parte rei. Cuius præcipuum fundamentum est; quod non est nisi actus, vel obiectum, in quo posit ens rationis consistere, sed non potest esse actus, nec denominatio ab illo prouemens, vt probatum est ergo est obiectum.

Sed hæc sententia si intelligatur

gatur de obiecto *quod* specificatiuè, id est, de re, quæ obijcitur, & directè cognoscitur, difficillima habet contra se argumēta.

Primum est: quia intellectus noster non habet potestatem efficiendi aliquod obiectum positiuū de nouo, neque quoad totam entitatem, neque quoad aliquem modū illius, sed tantū potest ellicere actus, qui respiciant illud: ergo non potest in entitate ita nouiter fabricata ens rationis consistere. Antecedens probatur primò: quia intellectus, cum sit potentia tantum actus inmanentis ellicitiua, nihil ad extra præter suos actus, & prædicata illis annexa, efficere valet: cum ergo obiectum distinctum, & extrinsecū actibus sit, non poterit immediatè ab intellectu fingi.

Neque rursus mediatè actu. Quod probatur, quia vel talis entitas ficta procederet ab actu intellectus in genere causæ efficientis, vel solum in genere causæ formalis extrinsecæ, neutro modo potest ab eo procedere, neque alius modus est intelligibilis: ergo. Quod non procedat in genere causæ efficientis, probatur: quia apprehensio, vel cognitio non est virtus aliqua productiua, sed tantum est imago, aut similitudo intentionalis extrinsecè repræsentās obiectum, & manifestans illud potentiæ, sed imago, aut similitudo nihil ponunt in re imaginata, aut assimilata, vt patet in imagine Christi, aut B. Mariæ, & cognitione, qua concipitur ens reale, vel negatio, sicuti est: ergo obiectum nihil potest accipere à cognitione præter esse cognitū extrinsecè.

Confirmatur; quia vel obiectum hoc fictum producitur verè à cognitione, vel non. Si primum dicatur, erit verum ens reale; quia quod producitur à causa reali, quid reale debet esse. Si verò dicatur non verè causari, sed tantum metaphoricè, explicari debet fundamentum huius metaphoræ (aliàs erit metaphora sine fundamento) & assignanda est proportio, sicut quando ridere dicitur pratum, vel aurora propter proportionem, quam habent ista duo cum risu hominis, vnde assignato fundamento reddit idem argumentum.

Si autem dicatur secundum, nimirum solum in genere causæ formalis extrinsecæ intellectionem ad entitatem rationis concurrere. Contra est, quia causa formalis siuè intrinseca, siuè extrinseca non causat nisi dando se ipsam, & supponēdo in re subiectum, vel obiectum, quod denominat, vt patet vniuersali inductione in omnibus formis: ergo iam non in obiecto aliquo nouiter ab intellectu fabricato, sed in denominatione extrinseca ens

ens rationis, dicetur consistere, quod est incidere in primā sententiam supra impugnatam.

Propter hæc respondent cōmuniter iuniores, & est probabilior modus explicandi dictam sententiam; ens rationis nullo modo habere rationem effectus immediatè, & directè causati, vel mediatè per resultantiam aliquam, sed tantum rationem puri obiecti repręsenti, qua propter non est quærenda causa sui esse, sed solum repræsentatio, quæ illud exprimat. Contendit tamen, huiusmodi obiectum, ita nouum esse, ut nullibi habeat esse reale, nec actuale, nec possibile, nec positiuum, nec negatiuum. In quo vltimò hęc sententia mihi non probatur; quoniam incidit in inconuenientia posita,

Supposito enim, quod obiectum sic repræsentatum, est aliquid omninò diuersum ab actu intellectus, quo repræsentatur, necessario asserendum est tale obiectum, vel esse purum nihil, vel esse aliquid positiuum. Primum non dicunt authores oppositi. Si verò secūdum asserant, consequenter fateri debent huiusmodi esse, vel independens à cognitione, & sic erit verum ens reale, vel dependens ab illa, & sic explicent in quo genere causæ, nam contra illos vrget primum argumētum supra factum.

Confirmatur; quia repræsentatio, seu cognitio nihil possunt conferre obiecto; sed solum habent extrinsecè repræsentare potentiæ esse, quod in se ipso habet obiectum. Neque obiectum supra rem, quæ obijcitur, addit aliud, quàm esse extrinsecè repræsentatum. Sicut obiectum visus, aut amoris supra rem, quæ videtur, aut amatur, solum addunt obijci his actibus, hoc est, actu respici, vel amari: ergo cognitio nullo modo causare potest entitatem obiecti, sed supponendo illam, tantum confert ei denominationem extrinsecam repræsentati.

Secundò argumentari possumus non inefficaciter ex duplici principio Aristotelis ab omnibus admisso. Primum est. *Ex 1. lib. poster. c. 2. quod non est, non scitur*; id est, quod nullum in se habet esse, non est repræsentabile. Quod principium falsum omnino esset, si intellectus haberet potestatem fingendi, & cognoscendi ea, quæ nullo modo in se habent aliquod esse.

Et si respondeas, quod habent esse obiectiuum. Contra est, quia habere esse obiectiuum secundum istam sententiam, nihil aliud est quàm purè cognosci, vel purè repræsentari per aliquam notitiam, sed sic intellecta propositio Aristo. esset inepta, & ridicula: quia efficeret hūc sen-

sensum: *Quod non cognoscitur, vel non est obiectiuè in intellectu, non cognoscitur.*

Nec valet instantia: negationes non sunt, & sciuntur. Nam eo modo, quo sciuntur, sunt, & supponuntur esse, scilicet quantum ad esse negatiuum, quod independenter omnino a ratione habent, vt infra dicetur.

Secundum principium traditur *in 3. lib. de anima*, & communiter in omnium ore profertur, scilicet, *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*: ergo nihil est in intellectu humano, quod prius non fuerit cognitum à sensibus, sed quidquid intrat per sensus, est verum ens reale: ergo quidquid est in intellectu, debet esse obiectum non ita nouiter excogitatum, vt nullibi habeat, vel posit habere esse.

Neque valet dicere, quod quidquid est in intellectu, est in sensu, non tamen eodem modo: nam hoc etiam libenter concedemus, dum tamen ille modus non sit aliquod obiectum ita nouiter excogitatum, vt nullibi aliàs posit habere esse, saltem seorsim sumptus, vt latius postea declarabo: nam particula *nihil*, & rationes supra positę, quodcumque obiectum etiam partiale excludunt, præsertim si sit positiuum.

Dices, huiusmodi argumenta à nobis facta, vel probant nulla dari entia rationis, sed omnia obiecta esse realia, vel nihil probant: debemus ergo illis solutionem quærere, vel entia rationis negare. Patet consequentia; quia si supponimus probatum denominationes extrinsecas reales esse, & etiam nunc, omne obiectum intellectus debere in se habere aliquod esse antecedenter ad omnem actum intellectus, trāsmissum ad illum per sensus, nihil restat, in quo entis rationis natura cōsistere posit, ac proinde illud negare compellimur. Pro solutione tamen sit.

ARTIC. V.

Vbi vera sententia statuitur de natura entis rationis.

SVpono primò, quod vna, & eadem res potest habere à parte rei plures modos reales, siuè positiuos, siuè negatiuos, siuè intrinsecos, siuè extrinsecos. Esse videlicet, vel non esse; esse posibile, vel existens; esse in hoc, vel illo tempore, aut loco; cum tali, vel tali qualitate, quantitate, aut figura, &c. qui omnes modi, licet non conueniant actu eidem entitati à parte rei, possunt tamen illi saltem seorsim, & successiuè conuenire, & hoc sufficit, vt

vt dicantur reales secundum se considerati; & vt res aliqua consideretur aliter ac est in re, satis est quod concipiatur cum modo, quem actu non habet, licet possit illum aliàs habere. V. g. si homo nunc cecus, concipiatur vt videns, aliter ac est in re intelligitur: visus tamen ille, qui ei attribuitur, entitas possibilis est, atque adeò realis secũdum se, licet prout terminat talẽ fictionem, dicatur existens secundum rationem: quia non existit nisi tantum obiectiuè, prout repræsentatur,

Statuitur prima conclusio.

1. His positis Dico primò quãdo obiectum fictionis intellect⁹ purè positiuũ est, nullã admixtam negationem impossibilem habens, tale obiectum secundũ se consideratum est semper verum ens reale, & aliàs cõformabile cognitioni veræ. Dicitur tamẽ ens rationis, quatenus obiectiuè existit in intellectu aliter ac in re.

Probatur primò rationibus, quibus articulo præcedenti arguebamus contra ultimam sententiam. Præsertim eam confirmo ex illo, quod hæc sententia supponit, & re vera mihi certũ est, nimirũ ens rationis, vt tale est, nõ habere vllo modo rationem effectus, sed tantum puri obiecti, vt patet ex eius definitionibus. Est *illud quod tantum habet esse obiectiuè in intellectu, quod non habet aliud esse nisi cognosci, &c.* Sed de ratione puri obiecti est, quod obijciatur, vel repræsentetur secũdum illud esse, quod iam supponitur habere in se ipso: ergo nullũ obiectum positiuũ potest terminare fictionẽ nostram, quod secundum se non sit aliquomodo verum ens reale. Minor patet ex dictis: quia obiectum vt tale est, non accipit esse ab actu, quo respicitur, sed tantum habet, quod suum esse, qualecũque fuerit, fiat præsens potentiæ cognoscitiuæ, atque adeò talis prꝑsentia supponit esse illi⁹, sicut prꝑsentia in hoc loco, aut tempore, nõ tribuit esse, sed supponit illud. Consequentia patet etiam: quia si tale esse supponitur in obiecto, ante quam fiat obiectiuè præsens in intellectu, iã erit esse reale, & non rationis.

Secundò probatur: quia loquendo de obiectis purè positiuis, intellectus nullo alio modo potest rem fingere, aut intelligere aliter ac est, nisi tantum attribuendo illi modũ aliquẽ, quẽ non habet actu, potest tamen illum in re habere: ergo hæc entitas, vel modus erit semper realis, si secundum se spectetur absque vlla habitudine ad actum, quo repræsentatur. Antecedẽs probatur generali inductione discurrendo per omnia entia rationis hui⁹ generis, quæ imaginari possunt;

possunt; experiemur enim obiectum cuiuscumque fictionis esse semper quoad totam suam entitatem positiuam verum ens reale secundum se consideratum.

Quando intellectus. V.g. cōcipit Lunam, vt paruam, montem aureum, vel vnionem, aut diuisionem inter partes diuersorum, vel eiusdem animalis; parua illa extensio in Luna, etsi actu non existens, est re vera possibilis, non tantum in alia, quam potuit Deus creare, sed etiam in hac numero, si Deus illius substantiam ad minorem reducat quantitatem, quod posse, nemo negauit. Similiter neq; quod possit montem aureum efficere, vel animal, cuius partes sint omnino similes aliorum partibus: ergo hi omnes modi possibiles sunt simpliciter, ac proinde reales: quamuis dicantur entia rationis, quia obijciuntur intellectui aliter, ac sunt à parte rei, videlicet, nō quoad modum possibilitatis, sed quoad modum existentiæ, quam non habent actu, sed aptitudine.

Tertiò probatur; quia per hoc præcisè, quod intellectus intelligat vnam rem pro alia, vel loco alterius, vel cum aliquo modo, aut circunstantia reali, quem non habet actu, etsi illum possit habere, sine hoc quod nouum aliquod obiectum impossibile efficiat, dicitur fingere, & ens rationis efficere: ergo ens fictum de quo loquimur, est ens aliàs reale secundùm se consideratum. Antecedens probatur authoritate S. Augustin. tom. 2. epist. ad Marcellin. Vbi ait. *Non mihi placet, cum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. profectò enim nō me, sed pro me alium sub nomine meo diligunt.* Ecce enim ex mente Augustini fingere non aliud erat, quam rem vnam realem loco alterius concipere.

Et S. Damascen. cap. 64. suæ Logicæ dicit. *Fingere esse, ex his, quæ sunt, ea, quæ non sunt, per rationem componere*, id est, simul repræsentare. Et D. Greg. homil. 23. in Euang. ait. *Fingere namque componere dicimus. Vnde compositores luti figulos vocamus.*

Exemplum Gregorij mirabile est ad rem hanc explicandam, sicut enim ex luto formatur vas absque additione, aut mixtione alterius entitatis, sed solum ex eo, quod eadem aliomodo disponatur, qui modus etiam ex eadem massa lutea suā entitatem sumit, ita ens rationis præsertim positiuum (de quo nunc est sermo) non aliter formatur, tam quoad substantiam, quam quoad modum, quam ex eadem massa entis realis aliter mente disposita, aut concepta,

Confirmatur à simili de ente

N arti-

artificioso, quod nihil est aliud, quam plura entia naturalia artificiosè disposita, & ipsamet artificiosa dispositio etiam naturalis dici potest, in quantum prouenit immediatè à potentia naturali, siuè productiua, siuè loco motiua, aut applicatiua, etsi proueniat ab illa vt directa per artem; ars namque ipsa per se sola nihil positiuum potest efficere, sed tantum potentiam naturalem dirigere, vt hoc vel illo modo suos effectus operetur: sic igitur ens rationis non aliud est, quam plura entia realia artificio quodam rationis aliter repræsentata, &c.

Soluuntur obiecta quædam.

Sed contra obijcies: sequitur manifestè negari entia rationis, vel non distingui ab entibus realibus, quod videtur contra communem omnium sententiam, cũ Aristo. & S. Thom. illud ab ente reali plusquam genere differentibus. Patetquè ex definitionibus omnino oppositis, quibus vtrumque describunt, scilicet ens rationis est illud, *quod nullibi habet, vel potest habere esse à parte rei*, & ens reale, *quod potest alicubi esse independenter à cognitione*: non ergo ens rationis potest coincidere cum ente reali, alioquin verum ens esset.

Aristot.
S. Thom.

Patet secundò ex eo, quod communis sententia asserit enti reali & rationis nihil esse commune, & quod ens reale tantùm est materiale, in quo ens rationis fundatur: ergo formalitas entis rationis non potest esse realis, nec cum illa conuenire.

Patet deniquè hac assertione nostra è medio tolli entia rationis, discurrendo per omnia, quæ in fictione intellectus possunt considerari: nam cognitio, seu repræsentatio illius est vndequaque realis, non tantùm secundùm se, sed prout denominat extrinsecè obiectum, vt latè probauimus: obiectum etiam totum est reale secundùm se consideratum: nihil ergo restat, in quo possit ens rationis cõstitui.

Respondetur tamen negando antecedens, & ad primam illius probationem dico, assertionem nostram, nec nouam, nec contra communem sententiam esse, sed potius eam declarare, caliginem què obscuram, sub qua hactenus ens rationis latebat, auferre. Vtrumque enim ex dicendis manifestè patebit, conferẽdo què antiquorum dicta, & definitiones cũ nostris. Inprimis fatemur ens rationis formaliter vt tale est, esse ens impossibile eo modo, quo ab intellectu cognoscitur, etiam de potentia absoluta, ac proinde non nisi obiectiuè in intellectu existere sub tali modo.

Duplex

Duplex tamen est impossibilitas. Vnum quod sic dicitur ab in[illegible]seco, [illegible]tione sui, de quo postea dica[illegible] Et aliud, quod tantùm ab extrinseco, vel ex suppositione alicuius extrinseci impossibile dicitur; quando scilicet entitas aliqua positiua, & rea[illegible] possibilis ex intrinseca natura, dicitur non posse existere defectu causæ, quæ non applicatur ad operandum, vel quia non vult, aut non potest; vel ex defectu alicuius conditionis requisitæ: vel ex suppositione, quod negatio effectus in re exiftit; quia tunc implicat, quod eius contradictorium simul cõstituatur.

In his enim, & similibus, casibus, impossibile est absolutè, & intrinsecè possibile, & sicut eadem omnino res dicitur ab omnibus possibilis, & impossibilis, vera, & falsa secundum diuersas considerationes, ita nequé erit inconueniens, quod eadem diuersimodè considerata, dicatur ens reale quatenus possibilis est; & ens rationis quatenus impossibilis. Sic etiam actum simpliciter liberum dicunt omnes Theologi necessarium esse ex suppositione, quod iam est determinata ad illum causa libera, vel determinanda erit.

Ex hoc iam colligitur, quomodo enti reali, & rationis nihil detur commune: intelligendum enim hoc est, si formaliter hæc duo accipiantur: nam vt sic habent definitiones contradictoriè oppositas, & duobus contradictorijs nihil datur commune, cum totum, quod vna affirmat, altera neget. Itaque licet ens rationis materialiter conueniat cum ente reali, quoad modum tamen impossibilitatis dictum, aut falsitatis, prout obiectiuè existentis, modo postea declarando, summè distat ab eo.

Ad vltimam probationem fateor, cognitionem realem esse, & etiam obiectum secundùm esse possibile, aut præteritũ, aut futurum; non tamen secundùm esse actualis existentiæ, sub quo concipitur ab intellectu, & ideo secundum tale esse dicitur existere obiectiuè tantùm in ratione.

Quod si rursus obijcias: ergo iam talis modus existentiæ non est realis vllomodo. Respondetur distinctione. Intrinsecè, & secundùm suum esse possibile, vel in actu signato, nego. In actu exercito, sicut tunc intelligitur, sic concedo. Nam quando intellectus tribuit existentiam rei, quæ illam non habet, non est necessarium, quod illi tribuat aliam alterius ordinis, præter eam, quæ est illi possibilis, aut futura, aut præterita. V.g. quãdo concipit passionem Christi præteritam, vt nunc

existentem, tantum intendit repræsentare sibi eamdem existētiam, qua realiter præexistit, ex ea què præcipuè mouetur ad amorem, gratitudinem, &c. & non ex aliqua omnino ficta. Similiter quando intelligit Lunam, vt paruam, montem aureum, &c. eandem existentiam, quæ revera est possibilis his obiectis, repræsentat, & attribuit illis, vt actu exercitam; non est ergo alius modus necessarius, præter ipsos reales, aliter ab intellectu repræsentatos.

Vnde constat iam totum mysterium, & obscuritatem entis rationis, quod tot virorum exercuit ingenia, non in alio consistere, quantum ad præsentis assertionis materiam, nisi in hoc, quod ipsummet ens reale rationi repræsentetur, & obijciatur aliter ac est, vt illius definitiones exprimunt. *Quod tantum existit obiectiuè in intellectu quod non habet aliud esse nisi cognosci, &c.*

Solum enim particula illa *aliter ac est.* Oppositos decepit authores, intelligentes modum impossibilem positiuum nouiter ex intellectu resultantem in obiecto, quod cognoscitur, & ab omni modo possibili diuersum; hoc enim iam impugnaui. Sed explicandus est hic modus, non ex parte obiecti in genere rei, sed in genere obiecti, vt obiectum est. Vel ex parte modi, quo repræsentatur intellectui eadem res aliter ac [illegible]tit. Quinimo addo: ipsummet ens rationis intellectus humani, vt cognitum à Deo, non est ens rationis, ut inferius dicam, sed solum prout terminat fictionem nostram, illic què obiectiuè existit: Quod aper-tum indicium est, ens rationis non posse consistere in re, quæ repræsentatur, sed in modo illo repræsentationis, quem connotat essentialiter, & cui obiectiuè existit.

Quid dicendum de entibus rationis intrinsecè impossibilibus?

Dices, quamuis vera sint omnia supradicta, loquendo de obiectis possibilibus, sæpèsæpius contingit intellectum tribuere vnionem, vel distinctioné omnino impossibilem aliquibus extremis, quibus ab intrinseco repugnat. V.g. si consideret attributa diuina, vt realiter distincta, vel personalitates, vt identificatas, vel si consideret naturas vniuersales à parte rei, & alia huiusmodi: ergo in his casibus nihil valet doctrina posita.

Pro solutione tamen aduerto primò, ꝙ impossibile est illud, cui repugnat esse, ac proinde ꝙ in suo conceptu importat negationem impossibilitatis ad essendum; hinc enim omnes scho-

scholastici, quotiescumque aliquod obiectum impossibile esse monstrare volunt, dicunt illud implicare contradictionem, hoc est, affirmationem, & negationem eiusdem esse; & numquam in solo positiuo rationem huius impossibilitatis inuenire potuerunt, nec potuit vnquam opinio aliqua falsitatis conuinci, nisi ex illa duo contradictoria inferantur, non ob aliam causam, nisi quia impossibile negationẽ possibilitatis, quæ affirmatur, importat formaliter.

Secundò suppono, quod licet omnis negatio dicatur ex se impossibilis existere positiuè, quia essentialiter carentia potius entitatis est, tamen secundum esse negatiuum, quædam negationes dicuntur existentes, quædam possibiles, quædam absolutè, & ab intrinseco impossibiles, & omnes hoc habent independenter ab operatione intellectus. Nam secluso quouis intellectus actu, in cæco est actualis carentia visus, & in vidẽte aptitudinalis, siquidem potest illa priuari.

Quamquàm enim huiusmodi, omnes si considerentur ad modum entitatis positiuæ entia rationis sint, tamen vt sunt prçcisè remotiones entitatis ante omnẽ intellectus negotiationem, dicuntur negationes actuales, aut possibiles. Similiter negatio Dei in rerum natura, vel negatio pluralitatis indiuidualis in natura specifica, vel alicuius prædicati essentialis, rationalitatis. V.g. in homine, sunt omnino impossibiles, ita vt nec positiuè, nec negatiuè existere valeant, vel actu verificari in aliquo euentu.

Tertiò suppono, quod negatio, cum nullum habeat esse, nõ indiget aliqua causa propria, aut metaphorica vt sit, nec est directè obiectum repræsentabile ab intellectu; quia quod non est nõ scitur, cum intelligibilitas sit passio entis; cognoscitur ergo ab intellectu ratione entitatis positiuæ, quã remouet, quatenus scilicet intellectus dissentitur entitati positiuę, affirmans eam non esse: neque est intelligibilis alius modus cognoscendi negationem, nisi per exclusionem rei negatæ. Sicut enim malum respectu voluntatis non est obiectum directè appetibile, sed tantum per fugam, aut auersionem respicitur; in quantum malum est exclusio boni ad quod directè inclinatur voluntas, sic falsum, vel negatio se habet respectu intellectus.

Ex his ergo infero, & dico secundò; quando obiectum terminans fictionem est ab intrinseco impossibile, nihil efficit intellectus de nouo, pręter hoc, quod est obiecta realia, siuè positiua, siuè negatiua, aliter ac sunt intelligere, ita vt

vt particula *aliter* solum modum denotet ex parte ipsius repræsentationis, & non ex parte obiecti in genere rei.

Declaratur assertio: quia sicut ars tripliciter procedit ad sua opera fabricanda. Vel sola compositione: vt quando depingit imaginem, colores addendo coloribus. Vel sola diuisione; vt patet in Sculptura, in qua, per hoc solum, quod hinc, & illinc rudum lignum scindat, pulchram format figuram. Vel cõpositione simul, & diuisione; vt contingit, quando prius scindendo, & leuigando ligna, & postea componendo, constituit Cathedram, vel domum. Sic intellectus his tribus modis circa ens artificiosum rationis procedit.

Primò, sola compositione, vt constat in entibus rationis purè positiuis supra declaratis. Secundò sola diuisione, quasi scindendo naturas reales, quod non aliter præstat, quam negando per dissensum formalem, aut virtualem aliqua prædicata realia, quæ verè sunt in re, vel inadæquatè concipiendo aliquam rem. Sic enim potest fingere Deum non esse, vel non esse sapientem, aut liberum. In quo genere fictionis nihil positiuum de nouo addit intellectus, sed tantum negationes illas, easquè repræsentat, vt dixi, non directè aliquid sibi obijciendo, sed solum inadæquatè exprimendo ipsam diuinam essentiam sine hoc vel illo attributo; vel negando talia attributa realia illi conuenire.

Vel potest intellectus procedere tantum præcisiuè se habẽdo, & sic format omnia vniuersalia, & distinctiones rationis, quæ per se considerantur à Logica; nam vt infra in suis locis dicemus, natura humana, v.g. fit vniuersalis, per hoc quod intellectus eam particulariter, seu inadæquatè consideret quoad essentiam, & non quoad proprietates indiuiduales. Distinctio item rationis eatenus fit, quatenus eadem res plures perfectiones eminenter continens, multiplici exprimitur conceptu, ac si plures partes haberet, nihil tamen facit intellectus, quam rem inadæquatè concipere quoad vnam perfectionem, cum negatione aliarum, ac sic illas non haberet, vel cum distinctione, quæ etiam negatio quædam vnitatis est. Quinimo dicemus infra, in his casibus intellectum nõ fingere, nec aliquid falsum concipere, quando solum ex confuso, & inadæquato concipiendi modo entia rationis Logica format.

Tertiò intellectus compositione simul, & diuisione procedens innumera fingit impossibilia, & monstra. Sic enim concipit Solem hunc esse Deum, remouendo prius à deitate imma-

materialitatem, & alias perfectiones, quæ Soli repugnant, & ipsam sic imperfectè consideratam, multiplicique diuisione cõcissam, attribuit Soli ad modum, quo anima corpori, vel ad modum, quo subsistentia Verbi diuini humanitati Christi hypostaticè copulatur, vel in confuso nõ determinando modum, sed abstrahendo ab hoc, vel illo. Sic etiam possunt in Deo attributa quædam humana, & imperfecta considerari concipiendo Deum obscurè, & inadæquatè absque sua summa simplicitate, & perfectione, vel præscindendo, vel negando illam.

In his igitur, & similibus casibus nihil aliud præstat intellectus, quam plura obiecta realia seorsim posibilia, aut existentia, simul repræsentare; vel idem obiectum diuersis actibus inadæquatis exprimere, vel negationes aliquas impossibiles interponere, quæ tantum ex inadæquatis repræsentationibus rerum ortum habent, ac proinde nihil nouum excogitare potest in ipsis obiectis, sed tantum in modo repræsentationis obiectiuè ea sic, vel sic disponere.

Ex dictis facilè soluũtur iam omnes difficultates, quæ communiter ab omnibus fieri solent contra naturã entis rationis. Nimirũ quomodo si nõ est ens verum cognoscatur ab intellectu, & per quam speciem? Etsi est aliquid, quam causam habeat? Quos effectus, & proprietates?

Facile enim est respondere, ens rationis, si sit negatiuũ, vel negationem includat, cognosci quantum ad illam, per speciem positiui negati; quia ratione illi' est repræsentabilis negatio, vt dixi. Si verò sit positiuum, sicut tale positiuum est entitas aliàs vera & realis, propriam habet speciem, vel alienã, per quã posit cognosci, licet falsa cognitio sit, non ratione speciei, sed propter malum vsum illius, eo quod assumitur ab intellectu ad judicandum de obiecto aliter, ac est in re.

Rursus ad secundum respõdeo, ens rationis, si materialiter, & denominatiuè sumatur pro re, quæ sic denominatur, nullam aliam causam, effectus, aut proprietates habet preter illas, quas quas habet ens reale, vel negatio entis realis, si verò sumatur reduplicatiuè, vt ens rationis est, sic non habet rationem effectus, nec consistit in aliquo esse posibili, sed tantum habet rationem puri obiecti repræsentati aliter ac est, quomodo solum superaddit existentiam obiectiuam declarandam.



ARTIC. VI.

Vbi explicatur existentia obiectiua, quã habet ens rationis in intellectu.

SEd adhuc iterum contradicta obijcies: quando res aliter ac est, cognoscitur, vel ille modus diuersus, & impossibilis se tenet ex parte solius cognitionis, qua obiecta secundum se realia inverso modo repræsentatur ac in se sunt, & sic iam ens rationis in denominatione consistet extrinseca; nã diuersitas in modo repręsentãdi intrinsecè in intellectu est. Vel ergo modus hic impossibilis etiam ex parte terminantis obiecti, & prout à cognitione distincti, se tenet, & hic quomodocumque cõsideretur, vel est ens reale secundum se totum, vel negatio, aut impossibile à ratione etiam in suo esse negatiuo independens, vt satis supra demõstratum est: tollimus ergo entia rationis, quandoquidem non est aliud præter enumerata, in quo ipsum consistere possit.

Sed pro solutione obserua ex cõmuni omniũ doctrina, quod intellectus ideo dicitur potentia apprehensiua, seu repræsentatiua, quia intelligendo res, facit illas sibi præsentes: repræsentare enim definitur, quod sit *rẽ præsentem facere potentiæ cognoscẽti*. Ideo etiã S. Tho. 1. *p. q.* 1.2. *art.* 2. & alibi sæpè asserit, intellectum in hoc à voluntate differre, quod trahit, & adducit res ad se, non solum in quantũ per imagines, & species earum præcõceptas eas habet in se in esse repræsentatiuo, sed etiam quia in esse repræsentato, & terminatiuo eas facit sibi intentionaliter pręsentes per suũ actũ. Nam ipsamet intellectio formalis dicitur apprehensio, conceptio, perceptio, & repræsentatio obiecti: at voluntas, nec trahit, nec apprehendit, sed potius trahitur, & captiua redditur ab ipsa re. Quapropter amans quærere dicitur rem amatam, & non nisi in illa quiescere.

Hac etiam ratione in visione diuinæ essentiæ, & non in amore constituũt S. Tho. & eius discipuli beatitudinem nostram: quia solũ visio in quantũ est apprehẽsio obiecti, potest esse possessio summi boni, in qua beatitudo consistit, vt latius 1.2. dicitur.

Hinc infero primò obiecta realia præter existentiam, & pręsentiam realem, quam habent, quatenus scilicet conspiciuntur secundum esse reale, quod in re habent, aliam purè obiectiuam, & intentionalẽ in potentia cognoscente habere, quãdo illi sunt obiecti-

obiectiuè præsentia aliter ac in re sunt, quod patet. Maximè quãdo nullum esse actuale in rerum natura habent, & nihilominus quãtũ ad esse formale, & actuale intellectui præsentia fiũt. V.g. cum obiectũ possibile, vel futurum cognoscitur, ac si esset existens, tunc trahi, & illic obiectiuè existere dicitur, nõ quia ibi in se existat, imo nec cõcipiatur existere, sed quia ita videtur, & sit præsens secundum esse actuale, ac si illud tunc in re haberet. Hac enim de causa quando in oratione passionem Christi præteritam meditamur, aut mortem nostram futuram, excitatur nostra voluntas ad eosdem affectus amoris, & timoris, ac si essent tunc realiter existentes: existunt ergo obiectiuè in intellectu, quod est valde notandum, & discrimen etiam à voluntate, quæ licet obiectum habeat, quod actu volitum denominet, non tribuit illi pręsentiam aliquam obiectiuam, sed eam supponit, vel à parte rei, vel intentionaliter in intellectu, cui proprium est, vt dixi, rem præsentem facere: ergo obiectum intellectus, præter hoc quod est terminare sui notitiam, in quo conuenit cum voluntate, quendam alium addit specialẽ terminandi modum, in quo ab illa differt, nimirũ fieri præsens, ac obiectiuè existẽs, ac si potẽtia adductiua esset illius.

Specialiter hoc declaratur quando memoria rei amatæ absentis non solum desiderium, aut spem excitat in amante, verùm etiam complacentiam, & gaudium, ac si eius præsentia, & possessione actuali frueretur. Huiusmodi enim affectus non nisi de bono præsenti, & possessio excitari solent: supplet ergo præsentia obiectiua, quod reali deficit, possideturque, tũc obiectum spirituali, ac intentionali modo. Sic enim Deus summum bonum non aliter possideri dicitur, & frui à creatura, quam per solam visionem beatam, quia per illam apprehenditur, tenetur spiritualiter, ac pręsens fit.

Nec propter hoc inferas existentiam aliquã realem, aut fictam directè, & attributam obiecto: per se enim loquendo, nec vna, nec altera interuenit, sed tantum obiectiua, quæ in hoc consistit, quod res ita conspiciatur à potentia, ac si ibi existeret: non requiritur tamen, vt sit in conspectu potentiæ, quod ibi existat, vel concipiatur existere.

Ex quo rursus infero, obiectum intellectus præter denominationem, qua extrinsecè cognitum, aut repræsentatum per formalẽ cognitionẽ dicitur, denominari quasi intrinsecè, obiectiuè existẽs, aut intellectui præsens, quæ duo saltem formaliter diffe-

differūt; nam esse cognitum, aut repræsentatum formaliter, & in recto dicit actum, & non tantum obiectum, esse autem obiectiuè existens, aut præsens dicit solum obiectum in recto, & cognitionem in obliquo. Quibus positis.

Soluitur iam obiectio, & explicatur existentia obiectiua entis rationis.

Dicendum est, formale entis rationis consistere non in ipso obiecto impossibili secundum se considerato: sic enim optimè probat argumentum supra factum, quod sit indepēdens in sua impossibilitate ab intellectu, ac proinde non ens rationis; neque consistere in hoc, quod tale obiectum formaliter sit, aut denominetur cognitum ab extrinseca intellectione; quia forma hęc realis profecto est, vt supra mōstraui; consistit ergo in ipso obiecto, quatenus aliter in ratione apparet, ac est in re, quia tunc accipit esse obiectiuum, & præsens in ratione, quod in re non habet.

V.g. quando res, quæ tātum habet esse possibile, & nullum esse formale, & actuale in rerum natura, concipitur, vt actu existens, ac realiter præsens, talis existentia, ac præsentia purè obiectiua, & rationis est; similiter quando res de se impossibilis sub esse possibili in ratione manifestatur, talis possibilitas apparens virtute repræsentationis, ens rationis dicitur; quia solū habet esse in ratione. Quod in voluntate minimè contingit, quæ licet malum desideret sub ratione boni, cum non trahat res ad se, nec faciat sibi obiecta aliquo modo pręsentia, & si denominet extrinsecè volita, non tribuit eis existentiam etiam obiectiuam, vel apparentem.

Sed contra obijcies; obiectū apparere, aut præsens obiectiuè fieri, non est aliud formaliter loquendo, quam videri, aut repręsentari, sed hoc secundum est quid reale, vt sæpe dictum est; ergo & primum. Antecedens probatur; quia obiectum apparere, aut præsens fieri potentiæ, nihil addit supra hoc, quod est intelligi, & rem, quę intelligitur: quia non terminat cognitionem respiciendo aliquo modo eam, sicut quando filius terminat relationem patris, eum reciproco ordine respiciens; sed in tantum obiectum dicitur terminans, in quantum purè respicitur, in tantum verò respicitur, in quantum cognoscitur, quod totum reale est.

Confirmatur; quia quando color luce Solis manifestatur, & apparet, constituitur formaliter in esse manifestati per ipsam lucem, & super ipsam, ad illustrationem

tionem ipsius, nō addit modum præsentiæ, aut terminationis ab ipso colore distinctum; ergo pari ratione contingit, quando obiectum lumine illustratur rationis, quod solum potest apparēs, aut præsens constitui per ipsam formalem illustrationem, aut cognitionem, quæ idem sunt.

Sed pro solutione obserua, obiectum dupliciter accipi posse: *Specificatiuè, & reduplicatiuè*. *Specificatiuè* significat obiectum prout in genere rei, hoc est, rem illam, quæ terminat cognitionem cum prædicatis illi conuenientibus ante eam cognitionem, & sine dependentia ab illa. Homo v.g. cum cognoscitur, obiectum suæ cognitionis est, cum suis intrinsecis, & realibus prædicatis. At verò *reduplicatiuè* denotat obiectum prout cognitum, vel in genere obiecti, quomodo inuoluit iam cognitionem essentialiter, & pendet ab illa.

Rursus obiectum, vel esse prout cognitum, dupliciter potest intelligi. Vel *quiditatiuè*, vel *denominatiuè*, sicut album hac duplici consideratione vsurpari solet. *Quiditatiuè* reduplicat cognitionem tanquam formam in recto, & principaliter significatam; scilicet vt constitutiuam formaliter illius concreti in ratione cogniti. Denominatiuè reduplicat etiam cognitionem, sed in obliquo, vt connotatum extrinsecum, vel vt rationem *sub qua*, & non vt formam constituentem: Obiectum verò ipsum significat tantum in recto, nō vt formaliter cognitum, sed prout cognitioni subest.

Quo supposito ad argumentum respondetur distinguendo antecedens: obiectum in quantum obiectum, vel prout obiectiuè præsens, aut terminans est idem, quod esse visum, aut repræsentatum denominatiuè, cōcedo, quiditatiuè, nego: hoc est, obiectum vt terminans, & apparens reduplicat cognitionem vt extrinsecū connotatum, vel vt rationem sub qua tale obiectum consideratur, non verò vt formam in recto significatam, & quiditatiuè illius in esse obiecti constitutiuam: quia obiectum vt obiectum non dicit cognitionem vt partem sui, sed potius distinguitur cōtra ipsam vt terminus, & quasi correlatiuum illius.

Vnde ad probationem antecedentis fateor, quod obiectum fieri præsens, vel apparens, vel terminans, non addit ex parte sua modum aliquem, aut respectum realem præter cognitionē, & rem, quæ intelligitur, (alioquin in tali præsentia ens rationis non posset consistere) addit tamen connotationem spiritualis notitiæ, cui subest, & a qua respicitur, non quomodo cumque, sed apprehensiuo, vel repræsenta-

sentatiuo modo, cui proprium est rem præsentem facere, eo ipso quod illam potentiæ manifestat, & apparere facit, ac si illi existentiam præberet, aut realiter adduceret.

Dicitur tamen hæc præsentia, aut existentia obiectiua, vel secundum apparentiam: quia non resultat in ipso obiecto, prout est aparte rei, sed prout apparet, & manifestatur per cognitionem, (quæ lumen quoddam est) cum esse actuali, ac si illud in re haberet. Nec consideratur à nobis præsentia hæc, aut existentia obiecti tanquam modus physicus obiecto inhærés, aut superadditus, sed vt modus logicus, qui consistit in ipso obiecto impossibili, prout connotat cognitionem, perquam taliter manifestatur, & apparet, & prout illius illustrationi subest. Ex quo iam patet ad confirmationem, cui eadem distinctio, & doctrina applicanda est.

Patet denique in quo sensu sententia Durandi, & aliorum asserentium ens rationis consistere in denominatione extrinseca, posit sustineri: nimirum si intelligatur non de denominatione, quæ cognitionem tanquã formam in recto constitutiuam significat, quam satis improbaui artic. 3. sed de ea quæ cognitionem in obliquo connotat, & ex ipsa quasi intrinsecè in obiecto resultat, præsentia illa obiectiua declarata, quæ præsentia extrinseca sanè ipsi obiecto est, supposito quod illi non conuenit à parte rei, & dependens à cognitione, etsi non sit cognitio.

ARTIC. VII.

Quod forma constitutiua entis rationis sit obiectiuè indirectè in intellectu, & quasi resultans in obiecto prout cognito.

Ex dictis infero primò formam constitutiuam entis rationis, & secundum quã differt ab omni obiecto reali tã positiuo, quam negatiuo, tam possibili, quam impossibili, esse tantum obiectiuè indirectè in intellectu; & quasi per resultantiam conuenire obiecto prout cognito. Hanc sentẽtiam tenuit sine dubio Doctor Angelicus postea citãdus, & principaliores eius discipuli, præcipuè 6. *Metaphysica. quæst.* 18. Soncinas Herueus, *quodlibeto.* 3. *quæst.* 1. *& tractatu de secundis intentionibus.* Bañez. 1. *part. quæst.* 1. *art.* 3. vbi asserit, quod naturam esse passiuè abstractam, est secunda intẽtio intellectus, cons- *Soncinas. Bañez.*

tat

tat enim, quod abstractio passiua, & loquendo de ente rationis in communi, manifestatio passiua rei aliter ac est, est tantum ratio *subqua*, & indirectè terminans, vt postea dicam.

Ad huius declarationem aduerto, quod esse obiectiuè tam directè, quam indirectè stat dupliciter. Primò enim potest dici obiectum directũ intellectus id, quod sub obiecto primario illius continetur, habetquè proprium conceptum, & speciem, secundum quam potest ex se, & ratione sui actum primarium, seu assensum verum intellectus terminare: quomodo solum ens reale obiectum directum dicitur, hoc est, primarium, & in hoc sensu intelligibilitas est passio illius, id est, intelligibilitas directa. Cętera verò obiecta negatiua, aut impossibilia dicuntur iuxta hanc acceptionem indirecta, quia secundaria. Non enim intelligibilia sunt, nisi sub ratione obiecti primarij, nec habent proprium conceptum, aut speciem, quo intellectui præsentia, sint, licet propriã habeant cognitionem, qua secundariò percipiantur; quia non sunt idem cognitio, & species, vt ex libris de Anima suppono. Sic etiam bonum, seu finis obiectum directum, seu primarium dicitur voluntatis; malũ verò, & media, quę nõ nisi propter finis bonitatẽ attingũtur, obiecta indirecta.

Secundò, obiectum directum latiꝰ vsurpari solet pro omni eo, quod expresè terminat actum cognoscitiuum, vt obiectum quod, vel vt res, quæ cognoscitur, siuè primariò, siuè secundariò; & in hoc sensu indirectum dicitur, quod non terminat vt *quod*, sed vt ratio *subquà* aliud cognoscitur; vel vt denominatio conueniens obiecto, prout cognito, licet ipsa nondum explicitè cognoscatur, nisi per actum reflexum. V.g. quando natura humana abstractè intelligitur solum secundum suam essentiã, obiectum directum sunt rationalitas, & animalitas; indirectũ verò est talis cognoscibilitas, seu ratio abstractionis, subqua essentia realis tantùm consideratur, & non aliquod prædicatum rationis, vt infra magis declarabitur. Sic visibilitas non videtur ab oculo, sed est ratio subqua color videtur. Sic etiã quando communiter asseritur oculus attingere colorem vt visum: intellectus, vt cognitum: & voluntas, vt concupitum, tantũ reduplicatur diuersa ratio subqua idem color attingitur, vel id quod indirectè terminat tales actus, non verò res, quæ directè illis obijcitur.

In hoc sensu sepè repetit S. Augustin. 8. de Trinit. c. 7. & 8. quod *qui diligit proximum, consequens est, vt & ipsam dilectionem diligat*, quia nimirum ipsa dilec-

dilectio, eo ipso quod [...] sub qua proximus diligitur, indirectè terminat diligendi actum, nuncupatur què dilecta hoc modo, & huius ratio à priori est, quia ratio *sub qua* constituit formaliter obiectum in ratione obiecti: ergo non potest non terminare actum, quia materia sine forma numquam potest attingi, cum ergo non terminet directè vt *quod*, terminat indirectè vt *quo*, vel ratio *sub qua*.

Insuper obserua, quod licet ratio hæc *sub qua* in quantum est modus tendendi potentiæ, vel actus in obiectum, ipsumquè extrinsecè, ac formaliter denominans cognoscibile, vel cognitum, semper realis sit, nihilominus quantum ad denominationem, quæ ex ea resultat quasi intrinsecè in obiecto, ens rationis est; nam declaraui iam proprium potentiæ cognoscentis esse, res sibi præsentes efficere per suos actus, nouamquè illis existentiam obiectiuam tribuere, quomodo eas aliter ac in re sunt apparere facit. Hanc ergo præsentiam entis rationis constitutiuam intuli, indirectè resultare in obiecto, prout denominatiuè cognito, vel passiuè manifestato, & non cognosci directè nisi per actum reflexum, quo iam ipsum ens rationis formatum supponitur.


Probatur iam illatio ratione.

Ratio à priori est; ens rationis est res, siuè imp[...]sibile, non specific[...] siuè secund[...] id quod habe[...] à se, sed reduplicatiuè prout apparet, vel obijcitur, vel fit præsens cognitioni, aliter ac est, sed hæ rationes sunt indirectè resultantes in obiecto: ex cognitione; & rationes non cognitæ, sed sub quibus ipsum cognoscitur: ergo formaentis rationis est id quod indirectè obiectiuè in re cognita resultat. Maior probata est supra, & consequentia est legitima.

Minor probatur facilè ex notabili posito; quia sicut esse cognitum, vel abstractum prout se tenet ex parte actus, est ratio indirectè terminans, & quæ non expressè cognoscitur nisi per actum reflexum, ita ex parte obiecti obiectiuè existere, vel præsens fieri, aut apparens, non nisi reflexè cognoscitur. Patet quando per diffinitionem essentialem natura cognoscitur secundum suam essentiam præcisè, & per quemlibet actum Philosophiæ, aut Methaphysicæ, per quem intelligitur secundum sua prædicata realia, in quibus casibus negari non potest abstractè cognosci, & non vt abstractam, ipsam quò tunc præsentem fieri obiec-tiuè,

tiuè, præcisamquè apparere à suis inferioribus, vt late infra dicemus, & nihilominus huiusmodi prædicata rationis pro tunc non directè cognosci; quia non possunt definitionem quiditatiuam terminare, nequè in numero collocari prædicatorum essentialium: terminant ergo tantum indirectè.

Confirmatur ex doctrina articuli 5. Vbi ostendi omne obiectum directè repræsentabile per intellectum, tam primariú, quale est ens reale, quam secundarium, vt sunt negationes, & impossibilia, habere omnimodam independentiam à ratione; neque intellectum posse obiecta terminantia aliquo modo efficere, sed tantum actus, qui respiciant illa; ac proinde nec aliquid ab actu distinctum fingere, sed tantum in modo repræsentandi ordinem debitum obiectis non seruare; quia cum sit potentia actus purè immanentis ellicitiua, nihil ad extra præter suos actus, & præter prædicata illis annexa & concomitantia, efficere valet: ergo cum obiectum directum, distinctum, & extrinsecum actibus sit, non potest in eo ens rationis pro formali consistere.



Soluitur duplex obiectio.

Sed contra objicies primò, si intellectus non potest aliud præter actus efficere, cum isti reales sint, quomodocumque accipiatur, & aliàs omnia obiecta terminantia similiter, euidenter infertur, nulla dari entia rationis. Respondetur negando sequelam; nam præter actus, & obiecta intellectus, est aliud, in quo essentia entis rationis à nobis posita est, modus scilicet talis præsentiæ obiectiuæ; vel ratio *sub qua*, quæ resultat in obiecto ex repræsentatione, qua manifestatur aliter ac est in re, qui modus non est aliud, quam talis manifestatio passiua obiecti, vel obiectum prout connotás talem repræsentationem, ratione cuius apparet in intellectu aliter ac in se; sumpta particula *aliter*, non tantum prout significat modum ex parte obiecti, quod terminat, sed prout significat modum terminationis, vel apparitionis ipsius.

Quod exemplis declaratur manifestè; nam quando homo intelligitur solum secundum suam essentiam, actus realis est, vt patet, & similiter obiectum; siquidem de illo sic concepto solum essentialia verificantur prædicata, &

& nihilominus, quia talis essentia solitariè concipitur, & inadequatè sine pluralitate reali, & indiuiduali, quam habet à parte rei, manifestatur, & apparet in ratione vt vna; non quia intellectus vnitatem affirmet, vel pluralitatem neget: potius enim naturam considerat cum indifferentia ad vtrumque, sed quia velit nolit potentia, eo ipso quod naturam illam realem inadequatè repræsentat, nihil cogitans de pluralitate, quam in re habet, resultat in ea, prout sit obiectiuè præsens sit, vnitas saltem negatiua, nam apparet sine diuisione, ac proinde vt vna: quia vnum idē quod indiuisum est.

Sic enim dicemus infra cum communi sententia, naturas vniuersales esse incorruptibiles, ingenerabiles, & æternas: non quia intellectus illis tribuat ex parte obiecti cogniti incorruptibilitatem, & æternitatem, quam in se non habent, sed quia eo ipso quod inadequatè concipiuntur sine corruptione generatione & tempore, quæ illis conueniunt ratione singularitatis, dicuntur esse incorruptibiles, aut ingenerabiles negatiuè, quatenus in esse repræsentato non apparent vt corruptibiles, &c.

Secundò obijcies: quia adhuc non potest intelligi, quomodo possit resultare modus iste, in quo ens rationis cōsistit: quia vel talis resultantia est vera, & independens ab intellectu, & sic erit realis, vt patet ex ipsa entis realis definitione, vel est tantùm ab intellectu excogitata, & ficta, & sic erit directè repræsentata per eius actum, & non quid indirectè resultans.

Confirmatur: quia si ens rationis resultat antequam cognoscatur, velit nolit intellectus, iam erit independens à ratione; ac proinde non ens rationis, sicut diximus de negationibus, & obiectis impossibilibus. Si verò postquam cognoscitur, sequitur iam ens rationis eodem actu, quo fit, directè cognosci, ac proinde non indirectè resultare.

Respondetur, quod hæc resultantia, in qua passim offendunt authores oppositi, realis non est, aut secundum veram causalitatem, sed tantum obiectiua in esse repræsentato, nam quemadmodum ex cognitione dicitur impropriè resultare, quod obiectum sit præsens potentiæ, ita ex tali modo cognitionis, quod res sit taliter præsens, vel apparens obiectiuè.

Neque iste modus est quasi physicus, qui per aliquam propriam causalitatem ex obiecto, vel subiecto resultet, sed Logicus, vel Metaphysicus, vt dixi, qui nō est aliud quam res prout taliter apparens; aut passiuè manifestata per rationem.

Quod hoc exemplo declaratur; sicut ex sola positione plurium

homi-

hominum in aliquo loco absque noua causalitate necessariò resultat in illis dispositio, vel in modum circuli, vel trianguli, vel quadranguli, aut alterius figuræ, sic ex sola positione obiectiua rerũ in intellectu aliter ac sunt, absque directa cognitione, vel noua intellectus fictione intelligi potest dispositio, aut modus resultans in illis, non prout in se sunt, sed prout obiectiuè existentibus.

Quod præsertim intelligendum est de modis, qui in negatione aliqua consistunt: Hi namque facilè intelliguntur resultare, ex hoc quod intellectus vnum consideret, non cognito alio. V.g. ex hoc præcisè quod naturam concipiat, non intellectis proprietatibus indiuidualibus, ipsa apparet obiectiuè vt vna, etsi illi vnitas non tribuatur directè, quia necessariò in ea sic cognita sine pluralitate, obiectiuè resultat. Similiter ex eo quod animalitas, & rationalitas distinctis actibus percipiantur, resultat in illis distinctio obiectiua, licet non vt distincta considerentur; quia ad talem resultantiam satis est, quod vna formalitas intelligatur inadæquatè, non intellecta alia per eundem actum, de quo latius infra.

De modis positiuis non est eadem ratio; quia positio rerum in intellectu non est materialis, sicut est à parte rei, sed spiritualis, & altioris ordinis, & ita sola simultanea repræsentatio duorum non infert vnionem, sicut diuersa repræsentatio infert, & apparere facit distinctionem; nam vt appareat negatio aliqua in obiecto vel modus, qui in illa cõsistit, satis est negatio repræsentationis alicuius rei: vt appareat verò modus positiuus, necessum est, quod illi directè tribuatur, cum materialiter non resultet, & aliàs dixerim art. 5. obiecta positiua realia esse, saltem in esse possibili, & ab intellectu minimè causari; dicuntur tamen entia rationis prout connotant actum falsum, vel prout apparēt obiectiuè aliter ac sunt, modo sæpè iam dicto.

Solum relationes excipio, de quibus est specialis ratio declaranda infra quæst. 3, articul. 3. docetque Sanct. Thom. 1. part. quæst. 28. artic. 1. Vbi ait, *quod solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua secundum rationem*; loquebatur enim de entibus rationis doctrinalibus, seu ratiocinatis; & præter negationes, & priuationes, quæ non assimilantur alicui generi positiuo, solum in genere relationis, ait, formari entia rationis positiua, relationibus realibus similia; non autem in substantia, quantitate, & cæteris, nisi per fictionem.

Ex dictis iam constat, quomodo hæc resultantia non sit

telligit, *rebus attribuit intellectis* (loquiturquè quandò entia rationis format, vt patet ex litera) *sicut nec lapidi immaterialitatē, quamuis eum immaterialiter cognoscat*: & hinc infert res simplices intelligere modo compositiuo, ita vt obiecto cōpositionē non tribuat, sed illa tātum ex parte modi intelligēdi se teneat, & sic de natura vniuersali suo loco dicit tunc fieri, quando natura realis concipitur per modū vnius, etsi illi ex parte obiecti vnitas non tribuatur, sed tātùm ex parte cognitionis se teneat, vt videre est *opusc.56. ante medium.* Vbi ait. *Est itaquè vniuersale vnum vnitate cognitionis.*

Item *in quæstionibus disputatis, q.7. de simplicit. Dei, ar.5. & multis alijs locis* probat intellectum absque falsitate procedere, quādo format entia rationis doctrinalia, seu Logica, ex eo quod nō tribuit rationē generis, & speciei (idemq; est de alijs) rebus, prout sunt in se ipsis à parte rei, sed prout intellectis, quatenus mens super res vt intellectas reflectitur, & inuenit vnitatē, vel distinctionē, quæ in illis obiectiuè indirectè resultauit per actus directos. *Inuenit*, inquit, quādo actu reflexo cognoscit, & verè cognoscit, quia licet ex parte rei prout in se, non inueniatur huiusmodi vnitas, vel distinctio, est tamen ex parte rei prout cognitæ per actum directū; ac proinde in illa sic repræsentata est conformitas sufficiens vt terminet actum verum. Lege atentè dictū art.5. & nota valde hūc sensum, nam eundē intendit ferè in omnibus locis adductis, & quæ adduci possent. Et nota etiā art.9. Vbi *secundas intentiones* ait, *illas esse, quæ consequuntur modum intelligendi*, hoc est, *res prout intellectas.*

Item collige ex S. Tho. quod eo ipso quod ens rationis notitia reflexa cognoscitur, supponitur iam indirectè formatum per directam ex mente ipsius. Quod sic probo; nam cognitio reflexa terminatur ad obiectum cognitum secundum illud esse precisè, quo terminabat vt *quod* notitiam directam, solúq; addit præter illud, ipsam cognitionē directam, & prædicata illi annexa, quæ etiam cognoscūtur per actum reflexum: ergo vel antea erat formatum ens rationis per cognitionē directam, vel si non, non poterit cognosci per actum reflexum. Patet conseq. nam actus reflexus super obiectum actus directi solū addit cognitionem directam, quæ realis est, & prædicata, quæ precesserunt vt illi annexa: ergo si aliquid horū est forma entis rationis, iam pręcessit in cognitione directa, etsi non præcessit, sed de nouo intelligitur, aut fingitur, iam non erit notitia purè reflexa, sed alia noua directa.

Dices, huiusmodi testimonia solum probare de entibus rationis Logicis, quæ formari, & cognosci possunt per actum verum, vt infra dicetur, non verò de omnibus; nam chimera fit per cognitionem falsam, obiecto tribuentem imperfectionem, & deformitatem modi concipiendi: ergo doctrina posita non est vniuersaliter vera de ente rationis in communi, quod scilicet forma constitutiua illius tantùm indirectâ sit ex parte solius modi concipiendi, & non ex parte rei directè cognitæ.

Respondetur, quod quia veritas, quæ reperitur in formatione, & cognitione entis rationis Logici euidentius ostendit nostram assertionem, ideò vtimur principaliter exemplis entis rationis Logici; & quia Sanctus Thom. ferè semper de illis specialiter loquitur, quia ea solum suo instituto vt necessaria deseruiunt; non excludit tamē alia genera entium rationis, imò in alijs locis ex professo declarat; & non assignat illis aliud discrimen, nisi quod fiunt per actum falsum: sed falsitas non consistit in hoc, quod obiecto terminanti tribuatur forma nullibi aliàs habens esse, sed satis est, si in eo, cui tribuitur, esse non habeat, licet alibi habeat, verumquè ens reale in se sit. Quod valde nota, & postea dicetur amplius.

S. Thom.

Ex dictis patet, in quo sensu vera sit sententia Thomistarum, qui asserunt ens rationis esse relationem resultantem in obiecto prout cognito, non enim loquuntur de aliqua vera, aut effectiua resultantia, sed tantùm de habitudine illa obiectiua, quæ apparet in recognita, tam ad intellectum, cui fit, quam ad alia obiecta, quæ respicit, vel vt distincta, vel vt inferiora, aut partes, &c. & hunc sensum intēdit, & docet S.Thom. *1.p.quæst.28. art.1.in corpore: & ad 2.* vbi ait, *huiusmodi respectum rationis cōsistere in quodam ordine, quem ratio adinuenit; alicuius ad se ipsum*; & ad 4. sic scribit. *Dicendum est; quod relationes, quæ cōsequuntur solam operationem intellectus in ipsis rebus intellectis, sunt relationes rationis tantùm: quia scilicet eas ratio adinuenit inter duas res intellectas.*

S. Thom.

ARTIC. VIII.

Quid sit prima, quid secunda intentio.

QVæstio hęc prolixè nimis controuerti solet, & certè tantùm est de modo loquendi, supposita iam consideratione entis rationis, quia tamen S.Thom. & antiqui Scholastici frequenter vtuntur his.

his vocibus, necessum est illas exponere ad ipsorum scripta intelligenda. Est ergo obseruandū primò, quod nomen hoc *intentio*, idem significat, quod in aliud tentio, id est tendentia ad aliud; ideoquè specialiter tribuitur actibus voluntatis, quia huius potentiæ propriùm est, quasi extra se tendere in obiecta appetibilia, in quo differt, vt supra notaui, ab intellectu, qd hic trahit res cognitas ad se, illa verò trahitur ab ipsis rebus, & consequenter specialiori titulo dicitur ad eas tendere, nihilominus quoniā etiam intellectus aliquo modo transit ad res, quatenus ad eas, vt obiecta extrinseca terminatur, transcendentalem què respectum dicit, eius actus intentiones vocantur.

Rursus cum sepè obiecta nomen suorum actuum vsurpare soleāt (dicimus enim fictionem, obiectum, quod per illam fingitur: enunciationem, veritatem per illam enuntiatam: & conceptionem, rem prout conceptam; vt sepè loquitur S. Thom.) idcirco intentio non tantùm de actu, sed etiam de obiecto dici solet. Actusq; dicitur intentio formalis, & obiectū intentio obiectiua, sicut conceptus, vel modus sciēdi in formalem, & obiectiuum communiter solet diuidi. Vtraquè ergo tam formalis, quam obiectiua intentio in primam, & secundam ab omnibus distribuitur, non tamen eodem modo diuisio explicatur.

Omissis ergo varijs modis dicendi, qui potius rei obscuritatem addunt, respondeo dicendum. Primam intentionem formalem esse primum conceptum, hoc est directum de aliqua re; & obiectiuam esse rem, quæ per illam intelligitur, vt obiectū quod. Secundam verò intentionem formalem esse conceptum secundum, hoc est reflexum, qui per se directum supponit, & secundam obiectiuam, esse rem, quæ per illam directè cognoscitur.

Hæc expositio est omnium facillima, magis què quadrans menti Sancti Thomæ, verificans què omnia, quæ de intentionibus docent tam ipse, quam ceteri Theologi antiqui, ac conformior vtriusque nominis æthymologiæ: ergo ipsa est reliquis præferenda. Antecedens declaratur; nam in qualibet re est duplex cognoscibilitas. Vna, quæ illi conuenit secundum suum esse reale, & est passio illius, vel illi naturaliter, aut secundariò connexa: & ad hanc pertinent omnia prædicata realia, quæ directè de aliqua re possunt enuntiari, siuè essentialia, siuè accidentalia, siuè intrinseca, siuè extrinseca, siuè positiua, siuè negatiua, siuè possibilia, siuè impossibilia: licet enim in tam varijs predicatorū

generibus possemus plures intentiones distinguere priores, & posteriores; quia omne primarium, & essentiale ad secundarium, & accidentale supponitur: omne intrinsecum ad extrinsecum, & omne positiuum ad negatiuum; nihilominus quia omnia huiusmodi prædicata sunt inter se subordinata, vel vt obiecta primaria, & secundaria, vel vt conceptus inadæquati eiusdem rei, & primarium, & secundarium ad eandem cognoscibilitatem pertinent, vt docet Metaphysica, & partes similiter ad cognitionem totius, ideo meritò ad vnam primam intentionem omnia reducuntur.

Præterea omnia prædicata enumerata sunt requisita ad notitiam adæquatè comprehensiuam alicuius rei; nam comprehensio, vt suppono, est ita perfectè adæquans cognoscibilitatem obiecti; vt quidquid ipsi possibile est, aut impossibile necessariò penetret. Meritò ergo omnia enumerata ad vnam perfectam & adæquatam intentionem reducuntur. Alioquin non tantùm primam, & secundam, sed tertiam, & vigesimam intentionem, multiplicari necessum esset.

Item vt vitemus replicas etiã prædicata huius generis falsò enuntiabilia ad eandem primam intentionem pertinet; tùm, quia contrariorum eadem est disciplina, & tam prima, quam secunda intentio in veram, & falsam diuiditur. Tum etiam: quia huiusmodi prædicata impossibilia ideo enuntiantur, quia apprehenduntur ad primam rei cognoscibilitatem pertinere, & licet modus præsentiæ obiectiuæ, sub quo manifestatur, ens rationis sit, ipsa secundum se cõsiderata minimè, sed tantũ materiale illius, quapropter, non est quare à ratione primæ intentionis extrahantur, cum prima intentio fundamentum secundæ sit.

Præter dictam cognoscibilitatem primam est alia quæ cõpetit rei, non prout est in se, sed prout est obiectiuè tantùm in intellectu, & sub hac continentur omnia prædicata rationis, quæ optimè Secundò cognoscibilia, & ad secundam intentionem pertinere dicuntur, tùm quia primam essentialiter supponunt, in eaquè fundantur, cum nulla sit possibilis entitas rationis, quæ in aliquo materiali reali, vt cognito non resultet, vt explicui. Tum etiam, quia huiusmodi prædicata non possunt ad primam cognoscibilitatem reduci vt partes, vel vt obiecta secundaria ei naturaliter subordinata; nam ens rationis, cũ non sit verum ens, etiam negatiuum: aut impossibile, sed purè obiectiuum, seu apparens, non potest enti reali in tota sua latitudine sumpto.

sumpto annectis, neque vt pars, neque vt causa, vel effectus, aut proprietas, vel accidens, vel vt contrarium, aut remotio illius, sed est extra latitudinem cognoscibilitatis adæquatæ, & cõprehensiuæ illius: iure ergo optimo secundum genus cognoscibilitatis, & intentionis constituit. Neque est possibile aliud tertiũ: nam omnia prædicata intelligibilia, vel habent esse obiectiuè tantùm in ratione, & sic sunt entia rationis, & secundæ intentiones obiectiuę, vel non habent esse obiectiuè tantùm, sed independenter ab ea, & sic realia sunt, sumpto esse reali, prout se extendit ad negationes, & impossibilia, vt infra dicetur: inter quæ extrema cum sit contradictio, non est assignare medium.

Tota hæc doctrina ex S. Tho. in numeris locis, *quæst. 7. de potentia, artic. 9.* dicit: *Quod prima intellecta sunt res extra animam, in quæ primò intellectus intelligenda fertur. Secunda autem intellecta dicuntur intentiones consequentes modum intelligendi.* Ponitquè exemplum in genere, & specie, & infert, quod si relatio esset de secundis intellectibus, nõ esset extra animam, neque in aliquo prædicamento. Clarè etiam semel atquè iterum *opusc. 56. & opusc. 42. de natura generis, cap. 12. initio. & cap. 4. & alibi sæpè,* ait. *Ens rationis propriè dici de illis intentionibus, quas ratio adinuenit.* In quibus rationem discriminis secundæ intentionis à prima, à nobis positam, indicat; nam dicere, quod secundæ intentiones sunt prædicata per rationem inuenta, est dicere, quod ideo sunt secundò cognoscibilia, quia per adinuentionem addita sunt prædicatis naturæ. Item 1. *sent. dist.* 2. art. quod *prima intentio est similitudo existentis extra animam. Secũda verò minimè; sed eorum quæ ad inuenit ratio.*

Soluitur secunda obiectio, & declaratur amplius discrimen inter primam, & secundam intentionem.

Sed dices primò: hæc nomina, *homo, animal, chimera, &c.* dicuntur primæ intentionis, & tamen respiciunt entia rationis tanquam obiecta; nam *homo* speciem significat, *& animal* genus, *& chimera* monstrum omnino fictum; solumquè obiectiuè in ratione apparens: ergo non omnia entia rationis sunt secundæ intentiones obiectiuæ, è cõtra etiam plures sunt secundæ intentiones, quæ obiecta realia respiciunt; nam quilibet actus reflexus, rem vt cognitam attingens, secunda intentio est, supponens essentialiter directum tanquam primam, & tamen res, prout extrinsecè cognita deno-

minatur, obiectum verum ac reale est, ut sæpè vidimus, & probauimus: ruit ergo doctrina posita.

Propter hoc valde diuisi sunt thomistæ in modo dicendi, diuidentes tam ens rationis, quā ens reale in primam, & secundam intentionem, violentiaquè interprætantes loca. S. Thomæ. Sed facilis vtriusque solutio cōstat iam ex supra dictis; animaduerti enim quodlibet istorum predicatorum debere terminare intentionem primam, vel secundam, vt obiectum *quod*, vel vt directè cognitum; quia nomen *intentio* idem significat, ac in aliud tentiò; particula verò *in aliud*, obiectum *quod* propriè demōstrat; obiectum enim *quo*, vel indirectum potius est ratio *subqua*, vel modus tendendi, quam id, in quod tenditur.

Ex quo ad primum respondetur, ideo nomina illa *homo*, *animal*, *chimera*, & similia, esse primæ intentionis, quia directè respiciunt entia vera realia, aut vera impossibilia, quę etiam entia rationis non sunt, secundùm se considerata, & indirectè tantùm attingunt vniuersalitatem genericam, vel specificam, &c. (vt infra magis patebit.) Dicuntur tamen huiusmodi entia rationis secundæ intētiones obiectiuæ, non respectu actus, vel nominis, cui indirectè obijciuntur, sed tantum respectu actus, quo directè, & expræsse cognoscuntur, & respectu nominis, quo explicitè significantur, qualia sunt gen⁹, & species, subiectum, vel prædicatum, &c.

Itaque omnia entia rationis, nullo excepto, secundæ intētiones obiectiuæ sunt; quia actū, quo expresè, & directè cognoscuntur, secundam intentionem formalem denominant. Confusio autem inter authores circa hanc rem, orta fuit ex indistinctione, inter obiectum *quod*, & *quo*, quæ est valde notanda. Hic autem actus ens rationis attingens directè vt obiectum *quod*, semper est reflexus, vt aduertit S. Thom. *quæstione illa septima de potentia citata, artic. 9. & alibi sæpè*: quia cum ens rationis indirectè resultet in obiecto prout cognitò; tunc directè, & explicitè percipietur, quando intellectus reflectatur in se ipsum, & obiectum prout cognitum contempletur, & consequenter præsentiam obiectiuam, seu apparentē, quā res media cognitione habet.

Quo supposito ad secundum respondeo, quod licet secunda intētio formalis semper sit reflexa, non è contra omnis notitia reflexa secunda intentio est; nam cognitio cognitionis tā prima intentio est, sicut intellectio animalitatis, aut rationalitatis. Neque obstat quod cognitio reflexa directā essentialiter supponat

ponat; iam enim dixi vnam primam intentionem esse priorem, & posteriorem alia, quia sunt conceptus inadæquati eiusdem primæ cognoscibilitatis.

ARTIC. IX.

Et vltimus, habeat ne ens rationis effectus, aut proprietates aliquas?

DE effectibus nulla est difficultas, quia cum ens rationis non habeat verum esse, sed tantum apparens, & repræsentatum, ita nec habet veram aliquam causalitatem, secundùm quam aliquid efficiat. Neque potest dici habere causalitatem apparentem; nam hæc solum potest consistere in hoc, quod ei tribuantur per repræsentationem causalitas, & effectus, quos non habet, ac proinde tunc colligetur intentum, quod scilicet re vera efect⁹ nõ habeat, sed falsò illi tribuãtur ab intellectu.

Idem què dicendum est de proprietatibus quasi physicis, & entitatiuè distinctis, quæ per veram emanationem ab eo pullulent: nam quoduis genus causalitatis illi repugnat. Solum de proprietatibus Logicis, aut metaphysicis, quæ nullam veram causalitatem, aut rigorosam exigunt distinctioné, quales sunt, vnitas, veritas, aut bonitas, potest difficultas controuerti.

Et ratio dubitandi est; quia propria passio est illa, quæ inseparabiliter conuenit rei, cuius est, debet namquè omni, & soli, & semper rei conuenire, vt suo loco monstrabitur; sed nulla huiusmodi proprietas potest enti rationis attribui: ergo. Probatur minor: quia cum ens rationis non existat, nisi terminando cognitionem sui, potest obijci intellectui essentia absque propria passione, & è contra, & tunc iam non erit eo ipso propria passio, cum sit tam facilè separabilis: ergo nulla est possibilis proprietas entis rationis.

Propter hoc aliqui iuniores negant ipsum proprietates habere.4.modo, hoc est in omni rigore. Sed certé argumentum factũ non id conuincit: facilè enim respondetur, quod cum huiusmodi proprietates non distinguantur entitatiué ab ipsamet essentia entis rationis, sicut nec proprietates entis realis ab ipso, non poterit obijci intellectui ens rationis, quin etiam illud comitentur ibi sua propria attributa, saltem indirectè, quod satis est ad formationem & existentiam entis rationis, & cuiuslibet attributi illi annexi.

Patet discurrendo per illa; nam chimera, vel vniuersalitas eo ipso, quod intellectui obijciũtur, nõ possunt nõ esse distincta inter

inter se, etiam reduplicatiuè, vt repræsentata; quia attinguntur, vt diuersa obiecta per diuersos actus, similiter non poterit separari ab eis propria vnitas, quã quodlibet necessariò sortitur, eo ipso, quod vnico actu repræsentetur; quia cum essentia illius sit obiectiua, non poterit non esse vnum obiectum, quod vni actui subest, & obijcitur, etsi talis obijcibilitas non directè, sed indirectè tantùm terminet actum intellectus, quod satis est, vt dixi.

Præterea cognoscibilitas, & veritas etiam illi euidens est, cõvenire; nam illud esse, quod indirectè prius habet, est proximè cognoscibile per actum reflexũ; siquidẽ statim cognoscitur. Vt experientia docet, & ab actu ad potentiam est optima consequẽtia. Infra etiam probabimus, quomodo prędicabilitas, & definibilitas, & subijcibilitas sint proprietates inseparabiles vniuersalis.

Solum de bonitate, & appetibilitate dicendum est non esse verè proprietates entis rationis, nisi tantùm ab extrinseco, & secundariò propter bonitatem entis realis, eo modo, quo negationes, & media sunt appetibilia, non propter se, sed propter finem aliquem extrinsecum. Ratio huius est; nam ens rationis solum potest consistere in hoc, quod est obijci intellectui, neque pertransit lineam obiecti potentiæ cognoscentis: ergo solum attributa annexa rationi obiectiuæ, reduplicatiuè vt talis est, possunt illi, vt proprietates accommodari, appetibilitas autem intrinseca pertinet ad aliam lineam, & bonitatem supponit, quæ nõ est in negationibus, aut obiectis impossibilibus, & licet possit apprehendi ab intellectu vbi nõ est, hoc erit contingens, & non necessariò, & inseparabiliter.

Quod autem ab extrinseco ens rationis sit appetibile propter bonitatem alicuius entis realis non est dubium; quia sicut negatio cibi potest appeti propter salutem spiritus, aut corporis, sic etiã entia rationis propter exercitium intellectus, & propter ipsius directionem ad rectè sciendum.

QVAESTIO II.

Per quam potentiam, & per quem actum fiant entia rationis.

Sub hac quæstione est multiplex difficultas; nam potest ens rationis comparari ad intellectum diuinum, vel Angelicum: ad potẽtias exteriores hominum, aut brutorum, ad poten-

potentias appetitiuas. Et deniq; cum in potentia intellectiua hominis triplex sit modus intelligendi, per quem illorum ens rationis formetur potest controuerti, quæ omnia sigillatim, & breuiter expendemus.

ARTIC. I.

An intellectus Diuin⁹, vel Angelicus entia rationis formare possit?

RAtio dubitandi est pro parte affirmatiua; quod Deus cognoscit huiusmodi entia rationis; ergo etiam illa efficit, & fingit. Patet consequentia: nam ens rationis eodem actu fit, quo cognoscitur, saltem indirectè, quia cum non sit effectus, sed purum obiectum (vt non semel dictum est) suum esse, & fieri est cognosci, & è conuerso, vt etiam ex eius definitionibus constat. Et quando in aliquo sensu admittatur ens rationis fieri aliquo actu, & non per illum cognosci, è contra tolerari non potest, quod quando directè cognoscitur, tunc à fortiori non fiat, aut quasi conseruetur. Antecedens probatur: Tùm quia nullũ obiectũ intelligibile latere potest, aut subterfugere diuinam scientiam: ergo si ens rationis est intelligibile, necessariò dicendum est cognosci à Deo. Tum etiam quia negari non potest Deum perfectissimè comprehendere fictiones creatas, sed implicat cognosci hos actus, quin cognoscantur eorum obiecta: ergo implicat cognosci huiusmodi fictiones, sine eo quod cognoscantur entia rationis, quæ sunt eorum obiecta.

Pro parte etiam negatiua est, quod Deus summè verax non potest cognoscere res aliter ac sunt à parte rei: ergo nec fingere, aut aliquo modo efficere rationis entia. Patet consequentia, quia non aliter fiunt entia rationis, quam cognoscendo res aliter ac sunt. Confirmatur, quia Deus ideo non potest mendaciũ proferre: quia suæ infinitæ veracitati repugnat res aliter enuntiare ac sunt à parte rei: ergo etiam illi repugnabit res aliter ac sunt intelligere.

Propter hæc ergo maximè inter se fuerunt diuisi authores. Quidam, dixerunt intellectum Diuinum non posse entia rationis cognoscere, nec propter hoc cogerẽtur concedere illa facere. Ita Caiet. *1. part. quæst. 13. cõc. 4. ad 2.* Capreol. *in 1. d. 8. quæst. 4. artic. 3.* Vazquez & alij *1. part. disput. 118. cap. 2.* Quidam verò in opposito extremo dixerunt Deum & cognoscere, & facere entia rationis, non tamen illa fingere

fingere; quia cognoscit huiusmodi entia per ordinem ad fictionem creatam, quam plenè, & perfectissimè comprehendit.

Alij denique asserunt Deum cognoscere entia rationis producta, vel producenda à potentia creata, non tamen illa facere, sed supponere illa iam facta, vel futura, & sic illa cognoscere, vt in se sunt; quatenus scilicet ex vi comprehensionis fictionis creatæ comprehenduntur huiusmodi obiecta impossibilia, vt obiecta terminantia illam permodum entium possibilium.

Sed ex dictis præcedenti quæstione, patet manifestè huius difficultatis resolutio; diximus enim ens rationis non consistere in esse possibili, vel impossibili, quod cognoscitur, secundum se considerato, sed prout connotat fictionem, aut imperfectum modum concipiendi intellectus nostri: nam idem omnino obiectum, quod respectu vnius actus intellectus iudicatur vt verè possibile; vel vt verè impossibile, respectu actus repræsentátis illud aliter ac est, denominatur, & fit ens rationis.

Ex hoc igitur manifestè cõstat primò neque Deum, neque Angelos formare entia rationis, etiam ~~perfectè~~ comprehendant fictionem creatam terminatam ad huiusmodi entia.

Probatur: nam obiectum aliàs verum & reale siuè positiuum, siuè negatiuum solum dicitur ens rationis, prout connotat fictionem, vel iudicium falsum, vel imperfectum modum intelligēdi nostrum; sed talis fictio, vel falsitas non habet locum in intellectu Diuino: ergo nullum obiectum vt terminans illius notitiam, dicitur ens rationis: sed respectu illius dicetur ens reale, vel negatio entis realis, licet prout connotat actum creatum, dicatur ens rationis.

Declaratur hoc amplius, nã sicut Deus cognoscit discursum nostrum, non tamen propterea discurrere dicitur, propter imperfectum modum respiciendi obiectum, quem importat actus discursiuus; ita quamuis cognoscat fictionem nostram repræsentantem ens possibile, vel impossibile aliter ac est, non propterea eo modo dicetur cognoscere tale obiectum: ergo nec formare entia rationis. Antecedés probatur: nam ratio propter quam Deus potest comprehendere discursum nostrum, nõ discurrendo, est, quia tamiactum discursiuum, quam obiectum illius potest simplici, & perfectissimo intuitu cognoscere; nam imperfectio obiecti terminatiui non est potens actum extrinsecum intellectus reddere imperfectum: ergo eàdem ratione poterit imperfectionem fictionis

nostræ,

nostræ, & obiectum illius perfectè comprehendere, absque eo quod fingat, vel repræsentet rem aliter ac est.

Confirmatur primò: nam cognitio falsa, aut erronea, & obiectum falsò terminans illam, comprehenduntur à Deo per iudicium omnino verum; nam idem obiectum quod creatura cognoscit per assensum falsum, cognoscit Deus per dissensum verum, & idem obiectum quod creatura cognoscit diuerso modo ac est; Deus cognoscit sicuti est in se, & sicut cognoscitur à creatura, s. per deuiationem à veritate, quam intuetur in actu creato.

Confirmatur; quia aliàs non penetraret falsitatem assensus creati, si obiectum illius non respiceret secūdum illud esse, quod in re habet,; ergo idē obiectum, quod respectu fictionis creatæ, & prout connotat illam, dicitur ens rationis, respectu intellectus Diuini repræsentantis illud secundùm esse, quod in re habet, dicetur ens reale positiuum, vel negatiuum.

Confirmatur secundò instantia peccati, ad quod Deus concurrit, & non propter hoc dicitur causa peccati, vel peccans; quia idem obiectum, quod attingit creatura vt sibi prohibitum, & malum; attingit Deus vt sibi licitum sub ratione boni, vt latè dicitur 1.2. ergo eadem ratione idem obiectum, quod homo attingit vt falsum vel ens rationis, Deus attingit vt verum siuè possibile, siuè impossibile.

Dices, si entia rationis non formātur à Deo, sequitur quod nec intelligantur, ac proinde, quod Deus ignoret huiusmodi obiecta. Respondetur negando sequelam; quoniam licet verum sit, ens rationis eodem actu quo fit, semper cognosci; saltem indirectè, vt bene probat argumentum supra factum in ratione dubitandi, non tamen è contra eodem actu, quo cognoscitur, semper fit. Vel dicendū quod eodem actu, quo obiectum cognoscitur aliter ac est, semper fit ens rationis, non verò quando cognoscitur prout est in se. Aliàs quotiescumque naturam definio entis rationis, illud formarem, & fingere, quod falsum est, quia tunc concipio rem sicuti est. Ratio ergo est, quia eadem obiecta impossibilia, quæ respectu assensus creati, falsi, sunt entia rationis, cognoscuntur à Deo verè per dissensum, vt dictum est, & consequēter cognoscitur deformitas, quā habet talis assensus cum illis à parte rei in qua ratio entis rationis consistit.

Ex quo patet iam ad rationem dubitandi, & quodnam iudicium ferendum sit de sententijs relatis, & quid de Angelis dicen-

dicendũ sit; respectu enim obiectorum, quæ cognoscunt prout in re sunt, nulla ternis entia rationis formare possunt propter rationes dictas, quinimo nec intellectus humanus ea format quando illa cognoscit vt sunt, V.g. quando dicit. *Chimera est ens rationis*, quia tunc chimeram concipit sicuti est, & ens rationis tũc formatur, quando aliter ac est, cognoscitur obiectũ.

ARTIC. II.

Per quam potentiam, & per quos actus effici possint entia rationis?

DIco primò: voluntas non efficit vllo modo entia rationis. Est communis inter Dialecticos, & probatur: quia voluntas, vt dixi, non est potentia apprehensiua obiecti, quia non trahit illud ad se: ergo non potest facere quod in ipsa obiectum existat aliquo modo, quod est de ratione entis rationis. Rursus voluntas non habet potestatem fingendi, sed supponit obiectum iam fictum ab intellectu, & ab ipso apprehẽsum aliter ac est, & ipsa tanquam potentia cæca fertur in illud, supponens illud existens siuè in re, siuè in intellectu: ergo non efficit, sed illud factum supponit.

Dico secundò: potentiæ exteriores, & etiam imaginatiua possunt efficere entia rationis, si per ens rationis intelligatur ens fictum, vel purè obiectiuum, prout distinguitur contra ens reale, siuè sit à ratione, siuè à qualibet alia potentia fabricatum: nam à quacumque sit, appellari potest ens rationis, sumpta denominatione à principaliori potentia.

Probatur conclusio; quia huiusmodi potentiæ sunt apprehensiuæ obiectorum suorum, & illa possunt repræsentare, & cognoscere aliter ac sunt à parte rei: ergo efficiunt entia rationis eo modo, ac intellectus. Patet consequentia: quia nulla est rationabilis disparitas inter has potentias, & intellectum. Et antecedens constat manifesta experientia: visus enim percipit Solem & reliqua astra in minima quantitate, quæ in re magna est; & plures colores, qui à parte rei nõ sunt. Colorem. V.g. cerulẽum in cœlo: iridem in nubibus: plures ac varios colores in collo columbæ; & in vitro triangulari: baculum confractum in aqua, &c. Gustus sentit amarum id, quod re vera dulce est. Imaginatiua etiam plerum què obiecta format impossibilia, præsertim in somnijs, quando nullus est rationis vsus, concipiendo chimeram, montem aureũ, &c. ergo per has omnes potentias

tentias verè formantur entia rationis.

Confirmatur, quia huiusmodi ens non postulat perfectionem, ratione cuius omnino non posit attingi ab his potentijs, sed potius imperfectionem dicit in potētia, quę illud format; neque postulat determinatam aliquam rationem obiectiuam, quæ has potentias terminare non valeat, sed quodcumque obiectum, siuè sit ens in communi, siuè in particulari, si repræsentetur aliter ac est in re, dicetur non essę reale, sed existere tantum obiectiuè in illa potentia, qua sic cognoscitur, ac proinde erit ens obiectiuum.

Per quam intellectus operationem formentur entia rationis?

Restat deniquè difficultas de entibus rationis, quæ ab intellectu fiunt, an per quemcūq; actum illius effici possint, vel quo modo? Ratio dubitandi est de prima operatione intellectus; quoniā (vt nunc suppono ex dicendis infra disputatione sequēti) in simplici apprehensione nulla potest esse falsitas etiam incōplexa, sed semper est veritas, & conformitas cum obiecto prout est in se; sed cognitio, qua sit ens rationis, est cognitio falsa repræsentans obiectum aliter ac est in re, & illi disconformis: ergo per simplicem apprehensionem fieri non potest ens rationis.

Præsertim in nostra sententia hoc confirmari potest: nam diximus idem obiectum, quod in se est possibile, vel impossibile, si consideretur eo modo, quo in se est, non esse ens rationis, sed tantùm prout connotat cognitionem repræsentantem illud aliter ac est: ergo solum per cognitionem falsam fit, & consequēter non per primam operationē, vbi falsitas nullatenus inueniri potest. Patet consequentia: nam cognitio falsa nihil aliud est, quam notitia repræsentans obiectum aliter ac est in re.

In contrarium autem est cōmunis sententia docēs naturam fieri vniuersalem per abstractionem absolutam; vel comparatiuam à suis inferioribus, & nos infra probabimus, sed talis abstractio fieri potest per simplicem apprehensionem, vt nūc suppono, & patet in omni definitione, quam certum est pertinere ad primam mentis operationem, & etiam est certum respicere genus, & differentiam rei definitæ, tanquam partes ratione solum distinctas, ergo per primam operationem formari possunt præcipua entia rationis.

Confirmatur; quia vt intellectus efficiat distinctionem rationis, satis est, quod rem indi-

indiuisibilem pluribus inadæquatis concipiat conceptibus, sed plures isti conceptus inadæquati possunt esse simplices apprehensiones, sicut conceptus adæquati: ergo &c.

Propter hæc posteriora argumenta tenenda est pars affirmatiua, vt omnino vera, & ab omnibus communiter recepta. Ad rationem autem dubitandi oppositam, concessa maiori, scilicet quod in simplici aprehensione nulla reperiatur falsitas, neganda est minor: quia non omnis cognitio repræsentãs obiectum aliter ac est in re, est cognitio falsa: dupliciter enim intelligi potest, quod notitia aliqua repræsentet obiectum aliter ac est à parte rei. Primò modo, si particula *aliter* significet modum ex parte obiecti terminantis, illi tributum per intellectum, cum re vera in eo non sit, & tunc cognitio falsa est, & ad secundam operationem pertinens, si sit sermo de falsitate cõplexa, est tamen alia incomplexa, quæ in simplici apprehensione inuenitur, vt dicam.

Secundò modo vox *aliter* potest significare modum, non ex parte rei cognitæ, sed ex parte repræsentationis ipsius, conuenientem scilicet obiecto, non in genere rei, sed reduplicatiuè in genere obiecti, & sic cognitio vera est, vt latius dicam *artic.* 2. *sequentis quæstionis*, vbi radicitus hoc declarabitur. Vnde ad rationem dubitandi in forma neganda est minor vniuersaliter loquendo: & similiter ad confirmationem, negatur consequentia, sed potius dicendum est, quod licet omne obiectum falsum sit ens rationis, non tamen è contra, omne ens rationis sit obiectum falsum, & similiter licet omnis notitia falsa formet aliquod ens rationis, non è conuerso omnis notitia formãs ens rationis, sit falsa.

Soluitur duplex obiectio.

Sed contra dices, si cognitio est vera, consequenter erit verum obiectum illius: ergo reale, & non ens rationis: nam veritas est passio entis, & ens rationis solum dicitur ens apparens.

Respondetur, quod quando formatur ens rationis Logicum (de quo argumẽtum procedit) non est obiectum directè cognitum, sed indirectè resultans ex cognitione veri entis realis, & ideo parùm lædit eius veritatẽ, cum non sit obiectum terminans respectu illius. Quãdo autem cognoscitur vt *quod* per actum reflexum. V. g. quando concipitur natura humana quod sit species, vel quod animalitas, & rationalitas distinguentur ratione, tunc etiam verè cognoscitur, quia non attribuuntur denominationes istæ reb⁹ prout sunt in se,

in se, sed prout conceptis ab intellectu, & sic nulla interuenit fictio, vt clariùs postea constabit.

Neque obstat quod vltimò additur, quod veritas est passio entis; nam hoc ita est de veritate intrinseca primaria, & ratione sui; cæterum sicut secundariò cognosci possunt per dissensum verum obiecta impossibilia, & negatiua, quæ minimè ratione entis participant, quod nemo negat, sic & entia rationis, de quibus loquimur, quod infra magis constabit.

Obijcies denique, impossibile cognitum vt tale, non est ens rationis, sed tantum impossibile prout connotat, aut terminat cognitionem sub esse possibili, vel sub esse, quod non habet, sed simplex apprehensio semper repræsentat suum obiectum siuè possibile, siuè impossibile sicuti est in se: ergo nunquam potest formare ens rationis. Minor in qua est difficultas, probatur; quia simplex apprehensio, cum nihil enuntiet de re cognita, semper repræsentat illam, cuius est similitudo, & conformatur obiecto repræsentato prout est in se, quidquid sit de conformitate cum alijs obiectis, quæ intelligens percipere velit, quæ necessaria non est ad eius veritatem. V.g. quando intellectus simpliciter apprehendit chimeram, cuius aliæ partes sunt hominis, aliæ leonis, & aliæ equi, respectu talis monstri, cõformis, & vera est talis cognitio; quia non affirmat rem ita se habere à parte rei, nec intendit actus verum, hominem, aut leonem repræsentare, sed obiectum aliud longè diuersum: ergo.

Exponitur iam quomodo apprehensio simplex entia rationis impossibilia formet.

Sed pro solutione aduerte primò quod simplex apprehensio; vt suo loco dicetur, licet non possit formaliter cõponere, aut diuidere res, hoc est, modo compositiuo, aut diuisiuo suum obiectum attingere; quia hoc est proprium secundæ operationis intellectus, potest tamen res materialiter compositas, aut diuisas exprimere; ac proinde obiectum materiale ex partibus ab intrinseco incõpossibilibus coalescens, etiam de potentia absoluta, vel res diuersas, quę à parte rei idem omnino sunt, repræsentare, in quibus casibus obiectum, cum non sit ens reale, ita nec verum, quod est passio entis.

Secũdò ex Metaphysica, suppono obiectũ cõnaturale, & primarium intellectus esse verum, quod est passio entis realis, negationes autem, & impossibilia solum obiecta dicuntur ab extrin-

trinseco, quatenus secundariò attinguntur ratione obiecti primarij, ex se enim incapacitatem potius habent, vt repræsententur intellectui, vel vt de illis proprius formetur conceptus, sed tantùm per dissensum, vel quasi expulsionem à potentia cognoscuntur propter oppositionem, quam habent cum suo proprio obiecto.

Ex quo primò infero, quod cum simplex apprehensio sit operatio intellectus, propriè negari non debet, ipsam naturaliter obiectum intendere sub ratione veri, in quo essentialiter differt ab actu voluntatis illum semper attingente sub ratione boni.

Ex quo fit consequenter, quod sit in ipsa apprehensione aliqua formalis veritas, seu conformitas ad obiectum verum, quando illud repræsentat secundùm esse, quod in re habet; licet etiam verum sit, quod sicut ipsa est imperfecta in ratione actus intelligendi, ita eàdem imperfectione veritatem apprehendat, & participet, incomplexam .s. vt latius suo loco dicetur.

Ex hoc ergo rursus colligo, (quidquid alij negent) quod similis falsitas incomplexa in ea inueniatur, quando cum vero ente reali non se conformat, sed obiectum impossibile, aut mōstruosum apprehendit: frustratur enim tunc suo naturali desiderio, & est in se ipsa operatio imperfecta, & deffectuosa, sicut iudicium falsum, & sicut peccatum respectu voluntatis, & sicut visio coloris apparentis, & non veri respectu potentiæ, visiuæ, quæ deceptionem patitur, quatenus verum colorem, qui est suū naturale obiectum, non assequitur, quod vltimum exemplum nota, quia visio maximè imitatur naturam apprehensionis simplicis.

Neque valet respōdere, quod simplex apprehensio non affirmat ita esse à parte rei impossibile, quod repræsentat, satis enim est, quod non neget, & respuat per dissensum, vt talis actus monstruosus dicatur; nam impossibile non cognoscitur vt tale, nisi dissentiendo illi, tanquā cōtrario proprio obiecto, & obiectum secundarium non potest terminare actum ratione sui, sed ratione obiecti primarij, quod sit ratio cognoscendi illud, nihil autem horum contingit in casu, quod simplex apprehensio obiectum impossibile repræsentat sine dependentia, aut subordinatione ad ens reale, & non respuens, sed potius amplectens, & faciens illud sibi præsens, ac si re vera ita esset; quod est contra naturalem inclinationem potentiæ, vt dixi.

Solum posset apprehensio simplex à falsitate excusari, quando respicit impossibile indirectè tantùm vt rationem

sub-

subqua, & non vt obiectum *quod*. Vel quando ipsa attingitur vt inchoatio iudicij dissentientis, quia tunc reputaretur per modum vnius operationis cum illo, secùs verò quando quiescit in apprehensione obiecti impossibilis; quia tunc illud amplectitur, & facit sibi præsens, & virtualiter affirmat, quatenus primariò respicit. Sic contingit, quando communiter astra concipit vt parua, cælum vt coloratum, &c. absque eo, quod intellectus se intendat corrigere, per dissensum; quinimo consuetudinem in tali modo intelligendi habet.

Euidentior autem est hæc doctrina in entibus rationis Logicis, quæ intenduntur solùm vt ratio *subqua* obiecti cogniti, resultantque indirectè ex cognitione veri entis realis, vt sunt vniuersalia, & distinctiones; de his enim simpliciter apprehensis, nunquam se corrigit intellectus per iudicium, sed tam simplex apprehensio, quàm iudicium, & discursus ad entia realia terminantur tanquā ad finem, & obiectum præcipuum, & ad entia rationis, solum vt ad rationem *subqua*, vel conditionem sine qua non obiectum respicitur.

His positis, patet iam solutio ad difficultatem positam. Respondetur enim, quod quando obiectum est ab intrinseco impossibile, eo ipso quod appareat, & fiat præsens in ratione, & non respiciatur per dissensum, sit formaliter ens rationis: quia existit ibi obiectiuè, quod non fit, quando dissensum terminat; quia ratio; ipsa illi aufert existentiam, negans illam.

QVAESTIO. III.

Quotuplex sit ens rationis?

ARTIC. I.

Est celebris, & communis diuisio, qua ens rationis generaliter diuiditur in negationem, priuationem, & relationem, quæ sumpta videtur ex Aristotel. 4. *Metaph. in principio, & lib.* 5. *cap.* 7. *textu* 54. constituente negationes, & priuationes inter entia, quod cum non possit verum esse de entibus realibus, planè indicat se loqui de entibus rationis. *Et cap.* 15. *eiusdem libri*. Vbi mentionem facit de relationibus rationis, & Sanct. Thom. *quæst.* 21. *de veritate artic.* 1. *& in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. *artic.* 3. *& distinct.* 19. *quæst.* 1. *articul.* 1. docet, præter vera entia quædam alia esse, non tam vera secundùm entitatem,

Aristot.

S. Thom.

tem, quam secundùm veritatem prædicationis, tam affirmatiuæ, quam negatiuæ.

Eandem diuisionem visus est collegisse. Sanct. Thom ex Aristotel. doctrina hîc tacta, & ex vtroque eam accepit vniuersa schola, ita vt nemo iam sit, qui illam improbare audeat.

Sed ad exactam eius notitiam impugnari solet aliquibus argumentis. Primò ostendendo eam esse diminutam; quia plura sunt alia entia rationis præter illa tria, nam fingere potest intellectus entia rationis ad similitudinem omnium prædicamentorum: chimeram V.g. veluti quandam substantiam ex varijs illis, atque impossibilibus partibus diuersorum animalium, hominis, scilicet, equi, ac leonis compositam, eamquè potest simul intellectus cogitare quantam, & extensam, affectam his, vel illis qualitatibus, actionibus, passionibus, vbi, &c. ergo præter negationes, & relationes plura alia sunt entia rationis, quæ excogitantur ab intellectu, & in ea diuisione numerari debebant.

Secundò quia duobus membris prioribus, negationi videlicet, & priuationi diuisum non conuenit; nam ante quamcumque operationem intellectus, & independenter ab omni fictione illius, negationes, & priuationes sunt verè à parte rei, non quidem existentes secundùm aliquod esse positiuum, sed negatiuè quantum ad eius non esse: ergo non sunt entia rationis. Antecedens patet: nam Petrus à parte rei, & nullo intellectu considerante habet carentiam visus, & equs non est leo, &c.

Confirmatur ex Aristotel. *1. lib. Phisic. text. 66.* & communi sententia asserente, priuationem esse vnum ex principijs rei naturalis, & generationis, constat autem ens rationis non posse esse naturale principium entis realis; quia generatio naturalis est opus solius naturæ omnino independens à fictione intellectus. *Aristot.*

Rursus certissimum principium omnibus per se notum est, duo contradictoria non posse simul vera esse à parte rei, neque posse habere in re aliquod medium, ita vt vnum vel alterum non detur, quia *omne vel est, vel non est*: ergo quotiescumque res aliqua non habet esse à parte rei, necessariò debet illic existere eius contradictorium, scilicet negatio illius: ergo nihil habet à ratione, sed omnino independens est ab illa.

Denique licet demus huiusmodi negationes in nullo vero sensu esse à parte rei, non satis est, vt sint entia rationis, quod non sint à parte rei, sed requiritur, quod existant tantùm

tùm obiectiuè in intellectu, cõsiderantes eas aliter ac sunt: ergo quando eas intelligit non esse à parte rei, nihil tribuit illis de nouo, nec à parte rei, nec obiectiuè in intellectu.

Quod si respondeas negationes dupliciter considerari: vel per dissensum solùm secundùm illud non esse, quod habent antecedenter ad omnem actum intellectus, & sic esse reales negatiuè, vt probatum est: vel per assensum per modum entitatis positiuæ, ac si essent formæ reales, & sic esse entia rationis.

Contra vrgentiùs argui potest: quia iam negatio, & priuatio formaliter vt entia rationis, essent entia positiua, & non negatiua, & consequenter malè duo genera constituerẽt entium rationis, sed tot genera, quot sunt genera entium positiuorum, ad cuius similitudinem excogitari possunt. Vnde si priuatio concipiatur per modum formæ relatiuæ, erit relatio, atque adeò non genus omnino distinctum à tertio; & si concipiatur per modum qualitatis, erit qualitas, &c. inepta est ergo valde diuisio, quia numeratio membrorum diuidentium debebat sumi ex ratione formali diuisi in ipsis inuenta, & non ex materiali. Et dato quod ex materiali sumenda esset, eodem modò accommodari deberet, omnibus membris, ita vt tertium membrum, quod est relatio solum ex fundamento denominationem sumeret, & non ex ratione formali generis, atque adeò huius generis relationes essent sicut negationes, & priuationes, quod planè falsum est.

Rursus si negatio, & priuatio solum à fundamento, vt materiali denominationem sumerẽt, omnia entia rationis negationes dicendæ essent, aut priuationes, & consequenter solum duo membra constituenda. Patet sequela; quia omne ens rationis fundatur in negatione, vel priuatione entis realis.

Denique plura sunt entia rationis, quæ formaliter in vnitate, & distinctione rationis consistunt, vt in sequentibus ex professò declarauimus; debuerunt ergo in præsenti diuisione comprehendi, sed non est membrũ in ea, ad quod reducantur; est igitur diminuta. Sed omnes istę difficultates sequentibus articulis dissoluentur.



ARTIC. II.

Diuiditur primò; ens rationis in cōmuni in ens rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ.

VT præcedentem diuisionem explanare incipiamus, & simul entia rationis Logica ab alijs possimus discernere, obseruandum est duplex genus entis rationis. Alterum rationis ratiocinantis, & alterum rationis ratiocinatæ. Quæ diuisio communiter tradi solet in distinctionibus rationis, sed re vera etiam enti rationis in communi propriè aptatur.

Solet discriminari vtrumque genus, per hoc quod ens rationis ratiocinantis sit id, quod nullum habet fundamentum in re, sed gratis imaginetur pro suo cerebro ab intellectu, & ens rationis ratiocinatæ sit, quod non nisi ex fundamēto quodam tam in re, quam ex parte intellectus præsupposito, occasionetur. Vt quando natura vniuersalis concipitur, fundatur intellectus in similitudine reali, quam prius cernit in singularibus illius, & in limitatione ipsius intellectus, qui de eisdem singularibus scientiam habere non potens, ea concipit sub vna ratione communi, sub qua sciuntur. Similiter quando considerat, vt distincta, quæ in re sunt vnita, occasionem sumit ex diuersis oficijs, seu operationibus, quas res eadem exercet à parte rei, ac si esset plures virtutes, & ex sua imperfecta efficacia, quæ nō potest rem adęquare vt in se est, nisi pluribus actibus, vt dicetur.

Sed obscurè satis hoc discrimen assignatur: nam si per fundamentum in re intelligatur materiale reale, in quo quasi subiectatur, & fundatur existentia obiectiua, quæ est forma entis rationis, hoc habent omnia sine exceptione aliqua; chimera enim fundatur in partibus realibus diuersorum animalium prius somniatis, aut imaginatis. Si verò præter hoc materiale pro fundamento desideretur occasio aliqua, vel ratio propter quam intellectus rem concipiat aliter ac est, sic competit etiam frequenter entibus primi generis; nam quando intellectus Solem concipit vt paruum, fundamentum habet, & in re ipsa, quæ ratione suæ distantiæ sic obijcitur ante vllam fictionem intellectus potentiæ visiuæ, & in sua limitata virtute, quę rem ita magnam & distantem, vt in se est, exhaurire non valet.

Sic etiam quando alia intelligit

ligit monstra ex imaginatiua, & exterioribus sensibus, similem occasionem habet, ratione cuius taliter concipit, & non aliter pro suo arbitrio, quinimò in sua apprehensione omnino necessariò rem aliter ac est, repræsentat; cũ scilicet astra apprehendit vt parua; saporem dulcem vt amarum in infirmitate; montem aureum post somnium: &c. quia velit nolit, determinatur per sensus ad sic intelligendum, licet proprio iudicio postea se corrigere valeat, necessum ergo est amplius exponere, quodnam sit hoc fundamentum, quod ens rationis ratiocinatæ supponit; & consequenter quo fundamento ens rationis ratiocinantis careat, manebit declaratum.

Duplex fundamentum entis rationis ratiocinatæ, proximum scilicet, & remotum, declaratur.

Pro solutione obserua ex S. Thom. *in 1. sent. dist. 2. q. 1. art. 3. & alibi sæpè*, duplex fundamentum, quod supponitur ad ens rationis ratiocinatæ. Proximum, & remotum, quod à multis cõsideratur tã in intellectu, quàm in rebus cognitis; quia cum ens rationis (vt aiunt) vtrumque essentialiter importet, & obiectũ quod cognoscitur, & cognitionem ipsam saltem de connotato, à qua existentiam illam obiectiuam accipit, hinc est, quod in vtroque fundamentum prærequirat.

Sed hic modus loquẽdi quatenus ex parte intellectus fundamentum constituit, non ita proprius est, nec S. Thom. doctrinæ cõformis, sed potius cõtra illum, & communem sententiam Quod sit impropria loqutio, probatur; nam fundamentum propriè dicitur in quo subiectatur res in ipso fundata, vt patet in fundamento ædificij, & in quolibet subiecto, quod fundamentum dicitur respectu suæ formæ, & in qualibet natura, quæ fundamentum dicitur respectu suarum proprietatũ; causa verò extrinseca non solet appellari fundamentum sui effectus, neq; quodlibet aliud extrinsecum connotatum, quale sunt intellectus, & eius actus respectu entis rationis.

Præterea hunc esse modum loquendi S. Thomæ patet expræsse in loco citato sentent. Vbi fundamentum remotũ ponit in re ipsa, & licet proximum in intellectu constituat, per *intellectum*, rem prout intellectam significat, est què communis phrasis sępisime ab illo vsitata. Item multis alijs locis distinctionem rationis circa Deum asserit fundari, & radicari in essentia diuina.

Denique hanc esse communem sententiam probatur; quia

omnes communiter docent, ens rationis ratiocinatæ illud esse, quod habet fundamentũ in re, sicut postea declarabo, loquunturquè de re, quæ est obiectum intellectus, & distinguitur contra illum. Sed contra: quia imperfectio quæ ex parte intellectus est causa entis rationis ratiocinatæ, etiam concurrit ad ens rationis ratiocinantis, ergo non potest esse ratio distinguendi vnum ab alio.

Rursus distinctio, & vniuersalitas fundamentalis, seu aptitudinalis communiter tribuitur rei, quæ dicitur plures, vel vna per rationem, & non intellectui, sed vniuersale fundamentaliter, vel distinctio fundamentalis nihil est aliud, quam fundamentum vniuersalitatis, aut distinctionis: ergo hoc rebus tantùm & non intellectui, aut eius actibus propriè tribuitur. Maior constabit infra, cum sæpè repetatur communis modus loquẽdi omnium dicentium, vniuersale fundamentaliter esse à parte rei, & formaliter obiectiuè in intellectu, idem què de distinctione. Non nego in sensu minus proprio fundamentum in intellectu posse constitui, & quod certè quæstio sit de voce, sed in modo loquendi debemus conformari cum S. Thoma, & communi sententia, præsertim quando magis accedit ad proprietatem, vt etiam eius doctrina vti possimus ad instructionem nostram.

Est ergo fundamentum remotum res ipsa secundùm statum, quem habet à parte rei, quatenus virtualem vnitatem, v.g. aut pluralitatem, aut relationem habet, ratione cuius intellectum limitatum, & imperfectum mouet, vt eam concipiat actualiter vnam, aut plures, aut relatam, &c. V.g. indiuidua naturæ humanæ etsi actualiter plura, tamen quatenus sunt similia in eodem modo operandi per discursum, fundamentum tribuunt intellectui, vt omnium naturas per modum vnius substãtiæ rationalis intelligat. Similiter aduertit intellectus in eadem simplici natura diuersas operationes propter eminentiorem virtutem, quam habet præ alijs, in quibus tales operationes ex virtutibus diuersis proueniunt: & occasionem tunc accipit concipiendi ad modum plurium, quod est vna simplex virtus. Sed quia ex hoc fundamento tanquam remoto potest occasionari vtrumque genus entis rationis, per fundamenta proxima discernenda sunt, pro quo.

Secundò obserua ex Sanct. Thoma *1. part. quæst. 85. artic. 1. ad 1. opusc. 49.* Dupliciter intellectum posse obiectum cognoscere aliter ac est in re. Vel ita vt particula *aliter* denotet modum

modum ex parte obiecti terminantis vt *quod*; directè scilicet apprehensum in eo; & illi attributum per modum compositionis, aut diuisionis, vt loquitur Sãctus Doctor. Quod intellige, vel de compositione formali, & complexa, quæ est in iudicio, vel de virtuali, & incomplexa, quæ est in simplici apprehensione (vt iam explicui *in fine præcedentis quæstionis*) & sic cognitio dicitur propriè fictio, aut falsa; quia affirmat, vel negat, vel apprehendit, quod non est ita.

Vel secundò ita vt particula *aliter*, modum significet ex parte cognitionis inadæquatè percipientis rem, sine eo quod ex parte ipsius rei cognitæ aliquid consideret, aut tribuat de nouo præter sua prædicata. V. g. quando natura per quidditatiuam definitionẽ abstractè concipitur secundùm suam essentiam realem, & non secundùm sua singularia, aut accidentalia: & tunc minimè fingit intellectus, quamuis eam repræsentet per modum vnius, sed procedit vt ait Sanct. Thom. absque omni falsitate; quia non negat ei aliquo modo singularia, neć tribuit vnitatem formando conceptum illius, (eo enim ipso effingeret ens rationis ratiocinantis) sed tantum obiectiuè resultat hæc vnitas in natura, quatenus inadæquatè concepta sine pluralitate.

Sic etiam quando animalitatem sine rationalitate considerat, vel vnum attributum Dei sine alio, non negat vnam perfectionem de alia, neque asserit sic distingui in re (hoc enim præstat, quando distinctionem rationis ratiocinantis format) sed tantum habet vtramque duplici conceptu repræsentare seorsim maioris claritatis gratia, absque vlla tamen fictione, ita vt duplex illa conceptio vni simplici æquivaleat, qua vtraque simul exprimeretur formalitas. Quapropter vulgatum omnium assertum est, *quod abstrahentium non est mendacium*; quia licitum est vero intellectui, rem quasi per partes pluribus actibus percipere, præsertim quãdo non potest eius emminentiam, & veritatem adæquatam ita clarè vnico conceptu exhaurire.

Exponitur iam clarè discrimen inter vtrumque genus entis rationis.

Ex dictis facilè iam constat, quodnam sit fundamentum proximum, ex quo immediatè resultat ens rationis ratiocinatæ. Est scilicet res verè cognita etsi inadæquatè, hoc

hocquè significat propositio illa communis, vel definitio, quam ferè omnes vtuntur: s. *est id quod fundamentum habet in re*, per *rem* enim nõ intelligitur entitas prout abstrahit à veritate, & falsitate, sed entitas prout est in re, hoc est, secundum esse, quod habet verè à parte rei, nam hoc denotat absque violentia vlla, particula *in re*. Et sic optimè discernitur hoc genus ab ente rationis ratiocinantis; quod similiter fundatur proximè in aliquo esse cognito, sed nõ prout est in re, sed ut consideratur aliter ac est à parte rei, sumpta particulà *aliter* non solum ex parte cognitionis, sed etiam ex parte obiecti terminantis vt *quod*, ideoquè propriè dicitur non habere fundamentum in re, quidquid sit de materiali aliàs reali, in quo subiectatur.

Sed quidam Neotericus, quẽ citaui etiam *sect. præcedenti q. 1. art. 4.* ex hac doctrina occasionẽ sumpsit negandi entia rationis Logica, ideoquè vniversalia, subijcibilia, & distinctiones eorum negat esse entia rationis in sensu rigoroso, de quo loquimur, prout distinguuntur ab omni ente reali, sed ait esse tantum naturas reales inadæquatè, vel abstractè conceptas. Neque existimat ens rationis formari posse à vero intellectu, nisi prout fingente, aut delirante, vel obiectis realibus abutente. Cuius præcipua ratio pro nunc potest esse; quia si obiectum terminans est verum, & reale, & modus similiter cognoscendi illud, extrinsecaquè denominatio cogniti, nihil restat, in quo tale ens rationis possit consistere.

P. Hurt. disput. 1. Log. sect. 4. & disp. 5. Metaphy. sec. 7

Sed ex dictis *articulo 7. quæstionis primæ*. Respondetur iam explicatum esse, quod præter cognitionem, & denominationem extrinsecam, ab ea formaliter prouenientem, & præter obiectum terminans illam vt *quod*, est cõsiderare rationem *sub qua*, vel modum præsentiæ obiectiuæ resultantem in re vt passiuè manifestata, vel quatenus obiectiuè apparet, qui modus, et si nõ sit in re, non lædit veritatem cognitionis; quia non terminat illam vt obiectum *quod*, sed vt ratio *sub qua* obiecti.

Reliqua quæ pro hac sententia, & contra illam hîc desiderari possunt; infra tractando de vniuersalibus, & distinctione rationis, plenius ellucidabuntur; ea enim doctrina supposita, confirmatur amplius discrimen inter vtrumquè genus; quia propter hoc hujusmodi entia rationis ratiocinatæ dicuntur, quia ea ex se formata, & ratiocinata inuenit ratio per resultantiam ex sola veritate obiectiua entis realis, absquè eo, quod intellectus aliquod negotietur, quo ad illius formationem concurrat, præter hoc quod est verum ens reale cog-

cognoscere, cætera dicuntur rationis ratiocinantis; quia non ex ipsa veritate obiectiua resultant, sed ex ratiocinatione, aut negotiatione intellectus abutentis, obiectis, non repræsentando illa prout in re sunt, sed faciendo ut appareant aliter ac sunt.

Rursus entia rationis ratiocinatæ dicuntur doctrinalia, & Logica, quia scientiæ, & modus sciendi, quæ non nisi veritatem, vt finem respiciunt, illis vtuntur, non tanquam instrumentis (vt aliqui aiunt) sed tanquam rationibus obiectiuis, sub quibus necessariò propria obiecta considerant, falsitas autem, & fictio non possunt per se ad veritatis speculationem conducere, nec Logica, quæ modũ sciendi tradit vt proprium obiectum, in modo fingendi, qui omnino oppositus est; vt in fine sistere potest, nam verum non nisi vero semper consonat, ac proinde huiusmodi entia ideo veritati congruunt, quia absque falsitate fiunt.

Neque valet, quod communiter multi dicunt, quod propter imperfectionem nostri intellectus vtimur fictionibus ad veritates cognoscendas; nam vt benè aduertit. S. Thom. *1. contra Gent. cap. 36.* sicut intellectus propter suam immaterialitatem intelligit res immaterialiter, sine eo quod eas vt immateriales intelligat, sed ita vt immaterialitas tantùm se teneat ex parte modi intelligendi, ita propter imperfectionem suam res imperfectè cognoscit taliter, vt eis non tribuat imperfectionem sui modi concipiendi. Et ita Deum respicit modo compositiuo, non tamen cognoscendo illum vt compositum; qui modus explicandi negari non potest esse præstantior, & verior; quia imperfectionem nostri intellectus, cum pura obiecti veritate conciliat.

ARTIC. III.

Vbi subdiuiditur solũ ens rationis ratiocinatæ in negationem, priuationem, & relationem.

Secundò ens rationis ratiocinatæ, seu doctrinale subdiuiditur in negationẽ, priuationem & relationem: nam solum hæc tria genera habent fundamentum in rei veritate. Ens autem rationis ratiocinatis cum pro libito fingi possit ab intellectu; per omnia genera rerum, & non rerum vagari potest, & extendi, vt probat primum argumentum articuli primi, quod tantum conuincit huiusmodi entia ficta non inclu-

hocquè significat propositio illa communis, vel definitio, qua ferè omnes vtuntur. s. *est id quod fundamentum habet in re*, per *rem* enim nõ intelligitur entitas prout abstrahit à veritate, & falsitate, sed entitas prout est in re, hoc est, secundùm esse, quod habet verè à parte rei, nam hoc denotat absque violentia vlla, particula *in re*. Et sic optimè discernitur hoc genus ab ente rationis ratiocinantis; quod similiter fundatur proximè in aliquo esse cognito, sed nõ prout est in re, sed ut consideratur aliter ac est à parte rei, sumpta particula *aliter* non solum ex parte cognitionis, sed etiam ex parte obiecti terminantis vt *quod*, ideoquè propriè dicitur non habere fundamentum in re, quidquid sit de materiali aliàs reali, in quo subiectatur.

Sed quidam Neotericus, quẽ citaui etiam *sect. præcedenti q. 1. art. 4.* ex hac doctrina occasionẽ sumpsit negandi entia rationis Logica, ideoquè vniversalia, subijcibilia, & distinctiones eorum negat esse entia rationis in sensu rigoroso, de quo loquimur, prout distinguntur ab omni ente reali, sed ait esse tantum naturas reales inadequatè, vel abstractè conceptas. Neque existimat ens rationis formari posse à vero intellectu, nisi prout fingente, aut delirante, vel obiectis realibus abutente. Cuius præcipua ratio pro nunc potest esse, quia si obiectum terminans est verum, & reale, & modus similiter cognoscendi illud, extrinsecaquè denominatio cogniti, nihil restat, in quo tale ens rationis possit consistere.

P. Hurt. 1. disput. 1. Log. sect. 4. & disp. 5. Metaphy. sec. 7

Sed ex dictis *articulo 7. quæstionis primæ*. Respondetur iam explicatum esse, quod præter cognitionem, & denominationem extrinsecam, ab ea formaliter prouenientem, & præter obiectum terminans illam vt *quod*, est cõsiderare rationem *sub qua*, vel modum præsentiæ obiectiuæ resultantem in re vt passiuè manifestata, vel quatenus obiectiuè apparet, qui modus, et si nõ sit in re, non lædit veritatem cognitionis; quia non terminat illam vt obiectum *quod*, sed vt ratio *sub qua* obiecti.

Reliqua quæ pro hac sententia, & contra illam hîc desiderari possunt; infra tractando de vniuersalibus, & distinctione rationis, plenius ellucidabuntur; ea enim doctrina supposita, confirmatur amplius discrimen inter vtrumquè genus; quia propter hoc hujusmodi entia rationis ratiocinatæ dicuntur, quia ea ex se formata, & ratiocinata inuenit ratio per resultantiam ex sola veritate obiectiua entis realis, absque eo, quod intellectus aliquod negotietur, quo ad illius formationem concurrat, præter hoc quod est verum ens reale

cog-

cognoscere, cætera dicuntur rationis ratiocinantis; quia non ex ipsa veritate obiectiua resultant, sed ex ratiocinatione, aut negotiatione intellectus abvtentis, obiectis, non repræsentando illa prout in re sunt, sed faciendo ut appareant aliter ac sunt.

Rursus entia rationis ratiocinatæ dicuntur doctrinalia, & Logica, quia scientiæ, & modus sciendi, quæ non nisi veritatem, vt finem respiciunt, illis vtuntur, non tanquam instrumentis (vt aliqui aiunt) sed tanquam rationibus obiectiuis, sub quibus necessariò propria obiecta considerant, falsitas autem, & fictio non possunt per se ad veritatis speculationem conducere, nec Logica, quæ modũ sciendi tradit vt proprium obiectum, in modo fingendi, qui omnino oppositus est; vt in fine sistere potest, nam verum non nisi vero semper consonat, ac proinde huiusmodi entia ideo veritati congruunt, quia absque falsitate fiunt.

Neque valet, quod communiter multi dicunt, quod propter imperfectionem nostri intellectus vtimur fictionibus ad veritates cognoscendas; nam vt benè aduertit. S. Thom. *1. contra Gent. cap. 36.* sicut intellectus propter suam immaterialitatem intelligit res immaterialiter, sine eo quod eas vt immateriales intelligat, sed ita vt immaterialitas tantùm se teneat ex parte modi intelligendi, ita propter imperfectionem suam res imperfectè cognoscit taliter, vt eis non tribuat imperfectionem sui modi concipiendi. Et ita Deum respicit modo compositiuo, non tamen cognoscendo illum vt compositum; qui modus explicandi negari non potest esse præstantior, & verior; quia imperfectionem nostri intellectus, cum pura obiecti veritate conciliat.

ARTIC. III.

Vbi subdiuiditur solũ ens rationis ratiocinatæ in negationem, priuationem, & relationem.

SEcundò ens rationis ratiocinatæ, seu doctrinale subdiuiditur in negationẽ, priuationem & relationem: nam solùm hæc tria genera habent fundamentum in rei veritate. Ens autem rationis ratiocinãtis cum pro libito fingi possit ab intellectu; per omnia genera rerum, & non rerum vagari potest, & extendi, vt probat primum argumentum articuli primi, quod tantum conuincit huiusmodi entia ficta non inclu-

di in

di in illa communi diuisione.

Qua propter multi ex iunioribus addunt quartum membrum, vt diuisio illa omnia entia rationis comprehendat. s. fictionem, negationem, priuationem, & relationem; alij verò etiam ens rationis ratiocinantis, seu fictum reducunt ad tria illa genera, scilicet negationem, priuationem, & relationem; sed cum fictio nec modo sciendi, nec scientijs deseruiat, nihil est curandum de illa, & propter hoc solum ens rationis doctrinale diuidit communis sententia.

Vt ergo membra explicemus diuisionis positæ, pro negatione, & priuatione est maximè obseruandum, tribus modis considerari posse. Primò vt sunt priuatio, vel negatio alicuius formæ realis, quo pacto non sunt entia realia, sed simpliciter non entia; quia nihil reale in rebus ponunt, sed potius aliquid reale auferunt, sunt tamen verè à parte rei, & independenter ab intellectu, non positiuè, quia habeat esse in re, sed negatiuè, quatenus illius non esse datur à parte rei ante omnem intellectus fictionem, vt benè probat secundum argumentum positum in primò articulo, & docent ita S. Thom. *quæst.* 1. *de malo artic.* 1. *ad.* 19. & 1. *part. quæst.* 48. *art.* 2. Capreol. *in.* 2. *distint.* 34. *quæst.* 2. *ad.* 1. Ferrara. 3. *contrà Gent. cap.* 19. Soncin. 7. *Metaphy. quæst.* 15. Caiet. 1. *parte quæst.* 48. *artic.* 2. & alij.

S. Thom.
Capreol.
Ferrara.
Soncin.
Caiet.

Secundò possunt considerari negatio, aut priuatio, vt entitas positiua substantialis, vel vt qualitas, aut aliquid huiusmodi, vt si concipiantur tenebræ vt substantia quædam nigra; vel spacium imaginarium, vt quantitas quædam realis, vel cæcitas vt qualitas informans oculos, & sic priuatio, vel negatio non sunt entia rationis ratiocinatæ, sed fictiones ex parte obiecti terminatiui solius ratiocinantis, quia sine vllo fundamento, & veritate finguntur, de illis què benè probat citatum argumentum, vagari posse per omnia prædicamenta.

Tertio modo considerari possunt negatio, vel priuatio, non sic vt tribuatur illis ex parte obiecti entitas aliqua, aut forma positiua, sed ad modum formæ, aut entis positiui concipiendo veras negationes, aut priuationes, ita vt modus entis se teneat ex parte intellectionis; ex parte autem obiecti terminantis vt *quod*, sit omnimoda veritas absque vlla falsitate.

Quod optimè explicat S. Doctor plurimis in locis, scilicet 1 *par. q.* 48. *artic.* 2. & *opusc.* 42. *de natura generis, cap.* 1. & 3. *de ente & essentia, c.* 1. & *alibi sæpè*, Vbi repetit ens dupliciter accipi. Vel pro eo, quod habet esse in rerũ natura. Vel pro eo quod

verè

verè significatur per propositionem; nam copula illius est verbum *est*, quæ significat id quod aliquo modo est à parte rei, nam *ex eo, quod res est, vel non est, propositio est vera vel falsa*. Et hoc secundò modo, inquit, se extendit ens ad entia rationis Logica, & ad negationes, & priuationes. Negatio enim, & priuatio verè dicuntur esse à parte rei, non quia habeant esse aliquod entitatiuum; sed quia eorum non esse est à parte rei, & quia non potest hæc veritas negationum explicari ab intellectu nisi per verbum *est*, ideo dicuntur entia, & habere esse, obiectiuum tamen, & reduplicatiuè, prout subsunt enuntiationi intellectus; nam specificatiuè res, quæ intelligitur, est purum non esse absque fictione vlla.

Sic etiam intellectus verè affirmat aliquas negationes, vel priuationes actu existere à parte rei, vt cæcitas in Petro, alias verò possibiles esse: non vult tamen veram existentiam, aut possibilitatem physicam illis ex parte obiecti terminantis tribuere, sed vtitur illo modo explicandi verum non esse, quod habent à parte rei, tanquam ratione *subqua*; quia aliter eas exprimere non valet. Sic etiam vtitur particula *habere non esse à parte rei*, quæ potius implicationem in terminis ipsis videtur inuoluere, quia non esse non est aliqua forma habita, sed potius non habita; non potest autem intellectus nisi his terminis proprijs enti reali, ac positiuo se explicare; quia cum primarium illius obiectum sit verum ens reale, non potest alia, quæ entia non sunt, nisi sub ratione entis exprimere, ideoquè secundariò, & per accidens dicuntur attingi.

Quod amplius declaratur; nam sicut Metaphysicus definit naturas reales, abstrahendo illas à suis indiuiduis; & distinguendo genus, & differentiam cuiuslibet inter se, ita tamen vt non tribuat illis huiusmodi abstractionem, vel distinctionem, sed sit tantùm ratio subqua veras naturas reales considerat, ita definit huiusmodi negationes, & priuationes, ac si essent naturæ specificæ, compositæ ex genere & differentia, & explicat distinctionem essentialem, quam habet vtrumque genus inter se, & proprietates, quæ conueniunt priuationi, & non negationi, & modos actualitatis, aut potentialitatis; non enuntians de illis esse veras naturas, proprietates, &c. sed ratio naturæ, vel proprietatis est tantum modus, vel ratio *subqua* intellectus veras negationes considerat. Patet ex definitionibus vtriusque: negatio enim dicitur carentia formæ in subiecto non apto ad illam habendam, vt carentia irrationalitatis in homine, & priuatio

tio est carentia formæ realis in subiecto apto nato ad illam habendam, vt cæcitas respectu animalis: in quibus nulla falsitas est, aut fictio ex parte obiecti per se terminantis.

Ex quo patet iam ad obiectiones supra positas contra hanc diuisionem. Dico enim hęc duo genera entium rationis, non solùm pro materiali, sed etiam pro formali dici negationem, & priuationem; quia negatio concipitur ab intellectu, non vt forma positiua, sed vt forma negatiua, & priuatio vt forma priuatiua, & in hoc distinguntur à reliquis hæc duo genera.

Sed dices; quomodo distinguntur inter se, nàm videntur solum materialiter differre; quia quod subiectum priuationis sit aptum natum, & subiectum negationis non aptum, est differētia illis conueniens à parte rei independenter ab omni actu intellectus: ergo formaliter, vt entia rationis sunt, non distinguntur.

Respondeo, imò ex diuersitate fundamenti colligi possę distinctionem horum generum in formalitate rationis; nam vbi est diuersa ratio fundandi, diuersa forma rationis resultat, vt patet inductione in omnibus alijs entibus rationis ratiocinatæ. Et in his etiam declaratur; nam negatio concipitur per modum formæ debitę, non repugnantis rei, nec suum statum naturalē dextruentis, sed potius illi connaturalis. Priuatio verò consideratur vt forma contraria naturali inclinationi subiecti, naturalemquè illius statum impediens, aut dextruens in quantùm priuat illum forma sibi connaturaliter debita; quæ diuersitas oritur, vt constat, ex diuersitate fundamē torum, & exercetur in ipsis rationibus formalibus constitutiuis vtriusque generis.

Ex dictis patet, quod nam sit fundamentum remotum, & proximum ex parte obiecti, & quæ nam sit ratio propter quam ex parte intellectus ad huiusmodi entia rationis formanda. Fundamentum enim remotum est difficultas, quam habent negationes, & priuationes, vt ab intellectu humano cognoscantur, nisi sub ratione formæ positiuæ, & per assensum: quo simul explicatur ratio ex parte intellectus. Fundamentum proximum est ipsum non esse, quatenus cōcipitur vt habens esse negatiuū à parte rei, vel vt forma habita, actuans aliquod subiectum cōnaturaliter, aut violenter, non quia intellectus aliquid horum enuntiet, aut tribuat ipsi non esse, sed quia sub ratione formæ, aut entis positiui illud considerat modo dicto.

Alia hîc addi solent, circa naturam, & distinctionem, quam habent inter se priuationes,

nes, & negationes à parte rei, ſed parùm ad Logicum referunt.

ARTIC. IIII.

Quid & quotuplex ſit relatio rationis.

RElatio rationis eſt ordo, vel reſpectus vnius extremi ad aliud, conceptus ab intellectu, vbi re vera non eſt. V.g. quando conſiderat intellectus vnum extremum alteri vnitum, vel ab alio diſtinctū, cum talia extrema aliter ſe habeant à parte rei. Hæc autem relatio, vel poteſt concipi ſine fundamento in re, quia illam gratis attribuit intellectus rebus conceptis: & ſic eſt ens rationis ratiocinantis, & fictio ex parte obiecti. Vel poteſt eſſe tātùm fictio ex parte ſolius modi concipiendi cum fundamento in re & hæc impropriè fictio dicitur. Quando. s. intellectus conſiderans naturas reales, vt in ſe ſunt à parte rei, intelligit illas ac ſi eſſent formæ relatiuæ in ordine ad aliud, non quia de illis aliquo modo affirmet relatiuas eſſe, ſed quia non poteſt benè explicare earum concomitantiam, vel connexionem eſſentialem, quam habent à parte rei cum alijs rebus, niſi ſub modo relationis, vel tendentiæ vnius ad aliud. Quę tendentia, vel habitudo potius ſe tenet ex parte modi cognoſcendi, quàm ex parte rei cognitæ; nam ex eo quod intellectus non poteſt cognoſcere vnum extremum ſine alio, quaſi tendere dicitur, & ferri ab vna re cognita ad aliam, ſicut contingit in veris relatiuis.

Vnde eſt maximè notanda differentia inter vtramque relationem dictam; quod relatio rationis ratiocinantis eſt per ſe intenta, & directè terminans fictionem intellectus, quia ſine fundamento attribuit illam intellectus rei conceptæ, relatio verò rationis ratiocinatæ eſt quaſi per accidens, & indirectè reſultans ex rebus conceptis; nam ex eo quod intellectus inadæquatè concipiat rem aliquam, quæ eſt à parte rei, & ſecundùm illa prædicata, quæ illi conueniunt in rei veritate, reſultat diſtinctio illa rationis in re inadæquatè concepta, non eſt tamen vera reſultantia, aut emanatio, ſed obiectiua, modo ſupra explicato.

Hinc infero non bene Suarium 2. *tom. Metaphyſ. diſt.* 47. *ſect.* 3. *num.* 6. diſtinguere relatiua ſecundùm dici à relatiuis omnibus rationis: ait enim relatiua ſecundum eſſe, alia eſſe realia, & alia rationis, & relatiua ſecundùm dici illa appellari, quæ cum nullum reſpectum ad aliud dicant, nec realem, nec rationis, con-

concipiuntur, & explicantur necessariò cum comitantia, & cōnexione ad alia extrinseca, ac si dicerent habitudinem ad illa, cum tamen vtrumque extremum sit verè absolutum, & cognitum vt tale.

Supponit enim hic author aliàs doctissimus, cum alijs multis, omnia entia rationis etiam ratiocinatæ esse obiecta directè repræsentata, & ficta ab intellectu, non sine aliqua falsitate; & ita consequenter loquitur; quod quando extrema verè cognoscuntur secundùm suas entitates absolutas, nulla in eis considerata relatione, tunc solùm quantùm ad modum explicandi, aut intelligendi relatiua dicuntur, nō quantùm ad modum essendi.

Ego verò iam explicui omnem fictionem ex parte obiecti terminantis directè esse contra veritatem, reduciquè ad entia rationis ratiocinantis, entiaquè rationis ratiocinatæ fundari in ipsamet obiecti veritate cognita (vt sæpè repetit Angelicus Doctor) consistereque solum in modo concipiendi, & in ratione subqua verum obiectum reale intelligitur; ideoquè negationes, & priuationes catenus dici entia rationis ratiocinatæ, quatenus verum nō esse earum non potest concipi, & explicari, nisi ad modum rei habentis esse à parte rei, vel formæ habitæ actu, vel aptitudine, quamuis nihil horum illis tribuat intellectus, & propter hoc dici possint entia, & formæ secundùm dici. Eàdemque ratione tunc formatur relatio rationis ratiocinatæ, quando intellectus res vt absolutas considerans, non potest earum concomitantiam, aut connexionem, quam inter se habent à parte rei, explicare, nec concipere, nisi cōferendo vnam cum altera, vel considerando vnam simul cum alia, ac si esset correlatiua illius, vt docet Sāct. Thom. *1.part. quæst. 28.artic.1. in corp. & ad 1.* vbi ait relationē rationis esse illam, quā intellect⁹ adinuenit inter duas res intellectas. V. g. ex hoc quod animalitatem diuersis intelligit conceptibus, inuenit in ea iam ratiocinatas, hoc est, absque vlla noua ratiocinatione, rationes obiectiuas distinctas, ac si esset in ea relatio distinctionis, & sic de alijs.

Triplex genus declaratur relationis rationis ratiocinatæ.

Triplex autem est genus relationis rationis ratiocinatæ, iuxta triplex fundamentum remotum, & proximum, quod intellectus inuenire potest à parte rei. Primum fundamentum est similitudo realis, quam intellectus animaduertit in rebus, aliàs om-

omnino diuersis, ex quo mouetur ad concipiendum inadæquatè naturam, in qua plura indiuidua conueniunt, non consideratis eius differentijs, vt supra dixi, & sic formatur primum genus relationis, quod dici potest vnitas rationis.

Secundùm fundamētum est est continētia virtualis plurium effectuum, quam cernit intellectus in eâ lem re simplicissima, & cum non possit adæquatè illam comprehendere vnico actu explicito, vtitur pluribus inadæquatis, & efficit secundum genus relationis, quod distinctio dicitur.

Tertiùm fundamentum est connexio aliqua essentialis, quæ in re inueniri solet inter duo extrema absoluta, ratione cuius vnum concipi, aut explicari nequit sine alio, & idcirco mouetur ex illa intellectus ad tertiū genus; quod dici potest relatio habitudinis essentialis. V.g. quia non potest Theologus cōsiderare plures perfectiones in Deo. s. potentiam, sapientiam, prædestinationem, iustitiā, &c. sine creaturis, quæ essentialiter pendent à Deo, & sunt obiecta harum perfectionum, concipit in Deo varios respectus ad creaturas, vel vt melius dicam, sub varijs respectibus ad creaturas explicat perfectiones absolutas, quæ sunt in Deo. Similiter obiectum terminans actus intellectus, vel voluntatis, aut cuiusuis alterius potentiæ, concipitur ab intellectu per modum correlatiui, vt explicet rationem terminandi, quæ sine actu intelligi nequit. Item terminus cuiuscumque relationis non mutuæ, &c.

De hoc ergo tertiò genere relationis satis disseritur in Theologia, & in alijs scientijs. De primò autem, & secundò erit nunc disputandum in quæstionibus sequentibus; quia constituunt formaliter modum sciendi obiectiuum, qui per se consideratur à Logica, & de quo est sermo in præsenti sectione.

QVAESTIO. IIII.

Quid, & quotuplex sit distinctio rationis ratiocinatæ?

QVoniam vnitas rationis ex præsupposita distinctione intellectus causatur (vt infra videbimus) ideò prius erit sermo de distinctione rationis, quam de vnitate, simulquè natura aperienda est distinctionis realis, vt discernere illam possimus à distinctione rationis, & vt etiam innotescat distinctio, quæ inter partes Q defini-

definitionis, & enunciationis obiectiuæ intercedit, nimirùm inter genus & differentiam, & inter prædicabilia, & subijcibilia; ex quo patet quam necessaria sit Logicæ instituto materia præsentis quæstionis. Mirorquè valde cur non ex professo tractetur ab omnibus inter præcipuas Logicæ difficultates, cum sit ratio ita constituens obiectum modi sciendi, sicut vniuersalitas, & prædicabilitas.

ARTIC. I.

Quid sit distinctio rationis ratiocinatæ, & in quo differat à distinctione rationis ratiocinantis?

Distinctio alia est realis, & alia rationis. Distinctio realis non est aliud, quam negatio idemtitatis inter duo extrema realia, vel vnum non esse aliud à parte rei. Vnde est maximè obseruanda differentia inter huiusmodi distinctionem, & inter diuisionem, vel separationem; quod distinctio solùm idemtitatem realem excludit, potest tamen esse inter res realiter vnitas. V. g. inter materiam, & formam, inter quantitatem, & substantiam corpoream, &c. diuisio autem, vel separatio, non solum idemtitatem, sed etiam realem coniunctionem extremorum negat, qualis est ea, quæ inter duo supposita diuersa intercedit, vel inter partes discontinuatas alicuius quantitatis.

Rursus notanda est disparitas inter hæc nomina, *diuisio, separatio, diuersitas, & differentia*; quod duo priora supponunt extrema fuisse vnita, vel saltem vnibilia esse, quia significant quasi priuationem, vel amissionem vnionis. Posteriora verò significant negationem vnionis realis, etiam in extremis, quibus repugnat talis vnio vt inter duo supposita, inter duas species, &c.

Distinctio rationis est illa, quæ formaliter, & actualiter non est in rebus, sic tamen distinctæ denominantur, nō prout in se existunt, sed prout substant conceptibus nostris aliter ac sunt à parte rei. Duplex est autem distinctio hæc, alia rationis ratiocinantis, & alia rationis ratiocinatæ.

Prior explicatur ab aliquibus; consistere in repetitione eiusdē conceptus, vel in comparatione eiusdem respectu sui ipsius, cū s. distinguitur Petrus à se ipso: vel in ratione subiecti, & prædicati, quandò idē de se ipso enūtiatur; vel in ratione termini, & subiecti relatio- *Suar. to.1 met. d.7. sect.1.*

relationis, quãdo idem ad se refertur. Vnde sumpsit occasionem Vazquez, negandi hanc primã diuisionem, dicens: hoc primũ membrum illius impropriè distinctionis vsurpare nomẽ, sed ad summũ esse repetitionẽ quãdam eiusdem conceptus: vt cõstat in exemplo, quod cõmuniter adducitur. *Petrus est Petrus*, vbi idem obiectũ, quod est *Petrus*, eodem modo repręsentatur duplici illo cõceptu: ac proinde ex parte obiecti nulla ibi apparet distinctio, quæ sit ens rationis, præter distinctionem conceptuum formalium, quę realis est.

Vazq. 1. p. d. 117. c. 3 & 7. sup. artic. 2. quæst. 28.

Sed hi authores non fuerunt assecuti huius distinctionis naturam; distinctio enim rationis ratiocinantis, si in tota sua latitudine sumatur, est illa, quæ ab intellectu fingitur sine fundamento in re, modo iam superiùs explicato. Vnde sicut potest huiusmodi distinctio absque fundamento intelligi in extremis, quæ nec realiter, nec ratione differant, potest ita excogitari ab intellectu inter extrema aliàs ratione ratiocinata distincta. V. g. distinctio realis, quam constituit hæreticus inter attributa diuina; vel distinctio modalis, quam Durandus inter naturam diuinam posuit, & relationes personales: vel distinctio ex natura rei, quam Scotus affirmat, (quæ etiam fictitia est, vt dicemus postea) ergo cum hæ omnes sine fundamẽto in re gratis ab intellectu excogitentur, sine dubio pertinebunt ad distinctionem rationis ratiocinantis. Valde ergo diminutè Suarez, & alij solam primã distinctionem, cuius extrema sunt omnino indistincta, agnoscunt, vt rationis ratiocinantis.

Rursus immeritò hanc impugnat Vazquez, quia licet obiectũ remotũ materiale sit omnino idem in prædicta enuntiatione *Petrus est Petrus*: tamen quatenus inducit rationẽ subiecti, & prædicati, est plures secundùm rationem; quia habet rationes obiectiuas diuersas, & fundat proximè distinctionẽ rationis ratiocinãtis, nullo modo supponentis huiusmodi extrema ex se ratiocinata à parte rei. Benè verum est, quod siquis taliter enuntiet hanc propositionẽ. *Petrus est Petrus*. Vt non concipiat in illo rationem subiecti, & prædicati, sed ignoret potius has rationes, quod nullã efficiet distinctionẽ rationis, sed solùm eiusdem conceptus repetitionẽ, quod non negamus, sed alius est modus enuntiandi illam propositionem *Petrus est Petrus*, considerando. s. illum vt formam, & prædicatum respectu sui ipsius, & vt subiectum, &c.

Ex quo patet iam quid sit distinctio rationis ratiocinatæ; est enim illa, quæ ab intellectu excogitatur cum fundamento

in rei veritate; nimirùm quando res aliqua simplex, & virtualiter plures à parte rei, pluribus inadæquatis consideratur conceptibus, vt iam declaraui supra. Hoc autem distinctionis genere solùm possumus inadæquatè concipere rem secundùm ea, quæ illi realiter à parte rei conueniunt, non tamen tribuere illi imperfectioné nostri modi concipiendi, nec fingere aliquid, quod re vera non sit in ea; aliàs falsò, & sine fundamento tribueretur illi, in quo differt à distinctione solius rationis ratiocinantis, qua intellectus fingit, & attribuit extremis aliquid, quod illis nō conuenit in rerū natura.

Deniquè est maximè notandum, quod vtraquè distinctio rationis, tam ratiocinātis, quam ratiocinatæ, alia est intrinseca extremis, vt proprietas inseparabilis, qualis est distinctio, quę versatur inter duo entia rationis, & hæc non constituit aliquam peculiarem speciem entis, sed est proprietas transcendentalis cuiuslibet. Alia est omninò extrinseca, quæ solùm conuenit extremis, ex eo quod concipiantur vt distincta ab intellectu, cum re vera non sint, & hæc distinctio est de qua loquimur in præsenti, & quæ peculiare genus constituit entis rationis; sicut in materia de bonitate & malitia, duplex bonitas, & malitia moralis distingui solet. Vna quæ est proprietas trāscendentalis supponens actū humanum constitutum in genere moris. Et altera, quæ est ratio specifica essentialiter constitués, & distinguens illum, & hæc non est passio, sed genus speciale entis constituens.

ARTIC. II.

An distinctio rationis ratiocinatæ supponat extrema aliquo modo ex natura rei distincta tāquam fundamentum?

Vt autem distinctionis rationis ratiocinatæ naturam radicitùs penetrem, fundamentum inuestigare oportet, quod in re supponit, de quo, licet obiter aliqua dixerim, quæ præsenti desiderio satisfacere videbantur; habemus nihilominus aduersarios multos aliter philosophantes, quorum argumenta quasi nubes, & nebula cōmuné doctrinā obscurare cōtendunt, eamquè ab illis purgare, vt lucidior appareat, necessum est. Primò namq; discipuli Scoti, profitentes se in hoc sequi præceptorem suum (& fortassè tam à Magistro, quam à veritate deuiant) asserunt distinctionem rationis ratiocinatæ extre-

extrema ſupponere diſtincta ante omnem operationem intellectus, non realiter, ſed tantùm ex natura rei, ſeu formaliter, quam diſtinctionem formalem dicit mediam eſſe inter realem & rationis, fundamentumquè eſſe, quod in re ſupponere dicitur huiuſmodi rationis diſtinctio, quæ ideo ratiocinata vocatur, quia extrema iam ratiocinata in re ſupponit. Hoc eſt, vt obiecta in ſe, & independenter à ratiocinatione diſtincta; quapropter ſecundùm ipſos potius cognitio rerum diſtinctarum, quam rationis diſtinctio nuncupari debet.

Sed quidquid ſit de mente Scoti (quem excuſant aliqui iuniores, inter quos Suarez, *lib.* 4. *de Trinitat. cap.* 4. *num.* 2. *&* 5. vbi ait Scotum ſolo nomine differre à communi ſententia, & Petrus Hurtado *diſp.* 6. *Metaphyſ. ſect.* 4. *num.* 26. *& ſequentibus.*) Fundamentum huius ſententiæ eſt primò, quia implicat diſtinctio formalis conceptuũ, ſine diſtinctione formali, & actuali obiectorũ, ſed hi conceptus *animal*, *& rationale*. V.g. formaliter ſunt diuerſi: ergo ſupponunt obiecta formaliter diſtincta; non realiter, vt certum eſt apud omnes: ergo ex natura rei diſtinctione media. Maior probatur; quia conceptus vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam ſummunt ab obiectis: ergo conceptus formaliter diuerſi, obiecta ſimiliter in re diſtincta ſupponere debent.

Suarez. *Pet. Hur.*

Secundò, quia de eâdem omnino re non poſſunt verificari prædicata contradictoria ante operationem intellectus, ſed de rationali eſt verum dicere ante operationem intellectus, quod ſit eſſentia ſpecifica hominis, illumque eſſentialiter conſtituat in ratione hominis, & de animali, quod non ſit eſſentia ſpecifica hominis; quia ratio animalis reperitur in Bruto, in quo eſſentia hominis nullatenus inueniri poteſt: ergo animal, & rationale ſunt prædicata ex natura rei diſtincta.

Tertiò ea diſtinguuntur ex natura rei, quæ habent diſtinctas definitiones eſſentiales, vel diſtinctas eſſentias, per quas conſtituuntur eſſentialiter, & diſtinguuntur, ſed animal, & rationale: iuſtitia Dei, & eius miſericordia, ſic ſe habent: ergo diſtingũtur ex natura rei diſtinctione illa media, nam de reali certùm eſt non diſtingui, vt conſtabit infra. Maior probatur, quia nihil conuenit alicui magis naturaliter, & independenter ab intellectus fictione, quam id quod eſſentialiter illi conuenit: ergo conſtitui, & diſtingui eſſentialiter ſolum ex natura rei poteſt conuenire ijs, quæ diſtinctas habent definitiones eſſentiales. Minor etiam patet; quia animal

 defini-

definitur, est principium sentiendi: & rationale est radix, seu principium ratiocinandi, &c. ergo distinctas definitiones habent.

Confirmatur, quia inter extrema realia, & essentialia solùm distinctio realis, & essentialis potest esse: quia distinctio solùm ab extremis entitatem & denominationem sumit; sed animal & rationale sunt extrema realia: ergo realiter distincta ante intellectum.

Reijcitur omnis distinctio media inter realem, & rationis.

Nihilominus sententia hæc à multis viris doctissimis improbabilis censetur. In primis enim est contra Aristot. Sanct. Thomam, & ferè omnes vtriusque expositores: præsertim videatur Reuerendissimus noster Magister Zumel. *1. part. q.*28. *artic.*2.*disp.*2. Caieta. *ibid. q.*54. *artic.* 4. in qua optimè illam reijcit.

Zumel.
Caiet.

Primò contra illam sic argumentor; quia omnis entitas, vel est realis, vel rationis: ergo omnis pluralitas, vel distinctio realis, vel rationis esse debet: ergo nulla alia assignabilis est, quę sit media inter vtramque istam. Antecedens colligitur ex Arist. *6. Metaphys. text.* 14. fatenturque illud omnes. Et re vera à nemine potest negari; quia cum hæc duo genera entium immediatam includant contradictionem, vt patet ex definitionibus vtriusque, non potest inter ea medium excogitari. Consequentia etiam probatur; quia vnitas, & distinctio, si sint veræ, & non fictæ ab intellectu, sunt proprietates entis: ergo illa vnitas, & distinctio realis erit, quæ fuerit proprietas entis realis, ac proinde sicut à parte rei omnis entitas est realis, ita omnis distinctio, & vnitas.

Confirmatur; quia distinctio verè realis non aliter definitur, nisi quod sit ea, quæ existit à parte rei; nam hæc est deffinitio entis realis, sed hæc distinctio formalis datur à parte rei independenter ab omni opere intellectus: ergo est distinctio realis. Distinctio item à parte rei, & distinctio ex natura rei, & distinctio realis termini sunt sinonomi; nam sicut ens reale dicitur, quod est à parte rei, vel habet esse in re, ita & distinctio realis. Distinctio autem ex natura rei, si aliquo modo differt à reali, arguit maiorem distinctionem; quia non solùm existit à parte rei, sed oritur ex ipsa essentiæ formalitate, & visceribus rei.

Quod amplius secundò declaratur; quia quando dicitur duas formalitates, animal. v.g. & rationale ex natura rei distingui,

guï, & vnam non eſſentialem. Argumentor ſic. Iſtæ duæ formalitates reduplicatiuè, & intrinſecè vt tales ſunt, & inter ſe diſtinctæ, vel ſunt verè entia realia, vel non. Hoc ſecundum dici non poteſt, cum habeant verum eſſe à parte rei, quæ eſt definitio entis realis. Si verò primum dicatur. Sequitur manifeſtè, quod vnitas & diſtinctio cuiuslibet realis ſit, cum ſint proprietates entis realis.

Huic argumento reſponderi ſolet, diſtinguendo duplicem realitatem. Alteram formalem; materialem alteram, & de priori cõcedunt diuerſam eſſe in vtràque formalitate, poſteriorem autem dicunt realiter identificari cum vtràque.

Sed contra eſt primò: quia iam habetur intentum, quod. s. ſit verè, & propriè realis diſtinctio, licet non materialis. Secundò, cum vera eſſentia entis realis rigoroſi in his formalitatibus conſiſtat, (vt patet ex definitione cuiuslibet entis realis in particulari) vnitas & diſtinctio harum formalitatum, ſi illis conuenit ex natura rei, ita realis, & rigoroſa erit, ſicut realitas cuiuslibet alterius entitatis materialis, quod falſum omninò eſt, vt infra patebit.

Confirmatur; quia forma conſtitutiua entis realis in ſuo eſſe, magis principaliter, & rigoroſè realis eſt, quam res per ipſam conſtituta: ergo ſimiliter vnitas & diſtinctio harum formarum; ſolumquè erit differentia inter diſtinctionem hanc formalem, & quamlibet aliam, quam realem ſtrictè dicunt aduerſarij, quòd extrema vnius ſunt entitates formales, & extrema alterius ſunt quaſi materiales, ſicut differentia quæ eſt inter diſtinctionem realẽ duarũ formalitatũ, & inter diſtinctionem duarũ materiarum, quæ potius ſe tenet ex parte extremorũ in quibus fundatur talis diſtinctio, quam ex parte ipſiuſmet diſtinctionis.

Rurſus ſi quælibet iſtarum formalitatum ad realitatem materialem comparetur, neceſſariò fatẽdum eſt, ab illa ex natura rei diſcerni, vt probãt ipſa argumẽta aduerſariæ partis: ergo realiter rigoroſè, quia ſaltem vnum extremorum entitas materialis eſt. Ex quo vlterius ſequitur, quod non ſit identificata realiter talis realitas materialis cum ſuis formalitatibus, quia implicat quod talis realitas ſit eadem ſimul, & diuerſa à formalitatibus ex natura rei.

Item omnino gratis diſtinguitur duplex realitas materialis, & formalis; nam ſi formalitas ex ſe realis eſt, imò & forma conſtitutiua entis realis, ad quid indiget alia realitate?

Si dicas, quod formalitas eſt conſtituens ens reale, & realitas

realitas materialis est constituta, ideoquè oportet distinguere realitatem constituentem, & constitutam; quia nihil est constitutiuum sui ipsius. Contra est primò: quia ratio constituēs, & constituta non semper postulant distinctionem realem, vt declarabimus postea; quia non omnis constitutio realis est. Prçterea quando modus constituēdi est ante operationem intellectus, admittimus veram distinctionem realem materiæ, & formæ: & naturæ, & suppositi; nam materia & suppositū sunt verè habentes, & res constitutæ: ergo sine fundamento alia realitas materialis præter istas multiplicatur.

Denique, quis non videat absurdam esse in diuinis hanc loquendi formulam? Et contra Patres & concilia ponere in diuina substantia, & eius attributis distinctionem verè realem, etsi formalis appelletur, vel ex natura rei? Quod amplius sic vrgeo; quia si misericordia Dei. V.g. ex natura sua non est sapientia Dei, neque erit ex natura sua essentia Dei: ac proinde ex natura sua non erit Deus: quia cum Deus non nisi Deitate sit Deus, quod non est Deitas ex natura sua, nec Deus. Sed hoc est aperte contra Concilium Rhemense, definiens contra Gilbertum Porretanum, has propositiones esse veras: *Deus est Sapientia, Deus est Misericordia, &c.* quæ verificari nequeunt, si vnum ex natura rei non est aliud.

Neque satis est dicere, quod sunt eadem realitas quasi naturalis; quia sicut cum tali realitate compatitur, quod formalitas vnius attributi ex natura rei nō sit alia, ita etiam quod dicat negationem alterius, ac proinde quod absolutè negetur de alia. Sequitur præterea in Deo compositio Metaphysica realis ex actu & potentia, ac proinde quod non sit purissimus actus; siquidem illa realitas Diuinæ substantiæ est perfectibilis quasi materia per actualitates, & formalitates attributorum, quæ alibi latiùs prosequor. *1. part. materia de Simplicitate Dei, & de Trinitate.*

Respondetur argumentis opposita sententiæ.

Restat argumenta diluere, familiæ Scoti. Primò in generali respondeo, omnia retorqueri posse contra suos authores; quia si aliquid probant, conuincunt vtiquè distinctionem realem, & non mediam aliquam. Secundò, ad quodlibet sigillatim respondeo. Ad primum distinguenda est maior. Implicat distinctio formalis conceptuū sine distinctione obiectorum præsuposita in ipsis à parte rei, antequam obij-

obijciantur ſuis actibus, & ſic negatiuè implicat diſtinctio conceptuũ ſine diſtinctione actuali obiectorum, quæ illis conueniat, quando actualiter repræſentantur per ſuos conceptus, & ſic conceditur maior, & negetur conſequentia; quia talis diſtinctio formalis eſt tantùm obiectiuè exiſtens in ratione, & nulibi ſuppoſita à parte rei, ſed cauſata per illos actus formaliter diuerſos.

Quando autem rurſus obijcitur, quod actus illi formales ſumunt ſpecificam diſtinctioně ab obiectis. Diſtinguendum eſt. Sumunt illam ab obiectis tanquam à terminis, concedo, tanquam à cauſis, nego. Et ſic non valet conſequentia; quòd talia obiecta diuerſa ſupponi debeant ante ſuos actus: ſolùm enim ſupponi debet id, quòd ſpecificat tanquam cauſa; nam actio, & relatio ſpecificantur à ſuis terminis, & fictio entis rationis à ſuo abiecto, & non ſupponunt tales rationes terminatiuas, vt patet.

Non nego cauſalitatem quã obiecta in ſuos actus exercent, & quod obiectum ſupponi debeat ad actum in quantùm eſt illius cauſa, cæterùm ſicut vna, & eadem cauſa poteſt virtualiter continere plures effectus, ita & vnum obiectum ſecũdùm rem influere in diuerſos actus, ſępè etiam diuerſitas actuum ſtat ſolùm in diuerſo modo tendendi in idem formale obiectum, vt in ſequentibus amplius declarabitur, & ideo diuerſitas terminandi obiectorum ſatis eſt ad diuerſitatem dictã.

Ad ſecundùm reſpondetur, benè poſſe de eàdem re ſub diuerſis rationibus formalibus cõſiderata verificari duo prædicata contradictoria, præſertim quando talia prædicata conueniunt rei quatenus taliter, vel taliter conſideratæ. Pro cuius intelligentia eſt maxime aduertendum, quod nos ſicuti concipimus, ita loquimur, & attribuimus prædicata rebus, non vt ſunt à parte rei, ſed prout concipiuntur ab intellectu, & ſic indefinitione hominis vox *animal* ſignificat realitatem hominis prout inadæquatè conceptam, quatenus eſt principium ſentiendi præciſè, & ſic concepta appellatur eſſentia generica: & *rationale* ſignificat eandem realitatem conſideratam præciſè vt principium ratiocinandi, & ſic dicitur eſſentia ſpecifica, vnde conſtat, quòd ſicut huiuſmodi prædicata non verificantur de re niſi prout concepta, ita verificari poſſe contradictoria huiuſmodi de re diuerſimode concepta.

Ad tertium reſpondetur negando maiorem; quia definitio formalis eſt actus intellectus inadæquatè cõcipiens naturam gene-

genericam sine specifica, vel specificam sine indiuidualibus; atque adeo sicut eadem realitas potest concipi diuersis actibus inadæquatis, ita & diuersas habere definitiones essentiales inadæquatas, quibus quasi per partes essentia exprimatur.

Ad probationem autem cōtra hoc concedo, nihil magis naturale, & reale esse alicui rei, quam quod essentialiter illi conuenit, & ideo modus constitutionis, & distinctionis inter gradus Metaphysicos essentialis non est ipsis rebus, in quibus cōsideratur. Quod vt intelligatur, aduerto primò, quod quandò communiter dicitur homo. V.g. constitui essentialiter in ratione specifica hominis per rationale, & non per animal: est tantùm sermo de constitutiuo *quod*, vel de re, quæ constituit, quæ verè realis est, & essentialis ipsi homini à parte rei; non est tamen sermo de constitutiuo *quo*, id est de ratione, & modo formæ cōstituentis, sub quo consideratur talis res ab intellectu, & præscinditur ab animali; quia tantùm tenet se ex parte modi cognoscendi, & non tribuitur ab intellectu rei conceptæ; nam vt dixi, licet verus intellectus imperfectè consideret res, non tribuit illis imperfectionem sui modi concipiendi.

Rursus secundò aduerto, quod hoc nomen *essentia* significat rem, non prout est à parte rei, sed prout concepta in ab intellectu, & consequenter distinctio essentialis conuenit sæpè rebus, non vt sunt à parte rei præcisè, sed prout dicunt ordinem ad conceptus nostros: ideoque tam essentia, quàm distinctio illius diuiditur ab omnibus in genericam, & specificam, quia sicut ratio generis, & speciei dicit ordinem ad rationem, & conuenit rebus vt conceptis, ita ratio essentiæ, quæ diuiditur in hæc duo membra.

Ex quo colligitur, quod animal, & rationale, & vniuersaliter omnes gradus Metaphysici, si considerentur solùm secundùm esse, quod habent à parte rei, nō distinguuntur essentialiter, neque distingui conuenit illis nisi tantùm accidentaliter, & ab extrinseco. Si verò considerentur quatenus taliter concepti & præcisi ab intellectu, sic conuenit illis distinctio essentialis inadæquata s. animali, quod sit essentia generica; & rationali quod sit essentia specifica. Nam habere hoc modo distinctas definitiones essentiales solùm conuenit illis, quatenus inter se præcisè considerantur vt partes inadæquatæ eiusdem essentiæ; at quādo sunt duæ essentiæ totales, vel duæ partes differentiales constituentes, & diuersificantes duas species, talis distinctio ferè semper realis est, & essentialis ipsis mem-

mēbris realibus, vt sunt à parte rei, & solùm distinctio harum specierum à proprietatibus, vel differentijs indiuidualibus, rationis est.

Ex quo vlterius colligi potest, huiusmodi distinctionem formalem, seu essentialem, quãdoquè realem esse, quandoquè verò solius rationis ratiocinatæ cum fundamento in re. Quod fundamentum, vt iam sæpè dixi, consistit in hoc, quod essentia aliqua, vel realitas indiuisibilis contineat eminentialiter, quidquid perfectionis continent plures aliæ essentiæ inter se realiter diuersæ.

Constat denique solutio ad confirmationem. Concedo enim quod extrema, si sint realia formaliter, vt extrema sunt, fundent eo ipso distinctionem realem ipsis proportionatam, cæterùm animal, & rationale non sunt extrema formaliter realia, sed tantùm pro materiali sunt quædam entia realia, quę prout substant conceptibus nostris, induunt rationem extremorum distinctionis rationis. Alia quæ hîc addi, aut desiderari poterant, commodiùs adducentur postea.



ARTIC. III.

Vtrum distinctio rationis ratiocinatæ solū se teneat ex parte actuū, an verò in multiplicitate obiectiua eiusdem rei consistat?

IMpugnatis Scoti discipulis, cum nominalibus non minùs molesto prælio cōtendere necessum est. Hi enim in extremo opposito docent in obiectis nullam esse distinctionem, nec realem, nec rationis, sed tantùm in conceptibus, quibus diuersimode intellectus circa rem eandem versatur; ideoq; distinctionem rationis appellari; quia subiectiuè, & non obiectiuè in ratione existit, quatenus in pluribus actibus intellectus rem eandem continentibus in esse repræsentatiuo, consistit.

Ita docent Gabriel *in 1. dist. 2. quæst. vnica artic. 3. ad argumentum Scoti, & quæst. 11. art. 1. & 2. conclus. 2.* OKam *in 1. dist. 2. quæst. 3. 5. & 4.* Greg. Arimin. *in 1. dist. 8. quæst. 2. artic. 1. & 2.* Maior & cæteri Nominales, quos refert, & sequitur Petrus Hurtado *disp. 5. & 6. Metaphys. sect. 4.* qui hanc sententiam iam ab scholis exulem nouissimè suscitauit, ingeniosisquè muniuit rationi-

Gabriel. OKam. Grego. Pet. Hur.

rationibus. Primò enim asserit *disp. 5. §. 102.* intellectum non posse partiri obiectum in duas formalitates, seu rationes obiectiuas, sed idem indiuisibiliter cognoscere per diuersos actus; per illos illud referendo ad diuersos effectus, vel connotata extrinseca; & in hac conceptuum formalium multiplicitate distinctionẽ rationis consistere.

Secundò dicit *disputat. 6. sect. 4.* fundamentum huius distinctionis communiter esse diuersa connotata, quæ respicit obiectum : distinctio rationis. V. g. in causa est considerare illam in ordine ad diuersos effectus, vel accidentia propria, vel communia, & fundamentum ad distinguendos diuersos conceptus in effectu, sunt diuersæ causæ, à quibus diuersimodè oritur. Ita attributum sapientiæ, & omnipotentiæ in Deo, quantùm ad id, quod in recto, & intrinsecè dicunt, eadem omnino formalitas sunt. Virtus diuersimodè repræsentata penès ordinem ad operationes realiter distinctas. Quando etiam concipitur homo. V. g. sub ratione animalis intelligitur tota formalitas hominis in ordine ad sensationes, & quando concipitur vt rationale, cognoscitur eadem omnino formalitas vt relata ad discursum. Item quando apprehenditur homo in communi, & Petrus in particulari, non respondent illi ex parte obiecti diuersæ rationes, aut formalitates, sed idem obiectum cognitum per ordinem ad accidentia communia, vel propria.

Vnde tertiò concludit, huiusmodi extrinseca connotata nullam distinctionem in obiecto ponere, sed tantùm esse in causa, quod ipsum omnino idem manens etiam obiectiuè, diuersis concipiatur actibus, magis, aut minus explicitis, quæ distintio solùm in ipsis actibus est, ac proinde vera & realis.

Quartò asserit rationis nomine intelligi conceptum formalem, quem formamus de obiecto, & sic esse, vel non esse de ratione alterius, perinde esse, ac esse de conceptione. Et ratione differre, esse conceptione differre, qua explicatione non tantùm conciliat sibi S. Thomam, & communem sententiam expressè asserentem distingui ratione gradus Metaphysicos, & Diuina attributa; sed eorum verba præcipuè in sui patrocinium adducit.

Probat ergo primò ex Sanct. Thoma opusc. 9. quæst. 1. vbi inquit. *Vnde ratio vniuscuiusquè significata per nomen est conceptio intellectus, estq; in intellectu sicut in subiecto, in re autem intellecta sicut in repræsentato*, vbi apertè loquitur de ratione subiectiuè existente in intellectu, vel de conceptu formali. Et

infra

infra ait: *Attributa diuina differre ratione propter diuersas conceptiones intellectus nostri.* Et inferiùs ait: *Calumniosè contra hoc obijcitur, quod ipsa differentia sapientiæ, & bonitatis in Deo sit, & non solùm in intellectu creato, non enim hæc intellexit scribens, sed quod in Deo,* hoc est, *cum de Deo dicuntur differunt ratione*, id est, *secundùm diuersas conceptiones intellectus nostri.*

Petr. Tarantas. In quo opusc. Petrum de Tarantasia, postea Pontificem Maximum Innocentium 5. nuncupatum defendere nititur à nõnullis calumnijs, quarum prima fuit, ipsam distinctionem rationis diuinorum attributorum in Deo posuisse. Eumquè explicat *S. Thom.* S. Thom. verbis nuper relatis dicens; *distinctionem rationis existere in intellectu subiectiuè, & in obiecto solùm in esse repræsentato.*

Item quæstio 2. defendit aliam Tarātasij propositionem, qua dixerat, fundamentum distinctionis attributorum non solùm esse in intellectu nostro, sed in Deo. Ait autem S. Thom. *Opportet autem quod aliter, & aliter fundetur super vtrumque, nam rationes, quibus attributa differunt, fundantur in intellectu nostro, quia sunt in eo sicut in subiecto, &c.* Vnde totam pluralitatis rationem in intellectu constituit. Similia verba habet quæst. 3. in quibus semper excusat Tarantasium, remouẽs omnem distinctionem ab ipso Deo, eamquè constituens in solo intellectu: neque loquebatur ille de distinctione reali, sed obiectiua tantùm, explicatquè S. Doctor eam esse subiectiuè in solo intellectu. Adducit rursùs pro hac sententia Herueum *quodlibet. 3. q. 3.* & Caiet. *3. part. q. 3. art. 3. §. nota hic.* *Herue. Caieta.*

Ratione item probatur nominalium sententia.

Prima ratio pro hac sententia est, quod distinctio rationis est formaliter in intellectu, & non in obiecto, nam hæc distinctio est penès diuersos cõceptus, qui tantùm subiectiuè in intellectu sunt, & non in obiecto: ergo esse ratione distinctum non ponit in obiecto aliquid, nec reale, nec rationis præter diuersos actus, quibus extrinsecè taliter cognoscitur, & denominatur, quæ extrinsecę denominationes reales, sunt vt supponimus.

Quod si dicas, ex actibus illis resultare in obiecto diuersas rationes, seu formalitates obiectiuas illis correspondentes. Cõtra: quia si obiectum specificatiuè sumatur pro eo quod in genere rei terminat cognitionem, & ab ea distinguitur, est omninò indiuisum, & incapax vt diuidatur in plures formalitates etiã de-

de potentia absoluta, vt præcedenti quæstione monstraui; multò ergo minùs ab intellectu nostro, qui nihil potest in obiecto efficere, sed tantùm extra illud; actus. s. quibus diuersimodè ac realiter illud in semetipso repræsentat. Si verò reduplicatiuè consideretur in ratione obiecti, super entitatē absolutam suam tantùm addit cognitionem formalem extrinsecè, ac realiter illud denominantem; nam obiici formaliter tātùm est cognosci: vel respici à cognitione, sed distinctio rationis nō est in entitate absoluta obiecti prout in genere rei, vt visum est: ergo solū est in conceptibus formalibus, quibus diuersimodè repræsentatur: ac proinde præter distinctionē realem plurium actuum intellectus, nulla est distinctio obiectiua ex parte rei cognitæ, ratione cuius dicatur aliquo modo distincta.

Confirmatur, quia sicut esse cognitum formaliter non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte intellectus, & esse visum non est formaliter in colore, sed in oculis; ita esse ratione distinctū non est formaliter in re, sed in intellectu, vbi est actus distinguens, vel diuersimodè repræsentans.

Secunda ratio est: quia quando cognoscitur animalitas vt distincta formalitas à rationalitate, vel ideo cognoscitur, quia in se distincta est, & hoc est inuidere in sententiam Scoticam, quia scilicet ex natura rei, & independenter à cognitione eis talis distinctio conueniat, vel è contrario, ideo distincta formalitas dicitur, quia distincto actu cognoscitur, & per cognitionem distincta fit, & hoc potest adhuc dupliciter cōtingere, vel per mēdacium, aut fictionem tribuendo obiectis ipsis, quod eis re vera non conuenit; & talis distinctio, etsi ex parte obiecti cōsiderata non est ratiocinatæ, sed tātùm ratiocinantis absque vllo in re fundamento. Vel est per veram, licet confusam, aut claram obiecti considerationem; & sic tantùm potest esse distinctio in ipsis conceptibus; non verò in re cognita; nam si in re animalitas, & rationalitas non sunt duæ formalitates, sed vna simplex, & omnino eadem; nec obiectiuè possunt esse plures, hoc est, repræsentari vt plures per veram cognitionem.

Dices: non repræsentari vt plures, hoc est, non tribuere illis intellectum pluralitatem aliquam: sic enim verus non esset, sed ex eo quod inadæquatè eandem simplicem exprimat realitatem diuersis actibus, denominat eam obiectiuè multiplicem, prout illis inadæquatè obijcitur.

Sed contra; quia vbi non est aliud, & aliud, implicat inadæquata apprehensio: indiuisibile nam-

namque eo ipso quod partibus caret, vel attingitur secundùm totum, vel secundùm nihil: ergo si realitas humanitatis in se est omnino indiuisa, non poterit inadæquatè attingi, & quasi per partes, sed tota per quemcumq; actum respici, licet diuerso modo quantùm ad claritatem, & confusionem necessariò dicendum est. Aliàs rationes omitto inferioris notæ, quæ ad istas reduci possunt, vel saltem earum solutionibus satisfieri.

Resoluitur difficultas duplici conclusione.

Pro solutione ergo difficultatis dico primò: fundamētum remotum distinctionis rationis ratiocinatæ est emminentia virtualis, quam res aliqua habet, vel per modum causæ, vel per modum effectus, vel per modum actionis; quatenus scilicet respicit diuersa connotata extrinseca, ac si res esset plures realiter, cum verè in se sit omnino simplex, & indiuisa. Hoc enim fundamento supposito, cum intellectus noster ita imperfectus, & limitatus in suo lumine sit, quod non posit vnico actu virtutem, aut emminētiam rei clarè percipere, vtitur diuersis actibus, donec totam eius cognoscibilitatem adæquet, & exhauriat.

In hac assertione existimo conuenire omnes; nam expressè authores citati admittunt, quód licet eàdem omnino res secundùm se totam obijciatur cuilibet actui, non cognoscitur clarè per quemlibet, imò ita obscurè, quod ignoretur ordo, quem dicit ad talem effectū, vel obiectū, si non cognoscatur extrinsecum connotatum per talem ordinem. V. g. quando cognoscitur per conceptum animal ratio generica hominis, etiam cognoscitur rationalitas in ordine ad sensationes, cæterū ita confusè, quod ignoretur an sit rationalitas, vel irrationalitas, donec explicitè discursus per ipsam connotatus innotescat. Sicut quando visus à longè percipit totum hominem in indiuiduo, & penetrans clarè, quod homo sit, ignorat an sit Petrus, vel Paulus. Quæ doctrina supposita indistinctione reali, ac simplicitate obiecti, quam demonstrauimus contra Scotistas, verissima est, & in ea discōuenire non possumus, cum nominalibus; quoniam si in obiecto non est alietas realis, non potest diuersis actibus obijci, nisi secundùm se totum, vel secundùm nihil, ita vt tota entitas consideretur in ordine ad sensationes, & dicatur animal, & eadem concepta in ordine ad discursus, rationalis nuncupetur.

Restat tamē difficultas. An quando hæc realitas diuersimodè repræsentatur his conceptib⁹ magis, & minus exprẽsis, hic diuer-

diuersus modus tantùm existat in ipsis conceptibus formalibus, vt aiebant nominales, an verò redundet etiam in ipso obiecto? & ad hoc.

Dico secundò, quod licet in obiecto prout in genere rei nulla diuersitas supponatur, nec redundet ex cognitione, (vt satis probatum est, & conuincit suis fundamẽtis opposita sententia) in obiecto tamen reduplicatiuè, prout obiecto, redundant plures formalitates, seu rationes obiectiuæ correspondentes, seu specificantes actus illos diuersos, & in hac pluralitate obiectiua distinctionem rationis ratiocinatæ consistere, distinctionem verò cõceptuum formalium esse fundamentum, aut causam proximam illius ab ea omnino distinctam. Quod hæc sit communis sententia S. Thomæ, & omnium Thomistarum non erat reuocandum in dubiũ; clarissimè enim in hoc puncto ferè omnes loquuntur; siquidem expressè nominales impugnant, quorum mentem satis perceperunt, quidquid dicat author citatus, patebitquè hoc ampliùs ex dicendis.

Declaratur iam, & probatur ratione simul, & authoritate distinctio hæc obiectiua rationis ratiocinatæ.

Pro huius explicatione in memoriam reuocari oportet doctrina supra posita de ente rationis in communi: diximus enim hoc esse proprium intellectus, quod res sibi obiectiuè præsentes efficiat, etiam si nullibi in rerũ natura sint, nec posse aliquid obiecto conferre, præter hoc quod est illud taliter sibi manifestare, ac proinde formale entis rationis, non in obiecto possibili, vel impossibili secundùm se considerato consistere, sed in ipso vt passiuè manifestatur, seu apparet in ratione, quæ manifestatio se tenet ex parte obiecti, actum verò de connotato importat.

Ex hac ergo doctrina facilè colligitur, quomodo præter pluralitatem actuum, dentur etiam ex parte obiecti plures formalitates, seu rationes obiectiuæ; eo enim ipso quod intellectus, ob limitationem sui luminis, non potest vnico actu totam rei perfectionem, aut virtutem clarè sibi præsentem facere, propter latitudinem, seu emminentiam, qua se extendit ad plura, vtitur pluribus conceptibus, quorum quilibet licet totam realitatem repræsentet, non tamen totaliter, id est clarè quantùm ad ordinem ad omnes effectus, vel terminos.

Quinimò potest cognito respectu ad vnum, ignorare respectum ad alium propter confusionem, & obscuritatem, qua illi

illi repræsentatur (vt fatentur ipsi oppositi Authores) v. g. in essentia Diuina, quando concipitur per vnum actum ordo, quem dicit ad obiectum prout intelligibile, apparet obiectiuè solùm formalitas sapientiæ, & latet sub obscuritate quęvis aliā perfectio in ea realitate concepta existens: & quando considetatur claŗè per alium actum eius habitudo ad obiectum appetibile, manifestatur vt voluntas, occultatis cæteris attributis.

Quod patet euidentiùs in actu naturali, quo cognoscitur Deus vt vnus, & non vt Trinus, cum Trinitas omnino eadē cum vnitate sit, cuius ratio est obscuritas naturalis intellect⁹ nō illuminans totam rationem obiecti.

Ecce quomodo ex parte rei repræsentatæ plures formalitates reales obiectiuè apparent, licet non realiter distinctæ: sunt enim reales, quia re vera obiecto conueniunt à parte rei, & sunt ratione distinctæ, seu obiectiuè: quia admisso semel hoc principio, quod res quantumuis in se indiuisa, potest non totaliter exprimi per vnum actum, sed ita inadæquatè, & quasi per partes, quod posisit, cognita virtute ad vnum effectum, vel obiectum, ignorari virtus ad alios, nulla restat difficultas, quin posisit illa realitas quantumuis in se eadem, diuersis obijci intellectus actib⁹, ac exprimi secūdū diuersos respectus, vel secundū respectum ad diuersos terminos: qui eo ipso quod non concipiatur clarè prout ad omnes, sed prout ad quemlibet seorsim, dicetur multiplex secundùm rationem, vel secundùm apparentiam obiectiuam.

Ex quo rursus infero, quod si talis realitas vnico cōprehēderetur cōceptu, non posset sub multiplici ratione obiectiua attingi, & idcirco Deus, & Angeli huiusmodi distinctiones rationis non efficiunt, quia claritate luminis, qua polent, totam perfectionem rei simplici intuitu comprehendunt, ita vt illos nihil lateat manifestandum, quasi distinctum per alios actus.

Declarat mirabiliter hāc doctrinā S. Tho. 1. contra Gēt. c. 35. vbi ait: *Quod quāuis plura nomina de Deo dicta eandem rem significēt non sunt sinonoma, quia nō significant rationem eandem, nam sicut diuersæ res* (inquit) *vni simplici rei, quæ Deus est assimilatur per rationes diuersas, ita intellect⁹ noster per diuersas cōceptiones ei aliqualiter similatur in quantùm per diuersas rationes siuè perfectiones creaturarum in ipsum cognoscēdum perducitur, & ideò de vno intellectus multa concipiens, nō est falsus, quia illud simplex esse diuinū huiusmodi est, vt ei secūdū formas multiplices aliqua similari posint.* Quę verba, & cōclusionē cōtinent, & rationē illius.

R In

Inprimis enim ait, quod plura nomina de Deo dicta licet significent eandem rem, eam exprimunt sub multis rationibus. Et quod loquatur de obiectiuis, & non tantùm formalibus, patet tùm ex verbis illis: *In quantùm per diuersas rationes siuè perfectiones.* Vox enim *perfectio* explicat rationem obiectiuè sumi, nam ratio formalis non est perfectio rei cognitæ, sed intelligẽtis. Tùm etiam ex illis. *Et ideo de vno intellectus multa concipiens, non est falsus*, hoc est. De vna re simplici multas rationes intelligens; ratio enim intellecta obiectiua est, non formalis.

Præterea ostendit quare non sit falsus intellectus plures rationes obiectiuas de vna re simplici enuntians primò; quia esse Diuinum non obstante omnimodâ simplicitate sua, potest ob latitudinem suæ perfectionis, & emminentiam asimilari, & imitari à pluribus perfectionibus in creaturis dispersis, non vt secũdùm totam perfectionem, & rationem participetur à qualibet, sed inadæquatè quantùm ad aliquid illius; ita vt verum sit dicere, illud simplicissimum esse secundùm diuersas formalitates, & perfectiones imitari, & repræsentari à diuersis creaturis: ergo eâdem ratione intellectus noster, qui non aliter ad cognoscendum Deum procedit, quam ex conceptibus, & similitudinibus creaturarum, poterit assimilare sibi Diuinum esse quantùm ad diuersas formalitates, & gradus suæ simplicis perfectionis, ac proinde poterit sub multiplici formalitate eã cõcipere. Patet consequentia, quia maior repugnantia apparet in hoc, quod diuinæ illæ formalitates communicentur creaturis realiter diuersis, quam in hoc, quod repræsententur vt diuersæ; quia primum magis derogare videbatur Diuinæ simplicitati, quam secundum, cum intellectus nihil ponat in re repręsentata, & propter suam imperfectionem, & obscuritatem possit totam rei perfectionem non vnico conceptu adæquare.: at imitari, & participari cum discrimine, & multiplicitate reali à creaturis, nõ arguit in re distinctionem: ergo.

Confirmatur, quia diuersa ratio terminandi est in Deo, nostro modo intelligendi communi, relationem similitudinis, quã dicit ad illum creatura insensibilis, quam similitudinem creaturæ viuentis, & rationalis: & secundùm diuersum gradum, & perfectionem participatur ab esse naturali, ac supernaturali: ergo hę diuersæ rationes, secundùm quas illi diuersæ creaturæ assimilantur, & secundùm quas earum similitudines terminat, possunt ab intellectu in vno esse simplicissimo concipi. Antecedẽs probatur; quia diuersæ relationes,

lationes, aut similitudines reales, diuersos terminos nostro modo intelligendi consueto respiciunt, & licet in re vnica simplex ratio terminandi emmienter continens perfectiones pluriũ terminorũ intueatur clarè à Beato, verumtamẽ, intellectus noster nõ potest discernere diuersas illas relationes, & similitudines, nisi eas dẽ multipliciter in Deo cõcipiat.

Secũda ratio, quæ colligitur ex eisdẽ verbis, est, quod intellectus Deũ nõ intuitiuè respicit per propriam speciẽ, vt est in se, sed abstractiuè, & per alienas creaturarũ species, ad eum cognoscendũ perducitur; sed species creaturarum, cũ acceptæ sint à perfectionibus creatis in re diuersis, repræsentant sine dubio formalitates illas, quas participant à Deo, vt diuersas: ergo intellectus noster sub hac multiplici ratione per species repræsentatas Deum necessariò considerat.

Neq; est falsus intellect^s multa hæc de vno cõcipiens, vt loquitur S. Doctor: quia seclusis imperfectionibus distinctionis, mutabilitatis, creabilitatis, &c. illa Deo tribuit; abstrahit enim has perfectiones ab omnib^s ferè modis, quos in creatura habẽt; & licet per eas Deũ imperfectè cõcipiat, ei imperfectionẽ modi cõcipiendi non tribuit: quoniam earũ multiplicitas solũ se habet vt ratio subqua perfectiones illę in Deo considerantur. Totum hunc discursum asserit S. Tho. *S. Th. q. 7 de simpli. art. 5. & p. q. 13. art. 4. & alibi sępè*

Probatur amplius conclusio ex compositione Metaphysica, quæ est inter formalitates obiectiuas.

Probatur item ex communi doctrina, qua S. Th. *1. p. q. 3. ar. 5. & in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. & 2. & q. 7 de potentia ar. 3.* & cæteri Theologi compositionẽ metaphisicã asserunt inter gradus metaphysicos, & predicata, quę ratione distincta considerant in aliqua re; quæ cõpositio, vt constat, nõ est inter act^s, vel si est, est alterius generis, pertinens ad modũ sciendi formalem: ergo est inter rationes, seu formalitates obiectiuas eiusdem rei. Minor, in qua est difficultas, probatur; quia hanc compositionem dicũt coalescere ex materia, & forma metaphysicis, vel ex actu, & potẽtia, & per formam, seu actum speciẽ constitui. Homo v. g. per rationale, distinguiq; formaliter ab omni alia specie. Et per materiam, seu potentiam conuenire, seu assimilari alijs speciebus; constat autem nihil horum verificari de cõceptibus, sed tãtùm de rebus prout conceptis: homo enim per animalitatem conceptam cõuenit, & assimilatur alijs speciebus, & per rationalitatem differt, & nõ per illius formalem conceptum.

Sic asserit S. Doctor *1. p. q. 40. ar. 2.* quod nomen *Pater* significat relationem, quæ est distinc-

tiua, & constitutiua hypostasis, & cum eo cōmuniter Theologi omnes asserūt personas Diuinas per relationes constitui, & distingui, & non per origenes, vel naturam, cum tamē certum sit, hæc tria esse idem secūdùm rem, & non verificari de conceptibus formalibus in intellectu nostro existentibus, quid enim illi valent ad Diuinam constitutionem, aut distinctionem? Loquuntur ergo de relatione prout obiectiuè concepta, aut distincta à natura & origine, quando illā cōstitutiuam, & distinctiuam aiunt, excludendo cætera.

Idem argumentum fieri potest in alijs quæstionibus, in quibus sermo est de aliquo constitutiuo formali. Vt quando inquirunt. v.g. an natura Diuina cōstituatur per intelligere radicale, vel actuale? vel per infinitatem, aut rationē entis à se? In quibus magna est inter Authores contentio, supponuntque non esse litigium de re, cum sit omnino eadem, cui omnino inseparabiliter conuenit ratio intelligendi per modum radicis, & per modum actus, & quod sit infinita, & à se existens; neque dubitant, conceptibus formalibus nostris munus constituendi diuinā substantiam nullatenus conuenire; vanum enim esset hoc in quæstionem vertere: ergo tantùm litigare possunt de formalitatibus, & rationibus, quas supponunt diuersas, siquidem de vna affirmant, quod de alia negant.

Patetquè hoc euidentiùs in reduplicatiuis, quibus communiter vti solent Doctores. s. Deus in esse Dei constituitur in sua intrinseca, & essentiali ratione per intelligere actuale, & non per cætera attributa. Homo in quantum homo contituitur per rationalitatem, tanquam per formam intrinsecam, & rationem differentialem, & non per animalitatem; sed conceptus formales non sunt ratio intrinseca, sed extrinseca: ergo ex parte obiecti supponunt diuersas rationes obiectiuas intrinsecas.

Preterea, communiter omnes huiusmodi composita metaphysica considerant in concreto, & in abstracto; abstractum dicunt formam constitutiuam illius, & concretum compositum ex materia, & tali forma, sed huiusmodi abstracta, & concreta nunquàm conceptibus formalibus tribuunt, sed rebus: *rationalitas* enim, *Equinitas*, *& animalitas*. Dicuntur abstracta, & *homo*, *& equs* concreta; supponunt ergo hanc cōpositionem ex multiplici ratione obiectiua, & non tantùm ex earum conceptibus.

Confirmatur item hæc ratio: quia S. Thom. citatus, & communiter ferè omnes hanc compositionem metaphysicam negant in Deo; quia est actus purus, ac proinde non ex actu, & *S. Thom.*

potentia compositus, & admittunt in creaturis propter oppositam rationem: ergo intelligūt semper illam ex parte obiecti, & non ex parte actuum, nisi quatenus se habent vt ratio subqua obiectum consideratur. Patet consequentia; nam quod Deus sit purissimus actus, sicut non impedit, quod plurib' obijciatur conceptibus, ita compositionem metaphysicam in ipsis existentem conceptibus non excludit, quinimò de facto est in illis sicut in cognitione composita, aut complexa cuiusuis alterius creaturæ.

Ex dictis facilè impugnatur solutio eorum, qui dicunt, esse quidem diuersas rationes obiectiuas correspondentes diuersis conceptibus eiusdem rei, cæterùm has esse diuersa connotata extrinseca, cum quibus iungitur res concepta, non verò, quia ipsa res in sua intrinseca ratione aliquo modo diuisibilis sit.

Sed hæc explicatio nec potest deseruire ad soluenda testimonia Sancti Thomæ, nec rationes positas. Non primum: quia ipse

S. Thom. Doctor Sanctus *quæst. 7. de simplicitate art. 6.* eam adducit expressè, & impugnat sic: quia cum effectus à causa secundùm similitudinem procedat, & consequenter diuersi effectus secùdùm diuersas similitudines, prius intelligere opportet causam, & rationem secundùm quàm effectus virtualiter continetur in illa, quæ diuersa est prout subest nostro modo concipiendi respectu diuersorum effectuum, verificanturq; de illa sic obiecta, contradictoria prædicata; dicimus enim quod Deus intellectu intelligit, non voluntate, & quod iustitia punit, non misericordia, qui effectus tribui non possunt conceptibus formalibus, vt patet: necessum est ergo, quod obiectiuis accōmodentur, ac proinde quod in eis sit alietas formalis, seu obiectiua, siquidem affirmatur de vna, quod negatur de alia.

Declarat hoc amplius: *Quia opportet* (inquit) *dicere quod omnes istæ multæ rationes, & diuersæ, quas creaturæ participant, habeant aliquid respondens in ipso Deo, cuius omnes istæ conceptiones sint similitudines* (loquitur de conceptione tam formali, quam obiectiua; nam de vtrâquè verificatur propositio, & præcipuè de obiectiua, qui dicit esse eiusdem rationis, &c.) & quod licet in Deo sit vna forma, & virtus secundùm rem, & ratione huius vna tantùm possit esse similitudo illius, potest esse multiplex similitudo inadæquata, & imperfecta tàm in creaturis participantibus, quàm in conceptibus repræsentantibus diuersas rationes conuenientiæ, & differentiæ inter Deum & creaturas, & diuersos respectus transcen-

dentales, quos eadem virtus secundùm rem ad diuersos effectus importat, ratione cuius dicitur virtualiter plures, vel emminenter continere plures virtutes, ac proinde est cognoscibilis secundùm has plures virtutes, quas verè continet.

Legatur totum corpus articuli, & præsertim circa principium, vbi ait, *ex duplici capite prouenire quod aliqua nomina nō sint synonoma, vel ex parte rerū significatarum, ex eo. s. quod diuersa sint, vel ex parte intentionum intellectarum similiter propter earum diuersitatem*, concluditque. *Horum ergo nominum, quæ de Deo dicuntur, synonoma impediri, non per diuersitatem rerum significatarum* (quia supponit esse omnimodam identitatem ex supra dictis) *sed solùm per rationes nominum, quæ sequuntur conceptiones intellectum*. Quæ verba valdè notanda sunt; nam expressè significant multiplicitatem inter rationes obiectiuas eiusdem rei, quoniam intentio intellecta, & ratio quæ sequitur conceptiones intellectum, obiectiua est prout distinguitur contra formalem, vt patet.

Sic etiam adduci possunt plura alia testimonia ex supra adductis, quæstione de ente rationis in communi, vbi ait: *Ens rationis Logicum propriè dici de illis intentionibus, quas ratio in rebus adinuenit, sicut est intentio generis, & speciei, quæ non inueniuntur in rerum natura, sed sequūtur actiones intellectus & rationis*. In rebus ait, inueniuntur, sed non prout in rerum natura, sed prout intellectis, & non in actionibus intellectus, sed in eo, quod resultat, vel sequitur ad illas ex parte obiecti. Sic loquitur *opusc. de natura generis, c. 4. 1. part. quæst. 28. artic. 1. ad 4. & alibi sæpè*.

Satisfit iam argumentis oppositis.

Ex dictis facilè soluuntur omnia obiecta ab opposita sententia. In primis enim distinguendum est inter conceptionem formalem & obiectiuam, & inter intellectionem; quæ est intellectio, & quæ est intellecta: quid enim frequentiùs tàm in scholis, quàm in scriptis Sancti Thomæ? Præterea quando negatur, vel affirmatur aliquid esse in rebus, vel est sermo de rebus, prout sunt à parte rei; vel de rebus prout intellectis, & quatenùs distinguntur contra actus illius vt constat in verbis proximè adductis; vbi dicitur: *Ens rationis esse intentiones, quæ inueniuntur in rebus, non tamen prout in rerum natura, sed prout sequntur actiones intellectus. Et quæst. 7. de potentia, articul. 6.* (inquit) *sciendū, quod significatio nominis*

nominis non immediatè fertur ad rem, sed mediante intellectu, hoc est, non ad rem prout est à parte rei, sed prout à nobis intelligitur, quia sicuti concipimus ita loquimur & imponimus, nomina rebus, vt sint notæ earum, quæ sunt in anima passionum, vt dicitur, *lib 1. periher. in principio text. 1.*

Hac ergo distinctione præmissa, clarissimè constât omnia verba S. Thomę, quæ adducunt authores oppositi, quinimo retorqueri contra illos possunt; nam testimonia eius ex opusc. 9. maximè fauent sentētię nostræ, vel communi vt meliùs dicam; quoniam intentum illius est defendere doctrinam Tarantasij asserentis distinctionem rationis inter diuina attributa non tantùm esse in conceptibus formalibus, sed etiam in ipsis attributis, cui objiciebant aduersarij sui coram generali Magistro Dominicanæ familiæ: ergo distinctio attributorum est in Deo ante intellectum: quod Scoti, vel Durandi sententiam redolebat. Ab hac ergo calumnia eum excusat S. Thomas dicens dictinctionem hanc esse secundùm diuersas conceptiones intellectus, quæ formaliter sunt in intellectu tāquam in subiecto: & obiectiuè in ipso Deo, tamquā in repręsentato. Vbi vtramquè conceptionem breuiter tāgit, loquens. s. de conceptione formali, & obiectiua; & de re prout est à parte rei, & prout obiectiuè existit in esse repræsentato, & sic mirabiliter saluat eius doctrinam absque vllo vestigio distinctionis realis, aut diuinæ simplicitatis præjudicio. Supponit namquè Doctor Sāctus, quod iam explicuimus; nimirùm distinctionem esse in re sicut in repræsentato, idem esse, ac prout obiectiuè præsente, aut existente: quia proprium intellectus est, rebus sibi obiectis pręsentiam, seu existentiam obiectiuam tribuere, ratione cuius de illis prout obiectis verificatur, quod illis prout in re nullatenus conuenit.

Confirmatur hæc expositio; quia si sensus Angelici Doctoris solùm esset admittere distinctionem rationis penès conceptus formales, & non penès obiectiuos, iam non esset defendere doctrinam Tarantasij, sed partes aduersariorum agere, qui solùm id contendebant, nullam. s. distinctionem aliam interuenire præterquam in conceptibus. Et in hoc sensu declaranda sunt cętera verba, quæ adducuntur ex alijs locis. Quando verò ait distinctionem rationis attendi tantùm penès diuersos actus intellectus (si alicubi hoc modo verba hæc inueniantur) tantùm intendit assignare causam huius distinctionis, esse. s. in intellectu repræsentante rem pluribus

conceptibus non verò excludit ipsam formalem distinctionem, quæ in obiecto ex talibus conceptibus resultat.

Ad primam rationem oppositam iam constat ex dictis, distinctionem rationis aliam formalem, & aliam obiectiuam, & hanc conuenire obiectis reduplicatiuè vt obiecta sunt, negatur autem quod reduplicatiuè vt obiecta constituantur per actus formaliter: nam obiectum vt obiectum, terminus est distinctus ab actu, illumquè extrinsecè connotans, & non tamquàm formam includens, & cum aliàs ab actu præsentiam obiectiuam accipiat, vt dictum est, consequenter habet per illum secundùm diuersas rationes obiectiuè præsens fieri potentiæ.

Ad secundum respondeo, quod ideò animalitas distincta formalitas obiectiua est à rationalitate; quia vt distincta concipitur, & non è contra: sed redupicatur distinctio, non vt ratio, quæ afirmatur de re, sed vt ratio subqua: non enim intellectus affirmat distinctam in se esse animalitatem à rationalitate, sed quia seorsim humanitatem duplici illo conceptu sub distinctione exprimit, resultat in ea prout obiecta duplex ratio obiectiua, & quasi partialis, vt satis in superioribus dictum est.

Et ad vltimam replicam respódetur tantùm conuincere, quod sicut obiectum est indiuisum secundùm rem, ita quantùm ad realitatem inadæquatè, & per partes attingi non possit, quod ita est; nam quolibet actu tota realitas apprehenditur, cæterùm quantùm ad perfectionem, quando est emminenter, & virtualiter plures, hoc est, continens quidquid aliàs plures virtutes, non potest vnico actu clarè comprehendi, sed pluribus, quorum quilibet totam, sed non totaliter ac perfectè cóprehendit, vt docet S. Tho. citatus *art. illo 6. q. 7. de simpli. Dei.*

ARTIC. IIII.

Vbi quotuplex sit distinctio realis, declaratur.

CVm distinctio rationis ad modum realis distinctionis semper fiat, necessum est præmittere varios modos, & signa distinctionis realis, vt ex illis deducere posimus distinctiones rationis.

Est igitur obséruandum pro huius intelligentia, in rebus creatis præter entitates earum quasi substantiales, vel radicales (vt ita loquar) inueniri quosdam modos reales, qui & sunt aliquid positiuum, & afficiunt ipsa

ipsas entitates per se ipsos, dando illis aliquid, quod est extra totam essentiam indiuiduam, & existentiam, non tamen addunt nouam entitatem, sed solùm modificationem, vel determinationem præexistentis. V.g. inhærentia quantitatis, vel cuiusuis alterius accidentis, figura, vel præsentia in aliquo spacio, &c.

Hi modi propriè loquendo non sunt res absolutæ sed modi, & determinationes earum; quia propriam entitatem non afferunt, ideoquè conseruari non possunt de potentia absoluta separati à re modificata, imò nec intelligi sine illa, quia sicut propriam entitatem non habent diuersam ab entitate rei modificatæ, ita nec propriam intelligibilitatem.

Post enim sic definiri modus: *Est actualis determinatio alicuius rei indifferentiam habentis, & exercitium actuale suæ potentialitatis.* Sic vnio est exercitium materiæ, & formæ, determinans vltimò indifferentiam vtriusquè. Actio est modus agentis. Passio determinat indifferentiam patientis. Vbi determinat ad hunc locum. Duratio ad tempus hoc. Subsistentia ad hoc suppositum figura determinat indifferentiam quantitatis, &c.

Ex quo primò infertur, nullum modum esse operatiuum, aut receptiuum, aut intrinsecè indifferens, sed potius vltima determinatio, qua tollitur aliqua indifferentia.

Infertur secundò ex hoc præter supra dicta alia ratio, quare modus sine re cuius est, conseruari nequeat: nam determinatio, seu exercitium actuale implicat intelligi sine re, quæ determinatur, aut exercet suam virtutem: quod enim non est, non operatur, non sedet, non est in loco: quod quantum non est, quomodo quadratũ, aut rotundum intelligi potest?

Triplex genus declaratur distinctionis realis.

His igitur præiactis distinctio realis prima sui diuisione duplex est. Altera positiua, quæ est inter duo extrema positiua realia. Et negatiua altera, qualis est illa, quæ intercedit inter ens, & non ens, vel inter negationem, & priuationem, quæ propriùs non identitas vocari solet.

Rursus distinctio realis positiua triplex est, alia realis rigorosa. Alia modalis. Et alia includentis, & inclusi. Prior est illa, quæ est inter duas res omnino distinctas, quarum quælibet propriam entitatem habet diuersam ab entitate alterius, & hoc, siuè tales entitates sint cõpletæ, & inter se separatæ, vt Petrus, & Paul⁹, siuè sint partes incom-

incompletæ, & inter se vnitæ ad componendum aliquod totum, vt materia, & forma, vel partes integrales alicuius quantitatis, &c.

Secunda distinctio est illa, quæ est inter rem, & modum illius, quæ propter hoc modalis numcupatur, & ab aliquibus junioribus nõ incõgruè appellatur distinctio media inter realem, & rationis; quia hæc distinctio maior est distinctione rationis, cum sit in rebus, & est minor distinctione reali rigorosa, quæ est inter duas realitates; nam modus, qui est alterum membrum huius distinctionis, non affert secum nouam entitatem præter entitatem rei modificatæ, ex illa enim formatur, & realitatem sumit.

Solet hic dubitari, an reducatur ad hanc distinctio, quæ est inter duos modos? Ad quod breuiter respondeo, quod cum hi modi non habeant entitatem nisi ex re modificata, ex illa pendendum est, quo modo ab alijs modis distinguantur. Si enim afficiant res diuersas, vt subsistentiæ duorum hominum: sic distinctio inter ipsos realis est, non ratione ipsorum præcisè, sed ratione rerũ in quibus sunt, nam vnusquisque identitatem habet cum re quam afficit, & ex illa formatur, vt dixi, sicut vas ex luto efficitur, atque adeò sicut res illæ distinguntur inter se realiter, ita & modi in illis existentes. Si verò modi sint in eadem re, vt subsistentia, & figura, & præsentia localis, sic solùm distingũtur modaliter: quia cum ex se non habeant aliam entitatem præter eam, quam modificant, & hæc sit eadem in omnibus, vt supponimus, non habent, vnde plusquam modaliter distinguantur.

Tertia distinctio est, quę reperitur inter totùm, & quamlibet suarum partium, inter quæ certum est, esse distinctionem realem quia totùm aliquam realitatem includit, quam non includit quælibet suarum partium, & propter hoc distinctio dicitur inter includẽs, & inclusum, quia includit partem ipsam à qua distinguitur, & insuperaddit aliam partem, ratione cuius ab illa distinguitur.

Quibus signis discernantur distinctio realis, & modalis?

Cum contingat extrema distinctionis realis esse inter se realiter vnita, & vnum intimè presens in spacio alterius, talis distinctio ex aliquibus signis deducenda est. Primum ergo est: quotiescumque duo conceptus obiectiui ita se habent, vt à parte rei, & in indiuiduo separari possint, vel sic vt vnum sine alio in rerum natura maneat, vel ita

vt

vt realiter disiungantur, & realem vnionem, quam habebant amittant: distinguũtur plusquam ratione aliquo ex tribus modis distinctionis realis supra explicatis. Est communis inter Doctores hæc regula, colligiturquè satis ex Aristot. 7. *Topic. cap.* 1. *loco* 15. *vbi Alexan. Aphrod.* Vbi sic inquit. *Si potest alterum sine altero esse, nō erit idem.* Vtiturquè etiam illa August. 6. *de Trinit. cap.* 6. ad probandum distinctionem realem inter corpus & magnitudinem, & colorem & figuram illius, & inferiùs inde cōcludit distinctionem inter animam, & eius actus.

Aristo. *August.*

Ita docent Magister. *in* 1. *d.* 8. Durand. *dist.* 30. *quæst.* 2. Scot. *in.* 2. *d.* 1. *quæst.* 5. *& in* 3. *d.* 8. *q.* 1. Ocham. *in* 1. *d.* 1. *quæst.* 3. Gabr. *ibi quæst.* 3. *art.* 3. *dub.* 1. Herueus *quodlibet.* 3. *quæst.* 3. Gandau. 6. *Metaphy. quæst.* 10. Anton. Trōbeta. 5. *Metaphy. quæst.* 3. *artic.* 1. Fonsec. *ibid. c.* 6. *quæst.* 6. *sect.* 1. Suar. *tom.* 1. *Metaphys. disput.* 6. *sect.* 2. Astudillo, Paulus Venet. 3. *physic. text.* 19. Eādem regula vtuntur quam plures Theologi ad probādam distinctionem ex natura rei inter subsistentiam, & naturam creatam. Inter quos præcipuè videatur noster Reuerendissimus Magist. Zum. 3. *to. in* 1. *part.*

Magist. *Durand.* *Scot.* *Ocham.* *Herue.* *Gandau.* *Anton.* *Tromb.* *Fonsec.* *Suar.* *Astudil.* *Paulus Venet.*

Ratione item euidenti probatur: quia impossibile est idem omnino à se ipso seiungi ac separari, vel quod diuidatur id, quod in se indiuisibile est: ergo quando aliqua duo separantur, signum euidens est, non esse idem realiter à parte rei, sed realitates importare diuersas.

Si autem ita in re separentur, vt vnum existens maneat in re, & alterum dextruatur, necessè est vt saltem modaliter distinguantur; quia impossibile est, vt idem sit, & non sit: ergo quando aliquid existit, & aliquid non existit, signum est non esse idē, sed aliud, & aliud; de quo latiùs dicam in Metaphysica.

Solùm obijci hîc potest, quod animal est idem realiter cum homine, & separabile ab illo in equo; deficit ergò prędicta regula. Facilè tamen respondetur, animalitatem, quæ est in homine à parte rei, nunquam separari ab specie humana, nequè posse etiam de potentia absoluta ad aliam speciem transmigrare, animalitas autem quæ est in equo, vel leone, est alia realiter distincta, ac similis, dicitur autem eadem cum illa, non realiter, sed secundùm rationem, vt dicam infra.

Dico secundò, quandò duo extrema ita in re se habēt, quod vnum extremum potest in re manere sine alio, non tamen è conuerso etiam de potentia Dei absoluta; sufficiens argumētum est, illa tantùm modaliter distingui. Docet illam Suarez

citatus,

citatus, & multi alij Theologi. Et probatur, quia ex hac separabilitate non mutua (vt vulgò appellatur) rectè concluditur eam rem, quæ potest manere destructo alio extremo, habere per se suam realitatem indepédentem essentialiter, & entitatiuè ab alio extremo, quod destrui potest, ipsa manente. Ex hoc autem quod vnum extremum tale sit, vt de potentia absoluta sine alio conseruari non possit, magnum argumentum est, illud essentialiter tantùm esse modum, & non veram entitatem; quia si ex se propriam haberet entitatem, non haberet tam intrinsecã dependentiam ab alia entitate, vt non posset Deus illam supplere sua infinita potentia.

Probatur; quia causalitatem efficientem potest Deus supplere, vt omnibus est notum. Item causalitatem materialem non respectu compositi, sed respectu alterius extremi, vt patet in Sacramento Eucharistiæ, in quo accidentia sine suo subiecto mirabiliter conseruantur, & eâdem ratione causalitatem formalem similem potest supplere. Nec fingi potest aliud dependentiæ genus, vt latiùs in metaphysica probo: ergo signum est, rem quæ taliter conseruari nequit sine altero extremo, non habere propriam entitatem, secundùm quam sine altera existere pòssit, sed essentialiter alteram secum identificare.

Sed obijci solet, materiam non posse in re conseruari sine forma, nec relationem sine suo termino, nec creaturas sine Deo, & tamen est certum esse distinctionem realem rigorosam inter membra enumerata: ergo fallax est asignata regula.

Respondetur ad primum in sententia, quæ illud asserit, licet negetur materiam sine omni forma conseruari posse, tamen certum est conseruari sine hac, vel illa, & sine qualibet determinatè, quod satis est ad deducendùm illam non esse modum formæ, sed rem distinctam, quãdo quidem non dextruitur ad dextructionem rei, quam modificat, ex cuius realitate modus essentialiter formatur, vt dictum est.

Ad secundum respondetur, quod tota entitas relationis manere potest in suo fundamento, etiam destructo termino, licet tunc non denominetur relatio, eo quod essentialiter connotat positionem termini extrinseci, de quo latiùs in Metaphysica, cap. de relatione.

Ad tertium respondètur regulam illam esse vniuersaliter veram de distinctionibus extremorum, & ideò nil mirum, quod deficiat, quando alterum extre-

mum

mum est Deus, & licet alterum sit creatum, facilè cernitur ratio, quare sine Deo conseruari nequeat, non quia entitatem propriam non habeat, sed quia pendet essentialiter à Deo in esse, & conseruari, & talis dependẽtia à nemine suppleri potest nisi ab ipso Deo.

Secundò melius respondéri potest creaturas in re separatas conseruari, id est nõ vnitas Deo, & ipsi affixas, tanquam realitatem intrinsecè accipientes ab ipso, & sic regulam vniuersalem esse, & nunquam deficere, etiam in hoc casu.

ARTIC. V.

Quotuplex sit distinctio rationis ratiocinatæ?

COgnitis distinctionibus realibus facilè est distinctiones explicare rationis. Primò ergo distinctio rationis diuidi potest in negatiuam, & positiuam. Negatiua est quando negatio in re simplex, inadæquatis partitur conceptibus. Vt quãdo in priuatione distinguit intellectus rationem genericam carentiæ vt sic, in qua conuenit cum negatione, & rationem talis carentiæ, formę s. naturaliter debitæ subiecto, in quã ab illa differt specie.

Distinctio rationis positiua est illa, quæ versatur inter extrema positiua modo tamẽ dicto. Hæc rursus duplex est. Alia formalis, seu essentialis. Alia verò non formalis, sed secundùm magis, & minùs explicitum concipiẽdi modum eiusdem omnino formæ, seu rationis essentialis; quæ differentiam valde notanda est tamquam maximè necessaria, & cõmunis ad plures quæstiones metaphysicas, & præsertim Theologicas expediendas.

Illa ergo distinguntur essentialiter, quæ habent distinctas definitiones, quarum vna intrinsecè non includitur in alia, vel quæ diuersis conceptibus considerari possunt, quorũ vnus alterum non includat, neque è cõuerso.

Vnde illa erunt essentialiter, & formaliter eadem, quorum vnum sine altero considerari nequit, neque è conuerso: quod intelligendum est de obiecto primario, & in recto talis conceptus. V.g. animal, & rationale dicuntur essentialiter distingui; quia conceptus, & definitio animalis, *quod s. sit principium sentiendi*, nullo modo includitur in conceptu rationalis. Benè enim concipit intellectus principium sentiendi sine principio ratiocinandi; quia si in re vna ratio sine alia reperiri potest, in bruto nimirum, multò magis in conceptibus. Ens autem & substantia inclu-

includuntur formaliter non mutuè; quia licet ratio entis sine ratione substãtiæ cõsiderari possit, ratio tamen substantiæ sine ratione entis minimè. Quia intelligi non potest ratio entis per se, sine ratione entis. Rursus attributa Diuina in sentẽtia magis probabili Theologorum adinuicẽ se includunt essentialiter, quia perfectio infinita vnius, sine perfectione alterius concipi nequit.

Dixi vnum debere includi in obiecto primario, & in recto cognitionis alterius, vt sint idẽ formaliter, vt excludam correlatiua, quorum vnum sine altero nequit considerari, & tamen non solùm formaliter, sed etiam realiter distinguntur; pertinet autem vnum ad cognitionem alterius tanquàm secundarium obiectum, & in obliquo.

Proponitur, & soluitur obiectio.

Sed contradices. Vbi non est diuersum fundamentum à parte rei, non potest esse diuersa distinctio rationis ratiocinatæ; sed nullum diuersum fundamẽtum inuenire intellectus potest ad interdùm formandas distinctiones formales, interdùm verò non: ergo. Minor probatur; quia tanta idemtitas est à parte rei inter animal, & rationale, ac inter ens, & substantiam, & inter alia huiusmodi extrema: vtrobiquè enim est idemtitas, & repugnantia ad distinctionem realem, quæ non potest suscipere magis, & minus, ac proinde nec maius, & minus fundamentum intellectui præbere ad distinctiones prædictas causandas.

Nec valet respondere, quod alia est idemtitas essentialis, & alia realis, & hæc est minor illa. Quoniam vel idemtitas essentialis addit aliquid supra realem à parte rei, vel per intellectum. Primum dici non potest in nostra schola; quia sicut negamus distinctionem essentialem ex natura rei præter realem, ita idemtitatem essentialem à parte rei præter realem; at in reali idemtitate non est magis, & minus; ergo. Si verò secundum dicatur, restat, quo fundamento, vel ratione intellectus idemtitatem essentialem cõsideret. V.g. inter attributa Diuina, & non inter gradus metaphysicos hominis, quod petit argumentum.

Resp. quod licet idemtitas, aut indiuisibilitas actualis sit æqualis in omnibus; radix tamẽ huius idemtitatis potest inæqualis esse, & suscipere magis, & minùs, possunt enim duo extrema ex pluribus titulis inuicem connecti, quam alia, quando-s tantam connexionem & dependentiam inter se habent, quod vnum sine alio esse non possit à parte rei, etiam in alia specie, quinimo nec intelligi absquè alterius consortio; quia ex intrinseco

-seca natura sua illud petit, aut includit. Huiusmodi sunt Diuina attributa, vt communior tenet pars Theologorum. Sic etiam ens, & substantia; hæc enim in nullo euētu intelligi potest sine ratione entis, cum essentialiter definiatur esse *ens per se*. At verò animal, & rationale huiusmodi dependentiam & connexionem ita necessariam non habent, potest enim animal in bruto sine rationali inueniri, & rationale in Angelo, fine animali. Possuntquè etiam conceptibus, & definitionibus omnino diuersis exprimi, quorum vna non includatur in alia: sic etiam vnum extremum accidentaliter dicitur aduenire alteri, quod præcipuè cernitur in accidentibus metaphysicis, quæ tantùm ratione distinguuntur à subiectis, vt suo loco dicemus.

Ad replicam, & alia, quæ multiplicari possunt, aduerte, quod quidquid essentia addit supra rem, hoc etiam vnitas, idemtitas, & distinctio, quæ sunt proprietates illi⁹. Essentia enim est, primus, & omnino necessarius conceptus constitutiuus alicuius rei, quem cætera attributa consequuntur vt accidentia. Quæ duplex est. Vel totalis, vel partialis, seu inadæquata.

Sic ergo distinctio essentialis si à parte rei sit inter essentias totaliter diuersas, vt inter hominem, & equum, est non idemtitas, non in quāuis realitate exercita, sed tantùm in primo conceptu adæquatè cōstitutiuo rei, vt cap. de substantia dicam. Si verò distinctio essentialis sit inadæquata, & obiectiua, tantùm s. inter partes metaphysicas eiusdem essentiæ, est illa, quæ est inter prædicata, quę concipiuntur diuersis conceptibus, quorum vnus non includitur in conceptu alterius, vt explicatum est.

Et ita proportionabiliter de vnitate, & indistinctione essentiali opposita loquendum est; idemtitas enim, & indistinctio, vel importat negationem distinctionis essentialis totalis, vel negationem distinctionis formalis partialis, & obiectiuæ. Hęc posterior (de qua est præcipua difficultas) est quæ conuenit rei, quæ obiectiuè est indiuisibilis, hoc est, non cognoscibilis cōceptib⁹ omnino diuersis, quorum vnus in alio nō includatur, & fundamentum illius à parte rei est necessaria dependentia, inseparabilitas, & connexio in ratione obiecti intelligibilis iam explicata, quam experimur inter hæc obiecta, & non illa.

Distinctio rationis imitatur semper distinctiones reales.

Ex dictis colligitur vlteriùs, vtramque distinctionem tàm formalem, quàm nō formalem, vel posse excogitari ad modum distinctionis realis rigorosæ,

sicut

sicut animal, & rationale, hoc modo differunt, & Iustitia, & Misericordia, & cætera attributa in Deo. Vel ad similitudinem distinctionis modalis: qualis est distinctio inter relationẽ, vel durationem, & sua subiecta immediata in sententia probabiliori, quæ asserit, solùm formaliter distingui, & inter naturam diuinam, & relationes personales. In his enim vnum extremum tantùm habet rationem obiectiuam modi, & vniuocam conuenientiam cum alijs modis re distinctis, ita vt si per impossibile esset in re distinctus conseruari non posset, etiam Diuina virtute sine re modificata.

Vel denique huiusmodi distinctiones excogitari possunt ad modum illius, quæ est inter includẽs, & inclusum, cuius exempla sunt in distinctione formali: *homo & animal*, nam homo includit animal, & superaddit rationale: & in distinctione non formali *ens, & substantia*, ens enim includitur in vltimo conceptu substantiæ, & non ẽ contra, & quo latius alibi.

Tandem ad discernendas distinctiones rationis à distinctionibus realibus, satis est, quod nullum signum distinctionis realis ex assignatis inueniatur, vt eo ipso talis distinctio negari possit; quia cũ distinctiones non sint multiplicandæ sine causa, & sola distinctio conceptuum non sufficiat ad inferendam distinctionem rei, quotiescumque non adiungitur aliud signum maioris distinctionis, iudicanda est distinctio solius rationis.

QVAESTIO V.

De vnitate rationis, vel naturæ vniuersalis, quod idem est.

MVltiplex acceptio est huius vocis vniuersale. Aliud enim est vniuersale complexum. Aliud incomplexum. Sic vsurpat vniuersale Aristotel. 1. *lib. de poster. resol. cap. 5. text. 21. & 1. metaphys. cap.* Vniuersale complexum dici solet quælibet propositio vniuersalis, quia est quid complexum pluribus conueniens. V.g. *homo est animal*. Vniuersale incomplexum triplex est. Vel in causando, & est id quod est causa plurium effectuum, qualis est Deus. Cælum. & omnes causæ vniuersales. Vel. 2. in repræsentando: quomodo voces, & conceptus plura significantes, vniuersales dicuntur, homo v.g. animal, &c. Vel in essendo: & sic dicitur vniuersalis natura, quæ est vna in multis, & apta vt de illis verificetur, & de hac vltima acceptione, quæ est *Aristot.*

magis

magis propria, est tantùm sermo in præsenti, an sit, & quid sit.

ARTIC. I.

An detur in rebus huiusmodi vniuersale in essendo?

IN rebus inquam, abstrahendo à rebus, vt existentibus à parte rei, vel obiectiuè in intellectu; ita vt sensus tituli sit pro nunc: an dentur præter voces, & conceptus vniuersalia in reb⁹ significatis per ipsos? Multi veteres illa negarunt, præsertim tribui solet nominalibus.

Heracli. *Cratillus.* *Epicurei.* *OKam.* *Gregor.* *Gabriel.* Quorum fundamentum fuit, omnia in rebus esse singularia: quia quæcumque sensu percipiuntur, singularia sunt; & quæ per determinatam actionem singularem fiunt: repugnat ergo quod res aliqua in mundo existens, quæ vel sensu perceptibilis est, vel terminans aliquam singularem, & determinatam actionem, vniuersalis sit, imò nec prout obiectiuè cognoscitur cum fundamento in re, quoniam ad id, quod penitùs repugnat naturæ, non potest esse fundamentum in natura.

Aristot. *Nost. Oña q. 2. vniu.* *Fonsec. 5. meta. 28. q. 2.* Sed meritò hos omnes reprehendit Aristot. 2. *lib de interpretatione c. 5. & 1. poster. tex. 5. & 7 metaph. text. 37. & 53. & alibi sæpissimè* cum quo, & communi omnium sententia indubitanter asserendum est, huiusmodi vniuersalia in rebus esse, quæ per voces, & conceptus significantur, siuè sint entia realia, siuè rationis, de quo modo nō disputo. Docet ita S. Th. multis in locis, & alij plures. *Suarez 1. to. met. d. 5. sect. 2.* *Sotus.* *Tolet.*

Probatur: quia si solùm essent singularia, & non vniuersalia, neque propositiones essent veræ, & formales, neque demonstrationes certæ, neque scientiæ infallibiles, & æternæ, cum singularia omnia incerta sint, & mutationi, contingentiæ, ac corruptioni obnoxia. Antecedens patet, quoad omnes suas partes.

Solùm quoad primam declaratur, & confirmatur; nam plures sunt prædicationes, in quibus genera de speciebus, & species de indiuiduis prædicantur, quæ si in solis vocibus exercerentur, & ratione illarum, manifestā cōtinerent falsitatem; nam voces, & conceptus diuersi realiter sunt, prædicatum autem, & subiectum de quo dicitur, idem debent esse. Planè enim falsa esset hæc propositio *homo est animal*; si sensus illius esset vox *homo* est vox *animal*: ergo vt veræ sint istæ propositiones; *homo est animal: leo est animal*; aliqua natura animalis debet illis correspondere ex parte obiecti repræsentati, quæ homini, & leoni veraciter sit communis.

Secundò: quia voces istæ, *homo, animal, &c.* non sunt imme-

diatè impositæ ad significandũ singularia, nam confusè, & indeterminatè ea significant, nequè magis vnum, quam aliud: ideo enim quodlibet singulare suum proprium nomen habet, quo expressè, & determinatè significatur: ergo ratio directè, & immediatè significata per has voces, est natura aliqua communis his singularibus. Patet consequẽtia: nam voces illæ aliquid determinatè, & expressè significãt, aliàs essent æquiuocæ, si solùm indeterminatè repræsentarent omnia singularia, sed hæc ratio non potest esse alia, quam ratio communis, in qua conueniant omnia singularia: ergo.

Cõfirmatur hæc minor: quia certũ est has propositiones; *Petr' est homo, Paul' est homo, &c.* non esse veras ratione vocum præcisè, vt dictum est, neq; etiã possunt verificari, si repræsentẽtur per vocem *homo* omnia indiuidua; quia sensus esset: *Petrus est omnia indiuidua*: neq; prædicatur de illo sola ratio indiuidualis Petri; quia tunc esset propositio idẽtica, & inutilis, sicut ista: *Petrus est Petrus*: ergo signum euidens est, per illam vocẽ *homo* aliam rationem immediatè significari, quæ Petro, & Paulo, & alijs communis est.

Fateor, non omnes has rationes conuincere nominales, præsertim citatos (ut alios antiquiores omittam, quorum scripta nõ vidi) ipsosq; in alio probabiliori sensu fuisse loquutos; quia nõ existimarunt vocem, vel cõceptum esse vniuersale *quod*, sed tantùm vt *quo* vniuersalitatem illis tribuebãt, asserẽtes, quod quia inro homo. v. g. non est nisi multa indiuidua confusè considerata vt similia, solũ accipiunt vniuersalitatem à voce, vel conceptu, quo omnia simul considerãtur. In quo modo loquendi videntur potiùs conuenire cum cõmuni sententia, asserente res constitui vniuersales per abstractionem, vel comparationem intellectus, sed differũt maximè ab ea, quia solùm in actu formali, & reali intellectus communitatem ponũt, nõ verò in obiecto illius, nisi tantùm immediatè plura singularia. Contra quod præcipuè vrget secunda ratio cum sua confirmatione, sed latiùs infra eorum sententiam expendam.

Impugnatur alia sententia, quæ Platoni tribuitur.

Ad dissoluendum fundamentũ oppositæ sententiæ. Adduxit Plato, vt refert Arist. aliã multo improbabiliorem. s. dari à parte rei naturas vniuersales cuiuscũq; speciei separatas à singularibus, quæ immobiles, æternæ, & incorruptibiles existentes, participabantur à singularibus corruptibilibus, tempori, loco, & mutationi subiectis. Non est tamẽ credibile Diuinũ illud *Arist. 1. met. c. 5. tex. 5. & 6.*

Plato-

Platonis ingeniū in hoc delirium incidiſſe, ſed fortaſſe incautè loquutus fuit: nam excuſant illum grauiſsimi Doctores, inter quos præcipuè D. Augu. *lib.* 38. *quæſtionū, q.* 46. *&* 7. *de Ciui. c.* 28. & S. Th. *lib.* 4. *de regimi. Prin. c.* 4. ſentit ipſum idearū nomine intellexiſſe rationes rerum exiſtētes in mente Diuina. Ita etiā Greg. Nazian. *Orat.* 1. *de Theolog. nu.* 8. & alij quos refert, & ſequitur Epiſcopus noſter Oña.

Auguſti. Gregor. Nazian. Seneca. Plutarc. Eugubin. Cicero. Picc⁹ Mirandul. Euſtrat. Simpl. Dionyſ.

Sed cuiuſcumque ſit, euidenter reijci poteſt; nā inuoluit apertā repugnantiā, quod huiuſmodi naturę, vel Ideæ ſeparatę ſint à ſingularib⁹, & nihilomin⁹ ſint de eſſentia illorū, quid enim magis intrinſecum, & inſeparabile, quā eſſentia alicuius rei? Eſſet item myſteriū Trinitatis in creaturis ponere, ſi idem homo cōmunis eſſet, & realiter pluribus idētificatus, ſicut idem Deus eſt in tribus ſuppoſitis. Et præterea adhuc non ſequeretur intentum; quia ſicut Deus, non obſtāte, quod in re ſit cōmunicabilis pluribus, eſt ſingulariſsimus, vt omnes fatentur, & non vniuerſalis, ita & huiuſmodi naturæ in re exiſtentes.

Rurſus: ſi ſunt incorruptibiles, & æternæ, quomodo poſſunt eſſentialiter cōſtituere res corruptibiles, & mutationi, ac corruptioni obnoxias; cum ſit certum eſſentias non aliter conſtituere, quàm dando ſe ipſas per realem identitatem cum re, cuius ſunt? Vlterius, ſi ſunt creaturę, quomodo æternæ? & ſi ſubiectæ Deo, & pēdētes ex influxu illi⁹ determinato, & ſingulari, quomodo nō ſingulares, & depēdentes à tēpore, loco, & mutatione?

Sed non eſt cur in re tam manifeſta immoremur. Fundamentum primæ ſententiæ diſſoluemus facilè infra dicentes, huiuſmodi vniuerſalia fundamentaliter exiſtere à parte rei coniūcta realiter cum ſuis ſingularibus, formaliter autem eſſe obiectiuè in intellectu. Ad argumēta etiā, quæ adduci ſolent pro ſententia, quæ tribuitur Platoni, videlicet vniuerſalia debere eſſe incorruptibilia, & neceſſaria, ab omni mutatione, & contingentia libera, &c. dicetur etiam, quomodo hæc omnia vera ſint, abſque eo, quod huiuſmodi figmenta excogitare neceſſum ſit.

ARTIC. II.

Quænam ſit eſſentia vniuerſalis?

NAtura, & eſſentia cuiuſlibet rei per ei⁹ definitionē declaratur; eſt enim definitio oratio rei naturā explicās; & inſuper eſt primū principiū, quod ſupponi debet ad omnem quæſtionem, quę de re definita controuerti poteſt, ideoquè

antequàm difficultates alias de vniuersalib' discutiam', eorũ definitiones hîc pręmittẽdæ sunt.

Tres inueniuntur apud Arist. & omnes peripateticos. Prima sumitur ex 1. *lib. de interpretatione c.5.* Vbi dicitur. *Vniuersale est illud quod potest prædicari de pluribus.* Secunda sumitur ex 2. *lib. de priori resol.c.vlt. & lib.1. text.15 c.10.* Vbi ait. *Vniuersale esse vnũ in multis, & præter multa.* Tertia habetur 7. *met.t.c.13. tex.25.s. vniuersale est, quod aptũ est esse in pluribus.* Quæ omnes definitiones maximè inter se cõcordant, & idẽ ferè explicant, videlicet illã naturã esse vniuersalem; quæ vna cũ sit, participatur à multis, & de illis pręd icatur.

Per illam enim particulã *vnum* excludũtur ęquiuoca & analoga, quæ significant immediatè plura & non vnam rationem existẽtem in pluribus. Excludũtur similiter complexa, quæ cõplexionem ex pluribus rationibus significãt. Rursus particula *in multis* excludit singularia, quæ de vno tantùm dicuntur.

Circa quam obseruandũ est, quod nõ significat, nec petit actum existendi in multis, sed solũ aptitudinem, id est, quod aptum sit esse in pluribus, & pręd icari de illis. Vt patet in natura Solis, & Lunę, quę vniuersales sunt, & non actu existẽtes in multis. Et in primo homine, antequàm alij crearentur. Solùm potest particula illa denotare actũ essentiæ, id est, quod actu sit essentia multorum, quamuis sub esse possibili; quomodo essentiæ rerum dicũtur ęternę, & quod ab ęterno non est essentia alicuius, nõ potest in tẽpore, vt talis illi conuenire; quia essentia actu debet cõuenire rei, cuius est; in eo sensu, quo ęterna dicitur, de quo infra.

Colligitur ex dictis primã definitionem descriptiuam esse, vt ait doctissimus noster Episc. M. Oña. Secundam verò, & tertiã essentiales, & quidditatiuas; quia illa solùm prædicabilitatem exprimit, quæ vniuersalis proprietas est, istę verò illius essentiam, & quidditatem exponunt, vt latè *q.8. art.1.* dicam.

Nunc obijci potest cõtra illas particulas, *in multis, & præter multa*, quę videntur cõtradictionẽ inuoluere, nã si natura vniuersalis est in multis, quomodo pręter multa? esse enim intra, & extra sunt termini inter se repugnãtes, atq; adeò non possunt naturam vniuersalem constituere.

Resp. facilè ex infra dicendis, naturã vniuersalem reduplicatiuè, & formaliter, vt vniuersalis est, esse pretermulta. & materialiter quoad rationem, quæ vniuersalis denominatur, esse in multis. Nam taliter natura hæc vniuersalis participatur à multis, vt per contractionem, & descensum ad illa (vt ita dicam) amittat vniuersalitatem, &

& vnitatem communem amittat, & aliam ſingularē acquirat. Sicut homo dicitur mortalis, & corruptibilis, quia poteſt mori, & corrumpi, non tamen ita vt maneat homo, quando actu corrumpitur, ſed quia poteſt per mortem amittere rationem hominis,

Hinc etiam facilè intelliguntur verba illa difficilia Ariſtot.s. *Quæcumque vniuerſalia, nihil aliud eſſe exiſtimandum eſt, quàm quod erat eſſe ſuorum ſingularium.* Quorum ſenſus eſt, vniuerſalia prout contracta, & actu exiſtentia in ſuis inferioribus, nullatenus eſſe diſtincta realiter ab illis: vel non habere exiſtentiam aliam, præter ſuorum inferiorum, eſſe enim propriè exiſtentiam dicit, de quo latè dicemus poſtea.

Sed dices; actus non dextruit potentiam, ſed potius perficit: ergo natura vniuerſalis per contractionem ad ſua inferiora non amittit ſuam vniuerſalitatem. Reſpondetur. Antecedens non eſſe vniuerſaliter verum, præſertim quando potentia non eſt poſitiua, & propria, ſed tantū analoga, & Logica; quantitas enim dextruitur per diuiſiones, ad quas habet aptitudinem, ſed de hoc latiùs infra.



ARTIC. III.

An natura vniuerſalis diſtinguatur à parte rei, vel per intellectum à ſuis ſingularibus.

Difficultas hęc neceſſariò, ſupponi debet, vt fundamentum multorum, quę modo diſcutienda ſunt de vniuerſalitate. Eſt igitur in hac re celebris ſententia Scoti *in 2. d.3.q.1. & in quodlibe.q.2.& 7. metaphyſ.q.16.* & diſcipulorum eius naturas vniuerſales ex natura rei diſtingui à ſingularibus. Fundaméta huius ſententiæ ferè iam tacta ſunt præcedenti quæſtione; quia ſolùm contendunt omnem diſtinctionem formalem ex natura rei eſſe, & ante operationem intellect⁹. Alia verò, quæ ſpecialiter hîc adduci poſſunt, poſtea referam, & ſoluam. *Scotus.*

Nam contraria ſententia vera eſt, & tenenda.s.ſolùm diſtinctione formali rationis ratiocinatę diſtingui naturas vniuerſales à ſuis inferioribus. Ita S. Thomas *opuſc.48.cap.1.& 1.p. q.85.ar. 1. & 2. & de ente, & eſſentia, c. 5.* & principaliores eius diſcipuli, ac grauiores Theologi. *S. Thom. Caietan. Aleſenſ. Capreol. Durand. & ex noſtris. R.M. Zum.1.p. Epiſ.Oña q.2.vniue artic. 2.*

Probatur primò: quia certum est apud omnes, naturam specificam non distingui realiter à singularitate: ergo neque ex natura rei. Patet consequentia: quia distinctio ex natura rei, est vera distinctio realis, vt supra probaui.

Secundò: quia impossibilis est talis modus distinctionis inter naturam communem, & differentiam indiuidualem: quoniam si natura humana, V. g. à parte rei, intelligitur distincta à differentia indiuiduali Petri, intelligitur necessariò vt existens, & determinatam entitatem habens extra causas quantùm est de se: ergo vt sic præintellecta singularitati, esset iã ex se singularis, & indiuidua, & consequẽter non indigens indiuiduatione superaddita. Probatur consequentia: quia omnis entitas in rebus existens, necessariò debet esse ex se ipsa singularis: nam vt sic intelligitur habere esse extra causas, & terminare actionem tam productiuam, quàm cõseruatiuam determinatam, & singularem: vt sic etiam intelligitur hæc entitas incõmunicabilis pluribus alijs naturis eiusdem rationis, quia nec diuidi potest à se ipsa, nec fieri plures: ergo.

Tertiò: quia in Petro, & Paulo est duplex compositio ex natura communi, & ex differẽtia indiuiduali, vel ergo in vtroquè præter distinctionem realem, quæ est inter singularitates, est etiam realis distinctio inter naturas vtriusque, vel non. Si dicatur primum, sequitur manifestè, quod illæ naturæ vt distinctæ à differentijs indiuidualibus, sint ex se formaliter indiuiduæ, quia sunt plures numero, & inter se realiter incommunicabiles, & ex consequenti, quod singularitas alia ex natura rei distincta superflua sit.

Si verò secundum dicatur, sequitur quod eadem entitas naturæ sit in Petro & Paulo, cæterisquè indiuiduis naturæ humanæ, quod videtur absurdum; ex illa enim multa sequerentur inconuenientia & impossibilia. Quod. s. in omnibus indiuiduis esset eadẽ natura realiter, & consequenter eædem operationes meritoriæ, vel demeritoriæ. Esset eadem libertas & ratio: quia cum natura, & non differentia indiuidualis sit principiũ operationum humanarum, si diuersi homines eandem naturam realiter haberent, etiam eadem principia, & actiones exercerẽt; omnesquè damnarentur, aut beatificarentur, eisdem meritis, vel demeritis.

Sequeretur rursus; quod Petrus, & Paulus, & cætera indiuidua non essent plures homines; sed vnus tantùm numero; quia cum humanitas, & non singularitas sit formale constituti-

tutiuum in ratione hominis, nõ multiplicata humanitate, homines multiplicari ſequeretur; quẽadmodum in Diuinis Tres Perſonæ ſunt vnus Deus propter vnitatem naturæ, etiam ſi ſuppoſita plura ſint; hæc enim & ſimilia abſurda non multo labore contra oppoſitos Authores inferri poſſunt.

Quòd ſi dicant, diſtingui realiter etiam naturas Petri, & Pauli, ſed non ratione ſui, ſed ratione differentiarum indiuidualium, cum quibus identificantur realiter, licet diſtinguantur ab ipſis formaliter, & ex natura rei. Contra, quia hoc eſt dicere quod Petrus, & Paulus diſtinguantur realiter ſolùm quoad differentias indiuiduales, & non quoad naturam ab ipſis à parte rei diſtinctam, & conſequenter eſt incidere in incõuenientia tacta de identitate reali naturę.

Declaratur hoc; nam ſi forma conſtituens vnum, & diſtintum realiter Petrum à Paulo, eſt tantùm differentia indiuidualis, formaliter ante operationem intellectus diſtincta à natura vtriuſque, manifeſtè conſtat ſolùm diſtingui realiter, quoad differentias indiuiduales, & non quoad naturam; quia forma non cauſat niſi dando ſe ipſam: ergo ſi per ſe ipſam formaliter conſtituit Petrum vnum numero, & diſtinctũ realiter à Paulo, in ſe ipſa exercetur talis cõſtitutio, & diſtinctio, & non in natura ipſa, quę ſolùm ſe habet vt materiale ꝗ reſpectu huius diſtinctionis.

Quod exemplis magis conſtare poteſt: fatentur ipſi aduerſarij, quod in diuinis idcirco Pater, & Filius ſunt vnum quoad naturam Diuinam; & ſolùm realiter diſtincti quantùm ad perſonalitates, ſeu relationes, quia diſtinctio realis prouenit formaliter à ſolis perſonalitatibus, ac proinde in ipſis ſolis exercetur, & non in natura. Similiter fatẽtur ipſi quod diſtinctio formalis, quam habẽt homo albus, & niger in ratione colorati, ſolùm exercetur in ipſis quantùm ad qualitates, non autem in natura vtriuſque ſi conſideretur quantùm ad id, quod illi conuenit præciſis his qualitatibus: vt ſic enim dicunt, conuenire formaliter: ergo ita ſimiliter Petrus, & Paulus diſtinguẽtur ſolùm realiter, & numericè quoad differentias indiuiduales, non verò quoad naturam, ſed hæc erit omnino eadem prout diſtincta eſt à parte rei ab ipſis ſingularitatibus, quod eſt maximum inconueniens.

Denique, quia tota ratio propter quam Authores oppoſiti fingunt diſtinctionem ex natura rei inter naturam, & ſingularitates, ſumpta eſt, vel ex diuerſis conceptibus, & definitionibus, vel ex conuenientia, & diſtinctione, quæ eſt inter ipſamet

indiuidua, sed hæc ratio est valde insufficiens, solùmque infert distinctionem rationis ratiocinatæ cum fundamento in re: ergo. Minor probatur quoad primam partem; quia diuersi conceptus,& definitiones solùm inferunt rem propter suam emminentiam,& perfectionē non posse vnico actu concipi,ac deffiniri,ideoque pluribus intellectum eam exprimere, vt quæstione præcedenti monstraui.

Et certè negari nō potest res simplices, & indiuisas, qua ratione sunt specie, & genere distinctæ,esse inæquales in perfectione, hasque illas excedere in latitudine virtuali plurium effectuum; quo semel admisso, consequenter diuersos conceptus,& definitiones inadæquatas eiusdem rei cōcedere necessum est,nam illa maior extensio virtutis ad plures effectus; clarè vnico actu concipi, aut deffiniri nequit. Sic enim anima rationalis non distinguitur ex natura rei, in apprehensiuam,& discursiuam,in intellectiuam,& volitiuam,in liberè operantem, & necessariò,quamuis hæc omnia non nisi diuersis definitionibus considerentur in illa.

Rursus secunda pars minoris probatur: quia eadem similitudo, & distinctio exercetur inter ipsasmet singularitates, & quaslibet alias simplices differentias: nam ratio differentialis substantiæ, per quam immediatè contrahitur ens, in suo conceptu essentiali includit ens, & in eo conuenit cum differentia accidentis, quia quantumuis reduplicetur talis differentia,dicit aptitudinem ad existendum, & opponitur non enti, & chimere. Rationalitas similiter, & singularitas sunt intrinsecè substantia, quia non accidens, & substantia, vt docet Aristotel. non nisi ex substantijs componitur. Kursus, vel talis differentia caret partibus, vel dicit ordinem ad illas. Si primum,erit spiritualis. Et si secundum, erit corporea. Item omnes differentiæ indiuiduales conueniunt in ratione communi indiuidui, & differunt simul, præsertim in diuinis relationibus,quas esse conceptus simplices,nemo negat, necessariò admitti debet, eas conuenire in ratione entis, substantiæ increatæ,relationis, personalitatis; & subsistentiæ, & aliàs differunt, & opponuntur realiter, vt fides docet: ergo qua ratione in his sufficit distinctio rationis, sic in quibuslibet alijs.

Sed contra obijcies; implicat, quod aliqua duo conueniant, & differant realiter per eandem rem, sed Petrus,& Paulus realiter conueniunt in natura humana,& differūt per singularitates: ergo aliud est in illis à parte rei natura, & aliud singularitas.

Con-

Confirmatur, quia ſi ſingularitas ſolùm addit ſupra naturam ſpecificam aliquid ſecundùm rationem diſtinctum, ſequitur manifeſtè, quod huiuſmodi ſingularitas ſit aliquid rationis, & non reale, & conſequenter quod huius indiuiduatio non ſit à parte rei, quod planè falſum eſt.

Reſpondetur negando antecedens, ſi ſit ſermo de conuenientia, quæ eſt idem quod ſimilitudo realis, quinimò nunquàm cernentur res diſtinctæ quantumuis ſimplices, quæ in aliquo non ſint ſimiles, vt patet in exemplis adductis in probatione vltima. Dixi de conuenientia, quæ eſt idem, quod ſimilitudo; nam ſi per cõuenientiam intelligatur ratio, quæ ſit vna realiter, conceſſa maiori, negabitur minor ſequentibus articulis, quibus oſtendetur Petrum, & Paulum non conuenire à parte rei in natura, quæ ſit in illis realiter vna, ſed ſolùm ſecundùm rationem conueniet vnitas tali naturæ.

Ad confirmationem reſp. diſtinguendo conſequens; res addita naturæ communi eſt aliquid rationis: nego, modus additionis, ſeu compoſitionis, concedo. Nam vt iam ſupra dixi quæſtione præcedẽti, contingere poteſt, quod ea, quæ realia ſunt, ſola ratione diſtinguantur, & vnum concipiatur vt forma conſtituens, & componens, & alterum quaſi materia conſtituta: quia licet modus diſtinctionis, compoſitionis, contradictionis, & rationis ſint, res quæ conſtituit, componit, &c. realis eſt.

ARTIC. III.

An vniuerſalitas cõueniat naturis ante operationem intellectus?

Scotus, quem ſemper in his quæſtionibus aduerſariũ habemus, & Authores ſuæ familiæ ſupra citati, docent naturas ita habere ex ſe vniuerſalitatem aliquam, vt etiam exiſtentes realiter in ipſis indiuiduis eam retineant, actuquè vniuerſales ſint. Non quod exiſtiment eandem entitatem ſimul exiſtere in multis indiuiduis, ſed quod humanitas, quæ eſt in Petro, quatenus ex natura rei eſt diſtincta ab eius ſingularitate, apta ſit ex ſua propria ratione formali, & quantùm eſt de ſe, vt exiſtat in alijs indiuiduis, quamuis ex cõtractione reali cum ſingularitate Petri, ſit impedita, ne in alijs ſit.

Fundamentum huius ſentẽtiæ eſt, quia natura v.g. humana ex ſua propria, & intrinſeca ratione non eſt incommunicabilis, & indi-

indiuidua, aliàs nunquàm posset in pluribus singularibus inueniri: ergo quantū est ex sua ratione formali, communicabilis est, & indifferens, vt à pluribus indiuiduis participetur, & consequenter erit vniuersalis ex se. Patet vtraque consequentia; quia si natura essentialiter nullam singularitatem includit, vel postulat: ergo formaliter, & ex se non petit magis hanc, quam illá: atquè adeò indifferens, & apta est ex sua propria ratione, vt pluribus communicetur, in quo ratio vniuersalis consistit.

Secundò: natura humana ante opus intellectus est vna formaliter, & est in multis: ergo est vniuersalis. Consequentia patet, & antecedens quoad secundam partem: quis enim neget naturam humanam in Petro, Paulo, cæterisquè indiuiduis esse? Quoad primam verò de vnitate formali. Probatur; quia natura humana ante opus intellectus non est diuersa formaliter, & specificè in Petro, & Paulo: ergo est vna formaliter, & specie. Patet consequentia: quia vnitas, & diuersitas sunt proprietates entis, quarum vna, vel altera necessariò illi conuenit.

Confirmatur; quia à parte rei magis conueniunt Petrus & Paulus, quam Petrus, & equs, sed Petrus, & equs differunt formaliter in naturis specificis: ergo Petrus, & Paulus conueniunt in vna natura specifica formaliter; datur ergo hæc vnitas formalis, & vniuersalis à parte rei.

Tertiò probatur ex attributis naturarum vniuersalium vt vniuersales sunt, quæ de illis verificari non possunt, si sint aliquid rationis, & non realiter illis conueniens à parte rei: quod probatur, quia vniuersalia dicūtur propria obiecta scientiarum, immutabilia, incorruptibilia, obiecta de quibus definitiones tradimus, demonstrationes efficimus, & scientiam inquirimus; constat autem huiusmodi obiecta non esse confecta ab intellectu, sed veras naturas omnium rerum, vt patet discurrendo per omnes scientias, & etiam ex ratione obiecti, quæ antecedere debet prioritate naturę sciētiam sui ipsius, & ex immutabilitate illius, quæ entibus rationis nullatenus conuenire potest: ergo.

Statuitur, & probatur vnitatem vniuersalem esse vnitatem solius rationis ratiocinatæ.

Contraria tamen sententia est omnino vera, nimirùm vnitatem vniuersalem esse vnitatem solius rationis ratiocinatæ, obiectiuè tantùm existentem in intellectu, ita est vnanimis consensus peripateticę scholę Arist. enim *Arist.*

enim sæpissimè in sua metaph. præsertim 7.lib. de Anima. Vbi ait. *In rebus omnibus creatis personarum distinctio re consideratur, communitas, & coniunctio, & vna earum species: ratione atquè cogitatione percipitur, animo enim intelligimus Petrum & Paulum eiusdem naturæ esse, naturāq; vnā habere communē.* Ibi commentator. comment.8. vbi intellectum asserit esse, qui facit vniuersalia in rebus. Et Auicen. 5. suæ metaph. S. Tho. *opusc.* 55. *de ente, & essentia c.*4. Vbi naturam secundùm se, nequè vniuersalem, ait, nequè singularem esse. Et alijs innumeris locis docet vniuersalitatem esse à solo intellectu, *vt* 1.*p.q.*85.*ar.*1. & 1.2.*q.*29.*ar.*6. & 7. *met.lect.* 13. S. August. 7. *de Trinit.c.*6. S. Damas. *in sua dial.cap.*64. & *lib.*5. *de Fide c.*11. Noster Episc. M. Oña, & omnes antiqui scriptores, & moderni in Porphyriū.

Auice.
S. Thom.
Caiet.
Soncin.
Iauel.
Capreol.
Suarez.
S. Dam.
Episc.
Oña.

Ratio vnica, & firma pro hac veritate est; quia natura à parte rei nullam vnitatem habet præter vnitates indiuiduales, sed vnitas indiuidualis; vel collectio omnium vnitatum huiusmodi non est sufficiens ad vniuersalitatem, sed potius illi opponuntur: ergo à parte rei talis vnitas vniuersalis non datur. Probatur maior, in qua est difficultas; quia natura ante operationem intellectus non est distincta vllo modo à differentijs indiuidualibus, sed est ipsamet entitas singularitatum, sed singularitates à parte rei nullam habent vnitatem, sed potius pluralitatem; & distinctionem: ergo natura talem vnitatem habere potest, & consequenter, nec communicabilitatem.

Confirmatur, nam implicat, quod eadem realitas creata simplex, indiuisibilis, sit realiter vna & plures à parte rei; hoc enim propriū est solius infiniti, & Diuini entis; de quo vt omnino mirabili, & incōprehensibili confitetur Ecclesia esse vnum realiter, & Trinum: ergo nullo modo talis vnitas, & pluralitas simul in eâdem re simplici creata admittenda est.

Secundò confirmatur: quia natura humana existens in Petro non est communicabilis alteri indiuiduo, etiam de potentia absoluta, quia cum sit à parte rei ipsamet entitas singularitatis, eandem repugnantiam habet ad essendum in multis, ac singularitas ipsa.

Impugnatur Scoti sentētia, etiam sua distinctione supposita ex natura rei.

Sed demus Scoticis suam distinctionem mediam, adhuc nō conuincunt intentū. Primò: quia hæc distinctio secundùm illos compatitur cum omnimoda idemtitate reali naturæ ad hanc

hanc singularitatẽ,& consequenter cum impotentia ad essendum in alia, etiam virtute diuina: ergo cum repugnantia vt sit vniuersalis, de cuius ratione est, quod sit vnum in multis, saltem aptitudine.

Neque valet respondere, hãc repugnantiam illi prouenire per accidens ratione impedimenti singularitatis; ex se tamen indifferentiam habere naturã ad hanc, vel quamlibet aliam.

Contra hoc enim est: quod impedimentum connaturale, & perpetuum non potest dici per accidens, infertquè potius defectum potentiæ, si nunquàm est reducibilis ad actum, etiam per diuinam virtutem; ex hoc autem quod singularitas nõ sit de conceptu essentiali naturæ, non tollitur quod sit actualitas illi connaturalis, & debita tanquàm radici, sicut existentia & subsistentia sunt modi connaturales substantiæ, licet non essentiales; & non propter hoc est dicendum illi per accidens aduenire.

Sed demus etiã illis, vel realiter distingui naturam specificam à sua differentia indiuiduali,& ab hac in illam, & quamlibet transmigrare posse diuisiuè. Quid tunc? Hoc habet quodlibet accidens singulare in ordine ad plura subiecta, saltem de potentia absoluta, & non propter hoc singularitatem amittit; quia non satis est ad vniuersalitatẽ esse in pluribus diuisiuè, sed simul copulatiuè de pluribus est prædicabilis natura; prædicabilitas enim de pluribus disiunctiuè, est absolutè de vno tantùm. Sic etiam anima rationalis potest successiuè animare multa corpora, saltem diuina virtute, & de illis prędicari in concreto, & non propter hoc vniuersalis dicetur. Quinimo ipsa singularitas in casu admisso, quod natura esset distincta realiter, diuersas posset terminare naturas, sicut natura diuersis posset actuari singularitatibus, & quis tunc auderet eam vniuersalem dicere? ergo nequè in cęteris casibus intentis id debet affirmari.

Præterea cum in Deo dentur rationes cõmunes, in quibus cum illo creaturæ conueniunt, & vniuocè in sententia Scoti, quid absurdiùs, quàm concedere, quod substantia Dei ex se sit indifferens ad propriam singularitatem & humanam: ad propriam differentiam Dei constitutiuam,& ad rationem creaturæ:& cõsequenter quod in Deo detur aliqua ratio, quæ à parte rei possit non esse Deus?

Quod si secundò respõdeas, eandem omnino naturam esse simul in pluribus singularitatibus, & non diuisiuè in vna vel altera, ex eo quod in omnibus vna est à parte rei. Hoc certè Platonicum figmentum, redo-

let, iamquè impugnaui præcedenti articulo, multaquè inferiùs addam.

Sed adhuc admisso casu naturæ in se indistinctæ in pluribus singularibus, vrgeri potest cõtra illos: quod natura Diuina in tribus personis simul existens, manet adhùc singularissima in suo esse: quia debebat per contractionem vnitatem amittere, & in suis inferioribus diuidi, vt vniuersalis esset, quam diuisionem; & multiplicationem si Scotistæ admittant in natura creata, prout in suis singularibus existente, iam non esse in pluribus vnam, cogentur admittere, sed quamlibet in quolibet, quod intendimus; & consequenter non esse vniuersalem prout à parte rei, sed potius ad hoc omnimodam repugnãtiam habere, quidquid sit de radice talis repugnantiæ, an sit à se, vel ab alio essentialiter distincto.

Sed certè rationes factæ conuincunt, nequè ex deffectu naturæ, neque ex ratione singularitatis hanc repugnantiam oriri, sed quia ipsamet ratio vniuersalitatis in se ipsa implicationem includit à parte rei; nampostulat vnitatem in multis, & simul diuisibilitatem, & vna, vel altera ratio seorsim non sufficit, & vtraque simul est incompatibilis in eâdem re à parte rei; ideoquè est necessarius intellectus, qui vnitatem conferat obiectiuam, & pluralitatem in re supponat.

ARTIC. V.

Respõdetur fundamẽtis contrariæ sententiæ.

AD primum Scoti argumentum, negatur consequentia illa; *natura se nõ est incommunicabilis : ergo est communicabilis*; quia neutrum conuenit illi essentialiter. s. nequè esse singularem, nequè vniuersalem, sed abstrahit ab vtroque, vt docet S. Thom. infra citandus. Vnde primum accidentaliter illi conuenit à parte rei, & secundum accidentaliter per rationem, vt infra dicam, quemadmodum esse album non conuenit ex se homini, nec non album. Ad probationem autem contra hoc, dico, quod licet natura specifica ex se non includat, vel petat magis hanc singularitatem, quam illam, petit tamen à parte rei esse realiter idemtificatam cum aliqua singularitate, ratione cuius repugnet illi semper à parte rei vnitas vniuersalis, & communicabilitas respectu aliorum; cæterùm, quia natura considerata solùm secundũ id quod illi ex se conuenit, est iam natura præcisa secundùm rationem, nihilminum,

mirum, quod vt sic singularitatem non includat, & consequenter quod ex tali præcisione resultet in ea indifferentia, & communicabilitas.

Ad secundum argumentum distinguēdū est de natura, prout est à parte rei in quolibet singulari, vel prout est in pluribus. Prout est in quolibet singulari fateor, habere vnitatem formalem; sed vt sic non est in pluribus actu, vel aptitudine, vt probatum est: atque adeò nec vniuersalis. Si autem prout est in pluribus consideretur, deficit illi vnitas, vt satis efficaciter ostēdi; quia sic solùm est plures. Ad probationem autem contrà hoc respondeo, naturam prout in pluribus singularibus existit à parte rei, neque esse formaliter diuersam, neque vnam formaliter, loquendo de vnitate absoluta; sed esse plures realiter, vel plures vnitates formales inter se similes, & realiter distinctas, de quo latè dicam sequenti quæstione.

Ad confirmationem concedo, quod magis in re conueniāt Petrus & Paulus, quam Petrus & equus, cæterùm hæc maior conuenientia non est aliqua ratio, quæ in illis sit realiter eadem, sed solùm maior quædam similitudo, quam in re habeant, ex eo quod natura vnius sit sicut natura alterius, licet vtraque inter se distincta sit.

Ad vltimum patebit inferiùs, nunc breuiter dico, vniuersalia, vel posse considerari pro materiali, seu denominatiuè, & sic esse naturas reales, quæ cōsiderantur ab alijs scientijs, de quibus deffinitiones traduntur, demonstrationes fiunt, &c. Vel possunt quidditatiuè considerari quoad vnitatem vniuersalem, quā pro formali importāt, & sic sunt obiectiuè in intellectu, & cōsiderātur per se à Logica, licet secūdariò, vt dixi sect. 2. Dicuntur etiā incorruptibiles, & æternæ huiusmodi naturæ vniuersales, non quia formalis vniuersalitas incorruptibilis sit, aut æterna, neque quia materiale huius vniuersalitatis à parte rei incorruptibilitatem aliquam habeat, vt tribuitur Platoni, sed quia naturæ, eo ipso quod abstrahuntur ab intellectu, & inadæquatè cōsiderantur sine differentijs indiuidualibus, consequenter separantur à generatione, corruptione, tempore, loco &c. quæ illis conueniunt à parte rei, ratione singularitatis, ideoquè huiusmodi incorruptibilitas, aut æternitas negatiua dicitur, quia solùm conuenit naturæ quatenùs obiectiuè existit denudata à conditionibus singularibus.

Fonseca 5. lib. met. cap. 28. q. 3. sec. 2. 3. & 4. & ante illū, Sonci. 7. met. q. 40 tribuiturquè etiam Capre. in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. ad argu. Scoti.

Ex dictis facilè reijci potest opinio alia singularis, quā tenuit Fonseca, dicens: quod licet natura prout existens in suis indiuiduis, nullatenus sit actu vniuersalis,

ſalis, tamen ſi conſideretur precisè ſecundùm ſuam eſſentiam in quodam priori naturæ, antequàm contrahatur ad ſua inferiora, habet vnitatem quandam formalem, & in potentia vniuerſalem; quia illa eſſentia vt ſic præciſa, & in ſtatu poſsibili conſiderata, habet independenter ab intellectu, quod non ſit formaliter multiplex, & quod non ſit incommunicabilis, & indiuidua: ergo vt ſic eſt formaliter vna, & indifferens.

Contra illá enim facilè opponi poſſunt argumenta à nobis ſupra facta contra Scotū; nam eandem idemtitatem realem habet proportionabiliter natura poſsibilis cū ſingularib⁹ poſsibilib⁹, ac natura exiſtēs cum ſingularib⁹, exiſtentibus, & cōſequenter eandem pluralitatē realem, & repugnantiam, vt vna formaliter multis communicetur; quia nō aliæ naturę exiſtūt, niſi quæ ſunt poſſibiles: neque poteſt euidentiùs argumentū fieri, quam à re exiſtēte ad ipſam vt poſsibilem, & à negatione exiſtētiæ tam actualis, quàm aptitudinalis, ad ipſam vt impoſsibilem, nam exiſtentia eſt exercitiū poſsibilitatis rei: ergo ſi repugnat hæc vnitas vniuerſalis, quomodocūq; explicetur, naturæ prout exiſtēti; etiam naturæ vt poſsibili.

Illud verò, quod addit Fonſeca, hanc ſcilicet vnitatem realem conuenire naturæ ſecundùm ſe, & non in ſuis ſingularibus, planè falſum eſt: quia nullum eſt prædicatum reale eſſentiale, imò nec accidentale, quod non conueniat naturæ prout exiſtenti in ſuis ſingularibus; quia cum natura exiſtere nequeat extra ſingularia, ita neque cum aliquo prædicato reali, quod in ſingularibus non habeat, nam de illo inquirēdum eſt, vbi nam exiſtat? ſi nullibi, reale non erit, ſed tantùm obiectiuè in intellectu. Si alicubi, non alibi niſi in ſingularibus, quia ibi tantùm exiſtit natura realiter.

ARTIC. VI.

An hæc vnitas rationis naturæ vniuerſalis ſit tantùm ex parte actus: an etiam ex parte obiecti?

SCoti iam vniuerſalitate ſuperata, iterùm cum nominalibus contendere neceſſum eſt. Scoti enim diſcipuli diſtinctionem, & vnitatem formalem tribuunt naturæ prout à parte rei. Nominales verò vtrāque negant, etiam obiectiuè exiſtere in intellectu. Ne autem abſolutè negent diſtinctiones rationis, & vniuerſalia contra communem ſententiā, dicūt for-

formaliter & subiectiuè existere in intellectu. De distinctionibus iam dixi, *quæst.4.art.3.* non solùm consistere in diuersitate, actuum, sed etiam in multiplici formalitate ex parte obiecti, nūc de vnitate consequenter idem dicam.

Sed prius eorum sententiam aperiamus, quam Petrus Hurtado eorum defensator acerrimus satis luculenter ostēdit, ait enim ex mente propria, & illorum, cognitionem vniuersalem immediatè terminari ad omnia singularia contenta intra speciem, vel genus, quatenùs sunt similia in aliquà ratione; vnde preter vnitatē similitudinis, vel relatiuam, ait, non correspondere actui, per quem fit vniuersale, ex parte obiecti aliqua ratio obiectiuè vna, qui sit in multis, sed immediatè plura singularia, actu tamen ita confuso, vt nesciat intellectus ex vi illi' discernere inter eorum differentias.

Hurtado d.5. met. sect.7.8. & præcipue 10.

Vnde infert primo quod sicut distinctio rationis inter gradus metaphysicos non est aliquod ens rationis obiectiuè existens intellectui, sed consistit in multiplici actu reali magis, & minus confusè repræsentante eādem formalitatem realem, ac indiuisam etiā obiectiuè, ita in vniuersalibus non est aliqua vnitas rationis obiectiuè existēs in anima, sed est vnitas solius repræsentationis, vel cognitionis, qua plura singularia, eo ipso quod confusè cognoscūtur solùm vt similia, dicuntur vniri, vel fieri vnum, non vnitate ipsis intrinseca, sed vnitate extrinseca in ipso actu intellectus, à quo illam formaliter accipiunt.

Secundo infert, quod licet actus intellectus sit in se singularis in essendo, est vniuersalis in repræsentando, sicut Deus dicitur similiter vniuersalis in causando; vnde de primo ad vltimū vniuersalitas, quam hæc sententia affirmat, est tantùm in repræsentando, & non in essendo, vt magis postea declarabo.

Probatur vniuersalitas obiectiua, seu in essendo ex mente S. Thomæ.

Miror quod hic author non sit contentus rationibus suis valde acutis communem sententiā pungere, sed quod etiam Angelicū Doctorem, & alios in mille locis oppositum asserentes, in sui patrocinium, & Nominalium reconciliationem adducat.

Primò enim adducit pro se opusc.55. S. Thomæ, vbi ait, naturam fieri vniuersalem actu per actionem intellectus, & similiter prædicabilem, & extra intellectū non esse vniuersalem actu, sed potentia: quia potest fieri vniuersalis per actionem intellectus. Sed hæc verba, & omnia huiusmodi expositione non indi-

indigentiæ omnes enim, tam de enterationis in communi, quàm de vniuersali in particulari asserimus fieri per actum intellectus, & nullibi esse extra illum, hoc est à parte rei: & de vniuersali constitui formaliter per actionem abstractiuam, vel comparatiuam intellectus possibilis; nam eo ipso quod ens rationis habet esse obiectiuum, & pendens ab intellectu in ratione obiecti repræsentati, modo iam supra explicato, verificantur hæc omnia absolutè, sine eo quod expositionibus, aut limitationibus opus sit.

Præterea: si legatur attentè hoc opusculum, nihil magis contrarium sibi adducere potuit Author citatus, nam primò adducit Angelicus Doctor definitionem, quam Arist. vniuersali assignat, s. *quod sit vnum in multis, & præter multa*; ex illaquè deducit duplicem modum essendi, quem habet huiusmodi natura vniuersalis, s. *in multis*, hoc est, in singularibus, à parte rei, per contractionem ad illa; *& præter multa*, hoc est, in intellectu abstrahente, & depurante eam à conditionibus singularibus.

Vnde præter vniuersalitatem repræsentationis explicat vniuersalitatem in essendo, quam habet ipsa natura prout abstracta; eãdemquè naturam, inquit, quæ antea singularis erat, & sensibilis, postea fieri vniuersalem per actionem intellectus denudantis eam à conditionibus singularibus, quod directè opponitur fundamento nominalium dicentium, quod quis intellectus non potest non intelligere singularia, quia sic sunt in re, tantùm potest vniuersalitas consistere in voce, vel in conceptu illa confusè exprimente.

Sed verba S. Thomæ inter alia sunt. *Et ideo ait Boetius, vniuersale dum intelligitur, singulare dum sentitur, quia vna & eadem natura, quæ singularis erat, & indiuiduatur per materiam in singularibus hominibus, efficitur postea vniuersalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic, & nunc, vnde rationem vniuersalis, & prædicabilis accipit ab ipso intellectu, vt dictum est.* Vbi pondera verba illa, *quæ singularis erat*, nam singularitatem indicant præteritam, & per actionem intellectus amissam, videlicet. *Depurantis ipsum à conditionibus quæ sunt hic, & nunc.*

Etsi adhuc scrupulum subest, attende verba sequentia; quæ omnem prorsus auferunt ambigendi locum. *Et quamuis ab ipsa anima recipiat rationem vniuersalis, tamen non est in ipsa secundùm suam essentiam, sed secundùm suam similitudinem, & speciem, vnde & Philoso-*

phus ait; lapis non est in anima, sed species lapidis; hæc autem species, seu similitudo existens in anima, est vna numero, & singularis. Eius autem vniuersalitas non est ex hoc, quod est in anima; sed ex hoc, quod comparatur ad multa singularia se habentia opinata. Ne aliquis occasionē sumat, ex hoc, quod ait, vniuersale fieri per actionem intellectus, tribuendi illi, quod vniuersalitatem in actione constituat intellectus, subdit: *Et quamuis ab ipsa anima ratio nem vniuersalis recipiat, non est in ipsa secundùm essentiam, sed tantùm secundùm similitudinem, aut speciem,* sicut lapis, & quodcumque aliud obiectū hoc modo dicitur esse in intellectu. Vbi satis clarè docet vniuersalitatem secundùm essentiam obiectiuè, & non formaliter in intellectu existere.

Et secundùm suam speciem, subdit esse vnam numero, & singularem. Vbi aduerte hanc rationem punctò finiri, & incipere paragraphum diuersum ab illis verbis. *Eius autem vniuersalitas, &c.* particula enim *eius* refert naturam vniuersalem, & dicit eius essentiam consistere in habitudine, quam habet ad multa, ad quæ comparatur, &c.

Quod amplius paulò inferius exponit, dicens: *est enim illa,* hoc est natura, *in solo intellectu singularis, & est vniuersalis in quantùm habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam, prout æqualiter est similitudo omnium, ducens in omnium cognitionem.* Vbi particula hæc, *ducens in cognitionem*, clarè significat se loqui, non de similitudine intentionali, quæ est ipsa cognitio, sed de similitudine obiectiua, quæ ducit in cognitionem, & in hac, & non in illa vniuersalitatem ponit.

Explicat rursus, quomodo natura obiectiuè potest esse vniuersalis in ordine ad sua inferiora; & singularis, & vna numero quatenus obijcitur intellectui, exemplo imaginis, quæ singularis est in essendo, & vniuersalis in repræsentando, propter similitudinem, quam habet in hoc vniuersali in essendo, quod tantùm exponere intendit. Patetque euidenter ex verbis immediatè sequentibus: *Quamuis autem dictum sit, quod illa natura, quæ est vniuersalis, in quantùm est in anima, est vna numero, non tamen oportet, quod diuersarum specierum, quarum est idem genus sit vna essentia, &c.* in quibus vniuersalitatem naturæ tribuit, non conceptui, & inquit, quod licet dixerit, esse vnam numero, prout est obiectiuè in anima, non est tribuenda illi hæc vnitas, prout est in suis inferioribus, qui contextus solùm de natura loquitur, & de con-

conceptu minimè verificatur.

Sed clariùs adhuc loquitur *opuſcul. 56. in principio*, vbi ait: *Dico ergo quod vniuerſale ſecundùm quod vniuerſale comprehendit primam rem, quæ de ſe nata eſt in pluribus eſſe ſecundùm intentionem ſecundam, ſed intentionem ſecundam appello, illud, quod intellectus ſecundò intelligit de re, &c.* Vbi totum vniuerſale tam prò materiali; quàm pro formali explicat ex parte obiecti. Et inferiùs explicat naturam eſſe vniuerſalem, ſecundùm quod eſt participabilis à pluribus, & intelligi ſub ratione generis, ſecundùm quod participatur à pluribus differentibus ſpecie, &c. legatur totus ille contextus.

Rurſus legatur *opuſc. 48. c.1.* vbi tam clarè vniuerſalitatem tribuit naturæ, prout obiectiuè exiſtit in intellectu, vt ſuperfluum ſit eius verba adducere. Sic etiam in ſequentibus capitibus de vniuerſalibus in particulari loquens, ſæpè hanc ſententiam ſupponit. *Opuſc. etiam 42. de natura generis cap. 4.* ait. *Ens autem rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio in rebus adinuenit, ſicut eſt intentio generis, & ſpeciei, quæ non inueniuntur in rerum natura, ſed ſequuntur actiones intellectus, & rationis.* In rebus, inquit, inueniuntur, ſed non prout in rerum natura, ſed prout intellectis, & non in actionibus intellectus, ſed in eo, quod conſequitur ad illas. Sic infinita teſtimonia congerere poſſem, ſed dicta ſufficiunt ei, qui mentem S. Tho. ſincerè explorare conatur.

Ratione probatur vniuerſalitas obiectiua, ſeu in eſſendo.

Ratio à priori oſtendens vniuerſalitatem in obiecto conſiſtere, & non in actu plura ſignificante, eſt ipſa vniuerſalis definitio, ſcilicet, *Eſt vnum in multis, vel aptum natum eſſe, aut prædicari de multis*; hoc autem de conceptu verificari nequit; non enim eſt in multis actu, vel aptitudine, vel prædicatione formali, ſed tantùm eſt ad multa obiecta repræſentata per illum; ſed de natura hæc omnia verificatur optimè. V.g. de natura humana, quod ſit in Petro, & Paulo, quod participetur ab illis, quod prædicetur de illis, &c. ergo illi, & non actui intellectus vniuerſalitas competit in eſſendo.

Dices: homo à parte rei non eſt niſi multa indiuidua, & non aliquid vnum exiſtens in illis; ſed ſic poteſt cognoſci à vero intellectu: ergo ſi non ad ſit fictio ſine fundamento, nihil poteſt ex parte obiecti correſpondere intellectioni

quod vniuersale sit in essendo.

Sed iam ostendi latissimè præcedenti quæstione, quomodò rem simplicem, ac omnino indiuisam intellectus suis actibus inadæquatis posit diuidere, ita vt ex parte obiecti multiplex appareat: hac enim doctrinâ communi, & certissima supposita, colligitur manifestè, intellectum disiungere posse rationem, in qua plura conueniunt, non consideratis differentijs, in quibus differunt, & illam esse obiectiuè vnam, cum omni diuisione, ac pluralitate careat, prout est obiectiuè in intellectu, ac proinde, quod sit vna in multis, & de illis prædicabilis. Vt infra magis constabit.

Confirmatur hæc doctrina ex alia communi, qua ferè omnes docent, vniuersale fieri per abstractionem, vel intellectus agentis, vel intellectus possibilis, siuè absolutam, siuè comparatiuam, qua denudatur natura à suis differentijs, vel conditionibus singularibus; & consequenter fit vna, & distincta ab illis; (quam latissimè tradit, & probat Suarez quem nescio quo titulo adducat pro se author citatus:) Supponunt ergo eam per intellectum posse obiectiuè à pluralitate præscin-[illegible], & consequenter vnam fie-[illegible] de multis prædicabilem: ergo opinio hæc docens, indiuidua vt plura, & distincta, vniuersalem terminare cognitionem, hanc abstractionem naturæ à pluralitate è medio tollit contra communem sententiam.

Nec valet responsio, qua gratis permissa hac abstractione, ait, naturam non manere vnam, nisi tantùm secundùm similitudinem, non autem vnitate simpliciter, nam distincta humanitas abstracta fuit à Paulo, & à Petro, & alijs, ac proinde non vna, sed plures humanitates præscinduntur, si quidem plures erant à parte rei.

Sed hoc non est dare gratis abstractionem, quam dicit, sed potius gratis auferre, ne dicam iniustè; nam si semel admittitur, naturam abstrahi à pluralitate, quomodo plures manere concipitur? Per differentias namque indiuiduales, vt supponim⁹, fit plures natura, ablatis verò illis per intellectum, pluralitas ei consequenter aufertur, & vnitas obiectiua tribuitur, vel possibilitas huius abstractionis negatur; ad vnitatem autem secundùm similitudinem relatiuam abstractio non est necessaria, si quidem in re, & in statu contractionis, naturæ conuenit hæc relatio.

Quando autē Suarez, & alij vnitatatē similitudinis vocāt eā quam

quam habet natura vniuersalis, vel loquuntur specificatiuè de re, quæ abstrahitur, non prout abstracta: vel sic eam dicunt, quia est ratio formalis in abstracto, in qua plura assimilantur à parte reî, quæ dici potest similitudo in actu signato, non in actu exercito, sed ipsi satis se explicant, clarissimequè suam mentem aperiunt, ideoquè in hoc immorari nolo.

Denique, vt alia omittam, breuitatis gratia, sic argumentor contra prædictam sententiam: quia si vox *homo, vel conceptus*, significat plura vt plura, quantumuis similia repræsententur, sequitur vel quod vox sit æquiuoca, vel penitùs inepta ad prædicationem. Quod sic declaro: nam vel significantur plura illa similia collectiuè per vocé, vel conceptum *homo*, & sic falsa esset hæc propositio: *Petrus est homo*, quia æquiualeret huic. *Petrus est omnes homines*: Nam vox homo prædicat rem significatam, quæ est omnis homo. Vel significat illa plura disiunctiuè, & indeterminatè, & sic vox æquiuoca est: nam plura vt plura indeterminatè significat.

Neque valet respondere, quod significat plura vt similia, ac proinde vt vnum vnitate relatiua, hancque sufficere æquiuocationem auferre. Contra hoc enim est, quod deffinitio signi æquiuoci tantùm importat, quod plura vt plura repræsentet, non determinando hæc, vel illa, sed quæ sunt relatiuè similia ita propriè ac simpliciter plura dicuntur, sicut dissimilia; ergo plura vt similia æquiuocationem non tollunt.

Satisfit argumentis oppositis.

Sed arguunt. 1. Authores oppositi sic: actus & forma vniuersalis est vnitas, per quam homo constituitur indiuisus in se ratione, sed actus, per quem homo constituitur indiuisus in se est qui immediatè repræsentat Petrũ & Paulũ, cęterosq; homines singulares: ergo. Maior patet, & minor probr. primo: quia vnitas vniuersalis nõ cõuenit naturæ prout est à parte rei: ergo conuenit illi prout taliter cognitæ ab intellectu; sed natura prout cognita constituitur formaliter per cognitionem: ergo natura prout vna secundùm rationem cãdem cognitione formaliter constituitur, ac proinde in actu intellectus talis vnitas consistit.

Secundò probatur: quia homo, qui constituitur tamen se in diuisus formaliter per illum actum, sunt Petrus, & Paulus immediatè; nam ille homo constituitur per rationẽ indiuisus, qui à parte rei erat diuisus, sed Petrus, & Paulus, & cæteri sunt

realiter in se diuisi à parte rei: ergo illi immediatè vniuntur, & constituuntur indiuisi per actum intellectus, ac proinde nòn materialiter, & remotè vt nos cum communi sententia dicimus.

Declaratur amplius vis huius rationis: Diuisio, & indiuisio rei immediatè versantur circa eandem rem; sed diuisio hominis immediatè versatur circa Petrum & Paulum: ergo indiuisio hominis immediatè versatur circa Petrum & Paulum. Maior patet, tùm è physicis, nam vnio, siue vnitas partium immediatè afficit partes, quas inuenit diuisas: tùm quia priuatio, & habitus sunt circa idem subiectum; est enim priuatio carentia formæ in subiecto apto tali formæ. Minor etiam probatur, quia diuisio hominis logicè loquendo, est clara, & immediata cognitio inferiorum, quæ sub homine continentur, quæ sunt Petrus & Paulus, ex quo patet consequentia, quod vnitas, & indiuisio immediatè plura indiuidua. s. Petrum & Paulum respiciant.

Secundò confirmatur: quando homo diuiditur in Petrum & Paulum, eo fit præcisè quod Petrus, & Paulus clarè noscuntur: ergo quando manent ratione indiuisi, eo præcisè manent, quia attingũtur immediatè per actum confusum. Patet consequentia, quia clarus actus, & obscurus tribuunt suis immediatis obiectis oppositas denominationes: ergo si actus confusus immediatè terminatur ad Petrum & Paulum, illos faciet confusè cognitos, & consequenter indiuisos, quia indiuisio rationis est confusa plurium cognitio, sicut diuisio est clara eorumdem notitia.

Tertiò confirmatur, diuisum & partes diuidentes simul sumptæ sunt omnino æqualia, solumque differunt penès claritatem & obscuritatem suorum actuum, & actus diuidens denominat partes diuidentes diuisas, easquè explicare dicitur, quia clarè exprimit: ergo actus de diuiso eas confundit, & indistinctè cognoscit propter suã obscuritatẽ. Alias probationes huius argumenti omitto, quæ molestiam augent, & non efficaciam.

Ad Argumentum respondeo primò negãdo minorẽ, quoniam vnitas vniuersalis non in actu repræsentatiuo, sed in natura obiectiuè repræsentata sine pluralitate consistit, vt satis dictum est. Et ad probationem contra hoc respondetur distinctione maioris. *Natura prout cognita, vel prout vna secundùm cognitionem* (vt infertur) *dicit cognitionem formaliter in recto*, nego; *dicit cognitionem in obliquo, & de connotato*.

tato, concedo. Eſt enim medium, quod ſignificatur in recto inter naturam prout eſt à parte rei, & formalem cognitionem, ſcilicet ipſa natura obiectiuè exiſtens vt vna, quæ vt talis, cognitionem petit vt connotatum extrinſecum, & non vt intrinſecum conſtitutiuum.

Secundò, quidquid ſit de maiori, negatur minor: quinimo eius probatio retorqueri poteſt in ſuum authórem: nam ſi homo, qui à parte rei eſt diuiſus, conſtituitur per rationem indiuiſus, debet eo ipſo ſine diuiſione ac pluralitate concipi, ac proinde non manere diuiſus, aliàs quo modo indiuiſus? quod ſi non manet diuiſus: ergo non manet Petrus, & Paulus, neque ipſi immediatè vniuntur: nam Petrus, & Paulus vt tales ſunt, non poſſunt eſſe idem, niſi omnis diſtinctio, & hæcceitas ab ipſis tollatur.

Vnde in forma ad probationem minoris reſpondetur diſtinctione, quod homo idem, qui à parte rei erat diuiſus, conſtituitur per rationem indiuiſus, ſpecificatiuè loquendo, non reduplicatiue, & in ſenſu compoſito vt diuiſus: eſſet enim implicatio in terminis, quod diuiſum vt diuiſum fieret indiuiſum, ſicut eſſet dicere, quod album, in quantum album fit nigrum; verificatur autem hæc propoſitio ſpecificatiue, ſeu in ſenſu diuiſo. s. quod ſubiectum album ablata albedine fit nigrum, ſic in propoſito.

Ad primam confirmationem fateor, quod vnitas, & diuiſio verſentur circa eandem rem, in qua fundantur, ſed taliter, quod prout eſt ſub vno modo non retineat alium, neq; è contra, licet maneat idem fundamentū ſub vtroque. At Petrus & Paulus non ſunt fundamentum, in quo ſubiectatur diuiſio indiuidualis, quam habent in re, ſed ſunt extrema intrinſecè conſtituta, & diuiſa per differentias indiuiduales, ac proinde reduplicatiue vt diuiſa: fundamentum ergo pluralitatis, & diſtinctionis, quam habent, eſt ſola humanitas, vel natura ſecūdùm ſe; & hæc eadē eſt, quæ fundat indiſtinctionem, & vnitatem rationis; vt poſtulat argumentum.

Quod amplius declaratur ex diſcrimine, quod eſt inter vnionem, & identitatem: hæc enim omnem diſtinctionē realem excludit, & ideò non poteſt extremis ineſſe diſtinctis, ſicut ineſt diuiſio illi oppoſita; at vnio ſolum ſeparationem, non diſtinctionem extremorum excludit, ideoque vterque modus in extremis reduplicatiue vt diſtinctis fundatur; ſed vnitas naturæ vniuerſalis non eſt per modum vnionis, ſed per modum identitatis, quam habet

 natu-

natura eo ipso, quod ab omni pluralitate, & distinctione abstrahitur.

Quod dixi de vnitate, & distinctione obiectiua, consequenter ad actus de diuiso, & membris diuidentibus applicari debet. Quod.s. actus de diuiso naturam ita confusè consideret, quod nullam eius pluralitatem percipiat, ac proinde omnino nudam à Petreitate, & alijs differentijs indiuidualibus respiciat, & actus de membris diuidentibus illa vt plura, & distincta repræsentet.

Benè verum est quod intra genus notitiæ confusæ, & claræ sunt diuersi gradus: visus enim corporalis à longè videt aliquid prius ita confusè, quod solùm percipit rationem corporis; postea cernit moueri, & consequenter esse animal; appropinquatur magis obiectum, & discernitur ratio hominis: accedit tandem, & cognoscitur ratio Petri. Inter quos gradus, qui est clarus respectu vnius, dicitur obscurus, & confusus respectu alterius explicatioris. Sic in intellectu est cognitio ita confusa, quæ solùm percipit naturam, & nihil de eius singularibus, nequè clarè, nequè obscurè: est item alia, quæ omnia indiuidua naturæ simul, & inconfuso considerat, cæterùm vt plura, & distincta, quæ respectu prioris clarior est, sed respectu aliarum, quibus magis explicitè discerni posunt Petrus, Paulus, & Ioannes, confusior.

Quo supposito ad reliquas probationes, & confirmationes respondeo, quod non quælis cognitio confusa est indistinctio multorum, vt patet in exemplo visus corporei adducto: vel si est aliqua indistinctio, est secũdùm quid, seu analoga, quatenus comparatur ad claram diuisionem, & notitiam membrorum diuidentium; dicitur tamen diuisio respectu alterius confusioris abstrahentis ab omni pluralitate, & sic comparantur inter se actus, quo omnia indiuidua naturæ vt plura in confuso considerantur, & actus, quo natura etiam confusa pluralitate nudatur, & concipitur omnino solitariè, ac nuda.

Soluitur secundum argumentum.

Secundò principaliter arguunt sic: immediatum obiectum actus vniuersalis verè prædicatur de Petro, & Paulo: ergo Petrus, & Paulus sunt immediatum obiectum actus vniuersalis. Antecedens patet, & probatur consequentia: quia id quod immediatè prædicatur verè de alio, est immediatè idem cum illo, nam sensus propositionis affirmatiuæ est, *hoc est illud: ergo.* V. g. homo est idem

quod

quod animal. Propter quod S. Thom. infra ſuo loco citandus, ait, quod prædicatum debet eſſe idem re, & ratione cum ſubiecto: ergo non ſolùm prædicatum, ſed etiam ſubiectum ſunt immediatum obiectum actus vniuerſalis: ergo & Petrus, & Paulus, de quibus immediatè homo prædicatur.

Confirmatur; quia quando homo dicitur de Petro, vel prædicatur totum obiectum actus vniuerſalis, vel prædicatur tantùm pars illius obiecti. Si ſecundùm: ergo immediatum obiectum actus vniuerſalis non eſt natura omnino eadem, ſed aggregatum ex pluribus naturis ſimilibus, quorum altera in Petro ſit, altera in Paulo, &c. quod intenditur. Si primum; eſt implicatorium; nam eadem res non poteſt eſſe adæquatè eadem cũ Petro, & Paulo, hoc enim ſolùm in myſterio Trinitatis contingit.

Mitto tertium argumentum, quo probant naturam a ſuis ſingularibus præſcindibilem non eſſe, de quo ſatis egi præcedenti quæſtione. Et quartum, quo contendunt ad hominem ex negatione præciſionis entis à ſuis inferioribus idem probare in quouis alio vniuerſali inferiori, de quo dicam, tractando de trãſcendentia entis, & iam ſupra explicui, non omnem diſtinctionem rationis eſſe formalem, ſeu eſſentialem, & in quo vna ſit ab altera diſcernenda.

Ad argumentum ergo ſecundum reſpondetur conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens. *Petrus, & Paulus ſunt immediatum obiectum actus vniuerſalis* indiſtinctè, & materialiter, concedo. Formaliter verò, & determinatè, nego conſequentiam. Explico: vniuerſale, *homo*, v.g. eſt quodam concretum pro formali naturã determinatè ſignificans & prædicans, quę verè vt vna concipitur, vel ſub ratione vnius, ſiquidem abſtracta conſideratur ab omni pluralitate, & hæcceitate, pro materiali verò ſignificat omne habens illam indiſtinctè, & vagè, & nullum determinatè, niſi tantùm identicè; quomodo animalitas rationalitatem ſignificat, quia eſt eadem à parte rei cum ratione explicitè ſignificata per vocem.

Dices; quare non poteſt natura diſiunctiuè etiam, & indeterminatè accipi, ſicut habens illam? Vel quomodo intelligi poteſt, quod habens naturam ſit indeterminatum, & natura determinata ſit? Reſpondetur, rationem diſparitatis eſſe, quod natura in ſuo formali conceptu eſt præſcindibilis à pluralitate, ideoque determinatè concipitur ſine illa; at ipſa multiplicitas indiuidualis eam eſſentialiter includit, & idcirco ſine illa, con-

ſuſè

fuse saltem subintellecta considerari nequit.

Præterea si totùm concretum indistinctè, & vagè acciperetur, iam non esset vniuersale, sed æquiuocum, vel indiuiduum vagum, vt dixi; quia vel significaret plura indeterminatè, vel vnum tantùm vagè, sicut hæc vox, *aliquis homo* vniuersalis non est, vt infra dicam; quia non significat absolutè plura, sed vnum tantùm vagè, & indeterminatè, quod tam vnum est, sicut determinatum per particulam *hoc*; Vnde rursus sequeretur, quod vox *homo* affici non posset syncathegorematè *aliquis*, vel *quidam*, vel *omnis* (sicut dicam de indiuiduo vago) si illiùs sensum redderet vox *homo*. Hæc omnia excusantur, si formale significatum, à quo signum sumit speciem, sit ratio vna determinatè.

Ad confirmationē aliqui respondere solent obiectum immediatum actus vniuersalis esse ens rationis, & non quid reale; nempe idolum quoddam mente confictum, quod in esse apprehenso, & obiectiuo habeat, quidquid obiectum remotum habet realiter, V.g. quando concipitur homo in communi, correspondet cōceptui formali homo quidam fictus, qui propter hoc à communi sententia dicitur ens rationis, & in eo sic obiecto cōsiderantur prædicata similia ijs, quę realiter cernuntur in Petro, & Paulo, quo homo fictus ęqualiter est in illis, non intrinsecè, & realiter, sed extrinsecè, & intentionaliter, per similitudinē prothotypi cum exēplari, sicut imago Cęsaris reperitur in Cæsare extrinsecè, & in esse repræsentato: & sic explicāt quomodo inueniri possit in indiuiduis realiter distinctis.

Sed fictio hæc sine fundamēto, & necessitate ad ens rationis ratiocinantis pertinet, non verò ad doctrinale, & ratiocinatum, quod tantùm scientijs deseruire potest, & compatitur cum veritate, quam scientia petit, tam ex parte sui, quàm ex parte obiecti. Neq; hic homo pictus potest verè prædicari dę Petro, & Paulo, quod requiritur ad rationem vniuersalis; quia nihil de alio prę dicari potest, nisi sit in illo à parte rei, & ideo neque exemplar de re cuius est, præsertim cum exēplar adequatum non est prothotypo: alias monstrum, quod esset semicapra, & semihomo de Petro posset verificari, propter similitudinem quam habet in altera parte cum illo, quidquid sit de alterius differētia. Item similis non prædicatur inrecto de simili, sed tantùm in obliquo respicit illud, non vt subiectum in quo, sed vt terminum ad quem.

Quod autē vniuersale sit ens rationis fateor, quantū ad vnitatē vniuersalem, quę est ratio sub

quà terminans definitionem, & prædicationem naturæ; quantũ ad naturam verò quę definitur, & prædicatur est verum ens reale inadæquatè conceptum, vt supra q.3.dixi.

Ideoque hoc figmento omisso, aliter respondetur, quod quãdo prędicatur homo, tota, & eadem natura, quæ denominatur vniuersalis, est in Petro, & in Paulo, & affirmatur cũ veritate de omnibus. Quando autem obijcis, quomodo potest eadẽ natura indemtificari cum singularibus distinctis realiter.

Respõdeo, ꝙ non est eadẽ secundùm rem in Petro, & Paulo, sed tãtùm secundùm rationem, quæ idemtitas non consistit in aliquo figmento, sed in hoc, ꝙ inadæquatè, & abstracte concipiatur natura realis absque omni pluralitate, quæ illi conuenit ratione singularitatis. Eo ipso, ꝙ sine multiplicitate consideratur natura, manet obiectiuè vna secundum rationem; nõ quia intellectus de illa affirmet vnitatem, sed quia merè negatiuè se habet, non repræsentando eius pluralitatem, quam propterea vnitatẽ negatiuam dico.

Ex quo iam constat, quã parùm obstet hæc vnitas idemtificationi eiusdẽ naturæ cum suis singularibus. Obstaret enim si esset positiue, & realiter vna, vel si intellect⁹ illi tribueret vnitatẽ in genere rei, vel obiecti terminantis vt quod. Solùm enim est ratio subqua natura cõsideratur secundùm suam essentiam abstracta ab vnitate, & pluralitate, vt quęst. seq. explanabo satis.

QVAESTIO VI.

Vtrum præter vnitatem rationis, & indiuidualẽ realem, aliam habeat naturam, quæ sit formalis à parte rei?

ARTIC. I.

SVppono ex S.Tho. *opusc. de ente, & essentia, c.* 4. quamlibet naturam in triplici statu considerari posse. Primò, quatenùs in se est, & secundùm se, id est, secundùm suam essentiam: qua ratione conueniunt illi prædicata, quæ habent necessariam connexionem, & inseparabilem cum illa, vt sunt prædicata essentialia, quæ primariò illi conueniunt, & propriæ passiones, quæ dimanant ab essentia, & idcirco secundariò ad illam pertinere dicuntur.

Secũdò potest cõsiderari natura quatenùs est in alio, ratione cuius aliquod prædicatũ dicitur de

de illa, quod est extra essentiam eius,& hoc dupliciter. Aut quatenus est in alio tanquàm in suis inferioribus, à quibus participatur, & cum quibus contracta est, & sic conueniunt illi prædicata accidentalia realia,quæ,si natura sit species infima,sunt accidentia communia, in quibus conuenit talis natura cum alijs; secùs verò si natura sit generica.

Secūdò potest cōsiderari natura, prout est obiectiuè in intellectu, ratione cuius verificantur de illa aliqua prædicata rationis, quæ illi nullatenus conueniunt à parte rei. V.g.naturæ humanæ secundùm suam essentiam conuenit esse animal rationale, esse risibilem, & etiam negationes, quæ remouent ab ea naturas disparatas; vt quod non sit equus,vel brutum,&c. huiusmodi enim negationes si sumantur radicaliter, seu fundamentaliter, sunt ipsamet essentia intrinseca naturæ humanæ. Si verò sumantur pro formali carentia aliarum naturarum, non sunt de essentia naturæ, sed sunt proprietates quædam negatiuæ, quæ necessariò ipsam consequuntur. Rursus naturæ prout est in singularibus conueniunt albedo,vel nigredo,generari, & corrumpi, esse hoc tempore, & loco, vel illo, &c. Deniquè prout est in intellectu conuenit illi esse vnam vnitate communi, esse genus, speciem,&c.

Dices: homo quatenus est in singularibus, habet sua prædicata essentialia, & etiam quatenus consideratur ab intellectu,necessariò illum comitari debent huiusmodi prædicata;quia nulla res sine sua essentia intelligibilis est: similiter prædicata accidentalia realia possunt illi prout obiectiuè existenti in intellectu conuenire: male ergo assignata est horum statuum distinctio.

Respondeo, quod licet prædicata essentialia conueniant naturæ in quocumque statu, sed non ratione cuiuscumque status: esse risibilem, vel rationalē conuenit Petro ratione suæ essentiæ,esse tamen album,vel nigrum hìc, vel illi, &c. ratione suæ singularitatis: esse autem distinctum à natura, & correlatiuum illius, ratione intellectus taliter illum concipientis.

Hoc ergò supposito duplex difficultas hìc controuerti potest. Prima est vtrum natura prout à parte rei in suis singularibus, habeat vnitatem aliquam formalem distinctam saltem ratione ab indiuiduali, seu numerica? Secunda vtrum natura secundùm se, id est, secundùm suam essentiam habeat aliquam vnitatem formalem, illam realiter, & inseparabiliter vbiquè comitantem independenter ab operatione intellectus? Et hac

vtraque

vtraque controuerſia expedita conſequenter declaratus manebit principalis titulus quæſtionis, an præter numericam vnitatem, & præter vniuerſalem ab intellectu fabricatam aliqua alia vnitas realis naturæ conueniat, ab vtràque diſtincta.

Quod vnitas ſit conceptus poſitiuus.

Secundò eſt maximè aduertendum ad multa alia, quæ infra dicenda ſunt, quod vnitas formaliter in indiuiſione rei in ſe cõſiſtit, eſt enim vnum, *ens in ſe indiuiſum* vt docet Ariſt. 4. *metaph. c. 2. tex.* 3. 5. *met. c.* 5. *tex.* 11. idem etiam, *lib.* 10. *text.* 2. Et S. Thom. ſæpè. Eſtq; communis omnium ſententia. Eſt tamen controuerſia in quo hæc indiuiſio conſiſtat.

Breuiterquè aſſero, quod licet communiter per negationem diſtinctionis explicetur, nõ eſt conceptus negatiuus, ſed modus poſitiuus, quo ens ſicut intelligitur extenſus, & ſimplex, ita & in ſe indiuiſus. Ita Ariſt. 5. *met. c.* 6. *in fine*. Vbi explicat vnitatem ſimpliciter per conceptum poſitiuum indiuiſibilitatis. *Et* 4. *met. c.* 2. vbi ait *Ens, & vnum, ratione tantùm diſtingui*, quod verùm non eſſet, ſi priuatio eſſet formalis vnitas. *Quare* (inquit) *manifeſtum eſt, quod additio in his idem ſignificat, & quod vnum nihil aliud eſt præter ens.* Quæ poſteriora verba ſatis clara ſunt, nec diſſentit. S. Thom. potiùs confirmat, vt poſtea dicam. Sic etiam Auice. 3. *met. c.* 2. vbi ait, *vnitas eſt eſſe quod non diuiditur.*

Ratione probatur primò: quia Deus per ſuam eſſentiam poſitiuam habet formaliter indiuiſioné in ſe, & repugnantiam omnimodam, vt in partes diuidatur, nam ex ſe poſitiuè eſt ſummè ſimplex, & indiuiſibilis. Similiter Angelus, & punctum poſitiuam ſimplicitatem, & indiuiſibilitatem ex ſe habēt, in eaquè fundatur carentia partium.

Forma item leonis, vel equi, licet explicentur per irrationalitatem, ſeu carentiam rationis, & ſpiritus per immaterialitatem, quæ dicit exclusionem materię, non cõſtituuntur formaliter per has negationes, ſed per conceptus poſitiuos, quos negationes iſtæ conſequuntur; ſic ergo vnitas licet per carentiam explicetur diuiſionis, in poſitiua actualitate, & indiuiſionis modo cõſiſtit.

Cõfirmatur in ente compoſito, cuius diuiſio eſt formaliter modus poſitiuus vnionis, ad quem ſequitur negatio ſeparationis; ergo à fortiori in ente ſimplici, & indiuiſibili, cui⁹ indiuiſio eſt illi magis eſſentialis, & intrinſeca, in modo poſitiuo identitatis, aut indiuiſionis, conſiſtet.

Secun-

Secundò, distinctio consistit formaliter in negatione vnitatis, vel idemtitatis: non enim aliter definiri solet, quàm *vnum non esse aliud*: ergo vnitas non potest in negatione, sed in positiuo consistere. Patet consequentia: quia negatio non potest immediatè opponi, nisi entitati positiuæ. Propter hoc enim communiter dicitur, quod duæ negationes affirmant; quia non potest dari negatio negationis, ita vt vna alteri immediatè opponatur, aliàs in infinitum procedi posset, quod.s.negationis negatæ posset etiam dari negatio, &c.

Preterea huius ratio est; quia negatio opponitur contradictoriè affirmationi alicuius rei positiuæ, inter quæ extrema non datur medium, sed vnum, vel alterum dari necessariò debet à parte rei: ergo si datur negatio negationis, dabitur eo ipso positiuum: cui illa immediatiùs opponatur: si ergo diuisio est negatio vnitatis, vnitas erit conceptus positiuus, quia est extremum contradictoriè oppositum tali negationi, & contradictio nec inter duas negationes, neque inter duas affirmationes, sed inter negationem, & affirmationem eiusdem de eodem intercedere potest.

Soluitur duplex obiectio.

Sed contra obijcies S. Tho. *1.p.q.11. ar.1.* dicentem, vnitatem in negatione consistere; & *in 1. d.24. q.1. ar.3.* asserentem dari negationem negationis, & eam non esse affirmationem formaliter, quia ratio potest super vnam negationem reflectere, & illam negare. *S. Thom.*

Sed S. Thom. potiùs fauet, & docet assertionem nostram: nã in *1.d.9.q.4.art.1.ad 2.* dicit, *cum vnumquodquè autem creatum per essentiam suam distinguatur ab alys, ipsa essentia creati secundùm quod est indiuisa in se, & distinguens ab alijs, est vnitas eius.* Et *1.p.q.6.ar.3.ad 1.& q.11.ar.4.ad 3.& de potẽtia q.9. ar.7.* dicit, *quod qualibet res per suam essentiam est vna.* Et *quodlibe.6.ar.1.* dicit, *quod omne ens, est ens, & vnum per suam formam.* *S. Thom.*

Nec oppositũ docet *in distinctione illa 24. ar.3. citato*; nam *in solutione ad primum*, postquàm obiecit in primo argumento, quod non datur negatio negationis: ergo nec vnitas in negatione diuisionis, quæ etiam negatio est, potest consistere.

Respondet, quod *in diuisione, seu multitudine est negatio, vel priuatio realis in vnitate verò est negatio rationis tantùm, quia sicut relatio* (inquit) *entis ad non ens,*

ens, eſt rationis tantùm, & non realis; ita ſimiliter priuatio, quæ de ente negatur non ens, eſt in ratione tantùm. Quæ doctrina valdè notanda, quia mirabilis, & deſſeruiens alijs materijs: ſicut enim negatio vera, & realis concipitur per modum entis poſitiui; quia non poteſt aptè, prout in ſe eſt, cognoſci, & tunc dicitur ens ſecundùm rationem, & negatio prout à parte rei; ita è conuerſo, quod eſt ens à parte rei, poteſt concipi ſecundùm rationévt negatio; quia non poteſt clarè ens rationis niſi negatione exprimi: ſic ergo eſt vnitas. Et ſicut ſimiliter alia eſt relatio vera, & realis ſecundùm eſſe, & alia rationis, & ſecundùm dici; ita alia eſt negatio ſecundùm eſſe, & alia ſecundùm dici, vel ſecundùm rationem, quod idem eſt.

S. Thom. Eandem doctrinam repetit S. Doctor. *In ſolutione ad ſecundum*, dicens: *Ad ſecundùm dicendum, quod vt ex dictis patet, vnū non importat negationem, niſi in ratione, vnde ſecundùm rem magis ſe habet ad poſitionem, quam multitudo, in qua importatur realis negatio, ſecundùm quam res à re diſtingui, &c.* Qua doctrina explicat, in quo ſenſu ipſe, & alij in alijs locis vnitatem dicāt in negatione conſiſtere: loquuntur enim de negatione negationis, quæ negatio rationis eſt, vel ſecundùm dici. Præterea, in 1. p. Non docet S. Tho. quod vnitas in negatione conſiſtat, ſed quod non addit ſupra ens, niſi negationem tantùm. Loquiturq; manifeſtè de additione reali, vt patet ex ratione, & contextu.

Secundò obijcies. Paſsio debet eſſe extra eſſentiam rei, cuius eſt, & non intrinſecè participare rationem illius; ſed vnitas eſt paſsio entis poſitiui: ergo nō poteſt entitas poſitiua eſſe, ſed vel negatio, vel extrinſeca denominatio, ſicut de alijs paſsionibus dicimus.

Reſpondetur, quod ſicut accidēs metaphyſicum poteſt eſſe idemticè ſubſtantia, vt *relatio*. V.g. & ſicut modus ſimiliter poteſt eſſe entitatiuè res modificata, vt *duratio*; & ſicut vnum prædicamentum poteſt realiter identificari cum alio. Vt *actio*, & *paſsio*. Licet formaliter, & ſecundùm rationem diſtinguantur, & ſint conceptus diuerſi, vt infra in ſuis locis declaratur; ſic proprietas metaphyſica: qualis eſt vnitas, poteſt idemticè, vel à parte rei eſſe ens poſitiuum, formaliter verò diſtingui, tanquàm conceptus ſecundarius, ſeu attributalis entis.

Quod ſic declaro; nam conceptus primarius entis eſt aptitudo ad exiſtendum, vel habitudo ad exiſtentiam; ſic enim definitur: *Eſt quod habet, vel poteſt*

potest habere esse: at conceptus vnius est modus indiuisionis in tali esse, dicens habitudinem ad diuisionem, qui posterior, & consequens est, sicut vniuersaliter modus est posterior, & consequens rem modificatam, & sicut diuisio est posterior re, quam diuidit, ita indiuisio. De quo latius in metaphysica. His igitur obseruatis, sit.

ARTIC. II.

Vtrum natura secundùm se, id est secundùm suam essentiam sit vna formaliter?

Suar. to. 1 met. d. 4. sec. 3. & ibi.

PArtem affirmatiuam, præter Scotum & eius discipulos, sequuntur non pauci ex schola S. Thom. & quod magis est illam, vt certam multi recentiores sine probatione supponunt. Alij verò illam sic probant primò: quia vnitas est passio entis vt sic: ergo de quocumque dicitur ens, dicitur vnum, sed natura dicitur ens nõ solùm secundùm esse existentiæ, sed etiam secundùm esse essentiæ, & secundùm esse possibile: ergo vt sic etiam vna dicitur.

Secundò, quia natura humana secundùm suam essentiam considerata non est formaliter diuisa in se, sed potius in indiuisibili consistit, & est diuisa formaliter à natura equi, vel leonis seclusa quâuis intellectus fictione: ergo secundùm se est formaliter vna ante operationem intellectus. Patet consequentia: tùm ex definitione vnitatis formalis supra posita. Tùm etiam, ex ratione distinctionis, quæ esse, & fundari debet in duabus vnitatibus: definitur enim distinctio: *Est non identitas vnius ab alio, vel vnum non esse aliud*: ergo si natura secundùm suam essentiam est distincta ab alia, etiam erit vna in se.

Tertiò: quia entitas indiuidua Petri est resolubilis in triplicem conceptum, quorum vnus repræsentet eius animalitatem, contractam ad esse Petri, alius repræsentet rationalitatem, & alius tandem differentiam indiuidualem: ergo præter vnitatem indiuidualem est in Petro vnitas formalis animalitatis, & rationalitatis, quæ vnitates, prout sunt in Petro, non possunt esse vnitates communes formaliter, neque formaliter singulares: ergo distinguuntur ratione ab vnitate singulari, & vniuersali: sunt ergo vnitates conuenientes naturæ secundùm se.

Sed hæc sententia parũ consona est veritati, doctrinæ Arist. S. Thomæ, & antiquorum Philoso-

losophorū. Consequenter ergo ad supradicta contra Scotum, existimo necessariò dicendum, naturam secundùm se consideratam, nequè esse vnam, nequè plures, sed abstrahere ab vtroque, idest, vtrumquè accidentaliter illi aduenire, sicut vniuersalitas, & singularitas sunt extra essentiam illius, vt dixi. Naturam dico, quæ vniuersalis denominatur; nam diuina, vel Angelica, sicut est essentialiter singularis, ita & essentialiter vna, & non indifferens dicenda est.

Est expressa doctrina S. Tho. *Opusc. de ente, & essentia, cap* 3. *&* 4. vbi inquirens vtrum natura secundùm se sit vna, vel plures? Respondet dicendum non esse vnam, nec plures, sed indifferētem ad vtrumq;. Quæ verba friuolè interpretantur authores oppositi, quod solū excludat vnitatem rationis, & numeralem; nam S. Tho. vniuersaliter loquitur tam in quæsito, quàm in respōsione illius, vt patet ex cōtextu verborum, & ex intentione illius, quæ erat declarare ex professo, quænam prædicata conueniant naturę secundùm se, & postquam definiuit competere illi realia, & essentialia prædicata, quærit an aliqua vnitas, vel pluralitas illi insit? Cui negatiuè respondet.

Nequè oppositū docuit *Opusc. de natura generis, c.* 7. licet ibi obscurè loquatur: solū enim concedit duplicē vnitatē in natura, quæ vniuersalis denominatur. Vnam absolutā, & alterā relatiuā in ordine ad sua inferiora considerata. Et licet priorē dicat⁹ sō tenere ex parte naturæ secundū se acceptæ, nō ideo affirmat realem esse, imò potius colligitur oppositum ex eo, quod subdit: hanc vnitatem non descendere ad inferiora, licet descēdat natura secundū se: nam ex hoc sequitur manifestè huiusmodi vnitatē realem, & essentialē non esse, aliàs ad singularia descenderet, vt postea magis declarabo.

Rursus docet hanc sententiā Auice. 5. *metaph. c.* 1. vbi loquēs de natura secundùm se, ait: *Equinitas non est nisi equinitas tantum* ipsa enim ex se, nequè est multa, neque vnum, neque existens in his sensibilibus, neque in anima, sed hæc omnia accidunt illi.

Patet vlterius ex modo loquēdi Aristo. & omnuū scholasticorū, qui semper diuidunt tā vnitatē, quā distinctionē in numericā: specificam: & genericā. Et primā vnitatem asserunt omnium maximā, secundam minorem, & tertiā minimā. Et in distinctionibus è conuerso distinctionem numericam minimam docent, & specificam, & genericā maiores, in qua doctrina nullam mētionem faciunt aliæ vnitatis essentialis, sed potius illam excludere videntur.

Secundò principaliter argu-

mentor efficaci ratione: quoniā si natura secundū se est formaliter vna vnitate reali distincta à numerali, necessariò hæc vnitas illā comitari debet prout est à parte rei in suis indiuiduis; quia nihil reale præsertim essentiale potest conuenire naturæ extra sua indiuidua, vt euidenter ostensum est, sed ex hoc sequeretur naturā esse vnam formaliter in multis, & vniuersalē, quod esse falsum, fatētur ipsi aduersarij cōtra Scotū, ergo & illud ex quo sequitur. Probatur sequela: quia vnitas indiuisio est, ergo natura quæ formaliter realiter est vna, in omnibus indiuiduis hanc vnitatem, & indiuisionē retinere deberet, & consequenter vna in multis & vniuersalis esset.

Confirmatur vrgentius: quia vel hæc vnitas formalis naturæ esset vna & eadē realiter in omnibus indiuiduis, vel esset plures, ita vt in quolibet singulari sit sua propria vnitas formalis ab vnitate formali alterius distincta; quodcumquè asseratur est planè falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Minor quoad primam partē probatur: quia talis vnitas est realiter indistincta à numerica, & omnino eadem cū illa, vt docent authores ipsi oppositi cōtra Scotum: ergo ante operationē intellectus est realiter plures, & non vna in omnibus natura, vel si est vna in omnibus, cōceditur Scoto, quod sit vna in pluribus, & consequēter totū quod desiderari potest ad vniuersalis naturam; quoniam si identitas realis non tollit vnitatē, communicabilitatē non aufert, nec diuisibilitatē in plurib⁹, ac proinde nec vniuersalitatem.

Respondent aliqui, quod sicut natura secundùm suā essentiam & formalissimam rationē non est eadem realiter in omnibus, sed diuersam realitatem habet essentia Petri ab essentia Pauli, ita vnitas formalis illius in omnibus est similiter realiter multiplicata.

Sed contra hoc est, quod essentia abstrahit ab vnitate & pluralitate reali, tanquàm à modis, vel proprietatibus, quibus accidentaliter modificatur, atquè adeò potest modo esse sub vnitate, modo sub pluralitate; at verò vnitas realis in suo conceptu essentiali dicit indiuisionem, & excludit pluralitatem, vt patet ex eius definitione, atquè adeò non est compossibilis cum pluralitate reali; vel erit compossibilis cum ea vniuersalitas. Ex quo probatum est iam quod non sit plures, (quæ erat secunda pars minoris)

Probatur item: quia si vnitas formalis, quæ in Petro consideratur ratione distincta ab eius differentia indiuiduali, esset distincta realiter ab vnitate formali Pauli, & aliorum, iam talis vnitas non conueniret naturæ secun-

secundùm se, idest secũdùm suã essentiam, sed tantùm accidentaliter. Probatur sequela; quia illa prædicata dicuntur conueni re naturæ secundùm se, quæ inseparabiliter comitantur illam, vbicumq; fuerit: ergo si hæc vnitas formalis est in solo Petro distincta ab ea, quę est in Paulo, & alijs, in quibus est natura cũ omnibus prædicatis essentialibus, euidenter sequitur non esse prædicatum essentiale illius. Patet consequentia: quia non alia ratione vtuntur authores oppositi ad probandum differentias indiuiduales accidentaliter conuenire naturæ, & non secundùm suam essentiam, nisi quia in quolibet singulari est natura cum omnibus prædicatis essentialibus, & non cum omnibus differentijs indiuidualibus, sed quamlibet habet in quolibet, & non in alijs: ergo si vnitas formalis ratione distincta à numerica est plures in pluribus, & vna in quolibet singulari, talis vnitas & pluralitas nullatenùs erit illi essentialis.

Confirmatur; quia si talis vnitas secundùm quod præintelligitur ratione distincta ab indiuiduali, est plures realiter, vel ipsa, vel differentia indiuidualis erit superflua, quòd secundum dici non potest: ergo primum, videlicet, vnitatem formalem superfluere dicendum est. Probatur antecedens, quia differentiæ indiuiduales ad hoc solùm dantur, vt determinent, incommunicabiles reddant, & numero distinguant naturas à parte rei, sed si natura prout ratione distincta intelligitur ante differentias indiuiduales, esset plures realiter, esset iam plures numero, haberetquè tot vnitates determinatas incommunicabiles, &c. ante differentias indiuiduales: superfluæ ergo essent differentiæ indiuiduales superadditæ nostro modo concipiendi: vel dicendum est naturam ante differentias indiuiduales nullam vnitatem habere nisi solius rationis.

Tertiò vrgenter sic argumentor: quia distinctio rationis, qualis est illa, quæ est inter naturam, & vnitatem indiuidualem, non efficit plures entitates reales; ergo neque plures vnitates reales: ergo præter vnitatem realem numeralem nulla alia formalis realis asserenda est. Patet prima consequentia: quia non multiplicata entitate reali, vnitas, quæ est illius passio multiplicari nequit. Antecedens verò probatur; quia differentia indiuidualis non addit aliquem nouum gradum essendi naturæ specificæ, aliàs ipsa, & non rationalis esset differentia infima substantiæ, essetquè principium alicuius operationis distinctæ ab ea, quæ ex principio ratiocinandi prouenit,

quam certè nemo Philosophorum agnoscit: ergo tantùm addit vnitatem, & indistinctionem naturæ specificæ, ac proinde distinctio inter naturam, & differentiam indiuidualem est tantùm distinctio inter entitatem, & eius vnitatem, & non inter duas res, vel formalitates, quarum quælibet vna sit.


Confirmatur: quia vnitas realis est indistinctio entitatis realis: ergo vbi est vnica tantú indistinctio, vna vnitas realis est constituenda; sed à parte rei natura secundùm se, & differentia indiuidualis, vnica indistinctio realis sunt: ergo & vna vnitas realis numeralis.

Denique probatur, quia si natura secundùm se haberet vnitatem essentialem, & sibi propriam, esset definibilis, & obiectum scientiarum, atquè adeo nó essent necessaria vniuersalia, quæ tantùm ad hoc fuerunt instituta, vt docuit Arist. & cum eo omnes philosophi. Antecedens probatur, quia vt natura possit quidditatiuè sciri, & definiri, tantùm requiritur vnitas, & necessitas, nam solum propter pluralitatem, & contingentiam negatur scientia de singularibus, nec vlla assignari potest ratio, propter quam talis natura sic vna, obijci repugnet scientiæ infallibili, & perpetuæ.

Confirmatur; quia si est definibilis: ergo & prædicabilis; quia de ratione prædicati sat est, quod sit formaliter in subiecto, habeatquè vnitatem & distinctionem ab illo.

Rursus tali naturæ secundùm se vnæ conuenirent cætera prædicata, quæ sunt de essentia vniuersalis: ergo vel esset essentialiter vniuersalis, vel non esset vna. Probatur antecedens, quia natura secundùm se vna esset indifferens ad plura indiuidua: nam eò ipso, quod aduersarij docét, quod talis vnitas sit indifferens, vt sit vna per intellectum, & plures à parte rei, certè negare non possunt, esse indifferentem ad multa, & ex consequenti habere vniuersalitatem essentialem, de cuius ratione est, quod sit vnitas indifferens ad plura, idest, vt à multis determinetur.

Hæc vltima ratio præsertim habet vim in sententia, quæ asserit, naturam vniuersalem fieri per abstractionem absolutam intellectus possibilis, de quo infra; imò etiam apud illos, qui tenét fieri per comparationem: nam hoc docent de vniuersali logico; & de metaphysico dicunt fieri per illam operationem, qua natura fit vna formaliter.



ARTIC. III.

Declaratur vnitaté trãscendentalem, quæ est proprietas entis, cõuerti cum indiuiduali.

EX dictis colligitur resolutio alterius difficultatis, quæ desiderari potest: an vnitas transcendentalis, quæ est passio entis, conuertibiliter sit eadem cum indiuiduali? Doctores enim, qui præter vnitatem numericam, vnitatem formalem realem admittũt propriam, & essentialem naturæ, consequenter asserunt, vnitatem, quæ est passio entis, non conuerti cum numerali, sed abstrahere à formali, & numerica. Videturque communis omnium sententia, quatenùs vnitatem diuidunt in formalem & materialem, eamquè supponere videntur Arist. & S. Tho. quando asserunt, relationes reales similitudinis fundari in vnitate, & non in vnitate indiuiduali, nã hæc potius fundat relationes diuersitatis: ergo in vnitate formali reali: nam vnitas formalis rationis non potest esse ratio fundandi relationes reales.

Ita Suar. to. 1. disp. 4. sect. 3.

Nihilominus dicendum secundò est, vnitatem realem, quę est proprietas entis in cõmuni, conuerti cum numerali, & esse idem omnino cum illa. Numeralem dico, non strictè à numero, qui est species quãtitatis, sed latè à numero transcendentali, qui est in omnibus rebus, etiam spiritualibus.

Probatur primò: quia nulla alia vnitas realis inuenitur à parte rei, præter indiuidualẽ, vt articulo præcedenti probatũ est: ergo hæc est eadem omnino, quod transcendentalis.

Secundò probatur: ex definitionibus essentialibus vtriusque. Vnũ realiter dicitur, quod est indiuisum realiter in se, & diuisum à quolibet alio, sed vtrũquè hoc importat definitio indiuidui, imò & nomen ipsius; ideo namquè indiuiduũ dicitur; quia in se indiuisũ realiter, ideoquè definitur, *quod de vno tantùm dicatur*, quia eo ipso, quod indiuisibile est in se, à nullo potest diuidi, aut cõtrahi; ac proinde de vno tãtùm, id est, de se ipso prædicatur, quod quæuis vnitas realis necessariò habebit.

Idcirco etiã indiuiduum opponitur contra vniuersale, quia vniuersale est diuiduum, seu diuisibile in plura inferiora, sed hoc habere debet etiam, quod est realiter vnum; quia si indiuisum in se, ergo non diuisibile in plura, ac proinde oppositũ contra vniuersale. Nec loquor de eo quod vtcumq; vnũ dicitur, vnione,

vnione. s. vel nexu extremorum distinctorũ: hoc enim vnum nō est passio entis, sed potius ratio essentialis compositi, sed de eo, quod vnum dicitur vnitate, vel indistinctione reali, quomodo opponitur cōtra distinctionem.

Tertiò probatur, quia vnitas indiuidualis dicitur ab Arist. & omnibus Philosophis, vnitas materialis, nō alia de causa, nisi quia est vnitas entis vt sic, & cōmunissimè sumpti: ergo est idē ꝙ vnitas transcendētalis. Conseq. patet, & probatur antecedens; quia materia semper est multò vniuersalior, quā forma; illudquè dicitur in physicis materia prima, quod præintelligitur ad omnes formas, & est potentia quæ dā perfectibilis, & determinabilis per omnes illas, sed totũ hoc habet ratio communissima entis vt sic: est enim materia prima metaphysica; tùm quia vniuersalior est omnibus alijs rationibus realibus, quæ excogitari possunt, ac proinde est perfectibilis, & determinabilis per omnes illas, tanquàm per formas; tùm etiā, quia sicut materia prima physica est pura potentia, carens omni actu informante, ita ratio comunissima entis nullam dicit actu perfectionem, aut formalitatem, sed est pura potentia ad omnes illas.

Sed obijcies: vnitas indiuidualis, seu materialis est vltima, quę ponitur in linea prædicamentali, tamquàm infima omniũ, omnes alias supponens, & contrahens vt superiores, & vniuersaliores; sed ratio entis vt sic est suprema, & vniuersalissima omnium: ergo talis vnitas non est proprietas entis vt sic. Maior, & minor patent ex cōmuni sentētia, & consequentia probatur: quia passio est conuertibilis cum sua essentia, atq; adeo tam vniuersalis sicut illa, quantitas namque ideo vniuersalior quàm sensibilitas, quia corpus, cuius quātitas passio est, latius patet, quam animal, cuius est proprietas sensibilitas, & ideo risibilitas minus patet, quàm vtraque dicta, quia est passio hominis, qui inferior est quàm animal, & corpus: ergo si vnitas indiuidualis est infima omnium, non poterit esse proprietas rationis cōmunissimæ, & supræmæ, qualis est ens in communi, sed potius alterius rationis infimæ, & distinctæ.

Sed in primis hoc argumentum potest in authores oppositos retorqueri, & ex illo nostrũ assertum amplius confirmari: nā vnitas indiuidualis, quāuis determinatè, & in actu exercito sumpta pro hac, vel illa, sit vltimum quod ponitur in linea, Petreitas v.g. potest tamen abstrahi ratio quædam communissima ab hac, vel illa vnitate indiuiduali, tam substantiarum, quam accidentium, quæ tam latè pateat

ac ratio vniuerſaliſsima entis, quam non negant authores oppoſiti (vt patebit infra tractando de indiuiduo in communi) & hanc, tantùm abeſt, quod vt vltimam in linea prædicamentali conſtituant, quod vt tranſcendentem, & vniuerſaliſsimam à prædicamentis reijciũt: ergo ſi talis vnitas æquè patens conceditur ab omnibus, ac ratio entis vt ſic, planè ſequitur, quod ſit illius proprietas, propter rationem argumenti poſiti.

Secundò obijcies: ens vt ſic poteſt conſiderari ſecundùm ſe, ideſt, ſecũdùm ſuam eſſentiam, & vt ſic competit illi vnitas abſtracta ab hac, vel illa vnitate reali, vel indiuiduali: ergo eâdẽ ratione quæuis alia natura inferior, ſi ſecundum ſuam eſſentiã conſideretur, poterit vt proprietatem reſpicere vnitatẽ formalem, ſeu eſſentialem illi correſpõdentem, & abſtractam ab hac, vel illa vnitate formali inuenta in indiuiduis. Patet conſequentia: nam in quolibet indiuiduo, vt dicetur art. 5. eſt non ſolùm indiſtinctio realis, ſed etiam formalis, quoniam eſſentia, vel natura ſecũdùm ſe eſt in quolibet indiſtincta: ergo ab hac, vel illa vnitate formali ſingularizata eſt abſtrahibilis ratio vnitatis formalis, ſeu eſſentialis tali naturæ correſpondens, & diſtincta ab indiuiduali.

Reſpõdetur aduertẽdo priùs, ex doctrina S. Tho. infra declaranda *capite de quantitate*, quod vnitas indiuidualis, & tranſcendentalis, ſicut & diſtinctio illi oppoſita, eſt duplex. Alia eſſentialis, quæ eſſentialiter cõpetit alicui rei, & ſic eſſentia diuina, vel quæuis ſubſtantia Angelica eſt eſſentialiter vna, quia incapax eſt multiplicationis, aut diuiſionis realis in ſchola S. Tho. Alia eſt vnitas, vel diſtinctio accidentalis, quam habent res corporeæ per ordinem ad quantitatem: nam omnis res corporea, vt talis eſt, eſt diuiſibilis in partes continuas, & diſcretas, ac proinde non eſſentialiter indiuiſa, ſed tantùm accidentaliter, ratione quantitatis, quæ eſt illius proprietas.

Quo ſuppoſito (concedo antecedens, ſi intelligatur de ſola vnitate indiuiduali, quæ eſt entis proprietas, & diſtinguo cõſequens; nã ſi ſermo ſit de ſubſtantia ſpirituali eſſentialiter indiuiſa, habet quidem vnitatem eſſentialem ſibi correſpondentẽ, ſed non abſtractam ab hac, vel illa indiuiduali, nam omnis diuiſionis incapax eſt, cum ſit eſſentialiter vna, & indiuiſa. Si verò de eſſentia corporea, non habet vnitatem eſſentialem eo ipſo quod eſt multiplex realiter. *Vt articulo 5. dicam*, neque eſt vna, vel plures ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed abſtrahens ab

 vtroquè,

vtroque, vt præcedenti articulo monstratum est.

Hac enim de causa, nec in definitione essentiali hominis. s. animal rationale: nec indescriptiua. s. risibile, admiratiuũ. &c. ponitur vnitas nec explicitè, nec implicitè. Quia tamen vnitas realis inter passiones entis computatur vt sic, sicut tales naturæ se habent ad esse, ita ad vnitatem, atque adeò sicut quælibet est plures realiter, & non essentialiter, ita quælibet plures habet vnitates reales, & non essentiales.

Quando rursus obijcitur in probatione, quod in quolibet indiuiduo non solùm est indistinctio realis, seu materialis, sed etiam indistinctio, seu vnitas formalis, ac proinde abstrahi posse non solùm rationem vnitatis indiuidualis in communi, sed etiã vnitatis formalis ab hac, & illa, vnitate formali in indiuiduis reperta.

Respondeo quod ab ipsa vnitate indiuiduali, sicut singularizatur essẽntia, ita vna, & indistincta redditur; ac proinde non est duplex vnitas, vel indistinctio, sed vna à parte rei, quæ dicitur vnitas essentiæ, non essentialis, sicut actio. vel duratio dicitur modus substantiæ, non modus substantialis, qualis est subsistentia, vel vnio materiæ cum forma.

Præterea: eo ipso quod vnitas formalis præscindatur ab indiuiduali, erit necessariò est vnitas rationis, quia in illa conueniunt iam Petrus, & Paulus, & non à parte rei: ergo per intellectum. Vnde puerile valde est considerare in indiuiduis præter vnitatem numeralem, hanc, & illam vnitatem formalem, à qua abstrahatur vnitas formalis in communi. Si enim hæcceitas prouenit formaliter à differentia indiuiduali: quomodo consideratur in vnitate formali, vt præintelligitur ante indiuidualem? & si in vnitate formali sic præcisa à numerali, datur hæc, & illa, à quibus abstrahatur vnitas formalis communis; iam dabitur alia ratio media immediatè cõtrahens, & diuidens rationem specificam ante differentias indiuiales. s. vnitates formales particulares, quæ eo ipso, quod sint realiter diuersæ in indiuiduis, nõ possũt esse proprietates naturæ secundùm se, si accidentaliter illi conueniant, nam prædicatum essentiale debet esse omnibus commune.

Ex his patet iam, quid intelligant Aristot. & omnes philosophi per vnitatem formalem, quando illam distingunt à materiali? intelligunt vtiquè vnitatem rationis; nam subdiuidunt illam in genericam, & specificã. Et quando asserunt, relationes similitudinis fundari in vnitate, loquuntur de vnitate fundamentali,

tali, quæ ſupponitur à parte rei ad vnitatem vniuerſalem, vel de vnitate formali cuiuslibet indiuidui propria, à qua abſtrahitur immediatè, & in quo fundatur vnitas vniuerſalis, vt latiùs in ſequentibus dicam.

ARTIC. IIII.

Reſpondetur argumētis oppoſitis.

EX dictis patet iam ſolutio ad fundamenta oppoſita artic. 2. Ad Primum reſpondetur, vnitatem numericam exiſtentem eſſe proprietatem eſſentiæ realis exiſtentis: & vnitatem numericam poſsibilem eſſe proprietatem eſſentiæ realis poſſibilis, ſi conſideretur eo modo, quo eſt poſsibilis à parte rei. Nam ſi aliter conſideretur, id eſt, ſi præſcindatur à differentia indiuiduali, habet iam vnitatem ſolius rationis, vel nullam habebit.

Rurſus, quando obijcis: de quocumque dicitur ens, dicitur vnum, natura ſecundùm ſe eſt ens: ergo vna. Diſtinguo conſequens: eſt vna præcisè in quantùm ens, id eſt, ſecundùm rationem communiſsimam entis, reſpectu cuius vnitas eſt proprietas. Concedo. Eſt vna ſecundùm quod talis formalitas, aut natura eſt. Nego. Itaque vnitas non eſt proprietas hominis vt homo eſt; ſic enim tantùm ei competit riſibilitas; ſed eſt proprietas hominis vt ens eſt, & quia humanitas ſecūdùm quod eſt ens, eſt plures realiter, vel plura entia, hinc eſt, quod habeat plures vnitates reales. Ac proinde quod ſit vna eo modo, quo ens.

Secundū argumentum multa continet, quæ ſigillatim ſatisfieri debent. Primò enim concedo, quod natura ſecundùm ſe non ſit formaliter diuiſa, non tamen conſequitur eſſe vnam, & indiuiſam, quia eſt realiter diuiſibilis: & hoc ſufficit ad tollendam vnitatem formalem, vt latius articulo ſequenti dicā, quods. natura exiſtens in pluribus non eſt diuiſa formaliter, neque vna, vt fatentur Authores oppoſiti.

Rurſus propoſitio illa; *natura ſecundùm ſe in indiuiſibili conſiſtit*, ſi aliquid probaret, conuinceret vtiquè, talem naturam realiter multiplicari non poſſe à parte rei in ſuis indiuiduis, ſed vnitatem indiuiſibilem ſemper retinere. Senſus ergo illius propoſitionis eſt, eſſentiam diuidi non poſſe formaliter, ſed vbicumq; exiſtat, ſiuè in ſingulari, ſiuè in vniuerſali, vel ſecundùm ſe totam exiſtere, vel ſecundùm nihil; quia omnimodam repugnantiam habet, vt diuidatur in partes eſſentiales.

Vlte-

Vlteriùs tertiò concedo naturas secundùm se equi, leonis, & hominis essentialiter inter se differre ante operationem intellectus, cæterùm natura distinctionis adæquatè saluatur, & consistit in negatione idemtitatis inter aliqua extrema; quam negationem certum est habere huiusmodi naturas, etiam ut præintelliguntur ante vnitatem formalem, quam fingunt Authores oppositi, atque adeò sola natura secundùm se considerata, absque vnitate vlla, est sufficiens fundamentum distinctionis.

Ratio autem, quare distinctio semper definitur penès ordinem ad vnitates, est, quia semper quoad existentiam fundatur & intercedit inter vnitates, nam si distinctio est realis existens inter extrema realia, fundari necessariò debet in vnitatibus, quæ inseparabiliter comitantur vt proprietates talia extrema; cæterùm si per impossibile manere possent huiusmodi extrema absque vnitatibus, essent sine dubio distincta realiter, & essentialiter; quia vnum non esset aliud.

Rursus si distinctio sit rationis ratiocinatæ, inter extrema formaliter obiectiuè distincta, vel habentia diuersas definitiones obiectiuas, talis distinctio fundatur necessariò in vnitatibus formalibus, vel in extremis conceptis ab intellectu sub ratione vnius, etiam si sit inter duas naturas secundùm se præcisè consideratas.

Ratio huius est, quia nihil potest definiri, diuidi, aut demonstrari ab intellectu, nisi sub ratione vnius; idcirco enim Aristoteles, & Philosophi omnes constanter asserunt vniuersalia necessaria esse ad scientias, quæ non aliter, quam definiendo, diuidendo, & demonstrando procedunt, sed distinctio formalis supponit definitiones vtriusque extremi, nam consideratur solùm inter ea, quę habent distinctas definitiones obiectiuas: ergo necessariò consideratur ab intellectu inter extrema concepta sub ratione vnius.

Sed contra adhuc insurges: intellectus potest considerare naturā sine vnitatibus indiuidualibus, vt patet quando illam abstrahit, & efficit vniuersalem: & etiam sine vnitate rationis: quia cum talis vnitas sit obiectiua, vel extrinseca, à fortiori poterit ab illa per intellectum separari: ergo vel optimè potest considerari sine omni vnitate natura secundùm se, vel si necessariò concipitur sub ratione vnius, talis vnitas erit illi essentialis, & inseparabilis, quandoquidem sine illa intelligi nequit.

Respondetur: aliud est conside-

derare naturam eſſe vnam, ita vt vnitas ſit ratio, quæ affirmatur de natura, & aliud conſiderare illam ſub ratione vnius, ita vt vnitas ſit ſolùm ratio ſub quâ intellectus conſiderat eſſentiam naturæ, non enuntians talem vnitatem de illa. Primò modo conſiderari poteſt natura ſecundùm ſe ſine vnitate, etiam ſi illi eſſentialis eſſet, vt contendunt Authores oppoſiti. Secundò modo non, vt latiùs dicam quæſtione ſequenti, ſed ex hoc non ſequitur naturam habere in ſe vnitatem aliquam, quia non attribuitur naturæ aliqua vnitas, quando eius eſſentia conſideratur, ſed tenet ſe magis ex parte modi concipiendi, quàm ex parte rei conceptæ.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur primò; eo ipſo quod Petrus triplici illo conceptu diſtincto concipiatur, conceptus animalitatis erit conceptus genericus; & conceptus rationalitatis ſpecificus, & conceptus differentię indiuidualis exprimet vnitatem realem, & duo priores vnitatem rationis genericam, & ſpecificam, quæ neceſſariò fiunt per abſtractionem intellectus, vt quæſtione ſequenti dicam.

Ex quo infero ſecundò, eſſe implicationem in terminis, quod conſideretur animalitas vt cõtracta ad eſſe hominis, & quod ſit diſtincta omnino à rationalitate, ita vt non includat illam intrinſecè; & idem dico de humanitate, vel rationalitate vt contracta ad eſſe Petri: nam ratio generica formaliter contrahitur, & diuiditur, non per ſe ipſam, ſed per rationem ſpecificã, & ratio ſpecifica per indiuidualem. Vnde eo ipſo quod ratio generica ratione diſtinguatur ab ſpecifica amittit iam contractionem, & eſt in ſtatu abſtractionis; & idem dico de ſpecifica & indiuiduali.

ARTIC. V.

An aliqua vnitas formalis, etſi non ſit communis, nec diſtincta ab indiuiduali, conueniat naturæ prout à parte rei?

Quamuis excluſa ſit vnitas formalis communis à parte rei, vel diſtincta à ſingulari, ſiuè ex natura rei, ſiuè ratione, nondum eſt ſatis exploratum, an detur in ipſiſmet ſingularibus vnitas aliqua formalis, quamuis realiter ab ipſis indiſtincta. Quidam enim eam prorſus negant, in ſingularibus eſſe, quia hæc, vt aiunt, eſt eſſentia, vel proprietas naturæ vni-

vniuersalis; sed non datur vniversalitas à parte rei: ergo nec talis vnitas. Sed hoc fundamentum friuolum est, dissoluitur enim facilè negando maiorem, & dicendo, quod vnitas formalis abstrahit à reali, & rationis, à communi, & singulari.

Quapropter alij affirmant naturam esse formaliter positiuè vnam in suis indiuiduis, licet materialiter plures sit. Probant; quia illi etiam prout identificatæ cum singularibus, & realiter multiplici conuenit adæquata definitio vnitatis formalis, de cuius ratione solùm est, quod sit entitas formaliter indiuisa, quidquid sit de indistinctione materiali; sed hæc indistinctio formalis, seu essentialis conuenit naturę prout in Petro, Paulo, & cęteris: ergo vnitas formalis positiua compatitur cum pluralitate indiuiduali, quin potiùs propter hoc minor dicitur materali vnitate. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia Petrus, & Paulus etiam prout habent naturas realiter diuersas, carent distinctione formali, & specifica, cum potius sint eiusdem speciei, vnicaquè sub definitione essentiali contineantur: ergo sunt vnum formaliter in natura, quidquid sit de pluralitate reali.

Confirmatur; quia licet natura secundùm suam essentiam posit abstrahere ab vnitate, & distinctione materiali, tamen à distinctione, & vnitate essentiali minimè; nam hæc est proprietas illius inseparabilis, quoniam sicut vnitas vt sic est proprietas entis in communi, sic talis vnitas, essentialis est proprietas talis entis in particulari, formæ. s. essentialis.

Impugnatur secunda sententia.

Hæc tamen sententia si vera esset, occasionem, & fundamentum non inefficax præberet asserendi vniuersalitatem à parte rei; quia si est vna formaliter in multis, in ipsisquè diuisa, quid ei deficeret? Minimè ergo admittenda est. Quod probo, retorquendo confirmationem oppositam: sicut vnitas vt sic est passio entis in cõmuni, ita vnitas particularis est passio entis in particulari; sed vnitas realis vt sic dicit in distinctionem realem, & entitatiuam: ergo talis vnitas. s. formalis realis dicit in distinctionem realem, & formalem. Probatur consequentia: quia ratio inferior includit superiorē, & insuper addit super illam: ergo vnitas formalis realis includit in suo conceptu, non solùm indistinctionem formalem, sed etiam realem, & entitatiuam. Quia essentia intimè imbibit in suo vltimo conceptu rationem entis,

ac proinde, & vnitatem in ratione illius.

Confirmatur: quia natura, prout in Petro, & Paulo ſolùm habet vnitatem relatiuam ſimilitudinis, quæ ſecundùm quid, & accidentalis eſt: ergo non poteſt eſſe eſſentialis, vel entis proprietas. Antecedens patet; quia non maiorem vnitatem tribuūt illi Authores oppoſiti, quàm relatiuam, ſiquidem dicunt eſſe inter plura extrema, vt plura & ſimilia ſunt. Et conſequentia probatur; quia talis vnitas eſt accidentalis naturæ pertinens ad genus relationis: ergo non poteſt eſſentialis dici, neque ad ens vt ſic pertinere.

Rurſus eſt vnitas ſecundùm quid, & potius coaceruatio pluriū; nō eſt ergo entis proprietas, quæ eſt vnitas ſimpliciter: ſiquidem nō opponitur contra multa vt patet ex Ariſtot. S. Thom. & communi ſententia ſæpè diuidentibus ens in communi in vnum, & multa.

Propter hæc ergo Caietanus *opuſ. de ente, & eſſentia*, & communiter ferè omnes Thomiſtæ aſſerunt, naturam non poſitiuè vnam eſſe in ſuis indiuiduis, ſed habere in illis vnitatem negatiuam, quatenus Petrus, & Paulus non diſtinguntur eſſentialiter, ſed important negationem diſtinctionis formalis. Quæ ſententia ſatis ſoluit fundamentum ſententiæ oppoſitæ; quia cum vnitas vtrumque importet, & modum poſitiuum indiſtinctionis articulo primo declaratum, & negationem diſtinctionis inſeparabiliter illi annexam, quando primum deficit alicui, & cōuenit ſecundum, dicitur conuenire vnitas negatiua, vel quoad negatiuum, quod importat, & non poſitiua, hoc eſt, quoad poſitiuum, & primarium illius cōceptum.

Reſoluitur iam difficultas.

Sed pro maiori huius rei explicatione obſeruandum primò eſt, quod alia eſt vnitas eſſentiæ, & alia eſt vnitas eſſentialis, habent enim ſe ſicut ſuperius, & inferius; nam vnitas eſſentiæ poteſt accidentaliter eam modificare, & ſic ſingularitas, & vniuerſalitas accidunt naturæ ſecundùm ſe. At vnitas eſſentialis, eſſentialiter, & inſeparabiliter naturā modificat, & vbiq; eam comitatur. Sic ſimiliter in modis ſubſtantiæ diſtinguemus cap. de ſubſtantia, inter modum ſubſtantiæ, & ſubſtantialē; quod hic modificat intra genus ſubſtantiæ, pertinetque ad intrinſecam ſubſtantię conſtitutionem, ille verò modificat eam accidentaliter extra genus illius, ac proinde abſtrahit ab vtraque ratione. Sic etiam in vnitate formali diſtinguendum eſt inter vnitatem formæ, & vnitatem for-

formalem, si vnitas formalis sumatur, ita vt idem significet, quod essentialis. Quod aduerto, nam solet æquiuocari hæc vox, & accipi etiam pro vnitate essentiæ, vel formæ.

His positis dico primo: in substantijs spiritualibus, quibus multiplicatio repugnat. s. in Diuina, & Angelica iuxta mẽtem S. Thomæ, & discipulorũ eius, est vnitas positiua formalis, seu essentialis in quolibet singulari, & distincta etiam secundùm rationem ab indiuiduali vnitate. Patet: quia in his naturis ipsa singularitas, & indiuisio positiua est illis essentialis, & ratione huius pluralitas indiuiduorum eis repugnat, vt nunc supponitur: ergo tali suppositione facta, vnitas essentialis, & formalis illis negari non potest.

Dico secundò: in substantijs, & rebus corporeis, & in accidentibus, etiã spiritualib⁹, quib⁹ nõ repugnat diuidi in plura numero intra eandem speciem, est quidem vnitas positiua essentiæ, vel formæ, in quolibet singulari existens, non tamen vnitas essentialis, nisi tantùm negatiua. Prima pars probatur: quia natura specifica in quolibet singulari est indistincta non solùm essentialiter, sed etiam realiter, quia Petrus v. g. caret non solùm distinctione reali, sed essentiali, vt probat optimè sententia opposita. Neque talis vnitas essentiæ est negatiua tantùm, sed positiua, quia modum positiuum indistinctionis entitatiuæ importat, in quo primatiùs conceptus vnitatis positiuæ, & simpliciter consistit, vt artic. 1. dixi.

Secunda pars etiam facilè constat; nam huiusmodi natura corporea est realiter plures in alijs indiuiduis: ergo in nullo est essentialiter positiuè vna. Patet consequentia: quia si in aliquo singulari esset essentialiter vna, semper hanc vnitatem, & repugnantiam ad multiplicationem, vbiquè retineret, sicut vbiq; retinet omnia prædicata essentualia. Hac enim de causa colligũt omnes, differentias numericas essentiales illi non esse, quia eas vbiquè non habet: ergo si indiuisio entitatiua, quam habet formalitas specifica in Petro, non est in Paulo, neque è contra, neutra est illi essentialis, & in eodem sensu vnitas formalis positiua illi deneganda est, prout. s. idem significat ac essentialis. Solùm negatiua vnitas potest admitti, tam in quolibet, quàm in omnibus, quia carentia distinctionis essentialis vbiquè comitatur naturam, eademquè in omnibus est, sicut essentia.

Tandem dico, hanc vnitatem formalem, hoc est, essentiæ, non essentialem, non distingui etiam distinctione formali rationis

ratio-

ratiocinatæ ab vnitate numerali, ſed tantùm ſecundùm magis, & minùs explicitum modũ concipiendi eandem vnitatem.

Probatur ex dictis: quia natura ſpecifica, eo ipſo quod diſtinguatur ratione ab vnitate indiuidua li, vel nullam habet vnitatem, vel accipit vnitatem vniuerſalis, & rationis, quia quæuis abſtractio, vt dicemus, illam facit vniuerſaliter vnam: ergo vnitas formalis, quàm à parte rei habere poteſt, non eſt diſtincta aliquomodo à numerali.

Præterea: probaui nullam vnitatem realem poſſe competere naturæ à parte rei, præter indiuidualem, ideoquè hanc eſſe paſſionem adæquatam entis: ergo vnitas formalis realis, quàm habet natura in quolibet ſingulari, tanquàm proprietatem ſibi cõnaturaliter debitam, eſt formaliter indiſtincta ab indiuiduali.

Tandem; quia hæc vnitas formalis dicitur, ſumpta denominatione à fundamento, quod eſt forma, quàm indiuiduat, vel indiuiſam reddit, non verò, quia ipſa in ſe ſit vnitas eſſentialis, addens nouam formalitatem in ratione vnitatis ſupra numera- [illegible] lem.

✠✠✠✠✠✠

✠✠✠

QVAESTIO VII.

Per quam operationem intellectus fiat vniuerſale?

ARTIC. I.

Diximus, vniuerſale non eſſe vllomodo à parte rei; reſtat quod ſolùm in intellectu obiectiuè exiſtat. Sic enim docet Ariſtot. *Locis citatis, præſertim primo de Anima, tex. 8.* vbi inquit. *Vniuerſale, aut nihil eſſe, aut poſterius eſſe*, id eſt, poſt intellectus operationem, vt ibi S. Thom. Albert. Mag. & Commentator inquit; *intellectum facere in rebus vniuerſalitatem. Et 12. metaph. comm. 4.* ait. *Vniuerſalia apud Ariſt. collecta eſſe ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea conſimilitudinem, & facit ea vnam intentionem.* Et alibi ſæpè.

Ariſtot. | S. Thom. | Albert. Mag. | Côment. | Capreol. | Caietan. | Sonci. & ex noſtris P. M Zu. & Epiſc. Oña.

Tenet hanc aſſertionem omnis ſchola S. Thom. & inſuper ipſe opuſc. de ente, & eſſentia; & locis alijs innumeris. Solùm eſt controuerſia & maximè celebris de modo, & operatione per quam fit hæc vnitas vniuerſalis ab intellectu ad cuius intelligentiam ex libris de Anima aliqua ſupponere neceſſum eſt.

Pri-

Primū est, duplicē esse intellectum (siue realiter, siue formaliter distinctum, de quo non est hic curandum) agentem, & possibilem. Illius munus est producere species intelligibiles: huius autem operari, & intelligere per illas. Cū enim omnis nostra intellectio ex obiecto, & potentia, vt docet Augusti. generari debeat, necessarius fuit intellectus agens, qui species intelligibiles, & proportionatas efficeret, vt ex parte obiecti ad notitiā concurrerét, & intellectꝰ possibilis, qui illas in se reciperet, & per eas determinaretur ad operandum. Vnde diuersa vtriusq; denominatio orta fuit ex diuersis eius officijs; quæ sunt agere, & pati, seu recipere species.

Ex quo infero, multiplicem operationem, seu officia, quæ in libris de Anima intellectui agēti tribui solent, nimirùm quod illuminet phātasmata; quod reddat obiecta actu intelligibilia; quod denudet naturam à conditionibus, vel illam abstrahat à proprietatibꝰ singularibus, &c. non esse distinctas operationes, sed vnam & eandem, quæ est efficere species intelligibiles. Nam dicitur illuminare; quia producit speciē, quæ lumen spirituale dici potest, quia similem præstat effectum in ordine spirituali, & intelligibili, ac corporale lumen in ordine materiali, & sensibili, quatenus, s. obiecta abscondita illustrat, & manifestat potentiæ.

Dicitur reddere obiecta actu intelligibilia, in quantùm per has species ab eo productas, obiecta sunt in potentia proxima, vt intelligantur, & per ipsas tanquàm per instrumenta concurrunt ad ipsorum notitiam. Dicitur etiam denudare, vel abstrahere naturas à conditionibus singularibus, vel quia efficit speciem intelligibilem repræsentantem naturam, non repræsentantis illius differentijs indiuidualibus, vt multi docent, & productionem huius speciei abstractionem vocant. Vel (vt alij verisimiliùs afferunt) quia species spirituales efficit, & materia expertes: cum enim species istæ dicantur ipsa obiecta in esse intentionali, seu intelligibili, quatenus sunt obiectorum semina, & instrumenta; idcirco qui eas producit, meritò dicitur, obiecta materialia, spiritualia reddere, & à conditionibus materialibus abstracta: in eo sensu, quo etiam communiter dicitur intellectus agēs proportionare obiecta; quia obiectum materiale ex se improportionatum, vt ad notitiam spiritualem concurrat, per speciem vicem ipsius gerentem, proportionat, & concurrere facit.

Deniq; est maximè obseruandum in intellectu possibili illam operationem abstractionē dici, quæ efficit distinctionem

rationis

rationis supra declaratam quasi repræsentando rem indiuisam diuersis conceptibus, & quasi diuersas habentem formalitates. Sicut autem ibi duo genera distinctionum rationis declarauimus, ratiocinantis, & ratiocinatæ, ita duplex abstractio hîc distinguenda. Vna, quæ dicitur negatiua, non habens in re fundamentum, quia intellectus negat vnum de alio, cũ tamen re vera sit idem cũ illo à parte rei: & de hac tanquàm falsa, & inutili, nõ est sermo in hac quęstio. Alia est abstractio pręcisiua, quę in hoc consistit, ꝙ rem simplicem inadæquatis repræsentet conceptibus cum fundamento in re, non negando idemtitatem realem, quam habent in re; sed illam cõsiderando quoad vnam formalitatem, seu rationem obiectiuam, non consideratis alijs, quas habent à parte rei.

Hæc item abstractio duplex est. Alia absoluta, qua consideratur v.g. natura specifica, non cognitis differentijs indiuidualibus. Et alia relatiua, seu comparatiua, qua in ordine ad sua indiuidua hæc natura cognoscitur tanquàm correlatiuũ distinctum; comparando illam tanquàm superius ad inferiora, vel tanquàm essentiam & rationem formalem constituentẽ ad materialia per ipsam constituta: sicut Petrus v.g. considerari potest absolutè, solùm quoad substantiam hominis, sine ordine aut respectu ad aliquid aliud, vel potest considerari comparatiuè prout est pater Ioannis, vel prout est similis, aut dissimilis alteri, &c.

Tandem hæc abstractio alia est simplex; & alia composita. Simplex est quando per simplicem appræhensionem intellectus vnum sine altero, siuè absolutè, siuè respectiuè cognoscit. Composita verò, quando per secundam, vel tertiam intellectus operationem iudicat intellectus naturam esse sic abstractam ab his, vel illis inferioribus, & de illis prædicat, quæ posterior semper est comparatiua: quia naturam in ordine ad sua inferiora considerat.

ARTIC. II.

Fiat ne vniuersale opere intellectus agentis?

TOt sunt sententiæ in hac re, quot sunt abstractiones diuersæ supra explicatæ. Prima asserit naturã fieri vniuersalẽ per abstractionẽ intellectus agentis. Tenet Caiet. *de ente & essentia, c. 4. q. 6.* Sotus q. 3. tribuitur Cõmentatori 3. *de ani. tex.* 8. Vbi ait, *quod si vniuersale esset extra animã: frustra esset intellectus agens*, quasi denotãs, ipsum esse, qui facit vniuersale.

X Fun-

Fundamentum est, quia natura per hanc abstractionem repræsentatur sine singularibus: ergo per illam fit vna, & à parte rei est in multis: ergo est vna in multis, vel apta esse in pluribus.

Confirmatur, quia si natura vt sic repręsentata per intellectum agentem sine differentijs indiuidualibus existeret à parte rei, sine dubio vniuersalis esset, quia non esset singularis: ergo prout est obiectum intellectus agētis, antequā accedat operatio intellectus possibilis, vniuersalis est.

Mihi hæc sententia nūquā mi placere potuit, quia supponit multa meo iudicio falsa in libris de anima, primò enim licet verū sit intellectum agentem abstrahere naturā specificam ab indiuiduis, nō est necesse, quod abstrahat naturā genericam, & reliquas formalitates superiores.

Tùm, quia rationes, quibus cōmunis sententia probat in libris de anima, talem abstractionē intellectus agentis necessariā esse, quia intellectus possibilis nō potest primò & directè cognoscere singularia, &c. probant solùm de abstractione speciei à singularibus.

Tùm etiā, quia cum intellectus agens non sit liber in agēdo, intelligibile non est, quare nunc ex hoc phantasmate rei singularis abstrahat naturam genericā, & non specificā: & nunc ratione substantiæ, v.g. & nō ratione viuētis vel ratione viuētis, & nō ratione animalis, &c. quia si est indifferens ad has omnes species producendas, determinari debet ab aliquo ad productionem vnius, & non alterius, sed phantasma, à quo potest determinari, est semper idē, & singulare: ergo solùm ad vnicam speciem rei singularis concurrere potest cum intellectu agente, & nō ad species repræsentantes naturas abstractas.

Secundò: supponit hęc sententia, huiusmodi species intelligibiles esse formaliter repræsentatiuas, quod falsum est, & contra communē sententiā, quę eas virtualiter solùm, seu effectiuè repræsentatiuas dicit, in quantùm sunt semina, & instrumenta obiectorum, ad efficiendum simul cum intellectu possibili formalem imaginem, seu repræsentationem expressam. Propter hoc enim species intelligibilis dicitur solum species, seu similitudo impressa, & verbū mentis similitudo expressa, quia exprimere solùm est proprium repræsentationis formalis.

Tertiò etiam si concedamus vtrūque. s. species istas esse formales repræsentationes naturæ, & non singulariū, adhuc est planè falsa hæc opinio, quia huiusmodi species nō repręsentāt sua obiecta alicui potētiæ immediatè, & proximè, sed tantū mediatè & remotè, & quasi in actu

primò: quia cū intellectus agens nō sit potētia cognoscitiua, non possunt illic obiectiuè existere huiusmodi obiecta repræsentata per has species, in intellectu autē possibili nō fiūt immediatè præsētia per has species, sed per alias expressas: ergo natura repræsentata per has species, non potest vniuersalis denominari. Patet consequētia: quia vniuersale, vel est aliquid reale existens à parte rei; vel est aliquid rationis existens obiectiuè alicubi; sed huiusmodi species nō possūt tribuere existentiam obiectiuā rei per ipsas repræsentatæ; hanc enim solùm possūt habere obiecta in potētia aliqua apprehensiua. Neq; possūt dici actu repræsentare, sed esse repræsentatiuas, quatenùs efficiunt repræsentationem: ergo quantumuis repræsententur per has species, propriè loquendo, non habebunt existentiā obiectiuam, donec adsit potentia cognoscitiua, à qua cognoscātur.

Idemq; etiam dico de specie expressa genita ab intellectu possibili, si cōsideretur extra ipsum, vel à Deo in alieno subiecto miraculosè constituatur, non posse naturā vniuersalē efficere. Tūc enim erit repræsentatiua quasi in actu primo, nō verò in actu secundo, donec obiectū illi⁹ actu percipiatur à potentia; nam repræsentare, vt constat ex illius definitione, *est potentiæ cognoscitiuæ rem præsentem facere*; potētia namq; obiectum sunt correlatiua, mutuò se respicientia: ergo actualis existentia obiectiua intelligi nequit sine potentia apprehensiua.

Cōfirmatur: quia aliàs per voces fieret etiam vniuersale, si repræsentetur per illas natura sine singularibus; hoc autem nemo dicit: quia sola repræsentatio per modum signi, aut causæ, aut instrumenti nō tribuit præsentiam obiectiuā, donec adsit apprehensio potentiæ: ergo nec repræsentatio speciei impressę, aut expressæ, quæ tantùm est per modum causæ, vel signi sufficiens erit.

Tandē; quia propter hāc causam fatētur ferè omnes ens rationis non fieri, nisi quando actu cognoscitur & obiecta volūtatis nullaten⁹ esse entia rationis; quia non existunt obiectiuè in potentia appetitiua: ergo eādē ratione obiecta repræsentata per species intelligibiles, quāuis formaliter repræsententur, & aliter ac sunt à parte rei, entia rationis vniuersalia non erunt, donec adsit apprehensio intellectus possibilis.

Patet iā ex dictis ad fundamētū huius sententiæ, primò negādo naturā abstrahi ab intellectu agente, vel repræsentari formaliter per species illius, vel repræsentari in actu 2. ita vt existentiā obiectiuā habeat in aliqua potentia, quod requirebatur, vt natura diceretur existens aliquo modo cum vniuersalitate.

Vnde ad confirmationem fateor, quod si natura sic repræsentata per intellectum agẽtem, existeret à parte rei, vniuersalis esset, quia haberet iam aliquam existentiam; cæterùm cùm tale obiectum repræsentatum ex hypotesi, quod concedatur non esse singulare, nullibi existat, nequè in re, nequè in potentia aliqua, non erit ens vllo modo, nequè singulare, nequè vniuersale.

ARTIC. III.

Quæ nam sit ratio formalis intrinsecè cõstitutiua vniuersalitatis?

SEcunda sentẽtia duplex vniuersale constituit, ac distinguit, Metaphysicum & logicum. Metaphysicum est natura absolutè considerata secundùm sua prædicata realia, & abstracta à suis inferioribus, nã sic metaphysicus naturas considerat, & cùm sic obiectiuè nõ sint singulares, sed à singularibus abstractæ, sequitur manifestè esse vniuersales aliquo modo.

Vniuersale logicum est natura considerata cum ordine vniuersalitatis ad sua inferiora; vel prædicabilitatis de pluribꝰ subiectibus; nam secundùm hanc considerationẽ pertinet vniuersale ad logicã, quę varios modos prædicandi considerat; & penès illos quinque genera distinguit prædicabilium. Quo supposito. Vniuersale metaphysicũ asserit constitui per abstractionẽ absolutam intellectus possibilis, & logicum per cõparationem, siuè simplicẽ, siuè compositã; nam aliqui compositam necessariam esse docent.

Fundamẽtum huius secundę partis (nã primã pos postea probabimus) est primò authoritas S. Thomæ, 1. *lib. de interpretatione lect.* 10. Vbi dicit. *Quandoquè attribuitur aliquid, quod pertinet ad solam considerationẽ intellectus, vt si dicatur, quod homo est prædicabilis de multis, siuè vniuersalis, huiusmodi enim intentiones format intellectus attribuens eas naturæ intellectæ, secũdùm quod cõparat ipsam ad res, quæ sunt extra animam.* Et simili modo loquendi vtitur, *in 1. d. q. 1. art. 3. in corpore, & 1. p. q. 28. à 1. in corpore, & alijs locis,* in quibus asserit omnia entia rationis positiua relationes esse, sed relatio rationis nõ fit nisi per actum, quo cognoscitur, & non cognoscitur nisi per cõparationem vnius correlatiui ad alterũ: ergo vniuersale, quod non est aliud quã relatio rationis ad sua inferiora; fieri, nec cognosci poterit sine comparatione ad illa. Quod fundamentũ latiùs extendetur infra, & examinabitur.

Tenẽthãc 2. partem. Ferrar. Soncin. Iauell. Niphus. Deza. Hispal. Canarien. & alij.

Pro intelligentia huius diſſicilis controuerſiæ. Primò ſupponenda eſt, & declaranda vniuerſalitatis natura, & ratio formalis intrinſeca: illa enim præcognita, facile erit deducere, per quem actum fiat. Ex definitionibus autem ſupra adductis. s. *Eſt vnum in multis: vel aptum natum eſſe in pluribus*, hæc eſſentia colligenda eſt. Ex illis enim duo inferũtur ab omnibus, & quod ſit natura vna, & quod ſit in multis, ſiue actu, ſiue aptitudine, & aliquid amplius à nemine poteſt deſiderari, vt intrinſecè petitum ab vniuerſalitate; nam prædicabilitas eſt proprietas conſequens eſſentiam, illamquè adæquatè conſtitutam ſupponens: quodcumquè autem aliud, cum non contineatur in his definitionibus, ſine fundamento adderetur.

Tria hîc ſunt examinanda. Primum, an adæquata ratio formalis vniuerſalitatis vtrumquè includat, & vnitatem, & aptitudinem ad eſſendum in multis? An verò vnum illorum ſit tantùm conditio requiſita ex parte materialis, ſeu naturæ, quæ ſic denominatur? Secundum, an vtrumque habeat natura per intellectum, vel an aliquid horum in re ſupponatur? Tertium, an forma vniuerſalis abſoluta ſit, vel relatiua?

Eſſentia vniuerſalis non eſt ſola vnitas, ſed aptitudo ad eſſendum in multis.

Circa primum, omiſsis alijs, dicendum eſt: forma vniuerſalis non eſt ſola vnitas, neque ſola aptitudo ad eſſendum in pluribus, ſed vtrumque ſimul. Ex quo vlteri⁹ colligitur vnitatẽ nõ eſſe proprietatẽ vniuerſalis, ſed rationem formalem primariam, licet tam ipſa, quàm ſingularitas ſint affectiones naturæ ſecundùm ſe.

Probatur, quia ſola vnitas naturæ ſine aptitudine ad eſſendum in pluribus non poteſt eſſe ratio formalis communitatis; nã ſola vnitas non eſt vnitas in multis, in quo conſiſtit formaliter communitas, vt exprimitur in definitione illius. Similiter ſola aptitudo ad eſſendum in pluribus ſine vnitate conuenit naturis à parte rei, vt poſtea dicã, & tamẽ illis nõ conuenit vniuerſalitas, ergo adæquata ratio vniuerſalitatis vtrũq; poſtulat.

Rurſus, quod vnitas non ſit proprietas, ſed eſſentia, probatur ſpecialiter: tùm ex definitione eſſentiali vniuerſalis, in qua vnitas continentur: tùm etiam quia ita ſe habet vnitas vniuerſalis ad vniuerſale, ſicut vnitas ſingularis ad ſingulare, ſed vnitas indiuidualis eſt forma primariò conſtituens ſingulare in eſſe ſin-

gulari: ergo etiam sic se habebit vnitas vniuersalis respectu vniuersalis. Probatur minor ex definitione essentiali vtriusque, quæ eadem est: differentia indiuidualis est forma incōmunicabilem, & indiuiduā reddens naturam; vnitas illius est indistinctio realis naturæ in se, & distinctio eius à quolibet alio, quod idem omninò est, vt patet.

Sed dices: aptitudo ad essendum in pluribus se tenet ex parte naturæ realis, prout est in re: ergo se tenet ex parte materialis, seu fundamenti vniuersalitatis, & non ex parte formæ. Patet consequentia: nam vniuersalitas pro formali est ens rationis, & pro materiali ens reale: ergo si hęc aptitudo realis est, & tenens se ex parte naturæ, quæ denominatur vniuersalis, non potest pertinere ad intrinsecam formalitatem vniuersalitatis.

Sed quidquid sit de maiori, de quo postea; negari non potest hanc aptitudinem intrinsecè includi in formalitate vniuersalis; nam per illud, per quod res aliqua essentialiter distingitur ab alia, per illud formaliter constituitur in suo esse, cum principium constitutiuum, & dinstinctiuum idem sint: rationale v.g. quod formaliter constituit hominē, distinguit illum essentialiter à quolibet alio animali, sed vniuersalia distinguntur inter se penès diuersas aptitudines ad essendum in pluribus: ergo per has formaliter constituuntur in ratione vniuersalis, & in ratione talis vniuersalis. Minor constabit ex infra dicendis, nam genus constituitur, & distinguitur essentialiter ab specie, per hoc, quod ista est apta esse in pluribus indiuiduis, illud verò in pluribus speciebus. Consequentia etiam patet, nam ratio generica, & specifica ab eàdem formalitate reali sumi debent; nec potest genus essentialiter diuidi per differentias materiales, seù extraneas, sed per intrinsecas, & proprias: ergo si per diuersas aptitudines distinguitur vniuersale in communi in diuersas species, non poterunt pertinere ad materiale.

Ad argumentum ergo; quidquid sit de antecedenti, de quo modo dicā, negatur consequētia: quia non est necessarium, quod adæquata formalitas vniuersalis sit ens rationis, quin potiùs contingit frequenter intellectum iungere entia posibilia, cum impossibilibus, vt dixi supra tractando de ente rationis in communi, sufficit tamen, quod vnio entis realis cum ente rationis sit per intellectum, vt absolutè dicatur concretum, & consequenter vniuersale ens rationis. Sicut homo simpliciter dicitur corporeus, & corruptibilis, quamuis eius forma incorpo-

corporea sit, & eius materia incorruptibilis.

Obijcies secundò: hæc aptitudo est de essentia naturæ, quæ est pars materialis vniuersalis: ergo non potest esse forma ipsi⁹. Patet consequentia: quia pars formalis non debet esse de essentia partis materialis. Omisso antecedẽte, respondetur negando consequentiam; quia licet verum sit, quod in composito reali, & physico requiratur, quod pars formalis distinguatur à materiali realiter; hoc autem non requiritur in composito rationis, sed sufficit quod ipsa aptitudo distinguatur formaliter à natura, ad hoc quod possit esse forma vniuersalis, vt formaliter distincta est materiali.

Secundò respondeo; quod aliud est naturam esse plures, & aliud naturam esse in pluribus actu, vel aptitudine. Hoc secundum non est in re, sed inuoluit essentialiter aliquid rationis, & vt sic constituit formaliter vniuersale; non autem primum quod sequenti articulo clarius constabit. Omissi antecedens: quia re vera aptitudo hæc vt sit plures, non est essentia naturæ, sicut nec ipsa pluralitas indiuidualis; essentia enim naturæ indifferens est, & in hoc essentialiter distinguitur ab spiritu, qui talem indifferentiam non habet.

ARTIC. IIII.

An aptitudo ad essendum in multis conueniat naturæ à parte rei, vel per intellectum?

CIRCA secundum, multi docent naturam à parte rei esse in multis, siuè actu, siuè aptitudine (vt cõstat in natura Solis; quã dicũt à parte rei habere aptitudine, vt sit in pluribus) cæterùm vnitatẽ non, nisi der intellectum. Incautè tamen loquuntur; quia natura nõ est in multis, neque habet aptitudinem ad essendum in pluribus propriè, & in rigore loquẽdo. Solùm enim dici potest esse multas, vel plures naturas à parte rei; nam particula *in* denotat præcisionem, & vnitatem. Eo ipso quod naturam considerem vt existentem in Petro, & Paulo distinguo illã ratione à Petro, & Paulo; & quãuis considerẽ plures naturas in pluribus singularibus, efficio iam abstractionẽ, & concipio naturam vt formã, & singularitatem vt materiam, quod totum quid rationis est.

Præterea declaratur hoc amplius, quia natura à parte rei est idẽ, ꝙ singularitas, & è cõtra: ergo sicut singularitas est plures

realiter à parte rei, & non dicitur aliquid existens in pluribus, ita & natura.

Suppono ergo pro explicatione, quod aptitudo ad essendum in pluribus non est aliqua potentia actiua, seu physica, vel aptitudo positiua naturæ vniuersalis, vt se communicet pluribus; sed est quædam non repugnantia, seu potentia Logica, quam habet, vt sit forma multorum. Et hoc non per veram informationem, aut eductionem illius de potentia materiæ, sed solùm per intrinsecam connexionem, & idemtificationem cum pluribus.

Rursus: hæc idemtificatio cum pluribus, vel vt meliùs loquar, hoc, quod est, esse plures naturas inter se similes, & non repugnantia ab talem pluralitatem est quid sine dubio conueniens naturis à parte rei. Quod sic probo: quia ab actu ad potentiam, vel non repugnantiam, est euidens consequentia. Sed à parte rei in Petro, & Paulo, & cæteris sunt plures numero naturæ humanæ eiusdem rationis: ergo à parte rei est talis non repugnantia, &c.

Confirmatur: quia hæc pluralitas, & aptitudo ad illam nihil aliud est, quam similitudo, vel relatio idemtitatis, quam habent Petrus, & Paulus, cæteraquè indiuidua in ratione hominis, sed hæc similitudo est realis existens, vel potens existere à parte rei: ergo etiam pluralitas dicta. Patet maior; quia esse plures naturas humanas à parte rei, non est vna humanitas diuisa in plures naturas; nec plures naturæ habētes eamdem rationem, aut essentiam à parte rei, vt supra probatum est, sed esse plures naturas, & humanitates inter se similes.

Confirmatur secundò: quia negari non potest à parte rei in hoc distingui naturam humanam, & quamlibet speciem materialem à natura Diuina, & Angelica (iuxta Thomisticam sententiam) quod naturæ Diuinæ, & Angelicæ repugnat essentialiter in re esse plures, vel habere alia indiuidua similia; naturis verò materialibus hæc pluralitas non repugnat: ergo hæc non repugnantia conuenit illis à parte rei omnino independenter ab intellectu.

Sed dices: si hæc non repugnantia vt sit plures, conuenit naturæ à parte rei, debet illi conuenire prout existit in quolibet singulari, nam extra illud nullibi existit, iuxta doctrinam supra assignatam; sed natura prout in Petro, v.g. potiùs habet repugnantiam, vt sit plures realiter à parte rei: ergo hæc non repugnantia non conuenit naturæ à parte rei.

Respondeo, quod licet prædicata essentialia, vel quæ conuer-

uertuntur cum eſſentia, debeant conuenire inſeparabiliter naturæ in quolibet indiuiduo, cæterùm prædicata accidentalia non eſt neceſsè, quod in quouis ſingulari reperiantur, ſed in aliquibus; vt albedo, color, &c. vel ſi in omnibus, ſatis eſt quod ſint in omnibus ſimul, non verò ſeorſim, & diuiſiuè, & ſic pluralitas realis, & aptitudo ad eſſendum plura (quæ accidentalis eſt naturæ, ſicut differentiæ indiuiduales) non conuenit alicui ſingulari ſeorſim, ſed omnibus, vel pluribus ſimul. Cuilibet namquè ſeorſim ſolùm conuenit non repugnantia, vt ſit vnum indiuiduum ſimile alijs atque hæc aptitudo, vel non repugnantia, quam habet natura à parte rei, non eſt vna, ſed plures realiter, quinimò non eſt aliquod diſtinctũ ab ipſamet pluralitate naturę.

His poſitis ſecundò dicendum eſt, quod ſicut natura, quæ à parte rei eſt plures, fit vna per intellectũ, per hoc, quod inadæquatè conſideretur ſine differẽtijs indiuidualibus, per quas eſt plurificata à parte rei, quia conſideratur tunc ſine diuiſione aliqua, & conſequenter vt entitas indiuiſa, ſic etiam aptitudines diuerſæ, quas habent hæc plures naturæ ad eſſendum quamlibet quodlibet indiuiduum à parte rei, eo ipſo quod conſiderentur abſque omni pluralitate reali, in qua ſunt diſsimiles, & intelligãtur quoad rationem aptitudinis, in qua ſunt ſimiles, reſultat obiectiuè vna aptitudo indiuiſa ad eſſendum plura, vel in pluribus.

Ex quo rurſus colligitur, quod ſicut à parte rei non eſt vnitas formalis ad vniuerſalitatem requiſita, ita nequè aptitudo ad eſſendum in pluribus, quæ immediatè, & proximè vniuerſale conſtituit formaliter, quia à parte rei non eſt aptitudo vnius ad eſſendum in pluribus, ſed plures aptitudines ad eſſendũ vnũ, vel ad eſſendum plura, ita vt quælibet ſit quodlibet.

Cum hoc tamẽ eſt maximè aduertendum, quod licet aptitudo ad eſſendum in pluribus non conueniat naturæ niſi per intellectum, non eſt ad illam neceſſaria aliqua fictio, aut operatio intellectus, præter illam, qua natura fit vna; nam cõſequenter eius aptitudo ad eſſendum plura, vna fit, & diſtincta, ac proinde accipit totum id, quod requiritur vt ſit aptitudo vnius ad eſſendum in multis.

ARTIC. V.

An vniuerſalitas ſit forma eſſentialiter relatiua, vel abſoluta?

CIrca tertiũ, quidam iuniores affirmant, quod quãuis natu-

natura vniuersalis cognosci non possit sine ordine ad multa, eius tamen essentia adæquata absoluta est simpliciter, & saluatur absque vlla relatione reali, vel rationis. Probatur: quia tota essentia vniuersalis in vnitate naturę, & in aptitudine ad essendũ in pluribus supra explicata saluatur, sed neutrũ horum est essentialiter relatiuum: ergo. Minor, quoad prioré partem de vnitate, probatur, quia per hoc, quod natura consideretur vt in se indiuisa, efficitur vna absque ordine ad aliud.

Quoad secundam partem de aptitudine, etiam probant: quia talis aptitudo præter vnitatem, & distinctionem rationis, nihil aliud importat, quam aptitudinem negatiuam, vel non repugnantiam, vt sit plures, sed hæc omnia absoluta sunt: ergo. Patet minor, quia esse vnam & distinctam conuenit naturæ absq; vllo ordine aliud. Esse autem plures siue actu, siue aptitudine conuenit illi à parte rei: ergo nõ potest esse relatio rationis, quia hæc fit per intellectum. Neque est relatio realis, siuè prædicamentalis, siuè transcendentalis: quia hæc debet esse inter extrema realiter distincta, natura autem non distingui tur sic à suis singularibus: ergo nullum respectum realem dicit ad illa.

Confirmatur: quia in natura sic vna, distincta, & apta per dictam non repugnantiam ad essendum in pluribus saluantur omnes definitiones, & conditiones vniuersalis: ergo quodcumque aliud illi addatur accidentarium est. Antecedens patet ex dictis; nam quid amplius desiderari potest ad naturam vniuersalis, quàm vnitas formalis, & aptitudo ista?

Rursus: vniuersalia ad hoc solùm condita fuerunt vt naturæ essent proximè definibiles, prædicabiles &c. sed natura sic vna, vt explicui, absquè relatione superaddita est proximè definibilis, & demonstrabilis à quacumquè scientia: ergo est essentialiter vniuersalis seclusa quacumque relatione superaddita. Probatur minor; quia ad hoc quod res aliqua proximè possit definiri, satis est, quod habeat essentiam absolutam, quod habeat vnitatem non singularem, quod sit veritatis infallibilis, & æternæ, sed hoc totum hábet natura sic vna explicata: ergo. Similiter est prædicabilis, & demonstrabilis, quia omnis definitio, eo ipso quod definitio obiectiua est, est prædicabilis de definito, & de omni contento sub illo, vt latè dicemus infra: ergo &c.

His tamen non obstantibus dicendum est, vniuersalitatem essentialiter relatiuam esse secũdùm rationẽ. Ita tenet S. Tho.

tùm

tùm quia adæquatè diuidit ens rationis logicũ in negationem, priuationem, & relationem, ſed vniuerſale non poteſt ad primum, vel ſecundum membrum pertinere: ergo ad tertium: tùm, quia in particulari de vniuerſali docet, eſſe relationem rationis, *1.p.q.28.ar.1.& alibi ſæpè.*

Ratio item eſt, quia natura fit vna, quando conſideratur vt diſtincta à pluribus, & tunc iam refertur relatione diſtinctionis ad illa. Rurſus probaui iam, quod licet natura ſit plures à parte rei, non eſt in pluribus, nec actu, nec aptitudine, niſi per intellectum, ad vniuerſale autem non ſufficit primum, quod eſt tantùm fundamentum remotum, ſed requiritur ſecundum, quod.s.ſit apta natura ad eſſendum in pluribus. Quod illi conuenit, quatenùs ab hac, vel illa non repugnantia numerica, vt dixi, abſtrahitur quædã aptitudo communis, ſed hæc aptitudo eo ipſo quod obiectiuè vt vna, & diſtincta à multis, vel apta eſſe in multis conſideratur, refertur ad illa relatione rationis, vel ſecundùm dici: ergo forma vniuerſalis eſt eſſentialiter relatiua.

Ex quo patet iam ad fundamentũ oppoſitum, & ad confirmationem fateor, naturam fieri ſufficienter vniuerſalem per abſtractionem, & vnitatem ex multis, ſed per eandem rationem fit relatiua obiectiuè; quia eſt ex multis per abſtractionem, & ad multa & in multis per aptitudinem, quæ non eſt cognoſcibilis ſaltem directè, niſi per habitudinem ad multa. Sed de hoc iterum ſequentibus articulis erit ſermo.

Exponitur iam diſcrimen inter vniuerſale logicum, & metaphyſicum.

Ex dictis colligitur, quàm falſò aliqui diſtinguant duplex vniuerſale, logicum.s.& metaphyſicum, dicente, hoc eſſe abſolutum, & in eſſendo, & illud relatiuum & in prædicando. Contra illos enim eſt: quod vniuerſale, quod vocant metaphyſicum, eo ipſo quod abſtractũ ab omni ſingulari ſit, eſt vnum, & in multis actu, vel aptitudine, & conſequenter ens rationis relatiuum, vt probatum eſt.

Importat item totũ id, quod in definitionibus vniuerſalis petitur: & eo ipſo quod eſt vniuerſale in eſſendo, eſt vniuerſale in prædicando: ideo namquè prædicatur natura de multis, quia eſt in multis. Idcirco etiam prædicabilitas eſt veri vniuerſalis proprietas, & non conſtituens nouum aliquod vniuerſale, quod ad logicum pertineat, quia illi ſubordinatur, ſicut riſibilitas homini, & ita nec duplex homo eſt, nec vniuerſale.

Præ-

Præterea metaphysicus non solùm considerat naturam abstractam, & vnam, sed etiam principaliter vt definibilem prædicabilem, & demonstrabilem; ad hoc enim naturas sub vniuersalitate concipit, vt eas possit definire, diuidere, & prædicare per demonstrationem, in quo eius principalis sistit intentio: ergo potiori iure prædicabilitatem respicit, ac vniuersalitatem, & consequenter relationem rationis ad inferiora. Nam licet sit in quæstione an vniuersale vt præcisè abstractum cognitione absoluta; relatiuum sit? At vt actu prædicatum, & comparatum ad inferiora, nemo dubitat, illa respicere, vt correlatiuum: ergo si metaphysica præcipuè vniuersale considerat vt prædicabile, imò vt prædicatum, etiã vt relatum illud intueri necessum est.

Rursus: illa vniuersalia sunt obiectum Logicæ, quæ alijs sciẽtijs obiecta sunt; cum enim, vt supradixi, Logica sit modus sciendi respectu aliarum scientiarum, & ratione huius earum actus, & obiecta consideret, (vt eas instruere possit, & dirigere in suis obiectis definiendis, diuidendis, ac demonstrandis) eo ipso quod aliquid sit vniuersale siuè metaphysicum, siuè mathematicum, erit vniuersale Logicum; nam ad Logicum pertinet agere de vniuersali in communi, vt compræhendit omnia scientiarum obiecta, quorum rationem obiectiuam in communi considerat: ergo tantùm abest, quod vniuersale metaphysicum non sit Logicum, quod potiùs ideo Logicum, quia metahysicum.

Solùm est discrimen in diuerso modo, quo idem omnino vniuersale Logicæ obijcitur, & Metaphysicæ, ac cæteris scientijs. Metaphysica enim, & reliquæ scientiæ naturas reales, quæ vniuersales in particulari, & in actu exercito denominantur, vt obiectum primarium directè terminatiuum considerant, vniuersalitatem verò ipsam non nisi indirectè, vt rationem *subqua*, eamquè sub hac ratione vniuersali directè prædicant, definiũt, ac demonstrant, quæ proprietates vniuersales sunt, vt dicemꝰ. At Logica etiam vniuersalitatem ipsam, eamquè in communi, vt obiectum quod, & per se terminatiuum considerat, naturam verò non nisi vt materiam, & fundamentum illius.

Propter quod obiectum metaphysicæ dicitur ens reale, Logicæ verò ens rationis (quantùm ad obiectum per se secundarium) non quia vniuersale metaphysicum sit formaliter ens reale, sed quia materiale illius, quod est reale, terminat metaphysicam considerationem vt obiectum *quod*. Formale verò,

quod

quod est ens rationis, terminat solùm vt *quo*. At Logicam terminat; vt *quod*, & hoc per se loquendo; nam per accidens, & secundariò etiam metaphysica ipsam vniuersalitatem in abstracto considerat. Insuper Logica quatenùs quædam scientia particularis est, respicit vt primarium obiectum *quod*, modum sciendi mentalem realem, & vniuersalitatem particularem illius, & specierum eius, vt rationem *subqua*.

Addo tamen alium modum, quo vniuersale metaphysicum, & Logicum distingui possunt (in gratiam eorum, qui tanta auiditate vtrumque discernere student. Vniuersale metaphysicum dici potest quælibet ratio communis transcendens, & intimè imbibita in vltimis differentijs suorum inferiorum. Et vniuersale Logicum, quæuis alia ratio inferior, & non transcendens, sed essentialiter distincta à suis inferioribus. Interest enim multùm inter vtramque rationem, vt infra dicetur; nam prior ratione inclusionis in suis inferioribus, non habet eam vnitatem, & vniuocationem perfectam, ac rigorosam, quam postulat Logica, ideoquè tanquam ratio analoga à prædicamentis reijcitur: diciturquè metaphysica, quia illi proprium est huiusmodi rationes transcendentes, tanquàm omnium supremas speculari, & licet etiam alias rationes inferiores, & Logicè vniuersales consideret; hoc ideo est, quia continentur sub ratione vniuersalissima entis, quam per se, vt primarium, & adæquatum obiectum attingit.

ARTIC. VI.

Vbi statuitur sufficienter fieri vniuersale per abstractionem absolutam intellectus possibilis.

EX dictis est facilis iam principalis resolutio difficultatis. Dicendum enim est, solam abstractionem absolutam intellectus possibilis sufficere, vt natura completè, & formaliter vniuersalis fiat, & comparatiuam necessariam non esse. Quod vt benè intelligatur, duplex comparatio præmittenda est. Vna, quæ fit ante abstractionem, qua intellectus priùs singularia inter se confert, vt sunt à parte rei, & aduertens varias eorum similitudines, & dissimilitudines reales, concipit vnico conceptu rationem aliquam, in qua conueniunt, non considerando eas, in quibus differunt; & tunc abstrahere dicitur

Durand. in 1. d. 3. q. 5. ad 2. & alibi. Tole. q. 2. vni. M. Zum. 1. p. q. 53. art. 7. Suar. d. 6 meta. sec. 6. & Sot⁹ q. 3. vnin. & aly.

tur

tur naturam à differentijs illam contrahentibus.

Alia est comparatio subsequens hanc abstractionẽ, quando. s. intellectus reflectitur supra naturam sic abstractam, & primo modo comparatam, & eam confert cum suis inferioribus, à quibus fuit abstracta, cõsiderans aptitudinem, quam habet ad essendum in illis; superioritatem, quâ super illa eminet, &c. & hanc posteriorem comparationem asserimus in conclusione necessariã non esse; priorem verò fatētur Authores vtriusque partis per se requiri ad quamcũque abstractionem, & consequenter ad vniuersale.

Priorem inquàm saltem pro prima vice; nam postea intellectus facilis, & habituatus manet ad immediatè abstrahendam naturam absque præuia comparatione singularium. Quinimò nec pro prima vice est simpliciter necessaria, sed tantùm ad meliùs & faciliùs; nam abstractio intellectus agentis sufficiens videtur.

Sic ergo intellecta conclusio, probatur S. Th. expressè *opusc.* 55 *non longe à principio*, vbi ait: *vna & eadem natura, quæ singularis erat, efficitur postea vniuersalis per actionem intellectus, depurantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic, & nunc, &c.* Quæ verba male interpretantur aliqui de abstractione intellectus agentis; vt patet ex contextu verborum, & ex verbis antecedentibus. *Vniuersale dum intelligitur, singulare dum sentitur.* Nam intellectus agẽs non intelligit, & etiam quia quotiescũq; est sermo de intellectu absolutè, intelligitur tantùm de possibili.

Videatur rursus 2. *lib. Physicorum lect.* 3. *opusc.* 42. *capit.* 5. *prope finem. Et* 1. *p. q.* 85. *art.* 2. *ad* 2. Vbi habetur hæc verba: *sed quod humanitas apprehendatur sine indiuidualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio vniuersalitatis: accidit humanitati secundũ quod percipitur ab intellectu in quo est similitudo naturæ speciei, & non indiuidualium principiorum.*

Neque obstant testimonia, quæ citantur pro sententia opposita: ipse enim Doctor Angelicus satis se explicat *opusc* 48. *c.* 1. & 2. quod vtrumq; caput maximè vellē, vt omnes attentis oculis legerent. Nam postquã dicitur hominem, prout abstractum à conditionibus dici vniuersale, subdit paulo infra: *Sed quia intellectus reflectitur supra seipsum, & supra ea, quæ in eo sunt obiectiuè, considerat iterùm hominẽ sic abstractum: & videt quod talis natura cũ tali vniuersalitate, seu abstractione intellecta attribui potest huic, vel illi.* Supponit ergo eam vniuersalem per abstractionem factã, & paulò post addit: *Secũdum ergo quod prædicta res*

est

eſt intellectu (ideſt primò abſtracta) dicitur vniuerſalis, ſecundùm autem quod intellectus talem vniuerſalitatem conſiderat, & attribuit illi aliquid, &c. Vbi ſatis clarè noſtram indicat aſſertionem.

Item ratione ſic probatur: quia natura ſic abſtracta fit formaliter vna, ſed non vnitate indiuiduali, quia vt ſupponimus, abſtrahitur ab omnibus illis: ergo vnitate vniuerſali. Patet conſequentia: quia nulla alia vnitas præter has duas eſt poſsibilis, vt ſupra demonſtratum eſt.

Secundò quia per hanc abſtractionem natura habet, quod ſit vna, & quod ſit in multis ſiuè actu, ſiuè aptitudine: ergo habet totũ, quod deſiderari poteſt ad eſſentiã vniuerſalis. Probatur antecedens, quia per hanc abſtractionem natura fit vna; non ſolùm quoad entitatem, ſed etiam quoad aptitudinem eſſendi in inferioribus (vt dictum eſt ar. 4.) ita vt ex hoc, quod fiat vna abſq; aliquo alio ſit in multis; quod totum ſupra demonſtratum eſt.

Præterea dixi, naturã per hãc abſtractionem eſſe ſufficienter relatiuã ſecũdùm dici, & ſi aliã relationẽ exigunt Authores oppoſiti, neceſſaria non eſt ad vniuerſalitatem, vt patet ex illius definitione, in qua ſolùm exprimitur, quod ſit vna, & quod ſit in multis, q natura ſic abſtracta habet, quidquid ſit de relatione.

Tertiò: quia natura per hanc abſtractionem eſt definibilis proximè, & prædicabilis: ergo & vniuerſalis. Probatur antecedens: quia quando actu definitur natura, ſolùm conſiderantur illius prædicata eſſentialia abſolutè abſque vllo ordine, & comparatione ad inferiora, vt patet ex quacumq; definitione: ergo ſi ad hoc, quod actu definiatur, ſatis eſt abſtractio, ſufficiet à fortiori ad hoc, quod ſit proximè definibilis.

Rurſus: ſi per ſolam abſtractionẽ eſt definibilis, erit etiam proximè prædicabilis, vt probaui præcedenti articulo: nam vt poſtea dicam, non ſolùm prædicabilitas, ſed etiam definibilitas eſt proprietas vniuerſalis; ideòque Logicam vniuerſalia conſiderare, quia ſunt obiecta definibilia, prædicabilia, & demonſtrabilia.

Quartò: ſi natura ſic eſſet à parte rei, ſicut eſt obiectiuè per abſtractionem abſolutam in intellectu, eſſet ſine dubio vniuerſalis: quia eſſet vna, & in multis, & prædicabilis, ac multiplicabilis in illis: ergo prout ſic obijcitur in intellectu, vniuerſalis eſt. Patet conſequentia: quia ex hoc quod vniuerſale ſit ens rationis, tãtùm exigitur, quod omnia eius requiſita ſint obiectiuè in ratione; & ex hoc quod ſit ens reale, tãtùm petitur quod exiſtat, vel poſsit exiſtere

à parte

à parte rei: ergo si vnitas, & aptitudo ad multa sufficerent ad realem vniuersalitatem, si in re existeret, sufficerent etiam ad vniuersalitatem rationis, si ita per abstractionem absolutam in intellectu existit.

Dico secūdò: etiam fieri potest, & frequenter fit vniuersalis natura per abstractioné comparatiuam, siuè simplicem, siuè compositam, non est tamen necessaria talis abstractio, vt comparatiua est, sed per accidens se habet; & in tantùm ipsa potest ad constructionem vniuersalis concurrere, in quantùm includit rationem abstractionis, sicut Sol potest calefacere, in quantùm virtutem ignis, aut caloris in se continet.

Ex quo patet, quàm falsa sit vltima sententia docens, comparationem compositam, seu actualem prædicationem esse simpliciter necessariam, quia si comparatio simplex non est per se requisita, multò minus composita.

Ad fundamentum huius sententiæ supra positum negāda est maior; nam alia est cognitio, per quam fit vniuersale, alia verò est, per quam cognoscitur, & supponitur iam constitutum, & hanc fateor esse comparatiuam, & considerare naturam cum ordine ad multa, & vt existentem in illis: nego tamen ad hoc necessariam esse comparationem compositam, nam etiam per simplicem cognosci possunt entia relatiua, sicut cognoscuntur absoluta. Quis enim neget, intellectum posse simpliciter apprehendere res inter se dissimiles, vel similes, Patrem, & Filium, &c. antequàm iudicet? Præsertim quando dubitat an aliqua forma conueniat alicui particulari subiecto, talis comparatio antecedit iudicium, & cōparationem compositam, & est naturæ vniuersalis. Sed non est cur in hoc amplius immoremur.

ARTIC. VLT.

Vbi proponuntur aliquot argumenta contra dicta.

SEd ad huius rei confirmationem opportet, vt aliqua sententiæ oppositæ argumenta diluamus. Primò obijci potest: vniuersale est ens rationis, sed ens rationis eodem actu fit, quo cognoscitur, & è cōuerso, ergo eodem actu, quo natura fit vniuersalis, cognoscitur vt vniuersalis. Tunc sic; sed vniuersalis natura non cognoscitur nisi per actum comparatiuum: ergo per eundem fit. Probatur hæc minor: quia vniuersale est quid

quid relatiuum, vt dixi, quod intelligi nequit, niſi per comparationem ad ſuum correlatiuum.

Rurſus licet eſſet abſolutũ, vt alij contendunt, dicit ſaltem connexionem eſſentialem cum inferioribus, à quibus abſtrahitur, & in quibus eſt actu, vel aptitudine, vt conſtat ex eius definitionibus, ſed talis connexio, & connotatio inferiorũm cognoſci non poteſt ſine comparatione naturæ ad illa.

Secundò quia per abſtractionem nullo modo natura fit vna; ergo non verificat adhuc illam particulam definitionis, *eſt vnũ.* Antecedens probatur: quia illi abſtractioni tantùm correſpondent obiectiuè in natura abſtracta prædicata eſſentialia, & id quod habet natura ſecundùm ſe; ſed natura ſecundùm ſe nequè eſt vna nec plures, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo abſtractioni non obijcitur vt vna.

Nequè poteſt reſponderi eſſe vnam negatiuè quatenùs repræſentatur ſine pluralitate, & differentijs indiuidualibus; quia vnitas requiſita ad vniuerſale debet eſſe poſitiua, & propter hoc, licet communiter thomiſtæ à parte rei concedant vnitatem formalem negatiuam in pluribus, non admittunt vniuerſale.

Tertiò etiamſi natura per hanc abſtractionem fieret vna, non ſufficit ad rationem vniuerſalis eſſe quomodocumquè vnum, ſed requiritur, quod ſit vnum vt in multis, ideſt indifferens & ſuperius, vel commune multis, ſed ad hoc requiritur abſtractio comparans talem vnitatem ad multa: ergo abſtractio abſoluta non ſufficit. Minor probatur: quia per abſtractionem ſolùm habet natura vnitatem à multis, à quibus ſeparatur, & includit proprietatem oppoſitam vniuerſali; de cuius ratione eſt, quod ſit in multis; nam eſſe à multis, & eſſe in multis ſunt reſpectus omnino oppoſiti: cum primus dicat excluſionem, naturę à ſuis inferioribus, & ſecundus communicationem, ſeu vnionem: eiuſdem cum illis: ergo vt natura ſit vna in multis, requiritur comparatio.

Deniquè: quia vniuerſalia cõſtituuntur & diſtinguntur ſpecie penès diuerſos reſpectus ad inferiora. Genus v.g. per ordinem ad ſpecies, & ſpecies per ordinem ad indiuidua, &c. vt patet ex definitionibus cuiuslibet: ergo conſtituuntur, & fiunt per comparationem; nam relatio rationis non fit, niſi per cognitionem, qua vnum alteri refertur, &c. Alia argumenta omitto minoris momenti.

Soluitur primum Argumentum.

Ad primum autem horum respondeo primò, distinguendo maiorem. Vniuersale est ens rationis quoad vnitatẽ, & distinctionem, quam accipit à ratione, cõcedo. Quoad pluralitatem, nego maiorem: quia hæc illi conuenit à parte rei, & ita quoad hĩc vnitatem, & distinctionem concedo gratis, quod cognoscitur natura vniuersalis eodẽ actu, quo fit, non est autem necesse quod cognoscatur pluralitas, cum non fiat ab intellectu, sed supponatur in re.

Neque obstat quod diximus. s. aptitudinem ad essendum in pluribus etiam esse à ratione; nã ideo rationis esse docui: quia importat essentialiter vnitatem, & distinctionem, quæ ab intellectu fiunt, reliqum verò reale est, vt ostendi artic. 4.

Idem similiter dico de his terminis, *communitas superioritas, indifferentia, &c.* quod aliquid habẽt rationis. s. vnitatem, & distinctionem, & aliquid reale, pluralitatem. s. & non repugnantiam: & idcirco vt natura fiat indifferens, superior &c. satis est, quod cognoscatur id, quod de nouo illi ab intellectu tribuitur, & quod supponatur id, quod in re independenter ei ab intellectu competit. Ex quo partim ad tertium argumentum, responsum est.

Secundò respondeo, negando minorem. s. quod ens rationis eodem actu cognoscatur, quo fit. Oppositum probaui supra *q.* 1. *&* 2. loquendo de cognitione directa, nam ens rationis, præsertim logicum, est quid indirectè resultans ex cognitione directa entis realis, ac proinde solùm indirectè obijcitur & cognoscitur per actum quo fit, solumque notitiam reflexam terminat vt obiectum quod. Iuxta quam doctrinã consequenter dicendum est, vniuersale sufficienter fieri per abstractionem absolutam; cognosci verò non nisi per notitiam comparatiuam. Hoc secundum conuincit satis argumentũ factum: primũ vero monstraui iam præcedenti articulo: quia quantũuis sit relatiua forma vniuersalis ad sua inferiora, cum non cognoscatur directè per actum, quo fit, sed tantùm indirectè illum terminet, vt ratio sub qua, neque fiat per intellectum, nisi tantùm vnitas & abstractio, nã cætera supponuntur ex parte ipsius naturæ, hinc est, quod abstractio absoluta sufficiat ad vniuersalitatem, quoniam ex sala additione vnitatis, & distinctionis, quam prestat de nouo intellectus, & ex eo, quod ex se tribuit ipsa natura à parte rei, resultat, quod illa sit vna, & in multis actu, vel aptitu-

titudine, & quod ad illa habitudinem dicat obiectiuè eo modo indirecto, quo vna & distincta ab illis sit.

Soluitur secundum Argumentum, & exponitur vnitas naturæ vniuersalis.

Ad secundum Argumentũ respondeo primò, solùm probare; quod natura non fiat vniuersalis per quamcumque abstractionem absolutam, qua con sideratur secundùm sua prædicata essentialia, sed solùm per illam, qua tribueretur ei aliqua vnitas absoluta, & positiua, quod totum licet concedatur, non sequitur intentum. s. comparationem necessariam esse.

Secundò dico, quamcumquè abstractionem vtcumquè explicetur, sufficere ad vniuersalitatem; quia vt supra notaui præced. quæst. non potest considerari natura secundùm suam essentiam, quin consideretur sub ratione vnius, ita vt vnitas se habeat saltem vt ratio *sub qua*. Vt patet in omni definitione, in qua, licet adæquatum obiectum terminatiuum sint prædicata essentialia, ratio *sub qua* est vnitas specifica: nam ens rationis ratiocinatæ, qualis est huiusmodi vnitas, & vniuersalitas, est tantùm fictio ex parte modi, sub quo obiectum concipitur, non verò attribuitur illi, ita vt se teneat ex parte obiecti terminatiui, vt sæpe dixi.

Addo præterea, vnitatem, quam dicit vniuersalis natura, non esse positiuam, sed negatiuam tantùm, quatenus inadæquatè concipitur sine differentijs indiuidualibus.

Ratio est, quia, vnitas positiua, cum sit modus positiuus indiuisionis, tribui non potest naturæ sine fictione, & falsitate: pertinet ergo ad ens rationis ratiocinantis, ac proinde non ad vniuersale, quod ens rationis doctrinale est, per se concurrens ad veritatis contemplationem, quodque fit per abstractionem veram & non mendacem, vt docet S. Tho. *1. p. q. 85. art. 1. ad 1. & alibi sæpe.*

Præterea per solam repræsentationẽ inadæquatã, qua frequẽter dicimus fieri abstractiones, & distinctiones rationis, nihil nouum additur naturæ, quod in re non habeat, sed solùm aufertur præscindendo, vel considerando vnum sine alio: ergo si vniuersale fit per abstractionem, vel præcisionem naturæ à singularibus, nihil additur naturæ ex vi huius actus, sed solùm nudatur & depuratur, vt sæpe loquitur S. Tho. in locis citatis à conditionibus materialibus, sed vnitas negatiua consistit solùm in carentia distinctionis, seu pluralitatis absquè modo positiuo indistinctionis: ergo quãdo per abs-

abstractionem, vel conceptionem inadæquatam secluditur à natura hæc diuisio, seu pluralitas, & præter carentiam illius relinquitur sicuti erat à parte rei, non habet nisi tantùm vnitatem negatiuam.

Confirmatur: quia hac ratione naturæ vniuersales dicuntur communiter ab omnibus æternæ, incorruptibiles, ingenerabiles, &c. negatiuè. s. & non positiuè; quia per abstractionem considerantur absquè omni mutatione corruptiua, aut generatiua, quæ solùm in singularibus exercetur, non tamen tribuitur illis positiua incorruptibilitas: quia hoc positiuum quid est, alienumquè ab his naturis; falsoquè illis tribueretur, & sine fundamento; nec carentia corruptionis, aut mutationis illis tribuitur, sed resultat indirectè in illis, vt inadæquatè, & præcisiuè conceptis.

Nequè obstat, quod dicitur, quod hæc vnitas negatiua est à parte rei in singularibus, & cōmuniter omnes asserunt, ideo vniuersalitatem impedire, quia negatiua est, & quod si positiua esset, daretur natura vniuersalis à parte rei in Petro, & in Paulo: ergo si eadem vnitas illi competit, prout est obiectiuè in intellectu, erit propter eandem rationem absque vniuersalitate.

Ad hoc enim respondeo, disparitatem esse manifestā, quod natura à parte rei cum vnitate negatiua formali, habet diuisionem actualem entitatiuam, & pluralitatem formalem numericam, quæ impedit hanc vniuersalitatem, at prout est obiectiuè intellectu non solum caret distinctione formali, sed etiā omni pluralitate, & diuisione reali, ideoquè dicitur habere vnitatem negatiuam, non solùm formalem, sed etiam realem.

Dices? si consideratur indistincta realiter, iam intelligitur vt positiuè vna: quia in hac indistinctione posuimus supra modum positiuum vnitatis. Respondeo, quod si hæc indistinctio conueniret entitati intrinsecæ naturæ à parte rei, vel tribueretur illi ex parte obiecti terminatiui per intellectum, esset vnitas positiua, cæterùm neutro modo competit ei hæc indistinctio, sed tantùm confusè, & inadæquatè consideratur eadem natura, quæ est à parte rei, cum negatione solùm differentiarū eam plurificantium, quæ differentiæ, & pluralitas ex illis orta non negatur naturæ, sed tantùm diuersis intelligitur concepti-bus. Quod vltimum benè nota, quia licet negatio omnis pluralitatis argueret indistinctionem, & vnitatem positiuā in fun-

fundamento illius, præcisio tamen, quæ non inmutat res, sed tantùm eas inadæquatè percipit diuersis conceptibus, nullum vestigium vnitatis præbet, nisi negatiuæ dumtaxat.

Satisfit cæteris obiectis.

Ad tertium partim responsum est, partim verò soluendũ restat. Dico ergo, quod esse à multis, & in multis, non solùm non opponuntur, sed perse requiruntur ad vniuersalitatem in omni sententia, & necessariò fateri debet author huius argumenti; nam per abstractionem comparatiuam illi qui non vtuntur abstractione absoluta, abstrahunt naturam à multis, & simul eam in multis considerant. Quinimò non potest considerari vt in multis, quin actu consideretur vt abstracta ab illis; nam esse abstractam naturam, non est considerare illam vt separatam ab indiuiduis, sed solùm vt distinctam, quæ distinctio, etiam si realis esset, non opponeretur compositioni, & vnioni formæ cum subiecto, quantò minùs cum sit solius rationis. Vnde puerile valde est hoc argumentum, & si aliquid probaret, probaret etiam contra definitionem vniuersalis, quam refert S. Thom. ex Arist. *Opusc.* 55. non longè à principio. Vniuersale *est vnum in multis & præter multa.*

Ad quartũ iam cõstat ex dictis.

Denique obijcies: vniuersale non fit proximè prædicabile, nisi per notitiam comparatiuã: ergo non nisi per eandem fit vniuersale. Patet consequentia; quia prædicabilitas est passio vniuersalis, vt dicam quæst. sequenti: ergo conuenit illi inseparabiliter, quando formatur, sicut quæuis alia proprietas suã essentiam comitatur: ergo si prædicabilitas proxima non cõuenit naturæ prout abstractæ absolutè, etiam nec vniuersalitas. Antecedẽs probatur, quia natura non potest prædicari de Petro & Paulo, & cæteris, nisi cognoscatur esse in illis; quia nihil potest enunt ari de alio, nisi sit in illo, sed hæc cognitio est comparatiua ergo.

Ad vltimum negatur antecedens, & ad probationem dico; quod si aliquid valet, probat ferè semper nec comparationem sufficere, sed requiri notitiã discursiuam, vt natura sit proximè prædicabilis; nam omnis prædicatio, quæ non sit perse nota, indiget discursu.

Quod amplius sic declaro: cognitio, qua natura intelligitur in multis, si sit iudicatiua, est iã actualis prædicatio, ac proinde non præuia notitia efficiens naturam proximè prædicabilem, si verò sit simpliciter apprehensiua, cum nihil affirmet,

aut neget, sed sit indifferens ad veritatem & falsitatem, non sufficit, nisi intellectus determinetur à principijs, imò, & ab habitu etiam vt illa proximè prædicare possit: requiruntur ergo discursus & habitus, vt vniuersale sit proximè prædicabile.

Sed argumenta, quæ probãt multũ, probant nihil, quapropter respondetur, quod aliud est loqui de prædicabilitate obiectiua, quæ est proprietas vniuersalis. Aliud verò de prædicabilitate actiua, quæ se tenet ex parte intellectus, & est affectio illius: hæc potest exigere plura motiua per se, & per accidens iuxta diuersas indispositiones, & difficultates, quæ in intellectibus contingere possunt: illa verò obiectiua solùm petit ex parte sui, quod res sit formaliter, vel ratione distincta à subiecto, & quod sit in illo in rei veritate: ex hoc enim præcisè erit proximè prædicabilis de illo quãtùm est ex parte sui, si aliàs adsint requisita ex parte intellectus; sicut quæuis alia res, eo ipso quod sit ens, est proximè intelligibilis, & non propter hoc poterit ab intellectu percipi, nisi multa alia requisita concurrant.

✠✲✲✲✲✠

QVAESTIO. VIII.

De proprietatibus, seu conditionibus naturæ vniuersalis.

ARTIC. I.

Mvltiplex proprietas tribui solet vniuersali naturæ, quę breuiter oportet explanare; nimirùm quod sit proximè definibilis; quod sit prædicabilis de multis, vel demonstrabilis; quod sit infallibilis, æterna, &c. Prout est definibilis est obiectũ primæ operationis intellectus, cuius potissima species est definitio, prout est prædicabilis præcisè pertinet ad secundam, & prout est demonstrabilis, vel prædicabilis per discursum, pertinet ad tertiam, vt dicetur in suis locis.

Nunc autem aliqua, quæ sunt huius loci propria discutiemus. Primò de prædicabilitate dubitari solet, an sit proprietas, vel essentia vniuersalis? Nam Doctores, qui asserunt vniuersale fieri per actualem prædicationem, deffendunt prædicabilitatem esse illius essentiam. Sic docent Scotus, & quidam iuniores, quorum fundamentum præ-

Scotus q. 15. log. P. Hurtado disp. 3. sect. 3.

præcipuum est: quia natura non fit vniuersalis, nisi per illum actum, quo consideratur vt habēs esse in multis, sed hæc cognitio est formaliter actualis prædicatio: ergo constituitur vniuersalis per actualem prædicationē: ergo accipit prædicabilitatem; vt primariam formam. Probatur consequentia hæc vltima: quia si actus constituens vniuersale in esse vniuersalis est primariò prædicatiuus, obiectum talis actus, quod cōstituitur in sua ratione obiectiua per ordinem ad illum, erit primariò prædicabile: est ergò prædicabilitas conceptus primarius & essentialis, & non proprietas vniuersalis.

S. Thom. Porphyr. Episcop. Oni. alij què plures.

Verumtamen & communis S. Thomæ, & omniū discipulorū eius sententia est: prædicabilitatē esse proprietatem vniuersalis, ideoq; omnes definitiones, quæ primariò hanc rationē explicāt, descriptiuas vocant, & non essentiales, præsertim Porphyrius ipse: præcipuus prædicabilium Magister hoc clarè docet.

Et ratio est; quia quod primò intelligimus in aliqua re, dicimus eius essentiā; & quod posterius, si conuertatur cum illo, eius proprietatem asserimus, sed sic se habent respectu vniuersalis esse vnum in multis, & posse prædicari de multis: nam hæc causalis est vera, ideo vniuersale potest affirmari de multis, quia est in multis, & non è conuerso ideo est in multis, quia potest de illis enunciari: ergo vnitas in multis est conceptus primarius, & prædicabilitas secundarius; ac proinde ille supponitur vt essentia, & radix, hic verò sequitur vt proprietas.

Confirmatur; quia prædicabilitas non est aliud, quā specialis intelligibilitas; qua iudicari potest natura vt existens in multis, sed intelligibilitas rei in multis, supponit ipsam in multis esse, nam verè intelligit, & iudicat hominem esse in Petro & Paulo quia ita est, non tamen è contra, ideo Petrus est; quia sic enunciatur ab intellectu: ergo prædicabilitas vniuersalitatē vt radicem & fundamentum supponit.

Impugnatur eorum responsio.

Respondent oppositi authores, quod esse in multis obiectiuē, & per intellectum, quomodo vniuersali logico conuenit, cū sit ens rationis, est idē quod prædicari de multis, ac proinde vnum non est radix vel causa alterius, nisi sit sermo de vniuersali fundamentaliter, aut metaphysico, quod fatentur supponi ad prædicabilitatem.

Contra hoc tamen est, quod esse in multis non conuenit naturæ vniuersali per intellectum nisi tantùm ratio sub qua in multis consideratur, quæ est vnitas & distinctio, vnitas verò &

distinctio obiectiuè existens in intellectu, non est actualis prædicatio, præsertim cum sit obiectiuè indirectè (vt in superioribus satis explicui) prædicatio verò sit actus directè, & primariò prædicans, & considerans naturam in multis; supponit ergo naturam existentem in multis, talis prædicatio, sicut actus reflexus directum supponit.

Rursus, sicut prædicabilitas de vno se habet ad singulare, sic prædicabilitas de multis ad vniuersale; sed prædicabilitas singularis est proprietas singularis: ergo prædicabilitas vniuersalis erit similiter proprietas vniuersalis. Maior probatur: quia prædicabilitas vt sic abstrahit à re singulari, & vniuersali; quia sicut res aliæ singulares, & aliæ vniuersales, ita earum intelligibilitas, & prædicabilitas. Et minor probatur: quia in his prædicationibus. *Pater est Deus: Deus est summum bonum: Petrus est hoc animal*; ideò prædicatum singulare verificatur de subiecto; quia supponitur ità esse in illo; & non è contra: ergo talis prædicabilitas supponit singularitatem, & existentiam prædicabilis in subiecto, ac proinde est proprietas illius.

Præterea impugnaui iam sufficienter distinctionē inter vniuersale Logicum, & Metaphysicum. Sed illa gratis admissa, si prædicabilitas, vel prædicatio supponit abstractionem, & vnitatem vniuersalis metaphysici, iam erit proprietas vniuersalis saltem metaphysici; quod si ita concedatur, idem est dicere, quod vniuersale Logicū primariò constituatur per prędicabilitatem, & vniuersale metaphysicum per abstractionem, & vnitatem absolutam, ac dicere quod essentia vniuersalis consideretur à metaphisico, & proprietas illius à Logico; in quo non esset iam dissentio quantū ad materiam huius quæstionis, sed quantùm ad aliā, an vniuersalia quantùm ad suam essentiā primariam, sint obiectum per se Logicæ, an verò solùm quoad prædicabilitatem?

Quemadmodū siquis dicat, quod homo in quantùm rationalis pertinet ad Phylosophiā, & quatenùs rectè intelligens ad Logicam; & vt rectè volens ad Prudentiā, non propter hoc negabit, quod homo in quantùm Logicus, & prudens, non sit idē homo sub proprietatibus, vel affectionibus Scientiæ, & Prudentiæ, & non sub ratione formali primaria diuersa.

Quod si dicant propter hoc, quod nec vniuersale metaphysicum præsupponitur, sed tantùm vniuersale fundamentaliter prout est à parte rei: conuincendi sunt argumentis, quibus supra ostendimus, naturam ab-

ſolutè abſtractam, & vnam per rationem eſſe vniuerſalem, habereque ſtatum diuerſum, & oppoſitum ab eo, quem habet in ſingularibus, & eſſe rationis ab eſſe reali, quod habet à parte rei diſtinctum.

Etſi adhuc contendant ſic vniuerſalem non eſſe, donec illi alia formalitas prædicabilitatis adueniat, cogi poſſunt, vt admittant talem vniuerſalitatem eſſe proprietatem naturæ abſtractæ, & vnitatem abſolutam habentis; hac ratione natura humana ſic abſtracta, & vna, eſt intelligibilis eſſe in pluribus, nam eſt ratio in qua plura indiuidua conueniunt à parte rei: ergò eſt prædicabilis de pluribus aliquo modo, ſaltem remotè: ergo talis prædicabilitas eſt proprietas conſequens naturam ſic abſtractam, ſiquidem conuenit illi conuertibiliter, omni, Soli, & ſemper.

Si reſpondeas, quod eſt prædicabilitas remota. Contra: ergo prædicabilitas proxima erit proprietas prædicabilitatis remotæ; ſiquidem immediatè ſequitur ad illam, ac proinde ſi vniuerſalitas eſt idem, quod prædicabilitas proxima, vniuerſalitas erit proprietas naturæ ſic abſtractæ.

Præterea, licet demus gratis oppoſitæ ſententiæ, vniuerſale fieri per actualem prædicationem, non inde ſequitur prædicabilitatem eſſe primam quidditatem, & eſſentiam vniuerſalis, ſed quod acciperet natura explicitè ſimul potentiam radicalem, & proximam, & illius exercitium per actualem prædicationem; eſſet tamen prior formalitas vniuerſalitatis, quam prædicabilitatis, licet realiter, & quaſi à parte rei ſint idem. Sic quando aſſerimus, vniuerſale fieri per abſtractionem abſolutam, vtramquè rationem accipit vniuerſale ſimul, & quando fieret per actualem prædicationem, vel definitionem, (ſicut dixi ſupra poſſe fieri, licet non neceſſariò fiat), acciperet retenta eàdem ſubordinatione inter ſe vniuerſalitatem, definibilitatem, prædicabilitatem, & actualem definitionem, aut prædicationem.

Denique, eodem modo ſe habent reſpectu vniuerſalis definibilitas, diuiſibilitas, & demonſtrabilitas, ac prædicabilitas, ſed illæ ſunt proprietates: ergo etiam iſta. Maior probatur, quia iſtæ rationes enumeratæ ſunt omnes modi intelligibilitatis, quibus vniuerſale obijci poteſt alicui ſcientiæ; quia cum ſola vniuerſalia ſint obiecta ſcientiarum, & ſcientiæ medijs definitionibus, diuiſionibus, ac demonſtrationibus

circa

circa sua obiecta procedát; hinc est, quod adæquata ipsorum intelligibilitas in his modis consistat, & non est maior ratio, quare vna intimior sit quàm alia vniuersalis constitutioni. Minor verò probatur: quia illam supponunt Authores oppositi, dicétes, solam prædicabilitatem esse essentiam, sed definibilitas est ratio conuertibilis cum vniuersalitate: ergò est illius proprietas.

Confirmatur, quia posset subsistere vniuersalis essentia, etiam si illi repugnaret definiri, aut prædicari: ergo quælibet harum illi accidit, vt proprietas. Probatur antecedens; quia vniuersale prout definitum est verè vniuersale, etsi nunquàm posset prædicari, & è contra, vt patet, si aduertantur omnes conditiones, & requisita vniuersalis.

Præterea, priùs conuenit vniuersali definibilitas, quàm prædicabilitas, ergo prædicabilitas non potest esse illius essentia, aut primariùs conceptus. Consequentia patet, & probatur antecedens; tùm, quia priùs definitur res vniuersalis, quàm prædicetur de definito, & de omni contento sub illo, ideoquè prior est definitio, quam diuisio, & demonstratio.

Tùm etiam; quia denominatio principalis semper sumitur, vel ab essentia, vel à proprietate primaria, sed præcipua nomina vniuersalium sumuntur per ordinē ad definitionem, non verò per ordinem ad prædicationem: ergo. Probatur maior, quia nomina eorum præcipua sunt genus, & differentia, quæ sunt partes definitionis essentialis; species, quæ est definitum, propriū, & accidens, quæ definitioni descriptiuæ deseruiunt. Et licet definiri soleant per prædicari de pluribus, communiter Porphyrius, & eius Expositores asserūt, huiusmodi definitiones descriptiuas esse, assignantquè, vt definitiones essentiales, quod genus sit pars materialis speciei communis multis, quod differentia sit pars formalis, quod species sit compositum ex vtraquè, &c. de quibus disputatione sequenti.

Soluitur duplex alia obiectio.

Sed adhuc obijci potest contra cōclusionem dictam primò: quod si prædicabilitas de multis haberet se, vt passio respectu vniuersalitatis, deberet dimanare ab illa tanquàm à radice, sed est inintelligibile, quod vnum ens rationis emanet ab alio: nam omnis entitas rationis immediatè solùm habet esse obiectiuè per operationem intellectus; ergo impossibilis est huiusmodi proprietas.

Secundò confirmatur: quia vniuer-

vniuersalitas, & prædicabilitas, vel fiunt per vnicam operationem intellectus, vel per duas. Si dicatur primum: ergo nullo modo distinguuntur formaliter, ac proinde efficiunt vnam essentiam constitutiuam vniuersalis. Patet consequentia, nam illa distinguuntur formaliter, quæ possunt concipi diuersis conceptibus, & definitionibus; quorum vnus non se extendat ad obiectum alterius primarium, & directum. Si verò secundum dicatur, eo ipso sequitur, quod prædicabilitas non sit propria passio. Patet: nam essentia non potest sine propria passione esse, neque propria passio sine essentia, sed si prædicabilitas fieret per diuersum conceptum ab illo, quo fit vniuersalitas, posset intellectus pro libito suo vniuersalitatem formare, sine prædicabilitate, & è contra: quia posset ellicere vnum conceptum. & nõ alium; quod est planè falsum. Idem probari potest de definibilitate; & alijs proprietatibus.

Sed ad primam rationem respondeò, dupliciter accipi posse passionem, vel rigorosè pro accidenti, quod physicè emanat à sua radice, ab eaquè realiter, seu entitatiuè distinguitur: quomodo se habet risibilitas respectu hominis, & passio hoc modo in entibus rationis locum non habet. Secundò, latè sumitur pro qualibet proprietate, quæ sit extra essentiam alicuius naturæ, eamquè inseparabiliter comitetur, siuè sit entitatiuè, siuè tantùm per rationem distincta, siuè physicè emanet, siuè ratione tantùm, quasi pullulans à radice aliqua concipiatur; quomodo vnitas, veritas, & bonitas dicũtur passiones entis, & sic prædicabilitas, & definibilitas sunt passiones vniuersalitatis.

Ad secundum respondetur, concedendo, quod vniuersalitas, & prædicabilitas fiant per vnicam intellectus operationem, sed non cognoscuntur per illam, quod necessum erat, vt illinc colligeretur identitas formalis vtriusquè. Sicut enim dixi supra, vniuersalitatem non cognosci semper eodem actu. quo fit, ita de prædicabilitate dicẽdum est, quæ partim habet esse ab intellectu, partim verò supponit in re, sicut vniuersale.

ARTIC. II.

Sit nè subijcibilitas vniuersalis proprietas?

Sed est primò difficultas de subijcibilitate, an sit proprietas vniuersalis, sicut est definibilitas, vel prædicabilitas? Ratio videtur eadem inter ipsam, ac cæteras proprietates; nam intelligibilitas est passio entis,

quæ materialiter est vniuersalis, & superior; formaliter verò est inferior, & alteri subordinata; quæ duæ formalitates rationis in eadem re fundantur; inter se tamen disparatæ sunt, & minimè connexæ. Quinimò, & vna sine altera facilè inuenitur: nam in indiuiduo, & specie Angelica perfecta subijcibilitas sine prædicabilitate, & vniuersalitate inuenitur, & in genere supremo vniuersalitas absquè subijcibilitate, vt suo loco dicetur.

ARTIC. III.

Quomodo naturæ vniuersales dicātur incorruptibiles, æternæ, vbiq;, &c.

Aliæ proprietates, quæ tribui solēt vniuersalib⁹, s. quod sint naturę infallibiles, & æternæ, non sunt intelligendæ de æternitate quoad esse: hæc enim est proprietas solius Dei. Et propter hoc reprehensibilis est opinio illa, quæ tribuitur Platoni; quæ hác æternitatem vniuersalibus attribuit naturis: solùm igitur de æternitate quoad veritatem, seu esse intelligibile, quod habet natura saltem sub esse posibili, intelligendæ sunt. Quomodo æternum idem est, quod infallibile, seu necessarium, vel obiectum scientiæ infallibilis, aut sempiternæ veritatis; nam omnes isti termini mutuò se explicant. Propter hoc enim huiusmodi vniuersalia dicuntur propria obiecta scientiarum; quia scientia infallibilis, & necessaria, non nisi circa obiectum infallibile, & necessarium, quale est vniuersale, versari potest.

Rursus dicuntur naturę vniuersales, incorruptibiles, ingenerabiles, esse vbiq; & semper; ꝙ non positiuè, sed negatiuè intellige, vt eruditè docet noster Episcop⁹ Oña. Id est, non quia in omni loco, & tempore sint ab omni mutatione, & corruptione expertes, sed quia formaliter, & secundùm se consideratæ abstrahunt ab omni loco, & tempore: ab omni mutatione, & corruptione, &c. quæ non nisi ratione singularium, vel in ordine ad illa, eis conuenit: si verò nudè, & secundùm se considerentur nihil horum illis competit. Multa alia, quæ hîc desiderari possunt de prædicabilibus in cōmuni, eorumquè diuisione, & comparatione inter se, suis locis infra discucientur.

***

DIS-

DISPVTATIO II.

DE DEFINITIONE TAM FORMALI, QVAM OBIECTIVA.



EXPLICATA iam exactè, & in communi modi sciendi natura, rectus doctrinę ordo ad eius species in particulari postulat, vt descendamus. Diuiditur ergo modus sciendi in tres species, nimirùm in definitionem, quæ ad primam pertinet mentis operationem, in compositionem, seu diuisionem, quæ ad secundam spectat, & in argumentationem, seu demonstrationem, quæ pertinet ad tertiam; quarum quælibet sua propria ellucidabitur disputatione, nunc autem de prima erit sermo, vt simul ordinem insequamur naturæ.

SECTIO I.

De definitione quantùm ad eius actum.

ARistoteles *lib.1.de partib⁹ animal.c.1.* ait, *in pluribus errasse antiquos Philosophos: quia ignorabant naturas rerum, non enim tenebant artem definiendi.* Idem vt existimo, dicere posset pro his tēporibus, in quibus mirùm est quàm pauca de definitione scriptum, & quam parui fiat à Dialecticis, siquidem eam omittunt omnino in Logica, & tanquam puerile quid non nihil in summulis breuissimè differunt. Ex quo fit, quod obliuioni tradatur, & penitùs ignoretur potissima modi sciendi species, à qua alię duæ maximè pendent, vt dicam. Priùs ergo de prima operatione intellectus, seu apprehensione simplici quæstionem præmittā, vt adæquatè definitionis percipiatur natura, eius genere cōprehenso.

QVAES-

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit simplex apprehensio.

ARTIC. I.

SImplex apprehẽsio, vt iam supra notaui, est notitia quædam, qua rem aliquam cognoscimus, siuè simplex sit, siuè composita, simplici modo, id est, ita eam repræsentando, vt nihil de illa affirmet, vel neget. Vnde etiam si talis cognitio sit complexa, ex duplici alia simplici coalescens; similiter etiamsi obiectum illius compositum sit, si tamen talis notitia simplici modo explicato tendat in illud, erit simplex apprehensio.

Sic igitur definiri solet. *Est cognitio obiecti ita simplex, vt nihil de illo affimet, vel neget.* Quapropter, quidquid sit de quauis alia compositione, solùm eam, quæ est inter prædicatũ, & subiectum, excludit. Ita docet Arist. 3. *de Anima text.* 21. Ex quo vlterius colligitur quãlibet notitiam, quæ non sit vera, vel falsa enũtiatio vnius de alio, pertinere ad simplicem apprehensionem. An autem veritas aliqua, vel falsitas in simplici apprehensione possit inueniri, cõmodius dicetur disputati. sequenti.

Colligitur secundo particula *simplici modo*, non denotari modum aliquem realiter superadditum, realiterquè diuersum ab actu, qui dicitur simplex apprehensio, sed esse modum quendam illi omnino intrinsecum, & essentialem. Probatur; nam essentia talis actus secluso modo quocumque realiter diuerso, est repræsentare obiectum: aut ergo repræsentat affirmando, vel negando de illo aliquid, vel non: inter quæ extrema, cum sint contradictoria, medium aliquod tertiũ excogitari nequit. Si dicatur primum, iam non erit simplex apprehensio, sed iudicium. Si verò secundum, eo ipso conueniet illi tota definitio apprehensionis simplicis, secluso quocumque modo realiter superaddito, nimirùm, quod sit cognitio obiecti ita simplex, vt nihil de illo affirmet, vel neget; superfluus ergo, imò & impossibilis est quicumque alius modus superadditus.

Satis fit obiectioni.

Possent tamen obijci contra hunc discursum actus imperij quo

quo præcipimus alteri: *fac hoc*; & interrogatio, qua quærimus, *quid est hoc?* & oratio, seu deprecatio, quę non pertinent ad primam operationem intellectus, seu apprehensionem simplicem, vt alibi latè probatur. Nequè sunt veræ, vel falsæ enuntiationes alicuius de aliquo; ideò namquè aliquis quærit, seu interrogat, quia nōdum scit, quid enuntiandum, vel affirmandum sit de aliqua re: ergo falsò assumitur non dari cognitionem mediam, vel distinctam à simplici apprehensione, & iudicio.

Quod etiam Authoritas S. Thomæ apertè confirmat; nam *lect. 7. in lib. 1. de interpretatione.* Distinguit orationem deprecatiuam, & imperatiuam ab enuntiatiua, eo quod non significat verum, vel falsum, sed quemdam ordinē rationis practicæ. *Et 2.2. q. 83. art. 1. ad 4.* dicit: *Tres operationes intellectus speculatiui esse apprehensionem, iudicium, & discursum; intellectus verò practici; non, sed duas alias. s. imperium, & deprecationem*: ergo ex mente S. Doctoris, præter actum simpliciter apprehensiuum, & iudicatiuum, alij admittendi sunt; ac proinde ratio facta est nulla.

Breuiter tamen respondeo, (omittendo reliqua vsquè ad suum proprium locum) huiusmodi actus pertinere ad secundam operationem intellectus; Imperium enim, nihil aliud est, quam enuntiatio quædam voluntatis præcipientis, idem nāque denotat *fac hoc*. Ac volo vt facias hoc, vel hoc est faciendum. Sicut petitio, vel promissio non est aliud, quàm intimatio quædam voluntatis postulantis, & illius quod desideratur, & postulatur.

Sic etiam interrogatio est petitio quædam explicationis alicuius difficultatis. Quæ interrogatio fieri potest, vel à superiore imperando, aut præcipiendo, *dic mihi hoc*, vel ab inferiore suppliciter petendo, modo explicato. Sed quidquid de hoc sit, an hi actus pertineant ad secundam operationem intellectus, vel non, certum est apud ferè omnes ad primam, vel secundam necessariò pertinere; quia solùm tres tantùm operationes intellectus cognoscuntur ab omnibus.

Nequè obstat argumentum obiectum, quod interrogatio nō sit affirmatio alicuius rei, sed potius ex ignorantia illius, vel dubitatione procedat. Hoc in quam nihil valet; quia licet non sit affirmatio illius, quod interrogatur; est affirmatio illius, quod vult, vt sibi explicetur, vt dictum est.

Nec authoritas S. Thomæ nostræ doctrinæ opponitur, sed potiùs docet; nam *lectione 1. super 1. de interpretatione* supponit

init ex mente Arist. & communi sententia, tres tantùm operationes intellectûs esse, & secundam, quam vocat compositionem, seu diuisionem, seu orationé, subdiuidit *lect.* 7. in quinque species. s. in enuntiatiuam, deprecatiuam, imperatiuam, interrogatiuam, & vocatiuam. Enuntiatiua, inquit *lect.* 11 est quæ ordinatur ad interpretandū, quod in intellectu habetur, ita vt sistat in enuntiatione veri, aut falsi tanquàm in fine; cæteræ verò operationes ad exprimendum affectum voluntatis, & non id, quod intellectus habet, nisi tantùm secundariò.

In quibus, & similibus verbis, quæ habet *lect.* 7. non excludit alias orationes à ratione iudicij, aut enũtiationis, si in tota sua latitudine accipiatur, prout conuertitur cum secunda operatione intellectûs, sed tantùm excludit eas ab enuntiatione strictè sumpta pro iudicio speculatiuo, cuius finis est enuntiare veritatem, aut falsitaté, quæ est in mente, ideoque antonomaticè enuntiatio dicitur. Cæteræ verò orationes, licet enuntient etiam affectum animæ, non sistunt in hoc primariò, & principaliter, sed ordinantur ad excitationé, vel motioné aliorum ad operandũ: ideo denominantur ab impulsu practicō à principali fine. Oratio. V. g. interrogatiua, licet enuntiet affectum sciendi, quod interrogatur; quia tali enuntiatione ordinatur ad excitandum alterum, vt illud explicet, dicitur principaliter interrogatio, & non enuntiatio, quod latiùs explico in discrimine inter scientiam practicá, & speculatiuam, disp. 1. sect. 2. Hanc etiam doctrinā docet Reuerẽdissimus noster Zumel tom. 3. de gra. & libero arb. pag. 130. & sequentibus, vbi reperies imperium esse intimationem quandam volũtatis legislatoris, vel locutionem efficacé & motricé; quæ & similia verba enuntiationem denotant manifestè.

ARTIC. II.

An simplex apprehensio sit propria solius intellectus Humani?

SVpponitur, vt certum hominibus conuenire, vt testatur experientia, est autẽ difficultas, an illis solis, vel alijs præter ipsos, substantijs videlicet spiritualibus competere possit? Quidam inaduertenter affirmant in Deum posse cadere conceptum, qui verè sit simplex apprehensio; sed si sermo sit de apprehẽsione simplici nõ iudicatiua, prout illa definita est ex mente omnium philosoforum, vt firmum, certissimumq;

principium supponendum est, potius quàm indisputationem adducendum, in Deo nullatenùs inueniri posse.

Probatur, quia intellectus diuinus intelligit omnia vno simplici iudicio: ergo simplici modo dicto nihil verè apprehendit. Patet consequentia, quia varietas apprehensionum, quam habet intellectus humanus saltem pro hoc statu, nascitur ex limitata virtute illius; quia cum naturam, partes, & proprietates simul, & per eundem actum exhaurire nequeat, neque statim percipere possit de quouis obiecto an sit, & quid sit à parte rei, idcirco indiget pluribus operationibus, vt ex imperfectioribus ad perfectiores deueniat. Primò enim res apprehendit simplici modo, & ex apprehensione progreditur ad iudicium, à quo tandem mouetur ad discursum, at Deus infinitã habet vim intelligendi, quã se ipsum, & omnes creaturas necessariò ac simul comprehendit: ergo non potest intelligi multiplex cognitio limitata, & imperfecta in eo, sed vna perfectissima iudicatiua, & comprehensiua omnium veritatem cognoscibilium.

Confirmatur: quia tunc intellectus apprehendit rem simplici modo, quando nondum agnoscit, quid de illa iudicandum sit; & ideo ex apprehensione simplici progreditur ad iudicium, vt ex imperfecta ad perfectam rei deueniat notitiã.

Secundò confirmatur: quia propter hanc rationem excludimus à Deo rationem discursus, propter limitationem, & pluralitatem actuum; quam essentialiter requirit.

Dico secundò, Angelus non potest simpliciter apprehendere, quæ lumine suo naturali potest intelligere ita Reuerendiss. noster M. Zumel, Vazquez, Valentia, & alij, probatur nam Angelus circa obiecta sibi connaturaliter debita procedit simplici intuitu iudicãdo, & non componendo, nec diuidendo, nec discurrendo: ergo nec simpliciter apprehendendo. Antecedẽs est S. Thomæ, omniumquè ferè Theologorum. *1.p.q.58.ar.4.* & consequentia probatur: quia simplex apprehensio solùm inuenitur in intellectu cõponente, diuidẽte, & discurrente; nam ex duobus extremis simpliciter apprehensis fit compositio, seu diuisio, sequiturq; discursus; quia intellectus ita limitatus, & inadæquatus in suo modo cognoscendi indiget vt adæquatè rem aliquam cognoscat, quod ex vna cognitione ad aliam currat: ergo si propter perfectum modũ operandi intellectus Angelici excluditur ab eo ratio compositionis, & discursus ex eo quod simplici intuitu adæquatè iudicat, & com-

M. Zumel. 2.to. in.1.p. Vazquez disp. 75. c.4. Valentia. disp. 1.q. 18.pun.2.

comprehendit rem, etiam simplices apprehensiones ab illo auferre necessum est, qui solùm in imperfecto, & inadæquato intellectu possunt inueniri.

Ex quo tandem colligitur, Angelum circa obiecta supernaturalia, ad quæ non extenditur eius lumē naturale, & circa actus liberos,& futura contingentia posse habere simplicem apprehensionem, compositionem, & discursum. Patet, quia respectu horum obiectorum maiorem limitationem habet intellectus Angelicus, quam intellectus humanus respectu proprij obiecti, quod naturale est, illa verò supernaturalia; ergo.

Confirmatur; nam actus fidei prærequirunt simplices apprehensiones, supernaturales, quas Theologi vocant Spiritus sancti illustrationes: ergo etiam in Angelo similis apprehensio requiritur ad actum fidei.

ARTIC. III.

Quotuplex sit simplex apprehensio?

Omnes diuisiones, quas supra explicui conuenire signo in communi, ad aptari possunt simplici apprehensioni, excepta diuisione illa in vniuocam, æquiuocam, & analogam; nam omnis simplex apprehensio vniuoca est aliquo modo, vt magis declarabo infra loquendo de analogia.

Diuidi ergo potest simplex apprehensio vniuoca, in vltimatam: directam & reflexam: cathegorematicam, sincathegorematicam, &c.

Celebris tamen, & magis necessaria diuisio quoad præsens attinet, est illa, qua diuiditur in incomplexam, & complexam. Incomplexa est *signum mentale simplex, cuius nulla pars perse sumpta significat*, vt supra explicui de signo incomplexo. Apprehensio complexa est *oratio mentalis simplici modo tendens in suum obiectum. Vel est signum mentale compositum ex pluribus signis congruè se habentibus, & seorsim repræsentatiuis.*

Circa quam speciem est maximè aduertendum; non ideo dici apprehensionem compositam, quia sit realiter composita ex pluribus conceptibus realiter distinctis, sed quia est forma quædam plura repræsentās explicitè, quamuis sit ita simplex realiter, sicut simplex apprehensio incomplexa. Primum sic declaro; quia inter conceptus spirituales, & indiuisibiles nulla realis vnio, aut compositio perse intelligi potest,(vt suppono ex infra dicendis, & ex libris de anima) quia neq; vniri possunt vt actus, & potētia, vel vt materia& forma,

vel vt duæ partes quantitatis, vel vt duo gradus intensionis, & c. ergo Tùm etiam quia plura entia completa non possunt efficere, nisi vnum ens per accidens; sed plures apprehensiones incomplexæ sunt plura entia per se completa quorum vnum nõ pendet ab altero: ergo. Secundò; quia pluralitas præcisa indiuiduorum vnius speciei non constituit vllo modo aliam speciem: ergo cum aliàs supponatur vt in intelligibilis vnio aliqua realis inter ipsos conceptus, necessariò dicendum est, quod oratio mentalis, vel signum complexum non sit realiter compositum ex pluribus qualitatibus realiter distinctis.

Tertiò quia intellectus noster cum sit potentia spiritualis vno simplici actu ferri potest in plura obiecta quantumuis diuersa, nam etiam visioni corporeæ hoc cõceditur, & quamuis hoc repugnet sensibus exterioribus, in hoc maximè differt ab illis intellectus, quod obiecta, quæ ab illis non nisi per plures actus percipiuntur, ab intellectu vnico simplici actu repræsentantur; nã quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt vnita, vt communiter omnes repetere solent. Hinc enim fit, quod licet quinquè sensus externi quinquè genera obiectorum diuersa respiciant, intellectus tãquam eleuatior potentia omnia simul percipere valeat: ergo eadem ratione plura poterit eiusdem generis obiecta vnico simplici actu respicere.

Relinquitur ergo ex dictis, orationem mentalem, vel signũ complexum solùm ex pluribus significationibus formaliter, vel ratione distinctis componi, ad modum, quo vna & eadem simplex radix animæ rationalis dicitur vegetatiua, sensitiua & rationalis; de quo latè infra.

Tandem omissa simplici apprehensione incomplexa, apprehensio complexa duplex est. Alia definitiua, seu instrumentum sciendi, essentiam rei clarè repræsentans, vel saltem eius proprietates exponens, quæ proinde perfectissima est operatio, non solum excedens omnem aliam sui generis. s. apprehensionis simplicis. Verùm etiã aliorum, iudicij. s. & discursus, vt videbitur postea. Alia est apprehensio complexa imperfectè obiectum proponens, aut indicans, ideòque tàm ipsa, quàm apprehensio incomplexa est via, sed præcognitio intellectum disponens, seu dirigens ad alias perfectiores operationes, vt modo dicam.

✠✠✠✠✠✠✠✠
✠✠✠✠✠✠✠
✠✠✠

QVAESTIO II.

An simplex apprehensio naturaliter antecedat alias operationes, & etiam definitionem,

ARTIC. I.

Quæ, & qualis apprehensio iudicium antecedere debeat?

BReuiter primò dicendum est: regulariter, & per se loquendo, simplex apprehensio in nobis semper iudicium antecedit. Probatur primò ex Arist. *poste. c. 4.* Vbi ait. *Omnem doctrinam, omnemque disciplinā fieri ex præ existente cognitione.* Quæ verba limitari solent ad cognitionem tantùm discursiuam, eo quod illa euidentiùs ex præexistenti cognitione præmissarum procedit. Immeritò tamen; nam verba Aristotelis vniuersaliora sunt, illisque comprehendit omnem cognitionē rei dubiæ, quæ, vt exijt à præceptore, doctrina appellatur, & disciplina, prout addiscitur à discipulo. Sic in hac generalitate ea intelligunt, S. Tho. & alij quamplures, eademque vniuersalitate repetit verba Arist. 1. *metaphy. tex. 48. 6. Ethicor. c. 3. 2. lib. poster. textu 111. & 6. Topic. c. 3.* ea que intelligit de definitione, vt art. 2. dicam: ergo vniuersaliùs sumitur vox *doctrina* pro cognitione intellectiua, & non tantùm discursiua; assumit enim propositionē vniuersaliorum Aristoteles, ad probandū inferiorem sub illa contentam, iuxta regulas artis syllogisticæ.

Aristote. *S. Thom.* *Thi. po.* *Alpharabius.* *Themistio* *Caietan.* *Paulus Venetus.* *Albertus Magnus.* *Apollinaris.*

Ratione item probatur, ex manifesta, & generali experientia, qua natura semper ab imperfectioribus ad perfectiora procedit, & præsertim in actibus intellectus, & voluntatis humanæ mirum est, quàm multiplici actuū numero à prima finis intentione vsquè ad vltimā illius exequtionē progrediatur. s. præcedentibus semper imperfectioribus actibus, & per ipsos paulatim se disponens ad perfectionem rationalis naturæ; sed simplex apprehēsio non definitiua in operibus intellectus est omnium imperfectissima, & nō satians per se naturale sciendi desiderium potētiæ: ergo est præuia dispositio naturaliter antecedens iudicium. Patet consequētia: nam imperfectum non nisi propter perfectius intenditur à natura, & tanquam via, & dispo-

positio ad illud, vt est commune philosophorũ axioma, quod multis locis repetit S. Thomas.

Declaratur hoc amplius; quia ex apprehensione præuia obiecti mouetur intellectus humanus ad ferendũ de illo iudiciũ, sicut ex cognitione præmissarũ mouetur ad assensum cõclusionis, & sicut ex intentione finis mouetur voluntas ad electionẽ mediorum; quia cum iudiciũ formaliter vt tale, sit copula prædicati cum subiecto, sicut conclusio est maioris cum minori extremitate cõiũctio, indiget præuia vtriusq; termini apprehẽsione, sicut & cõclusio propter eãdem rationẽ exigit præmissas.

Confirmatur experiẽtia; quia priùs simpliciter apprehendere solemus ea, de quibus iudicium ferre volumus, neque est ratio aliqua, quare apprehensio antecedat aliqua iudicia &, non omnia. Solùm per accidens contingere poterit iudicium sine actuali apprehensione præuia, si existat memoria apprehensionis præteritæ, vel habitus inclinans ad tale iudicium, & apprehensionis officium supplens, sicut in simili de conclusione, & præmissis, & de intentione & electione dici solet; ideoquè notanter in conclusione eam particulam posui, regulariter & per se loquendo, vt casus prædictos non excluderem. Sed est dubium.

Supponaturne etiam apprehensio complexa?

Aliqui affirmant, quod non solùm apprehensio incomplexa vtriusque extremi seorsim, sed etiam complexa ad iudicium semper supponi debeat tãquàm præcognitio, & proximior dispositio, nisi illam per accidens suppleat memoria, vel habitus. V.g. ad iudicandum hominem esse animal, non sufficit, quod præcedat duplex apprehensio, vna hominis, & altera animalis, sed requiritur altera complexa vtrumque extremum repræsentans per modum vnius.

Ratio illorum est; quia apprehensio requiritur, vt determinet intellectum ad hoc potius iudicium, quam ad eius oppositum; sicut præmissæ bene dispositæ requiruntur vt determinẽt eundem intellectum ad hanc potius, quam ad oppositam conclusionem, sed apprehensiones incõplexę extremorũ, hominis s. & animalis, nõ magis determinant ad hoc iudiciũ affirmatiuũ, *homo est animal*, quã ad negatiuum oppositũ, *homo non est animal*: ergo illæ non possunt proximè determinare, sed vlterius requiritur præter illas apprehensio complexa, quæ si repræsentet extrema quasi distincta, & per modum plurium, determinabit ad iudicium negatiuum; si verè

si verò per modum vnius, determinabit ad affirmatiuum.

Confirmatur; quia quodlibet iudicium specie diuersum prærequirit diuersam specie apprehensionem, sicut quælibet conclusio specie diuersa præmissas specie diuersas exigit: sed eędem apprehensiones incomplexæ ad diuersa iudicia in specie nō possunt determinare: ergo alia complexa necessaria est, quę ad vnum solùm iudicium sibi proportionatum sit determinata.

Hic tamē modus dicendi vniuersaliter loquēdo, & eius fundamentū mihi non placent; quia eadem inconueniens, quod vitari intenditur in iudicijs, sequitur in apprehēsionibus complexis; nā cum potentia sit indifferens ad has, vel illas apprehensiones cōplexas efficiendas, remanet difficultas à quonam determinetur, ad talem apprehensionem complexam, repræsentantem plura per modum vnius, & non vt distincta per modum plurium.

Certè nihil ad hoc responderi potest, cùm species intelligibiles, & apprehensiones incomplexæ vtriusquę extremi indifferentes sint ad diuersas illas complexiones, sicut ad iudicium affirmatiuum & negatiuum: Vnde quidquid ipsi responderint huic rationi, applicari potest in solutionem sui fundamenti.

Fundamentum oppositum dissoluitur.

Præterea, ad illud facilè respondere possumus, omne iudicium, vel esse per se notum ex apprehensione sola terminorū, & sic per hoc solùm, quod apprehendantur termini, seu extrema siuè complexè, siuè incōplexè, determinatur intellectus ex habitu primorum principiorum ad hoc iudicium potius quam ad oppositum, idcirco enim dicitur per se notum ex sola terminorum apprehensione: quia aliud determinatiuum necessariū non est. Aut ergo iudicium non est per se notū, sed per aliud concurrens, vt præmissa ad ipsum tamquàm ad conclusionem illatam, & sic non indiget alio determinatiuo, quàm ipsa præmissa, quæ immediatè concurrit ad talem conclusionem, vt sufficiēs & adæquatum motiuum.

Si autem quæratur, per quid intellectus determinetur ad præmissas? eodem modo respondetur, quod vel sunt per se notæ, & sic determinatur ad illas ab habitu primorū principiorum, & ex incomplexa apprehensione terminorum. Vel sunt notæ per aliud præexistens iudicium, quod est per se notum, & ratio notificandi aliud modo dicto.

Ad confirmationem etiam. Respondetur, in primis nō esse ne-

necessarium, quando apprehensiones non concurrunt immediatè, & proximè ad iudicium, quod cuilibet iudicio specie diuerso, diuersæ in specie correspondeant apprehensiones; nam quando iudicium est discursiuum, & per aliud notum solùm à præmissis specificationem sumit, & determinationem. Quandò verò apprehensiones immediatè, & proximè concurrunt ad iudicium. s. per se notum, non est necessarium, quod apprehensio subiecti sit specie diuersa; quia cum subiectum sit quodã obiectum materiale respectu iudicij, non tribuit illi determinationem specificam; nam idem materiale potest deseruire speciebus diuersis.

Solùm autem apprehensio prædicati debet esse specie diuersa in sententia probabili, quæ tenet iudicium affirmatiuum, & negatiuum eiusdem prædicati de eodem subiecto non differre specie. Cuius ratio est, quia solùm prædicatum est obiectum formale iudicij, ad quod primariò determinatur, atque adeò solùm ab ipso specificationem, & determinationem sumere debet: ergo cuilibet iudicio specie diuerso correspõdere debet prędicatum specie diuersum.

Sed hęc sententia, etiam non est vniuersaliter vera; quia diuersitas specifica iudiciorum ex alijs capitibus prouenire potest, vel ex diuersis motiuis, vel ex diuersis modis tendendi ad idem obiectum formale primarium, &c. de quo latiùs infra.

Qua propter quando iudicia per se nota distinguntur specie propter diuersa prædicata, quæ respiciunt vt obiecta formalia, debent illis correspondere apprehensiones specie diuersæ talium prædicatorum; cæterum quando talia iudicia distinguntur solùm penès diuersum modum respiciendi idem obiectum formale. s. affirmatiuum, & negatiuum, necessarium non est, quod correspondeant illis motiua diuersa: sed vel habitus primorum principiorum est sufficiens determinare intellectum ad talia iudicia affirmatiua, scilicet, vel negatiua, & non ad sua opposita, supposita veritate illius à parte rei; quia eius natura talis est, vt immediatè respiciat veritatem prout est in se, nullo alio præsupposito motiuo; vel actus præmissarum sufficienter mouent ad talia iudicia, si sint discursiua, vt dixi.



AR-

ARTIC. II.

Quæ, & quotuplex sit præcognitio? Et an Soli apprehensioni conueniat?

PRæcognitio, si sola vis nominis consideretur, est quælibet notitia, quæ aliā præcedit, siuè per se, siuè per accidens. Quæ acceptio latissima est, & per omnem cognitionē vagari potest secundùm quod ad aliam comparatur. Strictiùs tamen sumitur ab Aristot. pro illa notitia, quæ per se supponitur, vt dirigens ad consequendam aliquam doctrinam, aut disciplinam.

Potest tamen, quod est doctrina respectu vnius, esse præcognitio respectu alterius; vt patet in sciētijs subordinatis in quibus principia, quæ sunt præcognitiones respectu scientiæ subalternatæ, sunt conclusiones respectu scientiæ subalternantis. Nihilominùs quædam notitiæ sunt semper præcognitiones; omnis s. apprehensio simplex non definitiua, quinimo, & iudicium, quod tantùm est crassa nominis cognitio. Quædam autem sunt semper conclusiones saltem quoad nos, exacta nimirùm proprietatis cognitio. Quædam verò interdùm sunt conclusiones, interdùm præcognitiones, vt iam dixi.

Duplicem præcognitionem distinguit Auerroes, quem citat Paulus Vallius, alteram dirigentem; & alteram agentem. Prior est quæ iuuat, vel dirigit ad cognitionem, non tamen illam facit. Posterior verò illam efficit. Quod explicat exemplo agentis naturalis; approximatio, v.g. ignis non facit calefactionē, sed illam iuuat, ita vt sine illa calefactio esse non possit; calor verò in igne existens calefactionem efficit. Ita in præcognitionibus, aliæ sunt, quæ tantùm obiectum proponere, vel quasi approximare videntur, vt de eo intellectus possit differere. Aliæ verò, quæ ipsius notitiā immediatè causant; siue efficiēter, siuè directiuè iuxta diuersas opiniones, quo secūdo modo præmissæ, præcognitiones dicuntur agentes respectū conclusionis, vt suo loco dicetur. Potest etiam maioris claritatis gratia præcognitio in remotam, & proximam diuidi. Hæc est, ex qua immediatè doctrina oritur, seu diciplina: illa verò non ita, sed præter ipsam aliud motiuum, seu determinatiuum necessariū est, vt sequenti articulo explicabimus.

Paulus Vall. to.2 d. 1. in 1. lib. post. cap.3.

AR-

ARTIC. III.

An præcognitiones aliquæ sint ante definitionem necessariæ, & quæ illæ sint?

Apollin. Zabarel. & alij. QVidam negant, qui propter hoc contendunt definitionem non contineri sub illa vniuersali Aristotelis propositione *Omnis doctrina, & disciplina ex præexistenti fit cognitione*, sed dicunt solùm de doctrina discursiua ibi sermonem fieri.

Alphar. Albuma. Themist. Opposita tamen sententia vera, & tenenda est, quam multi alij docent, qui legunt ibi *intellectiua*, & non discursiua. Et quamuis Auerroes,& alij negẽt definitionem contineri sub illa vniuersali propositione, non negant prærequiri cognitionem aliquam ad definitionẽ; potiùs Auerro. id docet Auerroes in Epithome Logicæ,c.de rethor.demõstratiua. Et 1.met.com.tom.48. Aristote. Est etiam hæc sententia Arist. qui locis allegatis artic. præcedenti definitionem, & prima principia docet ex præexistenti cognitione fieri; vt postea magis in particulari reiteram.

Ratione item probatur: quia definitio est perfectissima quædam operatio alicuius ignoti clarè manifestatiua, quæ de nouo adquiritur,& non habetur à natura,sed omnis cognitio perfecta supponit imperfectas, & omnis notitia clara supponit obscuras, vt præcedenti artic. visum est. Et in definitione res est euidens, quia valde difficilis est, indigensque pluribus prærequisitis,& conditionibus, vt optima sit, vt videbimus: ideoque Arist.in inuestiganda definitione priùs adhibet diuisiones, resolutiones, & discursus: ergo euidens est dari præcognitiones ad illam per se necessarias.

Quæ sint præcognitiones dirigentes,seu remotæ.

Præterea hoc ampliùs patebit explicando singulas. Primò enim si sermo sit de præcognitione dirigente,seu remota,duplex ad definitionem prærequiritur,sc.præcognoscere *an sit*, & *quid sit* definitum, vel *quid nominis* ipsius. Quantùm ad primum certum, est aliquid definiri non posse, aut quæri definitionem illius, nisi priùs cognoscatur habere essentiam aliquam determinatam,& existentiam; alioquin esset in vanum laborare,si rei, quæ non est,inuestigaretur definitio, & quæreretur essentia, seu quidditas in re fictitia, quæ illam non habet, sicut propter hãc rationem debe-

debemus præcognoſcere *an ſit* ante demoſtrationem, & ſcientiam.

Quod verò attinet ad ſecundùm. s. *quid ſit* res definita, vel *quid nominis* illùs etiam eſt clariùs; nam implicat aliquid definiri, niſi præcognoſcatur, quid ſignificet nomen illius, an ſit homo, vel lapis, vel equs: alioquin intellectus, qui indifferens eſt ad quodlibet iſtorum definiendum, non poterit magis ad vnum, quàm ad aliud determinari.

Dices: per definitionem hæc duo repræſentantur, *an ſit*, & *quid ſit*: ad quid ergo præcognoſci debet? Reſpōdetur, cognoſci hæc clarè, & perfectè per definitionem, præcognoſci verò craſſè, & rudi mineruа antecillam; nam imperfectior, & facilior notitia diſponit ſemper ad difficiliorem, & perfectam, vt dixi. Et patet in demonſtratione, vel ſcientia, vbi ſimiles præcognitiones ab omnibus admittuntur circa idem, quod poſtea per ſcientiam ipſam demonſtrantur. patetquè etiam in artibus, in quibus priùs aliquod exemplar notiùs, & faciliùs rei faciendæ Artifex ſibi proponit, & ex præcognitione illius ad ſuum opus perfectè fabricandum, manuducitur, ac dirigitur: difficile enim, & perfectùm non poteſt ab intellectu imperfecto ſtatim aſſequi.

Quæ ſint præcognitiones agentes, ſeu proximè ad definitionem diſponentes?

Breuiter dico: quod debemus etiam præcognoſcere *quid ſit* partium definitionis, generis, ſcilicet, & differentiæ; quid v.g. ſit animal, & quid ſignificet in definitione hominis; ſimiliter quid ſit, & quid ſignificet rationale; niſi enim priùs partes inquiramus rei definitæ, in quo, ſcilicet conueniat cum alijs, & ab eis differat, impoſſibile omnino erit, eam quidditatiuè definire.

Propter hanc ergo rationem ſicut initio poſteriorum explicat Phyloſophus, præcognitiones ad demonſtrationem neceſſarias, ita *in ſecundo poſteriorum* eaſdem declarat in ordine ad definitionem. Et *2. topic. c. 4.* dicit, quod ſicut demonſtratio notificatur ex prioribus, & notioribus, ita idem fieri in definitione. Præſertim *lib. 6. topicor. loco 17.* docet, definitionem fieri ex præcognitione partium, & partes debere eſſe notiores definito, alioquin eſſet petitio principij.

Dices: cognitio vtriuſquè partis eſt ipſamet definitio: ergo non præcognitio ad illam? Reſpōdetur cognitio vtriuſquè partis ſimul, ita verùm eſt. Cognitio

nitio tamen vtrinsquè separatæ, & seorsim consideratæ, minimè; sed habent se sicut præmissæ ad demonstrationem.

Neque potest vtraquè pars simul considerari, nisi priùs quęlibet earum seorsim inquiratur, & præmissis, ac notatis varijs rerum conuenientijs, & differētijs cum definito, definiatur, & præcognoscatur. Propter hoc enim notiores dicuntur partes quàm totùm, quoniam ex cognitione partium, totius notitia est comparanda, sicut propter idem præmissę notiores dicuntur conclusione; quia non nisi ex earum prænotione ipsa cognoscitur.

Dices secundò: si antę definitionem scire debemus, quid sit differētia: ergo ante definitionem hominis debemus definire animal; & cum in definitione animalis includatur viuens, vt genus superior, debemus priùs definire viuens, & sic ascendere per reliqua vsque ad supremum genus; & cum aliàs genus supremum non possit definiri, quia non constat ex genere alio superiori, sequitur, quod nec reliqua genera inferiora definiri valeant, ac proinde nec species, definiri potest: ergo præcognitio partiū definitionis necessaria non est.

Respondeo; quod sicut in qualibet particulari demostratione nō est necessum, vt illam ad prima, & immediata principia actu resoluamus, sed satis est habitualis eorum cognitio; ita in definitione cuiuslibet speciei non est necesse, quod actu definiantur omnia genera superiora; sed satis est habitualem eorum notitiam habere.

Quod autem attinet ad genus supremum, quamuis perfecta, & rigorosa definitione Logica definiri non valeat; potest tamen ita describi, vt quidditatiua illius assequatur cognitio, & quę sufficiat ad essentialem definitionem esse quendam generum inferiorum.

Tertiò dices; vltimæ differentiæ nobis occultæ sunt, & quamuis sciremus aliquam v. g. hominis, non tamen perfectè, dum non cognoscimus omnes alias, à quibus homo differt, quæ cum sint infinitæ, cognosci non valent?

Respondetur, quod qua ratione quoad nos sunt ignotæ quàm plurimæ differētię, quod per accidens prouenit ex nostra ignorantia; eâdem ratione definitiones earum nobis sunt occultę, quod potiùs confirmat, quàm impugnat necessitatem pręcognitionis differentię. Nihilominus plures differentię sic occultę manifestantur nobis per suas passiones, vel effectus, & sic ponuntur in definitione, & præcognoscuntur ante

ante illam loco differentiarum, vt quando definitur leo, *animal rugibile*, equus *animal hinnibile, &c.*

Neque est necessarium cognoscere infinita extrema, à quibus differt aliqua differentia, sed vt docet S.Thom. satis est cognoscere rationem communē oppositam, sub qua infinita continentur tanquàm sub ratione trāscendente, in qua ad minùs conuenire possunt vltimæ differentiæ. V.g. vt cognoscamus rationale, satis est irrationale cognoscere, sub qua ratione equus, leo, & reliquæ species continentur. Et quia homo etiam differt ab Angelis per hoc, quod intelligatur intellectiuum sine discursu, intelligitur sufficienter distinctus ab innumeris Angelorum speciebus. Præterea satis est apponere negationem differentiæ, vt sub illa omnes oppositæ intelligantur, vt si dicas, *non rationale.*

S. Tho. 2. post. tex 20. lect 77.

QVAESTIO II.

Quid sit definitio, & ad quam operationē intellectus pertineat?

ARTIC. I.

DVpliciter accipitur definitio. Primò secundū se. Secundò quatenùs affirmatur de definito. Primo modo definitur ab Aristot. *Est oratio explicās quod quid est ipsius rei.* Quā definitionem communiter amplectuntur Peripatetici. Quia tamen solùm definitioni essentiali, seu quidditatiuæ conuenit; alia clarior assignari solet. *Est oratio simplici modo explicans essentiam vel proprietatē rei; oratio* excludit simplicem apprehēsionem incomplexam, & est genus, in quo conuenit definitio cum reliquis intellectus operationibus. *Simplici modo explicans*, ponitur loco differentiæ; quia reliquæ modo compositiuo, aut resolutiuo rei naturas, aut proprietates exponunt.

Aristo. 1. Top. c. 4. & lib. 2. textu. 7. lect. 44.

Rursus particula explicans non sumitur ibi, prout significat idem, quod repræsentans quomodolibet obiectum, sed prout clarè exprimens rem confusè, ac imperfectè cognitam: hoc enim propriè significat vox *explicatio*, id est explicita rei declaratio, seu explicatio illius, quod implicitè latebat, & sic excluditur quæuis alia simplex apprehensio complexa à definitionis ratione; quia licet sit oratio simplici modo obiectum respiciens, non procedit definitiuè, seu explicatiuè circa illud, sed confusè illud, vt aliàs explicandum proponit.

Denique per vltimas particulas comprehenditur non solū defini-

coalescit. Item legatur Arist. 2. *met.* 14. & 18. & 33. Vbi docet definitionem plures habere partes. Et 2. *post. tex.* 21. *lec.* 78. definitio (inquit) debet continere omnia prędicata quidditatiua ipsius rei definitæ, quę plura sunt. Docet item eodem loco, & sequentibus, quod definitio inuestigatur per diuisioně, quod postea à nobis declarabitur; sed quia inuestigatur hoc modo, partes necessariò habet; diuisio enim est, qua res quãtumuis in se simplex à parte rei in plures secatur formalitates ab intellectu, quarum vna est ratio conueniendi cum alijs, & altera ratio differẽdi, ratione cuius nulla essentia creata est, quæ non sit metaphysicè composita ex actu, & potentia, vel genere, & differentia, vt omnes consonanter docent.

ARTIC. II.

Ad quam operationẽ intellectus pertineat definitio, prout est instrumentum sciendi?

QVidam distingunt definitionem, prout est in se, & quatenùs affirmatur de definito; & sub hac posteriori ratione dicũt esse instrumentũm sciendi, & pertinere ad secundam mentis operationem, licet sub priori negari non possit ad primam reduci. Probant primo ex Arist. 1. *post. tex.* 5. *lec.* 14. Vbi ait, definitionem esse speciem propositionis, propositio autem ad secundam operationem pertinet. Et 2. *post. cap.* 3. ait, definitionem esse principiũ demonstrationis; constat autem demostrationis principia propositiones esse, & consequenter operationes secundi generis: ergo etiam definitio.

Secundò, quia vt definitio sit instrumentum, vel species modi sciendi debet esse scientia, vel eam causare proximè, sed neutrum præstat, prout est in prima operatione, sed prout in secunda: ergo ad eam pertinet sub hac ratione. Minor probatur: quia scientia, vel præmissę causantes illam debent esse iudicium certum, & euidens, hoc autem in prima operatione esse non potest, sed in secunda, vt disputat. 4. dicetur: ergo.

Maior etiã confirmatur: quia si definitio scientia nõ esset, vel ad scientiam cõcurrens, quo titulo prima species modi sciendi vniuocè diceretur? Itẽ si omnis homo naturaliter scire desiderat, vt dicitur 1. *met. tex.* 1. ergo maximè naturas, & quidditates rerum scire desiderat: ergo definitio, quæ sola rei quidditates respicit, scientia est, & consequẽter secunda operatio intellectus.

Tertiò: definitio quatenus est species, & instrumentũ sciendi satisfa-

satisfacit illi quęstioni, qua quęritur *quid sit res*; sed nisi sit in secunda operatione, non potest huic quæstioni satisfacere: ergo. Minor probatur, quia nisi intelligamus verbum cōiungens definitionem definito, non satisfit illi quæstioni; nam quando quærimus *quid est homo*? & respondemus *animal rationale*, vel affirmamus animal rationale de homine, & sic iam est propositio ad secundam operationē pertinens, vel non affirmamus illud de homine, & sic non respondemus quæstioni, *quid sit homo*? quinimo conceptu illo simplici cognito .s. *animal rationale*, manebit interrogans dubius, an de equo, vel leone verificetur: quia dum non affirmatur de aliquo subiecto; de omnibus dubitari potest, an illis conueniat?

Præfertur sententia definitionem adscribens primæ operationi.

Opposita tamen sententia est communis, & vera .s. definitionem ad primam mentis operationem reduci, & vt sic primam esse speciem modi sciendi: loquor strictè de modo sciendi, prout distinguitur contra modum operandi. Et sic illam docet Arist. *1. post. text. 25. lec. 79.* vbi ait: *termini* (id est definitiones) *non sunt propositiones, sed intelliguntur sine vlla affirmatione, vel negatione, & ipsos oportet solùm intelligere* (id est, apprehendere absq; coniunctione cum alijs, prout termini sunt) ergo in sola prima operatione definitionem constituit.

Ratio præterea est: quia definitio, prout definitio est præcisè, est prima operatio intellectus, sed in quantùm definitio est instrumentum, & prima species modi sciendi: ergo in quantùm instrumentum, & species modi sciendi est prima operatio. Consequentia est legitima; maior probatur primò, ex illius definitione assignata, quam etiam oppositi Authores admittūt .s. *Est oratio simplici modo essentiā rei manifestans.*

Secundò: quia definitio ita debet circūscribere naturam rei definitæ, vt non sit superflua, vel diminuta, ratione cuius definitum ingredi non debet ipsam definitionem, vt communis docet sentētia: alioquin eadem ratio bis in ea repeteretur, eamq; superfluam redderet. Nam definitio, & definitum eandem omnino formalitatem dicunt, sed in propositione definitio non potest esse nisi simul cum suo definito, nec definitio pręcisè sumpta est nisi in solo prædicato talis propositionis: ergo præcisè, vt definitio solùm ad primam pertinet mentis operationem.

Tertiò confirmatur eadem maior; quia propositio formaliter,

ter & ratione sui nō definit, sed definitionem supponit, & enuntiat de definito: solùm enim materialiter est definitio, si quidem in solo prædicato huius propositionis. V.g. *homo est animal rationale*, saluatur integra definitio: ergo formalitas talis propositionis definitio non est, sed copula definitionis cum re definita.

Ex quo patet, in quo sensu Arist. definitionē propositioni tribuat, materialiter. s. ratione prędicati illius, ideoq; definitionem terminū sæpe dicit, vt vidimus; quia prædicatum terminus propositionis est, vt suo loco dicetur: nunquā enim cōtradictio in authoribus præcipuè tanti momenti præsumenda est, sed æquiuocatio.

Deniquè, obiectum definibile precisè vt tale, est veritas omnino simplex & incomplexa: ergo solùm debet simplici apprehensione cognosci. Antecedens probatur: tum quia essentia consistit in indiuisibili; tum etiam, quia eo ipso quod complexè cognosceretur talis essentia per secundam, vel tertiam operationem, non esset sola quidditas obiectum definitū; nam vel componeretur cum prædicatis illi extrinsecis. s. cum proprietatibus, vel cum subiecto, cui ipsa accidentaliter inesset, & sic non esset sola quidditas, quæ est definitionis obiectum. Vel componeretur cum ipsa re definita, & sic iam non esset sola definitio, sed coniunctio definitionis cum re definita, vt dixi. Vel componeretur vnum prædicatum quidditatiuum ipsius definitionis, cum alio eiusdem; genus. V. g. cum differentia, & sic, vel esset cognitio accidentalis, & non quidditatiua, vt si dicas, *animal est rationale*, de quo infra, vel esset prædicatio indirecta, vt si dicas, *rationale est animal*; & nullo modo istorum potest demonstrationi seruire, & arti syllogisticæ, vt tractando de demonstratione constabit, ergo.

Etiam quatenus species modi sciendi, definitio ad primam pertinet operationem.

Minor principalis argumenti, in qua maior apparet difficultas, probatur etiam non inefficaciter, quia definitio eatenus est instrumentum, seu species modi sciendi, quatenus essentiam, seu quidditatem rei clarè manifestat, sed hoc præstat intra limites apprehensionis simplicis, ergo prout est simplex apprehensio est species modi sciendi. Consequentia patet, & minor etiā ex dictis; pro-

 baui

baui enim propositioně ratione solius prædicati definitiuā esse, adæquatamq; rei manifestationem in conceptibus generis, & differentiæ consistere (vt etiam latius infra elucidabitur) qui cõceptus ad primam mentis operationem pertinent.

Maior probatur: quia in hoc distinguntur tres species modi sciendi, quod prima, quæ est definitio, manifestat clarè quidditatem rei: Secunda compositionem & diuisioně illius respectu aliarum rerum, aut cõceptuum, & tertia demõstrat eius proprietates: quæ omnes vt instrumenta subordinata totam comprehendunt: ergo definitio, vt repræsentat solam rei quidditatem, & prout antecedit compositionem illius cum re definita, & ipsius diuisionem ab speciebus oppositis, erit prima species modi sciendi. Patet consequentia, quia alioquin prima species modi sciendi cõfunderetur cum secunda, cuius munus est non definire, sed componere, seu diuidere res definitas.

Declaratur hoc amplius: quia sicut prudentia, quæ est ars volendi (idemque exemplum adduci potest in omnibus artibus instrumentarijs) agit de intentione, consultatione, deliberatione, electione, imperio, & vsu, tamquam de actibus subordinatis, & requisitis ad adæquatè amplectendum, & assequendum aliquem finem, & ad vincendas varias difficultates, quæ experiuntur in appetitione & assequutione illius; sic logica, quæ est ars rectè intelligendi, agit de triplici modo sciendi subordinato, & requisito ad adæquatam rei perceptionem, & ad superandas tres difficultates, quæ in rebus cognoscibilibus experiuntur.

Prima & omnium maxima est, in rectè explicanda rei quidditate, per suum genus, & differentiam. Secunda in rectè cognoscěda eius habitudine ad alia obiecta. Et tertia in eius proprietatibus, & effectibus penetrandis. Difficultatem secundam vincit secunda species, & tertiam demonstratio: ergo primam definitio, vt talis est.

Secundò confirmatur; quia sola manifestatio essentię prout in simplici apprehensione consistit, non solùm vincit primam difficultatem, & repræsentat potissimum esse rei, quod est quidditas, verùm etiam est ratio cognoscendi omnia alia, & superandi secundam & tertiam difficultatem, quæ est in re cognoscibili: ergo non solum est species, & instrumentum sciendi, sed potissima species illius. Patet consequentia, & probatur antecedens: quia cognita essentia facillimè ducitur intel-

intellectus in cognitionem aliarum veritatum, quæ de illa cognoscuntur, nam sicut illa quantùm ad esse est radix, & causa cæterorum attributorum, ita quantùm ad cognosci: ratione cuius definitio est medium potissimæ demonstrationis; neque est medium in quantùm propositio, sed in quantùm prædicatum, vel subiectum illius, quomodo certitudinem tribuit, non solùm demonstrationi, sed etiam propositioni, quod totum suo loco explanabitur.

Secundò principaliter sic argumentor, quia definitio vt talis est, etsi sola consideretur, facit verè, & propriè scire: ergo est modus sciendi. Patet consequentia, & probatur antecedens. 1. ex Arist. 2. *post.* vbi hoc supponit & probat, vt dicam. Secundò, idem antecedēs probatur, quia si homo naturaliter scire desiderat, vt dicitur 1. post. c. 1. maximè quidditatem rei, quæ est potissima ratio obiecti scibilis, & sine qua nihil aliud potest sciri, cum sit ratio sciendi aliorum; sicut & essendi, vt docet Arist. 1. *de anima text.* 11. Tùm sic: sed quidditas vt talis est, sola definitione est cognoscibilis: ergo definitio est modus sciendi, & notitia faciens verè scire. Minor probata est supra.

Et prætereà confirmatur; quia non omnis scientia habetur per demonstrationem: alia est enim, quæ habetur per discursum: & alia secundæ operationis propria, quomodo prima principia, quæ proximè ad demonstrationem concurrunt, scientia dicuntur: & alia est, quæ fit per simplicē apprehensionē, ideoque modus sciendi à triplici opere intellectus abstrahitur; quia hoc triplex inuenitur sciendi genus: neque est ratio, quare definitioni, vt definitio est, aliqua vera ratio scientiæ non tribuatur, specie à discursiua, & enuntiatiua distincta, quæ perse sub artem cadat modi sciendi, ergo.

Antecedens efficaciter sic declaro: nam modus sciendi prout est obiectum præcipuum logicæ, est oratio certo alicuius ignoti manifestatiua, vel ex ignotis ad nota procedens, vt dixi supra tractando de obiecto logicæ, sed definitio vt talis est, est cognitio certissima manifestans rei quidditatem, quinimò & certitudinem tribuens alijs operationibus, vt amplius quæstione sequenti constabit: ergo est vera scientia, licet ab alijs specie distincta, & consequenter modus sciendi. Patet consequētia: nam scire est cognitio certa, & sine vlla dubitatio ne reste. Arist. 1. post. tex. 5. l. 7.

Est itē definitio cognitio rei per suam causam, & quæ non

Aristot.

contingit aliter se habere; nam causæ intrinsecæ, & constituentes quidditatem, sunt genus & differentia; sed propterea demonstratio est modus sciendi, & considerabilis à logica: ergo & definitio.

Rursus, in definitione concurrunt omnes conditiones, quas habemus in demonstratione. s. quod procedat ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, & causis, de omni per se, & secundum quod ipsum, quod totum in sequentibus explanabitur; habetquè omnes præcognitiones, agentem, & dirigentem; est insuper necessaria ad tollendos innumeros errores, & defectus, qui in cognitione quidditatum contingere possunt, & consequenter in demonstrationibus, in quibus infallibiliter error redundat ignorata quidditate, vt docet Aristot. *Primò de partibus animal. c. 1.* dicens, *propter hoc antiquos in multis errasse, quia artem definiendi ignorabant*: ergo omnibus titulis, quibus aliæ operationes, definitio est instrumentum, seu modus sciendi. Quod amplius sequenti articulo declarabitur.

Aristote.

Satisfit rationibus sententiæ oppositæ.

Restat solùm oppositis argumétis satisfacere. Ad primũ ex Arist. iam dixi, ipsum definitionem vocare propositioné, & principium demonstrationis, eo quod definitio, quatenus affirmatur de definito, propositio fit, & quia talis propositio ratione definitionis enuntiatæ, non quæ enuntiatio est, ad demonstrationem principaliter concurrit, idcirco ratio principij demonstrationis definitioni tribuitur, & ratio propositionis similiter eius parti principaliori.

Ad secundũ Paulus Vallius asserit, definitioné, etsi simplex apprehensio sit, esse verum iudicium, licet specie diuersum à iudicio, quod est in secunda operatione, quod compellitur dicere, vt melius rationem scientiæ & modi sciendi in definitione tueatur. Hoc tamen est contra communem omnium sententiã, (quam infra probabimus disputatione de propositione, vel secunda intellectus operatione) af seré tem in ea solùm inueniri iudicium, & cum illa conuerti.

Vallius to. 2. suæ log. disp. 3. de defi. q. 2. c. 5.

Aliter ergo respõdetur, quod licet definitio iudicium non sit; est tamen verè & propriè scientia, & modus sciendi; tùm, quia concurrit, vt dixi, ad scientiam strictè sumptam, potiori titulo quam aliæ species, cum aliæ species sine definitione rem perfectè scire, & adæquatè comprehendere non valeant. Tùm etiam, quia ipsa definitio in se verè, & propriè doctri-

doctrina & ſcientia eſt, non ſtrictè prout vſurpari ſolet hoc nomen pro cognitione diſcurſiua, ſed latè pro cognitione certa & euidenti, quomodo ſub logicam cadit cōſiderationem, quæ de modo ſciendi diſſerit, & ſub illa cōtinetur communi propoſitione Ariſtotelis. *Omnis doctrina omniſquè diſciplina ex præexiſtenti fit cognitione.*

Ex quo fateor ad confirmationem; quod homo naturaliter ſcire deſideret rei quidditatem, ſed hoc naturale deſideriū expletur per definitionem, imò hinc infero, & poſtea magis declarabitur, definitionem eſſe veram ſcientiam: nam quidditas vt talis eſt, non alio genere cognitionis, quàm ſimplicis cognoſci valet.

Addo ſecūdò, quod cum ad definitionem prænoſcatur non ſolùm ſimplici apprehenſione, verùm etiam iudicio, & multiplici diſcurſu, cuius definiti ſit, in quonam conueniat cum alijs ſpeciebus, & in quo ab illis differat; hinc eſt primò, quod definitio ſit virtuale iudicium emininenter cōtinens totā perfectionem illius, quatenùs illud perſe ſupponit, & ex ipſo cauſatur: ſupponit enim definitio affirmationē formalē, qua prius genus, & poſtea differentia præuio diſcurſu & maturo examine affirmitur de re definita, & poſtea aſſumitur ipſa ab intellectu loco definiti, tamquàm concluſio, & explicatio illius, in quo quieſcit appetitus ſciendi quidditatem.

Secundò fit, quod definitio ſit certa & euidens cognitio, etiamſi ſit ſimplex apprehēſio; quia ſupponit certā & euidentem affirmationem generis, & differentiæ de ſuo definito, quę certitudo in partibus, non poteſt non perſe redundare in tota definitione, quæ ex illis componitur. Patetq; manifeſto exēplo in concluſione demonſtratiua, quæ totā certitudinem, & euidentiā ſumit à principijs præexiſtentibus; nā concluſio, vt infra dicetur, cōponitur ex maiori & minori extremitate, quarū altera ſubiectū eſt, & prędicatū altera, & quia vtraq; in præmiſsis euidenter cū medio coniungitur, redundat eadem euidentia in concluſione, ex ſola præexiſtentia præmiſſarum: ergo eàdem ratione ex ſola prę-exiſtenti euidentia iudicij, generis, & differētiæ redundat eadē in definitione ſubſequenti.

Præterea: ſi propter aliquam rationem repugnaret definitioni hæc certitudo, & euidentia; maximè quia eſt cognitio ſimplex, ſed hæc ratio nulla eſt, quia viſio corporea eſt ſimplex apprehenſio, & valde inferioris ordinis; & tamen eſt certa, & euidens notitia: non ergo repugnat definitioni, quæ ap-

prehensio spiritualis est, & perfectissima omnium saltem illius generis.

Denique declaratur amplius: quia ex duplici capite prouenit, quod simplex apprehensio non ferat iudicium de suo obiecto, vel ex incertitudine, & imperfecto modo, quo actus illud respicit, ratione cuius indifferens est, ad sic, vel aliter iudicandum de illo, vt quando intellectus apprehendit leonem, ignorans an sit, & quid sit, vel secundò non ex incertitudine, aut indifferentia ex parte actus, sed ex incomplexione, & abstractione ex parte obiecti, & sic se habet definitio, non enim est indifferens adiudicandum sic, vel aliter de suo definito, cum supponat sufficiens iudicium, imò & plures demonstrationes de illo: nec habet incertitudinem propter eandem rationem, vt probandum est: solùm ergo habet quod respiciat quidditatem vt quiditas est, abstrahendo ab omni alia ratione; quo pacto est veritas incomplexa, & omnino simplex, ac proinde simplici apprehensione cognoscibilis.

Ex dictis patet iam ad tertium. Dico enim definitionem satisfacere quæstioni, *quid sit res*, non quia per modum responsionis, aut compositionis illi satisfaciat, sed quia suo proprio modo simplici remouet ignorantiam rei definitæ, nã sublata ignorantia, vel dubitatione illius, quod quæritur, quæstio dissoluitur & cessat, ac proinde satisfit. Vnde negatur minor. Et ad illius probationẽ respondeo definitionem ipsam essentialiter supponere, cuius definiti sit tam in respondente, quam in interrogante, quid sit homo? estque, vt dixi, notitia in particulari explicans rem definitam, & loco illius assumpta, ac proinde virtualiter coniungens definitionem cum re definita, & ab alijs diuidens; neque hoc limites simplicis excedit apprehensionis; nam simplex apprehensio, quinimò & visio corporea res compositas, & diuisas suo simplici modo apprehendit.

Tandem addo per accidens esse ad definitionem, quod ante illam quæratur quidditas rei definitæ per modum interrogationis, vel per simplex desiderium sciẽdi quidditatem rei, ortum ex ignorantia illius, & etiam quod illi respondeatur modo compositiuo. Quidquid tamen sit de hoc, vel illo modo quærendi, & respondendi, ignorantia quidditatis, & appetitus scientiæ illius tolluntur per solam definitionem, vt simplex operatio est.

A R-

ARTIC. III.

Ostenditur definitionem esse instrumentũ sciendi à demonstratione distinctum.

Ex dictis constat iam definitionem esse instrumentum, seu modum sciendi à demonstratione distinctũ, quod negare cõtendunt Zabarella, & alij. Sed probatur; quia instrumenta, & species modi sciendi distinguuntur ex fine, & effectu, sed definitio est instrumentum, vel modus, quo cognoscimus rei quidditatem, demonstratio vero est modus, quo proprietates cognoscimus per causas, & radicem earum; definitio dirigit apprehẽsiones incomplexorum, & corrigit errores circa essentiarum cognoscibilitatem; & demonstratio tota circa proprietates versatur, easquè de subiecto demonstrat, defectusquè in discurrẽdo corrigit, sicq; alia discrimina, & rationes ex praefatis adduci possunt, quibus ostendi, quod definitio vt simplex apprehensio, est sufficiens modus, & instrumentum sciendi, & in sequentibus amplius elucidabitur: ergo est modus sciẽdi prout à demonstratione differt.

Confirmatur ex Arist. 2. *post. c.2.3.4.& 5.* Vbi docet, *definibile non esse demonstrabile, definitionéq; esse scire distinctũ à demonstratione*, & quamuis c.2.3.& 4. videatur disputatiuè procedere, *capite tamen 5.* hanc vt conclusionẽ approbat; nec soluit rationes, quas proposuerat ad ostensionem illius, quæ in ipso textu videri possunt.

Proponuntur fundamenta sententiæ oppositæ.

Sed cõtra multa obijcit Zabar. quæ omnia ad hoc præcipuũ eius fundamentũ posśũt reduci; Methodus, seu modus sciẽdi (qui idẽ sunt apud ipsum) talis naturę esse debet, vt à noto procedamus ad ignotum, & ex vno aliud probemus, quod soli definitioni non conuenit, cũ sit simplex tantũ rei apprehensio: ergo discursus illi adiunctus necessarius est. Maior probatur, quia modus sciẽdi est oratio alicuius ignoti manifestatiua: indiget ergo ex notis ad ignota procedere, nam ignotum ex sola sui apprehensione notum fieri non potest, non enim est per se notum; igitur per aliud notum. *Zabar. lib. 3. de methodis c. 11. & sequent. & lib. 4. c. 8.*

Cõfirmatur: quia essentiæ rerũ sunt occultissimę, & ignotę, quare nõ posśũt se ipsis intellectui manifestari ex sola terminorũ apprehẽsione: ergo est necessarius discursus, quo tales essentiæ nobis innotescãt: ergo definitio nõ est modus sciẽdi prout est operatio à demonstratione diuersa.

approximentur intellectui præcognitionibus dictis, & infra magis declarandis, nimirùm inductione, resolutione, & discursu præuio; tunc definitio certissimè intuetur illas. Quinimò, & ab eius euidentia, & certitudine pendent aliæ operationes; nam demonstrationis euidentia pendet ex certitudine principiorum, & hæc à definitione in illis inclusa, & per ipsam causata, totam certitudinem habent; nam ea sola totam rei quidditatem manifestat, vt probaui; & sola quidditas, sicut est prima radix essendi omnium aliorum, sic vt clarè manifestata, est radix in genere obiecti cognitionis aliorum.

Vnde præcognitiones dictę, quibus essentia rei definibilis inuestigatur, solùm sunt conditiones præuiæ ad definitionem, & sine quibus ipsa haberi non potest; illis tamen suppositis definitio euidenter suum obiectum respicit. Quod exemplis constat manifestis; nam demonstratio, quæ potissimùm instrumẽtũ sciendi asseritur ab Authoribus oppositis, non potest haberi nisi supposita cognitione præmissarum, & definitione in illis inclusa, illis tamen positis conclusio, in qua adæquatè scientia demonstratiua consistit, certò & euidenter ad suum terminatur obiectum; illis autem exclusis, eadem propositio in mente nullam certitudinem affert: ergo eâdem ratione, licet tota definitio, hæc; v.g. *animal rationale*, seclusa præcognitione, & approximatione debita, obscura valde sit, & imperfecta cognitio, illa tamen supposita, euidentiam generat, vt dixi.

Secundò ostendi potest exẽplo Theologico Fidei Diuinæ: hęc enim discursiua nõ est, nec accipit euidentiam, aut certitudinem ab aliquo discursu, ita vt quamuis multi prærequirantur discursus, ad hoc quod obiectum Fidei, & Diuina authoritas reuelans applicẽtur intellectui, & illi sufficienter proponantur, pòstquàm sufficiens obiecti approximatio est facta, intellectus habitu Fidei informatus sine discursu, & cum omnimoda certitudine, obiecto reuelato assentitur; secus verò si absint discursus prærequisiti: & nihilominùs soli Fidei tribuitur assensus, & certitudo illius; cognitioni autem præuiæ, non nisi vt dispositioni, vel conditioni sine qua non, sicut calefactio non tribuitur approximationi requisitæ, sed calori; eâdem ergo ratione scientia, vel modus sciendi quidditatem rei, soli definitioni tribuitur directè, toti autem cognitioni præuiæ tantùm vt conditioni, vel applicationi obiecti.

Ex quo rursus colligitur ratio, quare qui definitionem audit,

ergo demonstratur per causam, vel propter quid. Secundò potest demostrari definitio syllogismo diuisiuo, sic: omne animal, vel est rationale, vel irrationale, sed homo est animal, & nō irrationale: ergo est animal rationale. Tertiò potest probari per definitionem contrarij, hoc modo: albedo est disgregatiua visus: ergo nigredo est congregatiua; quia contrariorum contrariæ sunt definitiones. Quartò potest probari ex suppositione, seu per definitionem definitionis, hoc modo: illa est definitio rei, & quod quid illius, quæ continet genus, & differentiam rei, sed ista, v. g. *animal rationale*, continet genus, & differentiā hominis: ergo est quidditatiua illius definitio.

Statuitur pars negatiua, &c

Contrariam tamen sententiam docet Arist. 2. *post. à tex. 2. lec. 9. vsque ad 8. lec. 36.* vbi eam latè probat, cōfutans simul omnes modos, quibus probari potest definitio, ideoque eam tuentur ferè omnes Peripathetici: nā Princeps illorum ita clarè loquitur, vt nullum det locum expositioni. Nam quamuis *in tex. 2. lec. 4.* vt dixi, disputatiuè procedat, postea tamen hoc determinat ex propria sententia, & admittit rationes, quibus id probauerat, dum disputaret.

Probatur ergo primò ratione (quam adducit ipse *eodem 2. lib. text. 2. lec. 14.*) definitio est principium demōstrationis, sed principia demonstrationis sunt indemōstrabilia, alioquin de illis deberet fieri alia demonstratio, & sic vel dandus esset processus in infinitum, vel circulus in demōstrationibus, vel deueniendū est ad definitiones indemōstrabiles: cū ergo primum, & secundū repugnēt, tertiū asserendum est. Declaratur hoc secundò: quia demonstratio est cognitio rei per suam causam, à qua habet esse, ideoquè passio demonstrari dicitur per suam radicem tanquàm per medium, sed quidditas, vel definitio non est passio, nec habet causam vllam, vel medium à se distinctum, ex quo dimanet tanquàm ex radice: ergo. Minor probatur: tùm quia propter hoc definitiones dicuntur prima principia; quia nō habēt supra se alia priora, ac proin de demonstrabilia non esse; quia omnis demonstratio debet procedere ex prioribus, & causis conclusionis. Tùm etiam quia si quæramus, quare homo sit rationalis? nihil aliud possumus respondere, nisi quia est homo. Et similiter de genere, si quæratur, quare homo est animal? nulla alia huius causa assignari potest, nisi quia est homo: quia inter hominem, & animal rationale nulla ratio mediat: & vniuersa-

uersaliter inter essentiam, & rem cuius est; ideoque huiusmodi propositiones immediatæ dicuntur, vel sine medio: ergo nullum habent medium, vel radicem, ex qua per demonstrationem probari possint.

Tertiò: etiam si per demonstrationē possemus probare materiale generis, & differentiæ conuenire rei, non possumus certò cognoscere, an hæc prędicata essentialia sint, vel passiones consequentes essentiam, sicut risibilitas, & admirabilitas; sicut enim agnoscimus passiones subordinatas, possumus suspicari rationalitatem esse primam passionem, ex qua oritur risibilitas.

Denique in omni demonstratione demonstratur aliquid de aliquo, sed in definitione nihil dicitur de alio, sed apprehenditur simpliciter aliquid, vt probaui artic. 2. ergo.

Satisfit argumentis oppositis.

Ad argumenta proposita generaliter respondeo, in illis committi circulum, & petitionem principij; quia cum non habeant principium, quo demonstrari valeant, explicāt idem per idem, vel supponit quod erat probandum; vt patebit applicando doctrinam in particulari. Ad primum enim de causa finali petitur principium; nam supponitur in præmisis definitio causæ finalis, quæ erat probanda, & demonstrati non potest finis intrinsecus essentiæ, nisi per essentiam: si ergo essentia etiam demonstretur per finem, committitur circulus.

Præterea sunt fines non essentialiter connexi cum essentia determinata, ac proinde ex illis essentia colligi nequit; & sic est beatitudo in demōstratione adducta; Angeli enim omnes, & homines sunt creati ad illam, & tamen differunt, maximè in rationibus saltem specificis. Ex quo etiam sequitur, quod quando intellectus finem essentialem cognoscat, vel ordinem ad illū, naturaliter animaduertat, nesciat tamen an sit quidditatiuum quid, & essentiale, quod postulat certa, & euidens quidditatis cognitio.

Ad secundum de syllogismo diuisiuo respondeo, in eo peti principium; nam supponitur genus rei definiendæ, & illud diuiditur in suas species; quod genus, cum sit pars quidditatis, probari debebat. Præterea supponitur illas esse differentias quidditatiuas, & non passiones; quod erat probandum; & etiam quod sit genus immediatum animal, & rationale differentia infima, & non subalterna; quod in illo duplici conceptu contineatur totalis definitio, vt hec diminuta sit nec superflua; quę & similia demonstrari debebat.

Ad

Ad tertium de demonstratione per definitionem contrarij; respondetur, in eius probatione peti principium.; supponitur enim definitio contrarij, quæ erat probanda, & cum contraria sint æquè ignota, ignotum per ignotum explicabitur, & commitetur circulus, si vnum per aliud exponatur, & è contra. Præterea substantiæ, que sola est perfectè definibilis, nullum datur contrarium, & similiter multis accidentibus, ex re autem incomposibili tantùm, nullum argumentum sumi potest, cum vni speciei, innumeræ sint incomposibiles.

Ad vltimum similiter petitur principiũ; supponitur enim, quod animal rationale sint genus, & differentia rei definitæ, quod erat probandum, & quod illa definitio non sit diminuta, &c.

Dices: licet supradicta excludant demonstrationem à priori, seu *propter quid*, non excludunt, quod à posteriori definitio probetur per demonstrationem *quia*, ex effectibus generis, & differentiæ; alioquin definitio cognitio certa non esset, si non est vnde quidditas probetur; quia cum sit ignota, per aliquid priùs notum explicari debet.

Respondetur, à posteriori ex effectibus solùm ostendi posse quidditatem in ratione causæ, & rei cõuenientis subiecto, non tamen in ratione quidditatis; nam effectus solùm denotant rationem causæ, non verò an talis ratio essentialis sit subiecto, de quo demonstratur. Quomodo autem essentia rei inuestigari posit, dicetur infra, nam sunt alij modi, quibus prima principia quoad nos occulta probari, ac manifestari possunt, & etiam ipsa demonstratio *quia*, qua quidditas probatur in ratione causæ multum conducit, vt cognitio præuia, vt dicemus suo loco.

ARTIC. V.

An definitio sit demõstratione nobilior?

HAec etiã difficultas confirmabit multùm præcedentia, essentiamquè definitionis penitùs declarabit.

Prima sentẽtia constãter deffendit demõstrationem esse definitione digniorem, tàm in genere rei, quàm in ratione instrumenti Logici. Ita videntur sentire ex antiquis, & ex recentioribus multi, qui asserunt, vel solam demonstrationem esse obiectum adæquatum Logicæ, secundarium verò definitionem, vel saltem obiectum præcipuum demonstrationem esse. *Ammon.* *Simplic.* *Aristote.* *Alexãd.* *Philopo.*

Proba-

Probatur ratione; quia definitio pertinet ad primam intellectus operationem, sed hæc est ignobilior secunda; & tertia: ergo. Probatur minor: quia secunda operatio cōtinet emminenter perfectionem primæ; propositio namquè ex pluribus componitur apprehensionibus simplicibus, & tertia ex pluribus constat propositionibus, soletquè exponi hoc triplex genus exēplo animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis; quarum prima, quæ æquiparatur simplici apprehensioni, includitur emminenter in secunda, & vtraquè prima, & secunda in tertia, quæ rationalis est: ergo prima operatio; & consequènter definitio sub illa contenta est ignobilior demonstratione.

Secundò illud est instrumentum nobilius, ad quod cætera redducuntur, sed omnia alia instrumenta Logica, & præsertim definitio redducūtur ad demōstrationem: ergo est nobilior. Probatur minor: quia definitio est medium demonstrationis ordinatum ad illam tanquàm ad finem, & ad illius præmissas tanquàm pars, vt subiectum. s. vel prædicatum ipsarum, constat autem, quod pars est ignobilior quàm totum; & medium, quàm finis: ergo.

Tertiò, quia definitio non est inuestigatiua rei ignotæ, neque potest se ipsam tueri; nequè est sibi ipsi sufficiens: quæ tamen omnia conueniunt demōstrationi: ergo demonstratio est longè nobilior. Deniquè definitio ducit nos in cognitionem substantiæ; demonstratio vero in notitiam substantię, & accidētium: ergo.

Definitio demonstrationi antefertur.

Secunda tamen sententia, & quæ mihi verior videtur, definitioni simpliciter primatum tribuit, saltem respectu demonstrationis; ita tenent communiter Auerroistæ, & Auerroes sępius *in 1. & 2. lib. post.* in Epitome Logic. c. de demonstra. & alibi. Eustratius in prologo 2. post. & in com. 48. Balduinus quæsito de hac re. Angelus Thius in principio suarum præcognitionum Logicarum, vbi agit de subiecto principali Logicæ, & alij. Ex recentioribus pauci quæstionem attingunt, quia de deffinitione in Logicą mentiónem non faciunt, sed in Summulis breuissimè; ac si talis species modi necessaria non esset, aut parùm vtilitatis afferret.

Aduerto pro huius solutione, vnam cognitionem dici alia nobiliorem vel ratione præstātioris obiecti, vel ratione perfectioris modi procedendi circa illud, vt animaduerti etiam, *supr. disp. 1. sect. 3. q. vlt.* Ex parte autem

ioni : ergo demonstratio est gè nobilior. Denique de- tio ducit nos in cognitio- m substantiæ ; demonstratio o in notitiam substantię, & cidétium:ergo.

Definitio demonstrationi ante fertur.

Secunda tamen sententia, & quæ mihi verior videtur, defini- tioni simpliciter primatum tri- buit, saltem respectu demonstra tionis; ita tenent communiter Auerroistæ, & Auerroes sepius in 1. & 2. *lib. post.* in Epitome Logic. c. de demonstra. & alibi. Eustratius in prologo 2. post. & in com. 48. Balduinus quæsito de hac re. Angelus Thius in principio suarum præcognito- rum Logicarum, vbi agit de subiecto principali Logicæ, & alij. Ex recentioribus pauci quæstionem attingunt, quia de deffinitione in Logica mentio- nem non faciunt, sed in Sum- mulis breuissimè, ac si talis spe- ciés modi necessaria non esset, it parùm vtilitatis afferret. Aduerto pro huius solutio- vnam cognitionem dici alia bilorem vel ratione præstā- tis obiecti, vel ratione perfec- tis modi procedendi circa il- vt animaduerti etiam *supr.* *sect.* 3. *q. vlt.* Ex parte autem

nitioné excedat. Vel quia est certior; & euidentior. Vel quia vna procedit per causam, & modo scientifico, altera verò non, vel quia procedit modo speculatiuo, altera verò modo practico; & sic aliæ differentiæ considerari possunt. Vnde potest cõtingere, quod secundùm diuersos modos duæ cognitiones inuicem se excedant, nimirũ quod vna præstantior sit in obiecto, Theologia. v.g. respectu Metaphysicæ, & nihilominus excedatur ab illa in modo respiciendi illud, quia Metaphysica euidenter, Theologia verò obscurè circa suum obiectum versatur, quatenùs solùm nititur articulis fidei obscurè reuelatis.

Similiter ratione vnius modi, s. certitudinis, & euidentiæ Mathematica philosophiam excedit: quia habet multò euidẽtiores demonstrationes, quæ (vt ait Sene. *1. li. natural. quæstion. c. 4.*) non persuadent, sed cogunt. Ex parte verò alterius modi procedendi, s. per causas, exceditur à Philosophia; nam hęc, res considerat per proprias causas, Mathematica verò solùm considerat quasdam quantitatis proprietates abstrahendo eas etiam à sua propria essentia, & natura, ita vt si possent sine illa esse, eodem modo illas considera- ret.

Senec.

His ergo obseruatis, primò dicendum, est absolutè & simpliciter definitionem esse nobiliorem demonstratione, licet secũdùm quid excedatur ab illa, Prima pars de excessu simpliciter probatur primò : quia nobilitas simpliciter, & excessus illius sumitur ab obiecto, sed obiectum definitionis est excellentius multò quàm demonstrationis : ergo etiam definitio est longè nobilior, quã demonstratio. Maior est certa: quia pręcipua dignitas cuiuslibet rei attenditur secũdùm speciem, non secũdùm genus, species autem actꝰ ab obiecto sumitur. Ideoq; S.Tho. & Aristo. aiunt : minimum, quod haberi potest, de cognitione rerum altissimarum, desiderabiliùs esse cognitione certissima, quæ habetur de rebus minimis. Minor probatur: quia obiectum definitionis est quidditas, vel substantia rei, demonstrationis verò sunt proprietates, seu accidentia, vt docet Arist. 2. *post. tex. 2. lec. 12. &* 17. & patet iam ex dictis, substantia autem est nobilior accidente; illa enim est esse simpliciter, & primarium, accidens verò secundùm quid, & secundarium: ergo.

S. Th. 1. 2. q. 66. art. 5. ad. 3. Aristo. 1. de cælo, tex. 6. & 1. de par. anim c. 1.

Nec obstat, quod demonstratione, *quia* seu à posteriori subs-

substantia demonstrari possit; nam hæc demonstratio est valde imperfecta, eamquè manifestat solùm quoad *an est*, non vero quoad *quid est*, & non per propriam causam, sed per effectus, vel signa, qui modus cognoscendi valde imperfectus est, ideoquè non reputatur inconueniens, quod tali demostrandi genere obiectum supernaturalissimum, quale est Deus, naturaliter adumbretur; quia non excedit capacitaté naturæ creatę, quod tàm imperfectè Deum intelligat.

Secundò, si comparatio fiat ex parte modi sciendi, etiam definitio longè excellit, nam vt docet Aristot. definitio non solùm explicat naturam rei, sed est ratio cognoscendi omnia alia, quæ de tali re desiderari possunt, & soluendi omnes difficultates circa illam, vt dixi articulis præcedentibus: ergo est nobilior demonstratione, siquidem est illius causa.

Aristote. 4. phisic. tex. 31. 1. de Anim. tex. 11. 2. de Anim. textu 12. lect. 26.

Tertiò, ex parte certitudinis ostendimus, definitionem superare demõstrationem; quoniam ex quidditate clarè manifestata per definitionem, infert demonstratio proprietates illius, & accipit suam euidentiam, & certitudinem: ergo est ipsa nobilior: patet consequentia, quia propter hanc eandem rationem assensus principiorum præstãtior cõmuniter dicitur respectu cõclusionis; quia. s. propter quod vnumquodquè tale, illud magis: idem ergo erit de definitione asserendum. Confirmatur; quia definitio est medium, seu fundamentum, in quo nititur potissima demonstratio, notificans illi omnia alia attributa, & accidentia, dansquè illi certitudinem, & nobilitatem: ergo.

Quartò, ille modus sciendi est nobilior, qui facit scire per nobiliorem causam, sed huiusmodi est definitio collata cum demonstratione, quia facit scire necessariò per causam formalem omnino intrinsecam, demõstratio verò sæpè sæpius per causas extrinsecas, vel per effectus, aut signa; quocũq; enim modo fiat, saluatur vera demonstratio, non tamen definitio: est ergo in hoc præstantior illa. Patet consequentia: quia propter hanc rationem proportionaliter loquẽdo, Mathematica præponitur Philosophiæ.

Dices: licet quantùm ad rectitudinem naturalem superet definitio demonstrationem, tamen quãtùm ad artificialem, quàm per se Logica considerat, excedit demonstratio, nam euidentia illius prouenit ex tali modo artificioso multis regulis, & præceptis munito, in cuius comparatione pauca sunt, quæ de definitione dicuntur. Hac ratione fundant aliqui, quod demõstratio sit potissima modi scien-

quodque tale; ... idem ergo erit de definitio- ... afferendum. Confirma- ...; quia definitio est medium, ... fundamentum, in quo niti- ...r potissima demonstratio, no- ...icans illi omnia alia attributa, ... accidentia, dansque illi cer- ...tudinem, & nobilitatem: ergo.

Quartò, ille modus sciendi ...st nobilior, qui facit scire per nobiliorem causam, sed huius- modi est definitio collata cum demonstratione, quia facit sci- re necessariò per causam forma- lem omnino intrinsecam, demõ- stratio verò sæpè sæpius per cau- sas extrinsecas, vel per effectus, aut signa; quocũq; enim modo fiat, saluatur vera demonstratio, non tamen definitio: est ergo in hoc præstantior illa. Patet con- sequentia: quia propter hanc ra- tionem proportionaliter loquẽ- do, Mathematica præponitur Philosophiæ.

Dices: licet quantùm ad rectitudinem naturalem supe- ...ret definitio demonstrationem, ...tamen quãtùm ad artificialem, quàm per se Logica considerat, ...ecedit demonstratio, nam ex- ...lentia illius prouenit ex tali mo- ...do artificioso multis regulis, & ...præceptis munito, in cuius ...omparatione pauca sunt, quæ ...de definitione dicuntur. Hac ...ione fundant aliqui, quod ...mõstratio sit potissima modi scien-

probaret, conuinceret syllogis- mum probabilem potiorem es- se: quia magis in eo relucet ar- tificium logicæ, eiusquè effica- cia ad concludendum attendi- tur magis ratione artis syllogis- ticæ, quàm ratione materiæ; in quo discrimen ponit S.Tho. in- ter syllogismum topicum, & de- monstratiuum.

Præterea, si conferantur quæ de definitione, & demonstra- tione dicuntur, tractatus præ- dicabilium & prædicamentorũ, præcipuè pertinent ad definien- di artem: quia partes definitio- nis sunt omnia genera & diffe- rentiæ, & illius obiectum est species: & definitionis descrip- tiuę, proprium, & accidens, quæ fortassè ampliorem materiam, & instrumenta artificialia con- tinent, quàm pars demonstrati- ua. Sed puerile valde est in hoc maiorem obiecti excellentiam ponere: nam excessus in regu- lis, & præceptis logicæ solùm potest conuincere maiorem dig- nitatem in genere obiecti, eo quod intentio, & conatus artis magis feratur ad illam, sed hæc maioritas non potest esse inter partes obiecti primarij: ostendi- mus enim æquè perse attingi, eo ipso quod tanquàm obiecta primaria, & specificatiua inten- dantur; quia in munere specifi- candi essentialiter nõ potest esse magis & minùs. Ad inęqualita-

nés est in ęqualitas in regulis, po- tius enim arguit maiorem im- perfectionem & indigentiam, quod aliqua species ad sui cor- rectionem & rectitudinem plu- ribus indigeat adminiculis, & præceptis, vt patet in syllogis- mo topico.

Satisfit argumentis oppositis.

Ad primum Argumentum respondetur, potius ex illo sumi rationem aliã efficacem ad pro- bandum excessum perfectionis definitionis: nam prima opera- tio precisè vt talis est, duo ha- ber, & quod sit simplicior cæ- teris, in quo cognitionem imita- tur Angelicam, & quod sit cau- sa secundæ & tertiæ operatio- nis; nam vt dixi, propositio ex præexistentibus causatur appre hensionibus, & ex vtroquè ca- pite potius excedit, quam exce- ditur; inclusio autem apprehen- sionum in propositione non est tanquàm in virtute eminentio- ri, sed tanquàm in effectu, eo quod causa suam perfectionem effectui communicat.

Quod etiã euidenter constat in conclusione demõstratiua res- pectu præmissarũ: talis enim ra- tioné propositionis participat à præmisis tanquàm à causis, solùmq; superaddit, quod talis propositio illata sit, vel causata, quod nõ est additũ augens, sed

diminuens; ideoq; omnes fatentur, & infra dicetur, præmissas longè conclusione præstantiores, nec includi formaliter in demonstratione; nam demõstratio est sola conclusio ab ipsis causata, vnde exemplum de anima vegetatiua, sensitiua & rationali valde dissimile ad propositũ est.

Præterea quidquid sit de alijs apprehensionibus (quas non dubito ignobiliores simpliciter, nõ quia primæ sunt, aut simplices, sed propter earum incertitudinem, & indifferentiam circa suũ obiectum) quod attinet ad definitioné, est omnibus modis demonstratione perfectior, excepto vno, quod non iudicat formaliter; licet totam perfectionem iudicij virtualiter contineat, & formaliter supponat, vt dictum est: ideoq; hic excessus est secũdum quid, quia compensatur superabundanter multiplici alio dicto, quo superat definitio, nimirùm ratione obiecti, ratione certitudinis; ratione causæ intrinsecæ; ratione causalitatis, & influxus in reliquas operationes; ratione modi simplicioris respiciendi obiectum.

Quod dictum est de definitione per ordinem ad demonstrationem, dici potest de illa per ordinem ad secundam operationem, quod sit illa dignior, excepta tantùm propositione, quá intrinsecè componit, quæ nobilior dici potest: quia includit totam perfectionem definitionis, & insuper addit rationem iudicij, & licet excedatur aliàs ab ea, eo quod talis propositio causatur ex ipsa definitione, ab eaquè certitudinem accipit, videtur hic excessus secundùm quid comparatione alterius, sed parùm interest hoc amplius examinare.

Ad secundum argumentum supra factum respõdetur, quod idem probaret de principijs indemonstrabilibus, ordinari. s. ad demonstrationem tanquàm ad finem, nemo autem dicit, principia propter hoc ignobiliora esse. Dico ergo definitionem, & prima principia ordinari ad conclusionem demonstratiuam tanquàm causas ad effectum, non tanquàm media ad finem; quia totam perfectionem & certitudinem accipit demonstratio ab illis; quod potius conuincit nostrum propositum, finis autem propriè loquendo tam definitionis, quàm ipsius demonstrationis est ipsemet intellectus rem penitùs comprehendere volens, assumensquè ad hoc omnes tres modi sciendi species, vt subordinata instrumenta.

Præterea retorqueri posset argumentum; quia etiam ad definitionem ordinantur secunda & tertia operatio: inuestigatur enim definitio resolutione, diuisione, demonstratione,

quia,

quia, & alijs modis, vt dicemus: quæ operationes potiori iure media dici possent; quia solùm definitionis naturam inuestigare prętendunt, quod non potest dici de ipsa definitione respectu demostrationis, sed quod primariò intendat naturam rei exprimere; quia est potissima ratio obiecti cognoscibilis, & secundariò alia attributa & proprietates, influens in demonstrationem earum.

Ex quo etiam responderi potest ad rationem partis, quæ obijcitur definitioni, prætterquàmquod enim ipsa vt definitiò & prima operatio est, non habet rationem partis, sed causæ (nam simplex apprehensio non componit realiter propositionem, quæ simplex qualitas est; vt dicemus,) admisso tamen casu, non componit primariò propositionem, sed secundariò, vt dictum est.

Ad tertium iam dixi, definitionem esse manifestatiuam rei ignotæ per causam formalem & intrinsecam; quod autem additur, seipsam tueri non posse contra negantes, nisi alijs operationibus probetur, hoc idem habet conclusio demonstratiua, quæ si negetur, vt sæpè fit, probari non potest se ipsa, sed præmissis, & resolutione vsque ad prima principia indemonstrabilia, quinimo & ipsa prima principia, si negentur, vt solet, non possunt tueri se ipsa, sed inductione, demonstratione *quia*, authoritate, & alijs modis probantur.

Ad quartum respondeo, substantiam in demõstratione *propter quid*, intrare solùm vt materiale obiectum, proprietatem verò solum vt formale; in demonstratione vero *quia*, consideratur substantia solùm quantùm ad *an est*, & non per causas, sed per illius effectus, vt dixi, ideoque est ignobilior multò ex hoc capite.

QVAESTIO III.

Quotuplex, & qualis debeat esse legitima definitio formalis?

ARTIC. I.

Quotuplex sit?

PRimo diuidi solet definitio in definitionem *quid rei*, & *quid nominis*, quam affert Arist. 2. *post. tex.* 9. *&* 44. Definitio *quid rei* est illa, quæ rei naturam, vel proprietatem declarat. Definitio vero, *quid nominis* est, quæ nominis vim & significationem exponit, relin-

quens rem significatam per nomen ita obscuram sicut antea. Sed dupliciter intelligi potest orationem aliquã explicare significationem nominis. Vel quia explicat essentiam, aut proprietatem talis significationis, aut nominis significatiui, & sic non distinguitur à definitione *quid rei*, vt supra notaui, aduertendo per particulam *rem*, intelligi etiam voces & cõceptus, prout sunt quædam res. Vel talis definitio explicat ethimologiam nominis, aut translationem illius in aliud idioma, vel in aliud clarius nomen eiusdem linguæ, vt si dicas: *Theologus est vir loquens, aut tractans de Deo*; & in hoc secundo sensu accipitur hic definitio *quid nominis*, & non est propriè definitio neque species modi sciendi, vt notat Themistius, *c.* 12. qua ratione illa omissa, & diuersis speciebus illius, quæ ad logicam nihil referunt.

Definitio *quid rei*, prima sui partitione diuidi potest in essentialem, aut quidditatiuam; quæ essentiam explicat, aut quidditatem rei per sua prædicata essentialia, & in accidentalem, seu descriptiuam, quæ tantùm rei proprietates exponit; vt quando definitur homo, quod *sit animal admiratiuum, vel risibile*. Vel quãdo exprimit multa accidentia communia, quæ omnia simul vnita conueniunt soli definito: quomodo Plato hominem definiebat *esse animal implume, bipes, magni cerebri*. Vel vt alij, *est animal habens caput sursum cælum respiciens, & pedes deorsum, mansuetus & liber, admiratiuus, & risibilis*; quæ, & similes imperfectæ definitiones sunt, & à legibus, & conditionibus rigorosæ deficientes.

Definitio item essentialis alia est physica, & alia metaphysica. Physica est, quæ explicat partes essentiales physicas, ex quibus physicè, & realiter componitur res definita: vt quando definititur homo, *quod sit compositum quoddam ex anima rationali, & corpore inter se vnitis*. Definitio vero essentialis methaphysica est, quæ gradus, seu prædicata essentialia declarat, ex quibus metaphysicè tantùm componitur essentia alicuius rei; rationem. s. genericam & differentialem, ex quibus quælibet species, quæ definitur, constare debet; vt si definias hominem, quod *sit animal rationale*, & hæc est perfectissima omnium, quæ omnes seruat proprietates, & conditiones, quas logica postulat ad optimam definitionem.

Alia tertia species definitionis addi solet duabus præcedentibus, quæ dicitur definitio causalis, immeritò tamẽ meo videri, & sine vlla necessitate; quia

sine

sine illa diuisio posita est adæquata. Probatur; quia definitio causalis, vel ideo sic dicitur, quia explicat causas intrinsecas rei definitæ, materialem.s.& formalem, & sic erit definitio essentialis physica. Aut exprimit causas extrinsecas.s.efficientem, finalē, & exemplarem; & tunc attendendus est ordo, quem dicit definitum ad has causas, & explicari intenditur per has definitiones, Si enim hic ordo est essentialis definitio essentialis erit; vt quando definitur actus vitalis, vel actus liber per ordinem ad suum principium, aut obiectū, quod respicit essentialiter vt finem. Si verò accidentalis sit talis ordo, definitio erit accidentalis.

Solùm ex cogitari posset tertia alia species, emminenter continens duas differentias explicatas.s. definitio, quæ sit partim essentialis, & partim accidentalis, ex eo quod non solùm essentiam, sed etiam proprietates exprimat alicuius rei; *homo est animal rationale mortale*; sed talis definitio ad essentialem reduci potest, sumpta denominatione ab obiecto præcipuo, quod est essentia rei.



ARTIC. II.

Quas conditiones habeat definitio quatenùs est modus sciendi, & cum demonstratione conueniens?

DEniquè circa tertiū punctum quæstionis aliquæ proprietates, vel conditiones possūt de definitione demonstrari, quæ deseruient nobis vt regulæ ad illā rectè construendam, & ad constructā examinandam, an bona sit? Duo genera conditionum possumus in in ea considerare. Primū est earum, quæ sunt illi communes cū demonstratione, & conueniunt definitioni, quatenùs est modus sciendi precisè. Secundū est earum, quæ illi cōueniunt, vt talis modus sciendi est.s.definitio.

Primò ergo incipiens à conditionibus primi generis, sicut demonstratio debet procedere ex veris principijs, ita definitio debet constare ex veris partibus rei definitæ. Secundò definitio debet esse ex primis, & immediatis, nam partes definitionis perfectæ debēt esse indemostrabiles, & præterea immediatè cognitæ, aut ex immediatè cognitis ortæ, hoc est, debent genus proximum & diffe-

rentia, vel esse immediatè cognita, quia illorum non datur alia definitio: aut certè cognita ex his, quæ sunt immediata, saltem ex genere supremo, quod propriè definiri non potest; sicut contingit in principijs demonstrationis, quod debent esse immediatè cognita absquè discursu, vel resolubilia in principia immediata, & indemõstrabilia.

Tertiò debet cõstare ex prioribus, quia partes definitionis debent esse priores cognitione, quàm res definita, & omnia genera ab infimo vsque ad supremum, habent prioritatem rationis, vel subsistendi consequentia. Ex quo quarto colligitur, quod debeat esse ex notioribus: nam eo ipso, quod partes præcognitæ mouent, & ducunt intellectũ ad cognitionem definitiuam, debẽt esse illa notiores; nam propter quod & vnũ quodque tale, illud magis. Quintò debet esse ex caussis rei definitæ: scire enim est rem per causam cognoscere & causę definitionis sunt materia & forma metaphysica, quæ causæ intrinsecæ sunt.

Sextò debet esse ex proprijs. s. ex propria rei differentia, & ex genere primo appropriato, & contracto per illam. Septimò debet esse ex necessarijs, quæ nõ possint aliter se habere, quod postulat certitudo, & infallibilitas scientiæ: nihil autem magis necessarium, quam partes essentiales. Octauò debent esse de omni, idest, ea quæ ingrediuntur definitionem, debent conuenire omni definito. Nonò debent partes definitionis conuenire definito perse in primò modo dicendi, quia sunt de essentia & definitione illius. Decimò vna pars debet esse prima respectu definiti, ita vt conueniat illi, quatenùs tale est, vel secundùm quod ipsum. Huiusmodi est differentia, per quam definitũ constituitur in esse talis, & differt ab omni alio. Rationale, v.g. dicitur conuenire primò homini secundùm quod homo est, quia statim ac intelligitur rationalitas, quod primò intelligitur est homo, & licet in homine alia sint prædicata generica priora, nõ cõueniunt illi secũdùm quod ipsum. s. in quantùm homo; sed in quantùm animal, aut viuens, vel corpus, &c.

ARTIC. III.

Explicantur conditiones definitionis, prout definitio est, & à demonstratione distincta.

Prima proprietas est, quod definito sit clarior suo definitio. Probatur: nam definitio ad hoc solùm instituta est,

vt

ssarium, quam partes essen-
s. Octauò debent esse de
ni, idest, ea quæ ingrediuntur
nitionem, debent conuenire
ni definito. Nonò debent
tes definitionis conuenire de
ito per se in primò modo
cendi, quia sunt de essen-
a & definitione illius. Deci-
iò vna pars debet esse prima
espectu definiti, ita vt conue-
iat illi, quatenùs tale est, vel se-
undùm quod ipsum. Huiusmo-
di est differentia, per quam defi-
nitú constituitur in esse talis, &
d ffert ab omni alio. Rationale,
v.g. dicitur conuenire primò ho
mini secundùm quod homo est,
quia statim ac intelligitur ratio
nalitas, quod primò intelligitur
est homo, & licet in homine alia
sint prædicata generica priora,
nō cōueniunt illi secūdùm quod
ipsum, s. in quantùm homo, sed
in quantùm animal, aut viuens,
vel corpus, &c.

ARTIC. III.

Explicantur conditiones definitionis, prout definitio est, & à demonstratione distincta.

PRima proprietas est, quod definitio sit clarior suo definito. Probatur, nam definitio ad hoc solùm instituta est, vt

... tam, & tollat obscuritatē illius: ergo debet esse clarior, aliàs ipsa potius indigeret explicatione, quàm explicaret aliud. v.g. animal rationale clariùs explicat essentiam hominis, quàm homo. Vnde hæc esset vitiosa definitio. *Homo factus est ad imaginem & similitudinē Dei*; quia difficilius est Deum cognosci quàm hominem.

Secūda proprietas est, quod definitio nec sit superflua, nec diminuta. Probatur, quia si superfluit, magis cōfundit, quàm explicat rem definitam; præbetq; occasionē errandi, existimando, s. essentiale id, quod superfluè additur. Si autem aliquid deest illi, non explicat adæquatè essentiam rei. Et eo ipso quod non explicat adæquatè, nihil declarat rei definitæ; quia essentia in indiuisibili consistit, & non potest attingi, nisi vel secundùm totùm, vel secundùm nihil. Vt si dicas. *Homo est animal bipes.*

Præterea declaratur; quia definitio ideo sic dicitur; quia definit, & circumscribit essentiā, sed definitio diminuta non circumscribit totam essentiā, sed vnam tantùm partem illius, superflua verò, vel non circumscribit definitè, & determinatè solam essentiam, sed aliquid amplius, vel si solam essentiam, hoc præstat confusè, vt dictum est.

Tertia cōditio pro definitio-
...

ne essentiali est, quod eius definitú sit species cōposita ex genere, & differētia physica, vel metaphysica. Ex genere inquā immediato, in quo alia genera mediata includantur, & in quo cōueniat definitū cum alijs speciebus; & in differentia, per quam vltimò constituatur in esse talis speciei, & distinguatur ab omni alia; vt videri potest in hac definitione *animal rationale*. *Animal est* genus, in quo cōuenit homo cum leone, equo, & alijs speciebus animalium, & *rationale est* differentia, per quam distinguitur ab omni alia specie, vt ex infra dicendis manifestum fiet.

Ex hac conditione colligitur alia quarta, nimirùm quod bona definitio conueniat omni, & soli definito, & semper, idest, omnibus contentis sub definito, & non alijs à definito, & semper: nam essentia alicuius rei semper debet illi conuenire, aliàs esset accidēs, de cuius ratione est, quod possit adesse, & abesse à subiecto.

Hinc rursus ortum habet quidam communis modus arguendi à definitione ad definitum, vel è contra: est enim optima consequētia; nam quidquid conuenit, vel repugnat definitioni obiectiuæ, conuenit, vel repugnat definito. Etenim reciprocatur, & cōuertuntur omnino. Benè valet. *Est homo ergo est animal rationale, & è contra.*

Mul-

multa alia, quæ de definitione poſſunt deſiderari, poſtulant ſequentes ſectiones in quibus de illius obiecto fusè dicẽdum, & ſolùm pro nũc eſt aduertendum quomodo aliquis reſpondere, & interrogare in definitionibus debeat. Interroganti enim, quid ſit definitum. v.g. homo? Reſponderi debet per definitionem eſſentialem phyſicam, vel metaphyſicam. s. *eſt animal rationale*. Si autem inquiratur, qualis ſit homo? Definitione accidentali, ſeu deſcriptiua illi ſatisfieri debet. Nempe *eſt riſibilis, &c.* Si interrogetur ex quo ſit? Per definitionem explicantem eius materiam. Si à quo ſit? Per cauſam efficiẽtem. Et ſi propter quid ſit, per cauſam finalem, id eſt, propter beatitudinem.

QVAESTIO. IIII.

Quænam ſit diuiſio, & an ſit modus ſciẽdi à definitione diſtinctus?

NOn potuit de diuiſione propria diſputatio inſtitui, ob materiam ſufficientem, & propriam aliàs habebat; quia eius doctrinam alijs aliarum diſputationum inſerere neceſſum fuit: eſt enim ſpecies modi ſciendi alijs operibus maximè neceſſaria, ideoquè differri non potuit ad proprium, & diſtinctum locum: nam multa de illa dicere, opus fuit tractando de diſtinctionibus rationis; multa etiam tractatu de vniuerſalibus, & dicemus in ſequentibus, cum de diuiſione totius potentialis in ſua inferiora ſit ſermo, nunc ſolùm, quæ in alijs locis tractanda non ſunt, breuiter exponam.

ARTIC. I.

Quid ſit diuiſio, & an ſit propria modi ſciendi ſpecies?

DIuiſio in communi ſic definitur: *Eſt oratio totum in ſuas partes diſtribuens*, omitto nunc diuiſionem nominis in varias ſignificationes illius; quæ impropriè valde diuiſio appellatur, tantùm rei definio diuiſionem. Huic ergo negari poſſet ratio modi ſciendi; tùm quia Ariſtoteles, & eius diſcipuli illius mentionem non faciunt, ſed tantùm definitionis, & demonſtrationis. Tùm etiam, quia non tàm explicat quid ſit res, quàm quid non ſit.

Sed communis ferè omnium ſenten-

maximè necessaria, ideoquè differri non potuit ad proprium, & distinctum locum: nam multa de illa dicere, opus fuit tractando de distinctionibus rationis; multa etiam tractatu de vniuersalibus, & dicemus in sequentibus, cum de diuisione totius potentialis in sua inferiora fit sermo, nunc solùm, quæ in alijs locis tractanda non sunt, breuiter exponam.

ARTIC. I.

Quid sit diuisio, & an sit propria modi sciendi species?

DIuisio in communi sic definitur: *Est oratio totum in suas partes distribuens*, omitto nunc diuisionem nominis in varias significationes illius; quæ impropriè valde diuisio appellatur, tantùm rei definio diuisionem. Huic ergo negari posset ratio modi sciendi; tùm quia Aristoteles, & eius discipuli illius mentionem non faciunt, sed tantùm definitionis, & demonstrationis. Tùm etiam, quia non tàm explicat quid sit res, quàm quid non sit.

Sed communis ferè omnium senten-

finitionem, diuisionem, & argumentationem distribuit, tenet ergo eam ita propriè modum sciendi esse, sicut duas alias species. Quod autem de ea tàm Aristoteles, quam cæteri propriam disputationem non faciant, non est quia negent illi modi sciendi rationem, sed quia eius doctrina coniungitur, vt dixi, cum alijs aliarum operationum propter eius necessitatem: quia semper intellectus humanus in suis operibus modo compositiuo, & diuisiuo procedit. in Summulis autem, quas Logicæ compendium dicunt, semper de diuisione, post tractatum definitionis agunt.

Quod autem tàm ratio generica, quã specifica modi sciendi proprisimè illi conueniat, sic declaro: quia tantò magis res aliqua cõfusè cognoscitur, quã tò minùs distinctè, & determinatè eius ratio penetratur, & è conuerso, tantò clariùs, quantò magis explicitè, & in particulari, & minùs in communi, & indistinctè eius esse percipitur, sed intellectus humanus ob suam limitationem non potest rem vnico actu, quoad omnem eius perfectionem clarè determinatè, & in particulari exprimere, sicut præstat pluribus actibus eam concipiendo per partes: ergo diuisio rei in suas partes per actus nostros est ratio illam cla-

intellectui: est igitur verè, & propriè modus sciendi. Minor satis repetita est quæstione de distinctione rationis.

1. Et patet experientia: nam omnis cognitio incomplexa siuè vniuersalis, siuè particularis, dum non descendit ad eius partes, est valde confusa, nec potest intellectus noster vnico actu plura nisi obscurè cognoscere, ideoquè in hoc distinguitur ab Angelico, quod semper modo compositiuo, & diuisiuo procedit, prolixa vtens quasi masticatione ad digestionem obiecti, quod Angelus vnico oris ictu deglutit, tantò paucioribus indigens ad intelligendum, quantò perfectior homine est.

Hinc rem confusè, & indistinctè cognitam, diuisum appellare solemus; & ipsam vt clarè, & in particulari quoad omnes eius partes expressam, diuisionem obiectiuam; partesquè eius membra diuidentia dicimus, & actus, quibus taliter explicatur, diuisionem formalem, sicut proportionaliter de definitione tàm formali, quàm obiectiua, & de eius definito dici solet.

Ex quo tandem patet solutio ad secũdùm qđ obijciebatur initio articuli: s. diuisione non tàm explicari quid sit, quàm quid non sit res: nam potiùs diuisione partium, quibus intrinsecè,

secè, & quidditatiuè res constituitur, maximè eius essentia manifestatur.

Quinimo difficiliùs obijceretur, diuisionem non differre à definitione, quæ rei essentiam non aliter, quam per suas partes explicat, per genus. s. rei & differentiam; nec solùm distinctionem partium definiti inter se, verùm etiam ipsius rei definitæ ab alijs discrimen manifestat. Deniquè de quauis alia specie modi sciendi obijci potest: nam eo ipso quod oratio sit, pluribus conceptibus manifestans ignotum, eam per partes subiectum, s. & prædicatum, ostendere debet; ergo diuisio non est species sciendi ab alijs distincta, præsertim à definitione, quæ rei differentiam precipuè considerat. Sed antequam hanc difficultatem examinemus, priùs, quotuplex sit diuisio, declarare opportet, hoc enim secundò, primum magis elucidabitur. sit ergo.

ARTIC. II.

Quotuplex sit diuisio?

Duplex est totùm. Aliud actuale, quod ex partibus coalescit actu illud componẽtibus, aliud vniuersale seu potentiale, quod diuiditur in inferiora, de quibus prædicatur, quæ propter hoc dicuntur partes subiectiuę, vel partes subiecti, de quibus totùm prędicatur. Dicuntur etiam partes potestatiuæ; quia omne vniuersale cõtinet sua inferiora in potentia, seu indeterminatè: animal. v. g. diuiditur in hominem, equum, & leonem, nullam tamen aliarum specierum actu, & determinatè dicit; aliàs quando prædicatur de homine, simul ratio equi, & leonis de illo diceretur, sed de hoc lariùs disputatione sequenti, cum rationem totius potentialis explicemus. Iuxta hoc ergo duplex genus totius, duplex est diuisio. s. totius in partes actuales, & in partes potentiales.

Rursus diuisio actualis alia est integralis, quæ in partes quãtitatiuas totùm distribuit, vt si dicas: hominis alia pars est caput, alia manus alia pedes, &c. Alia est diuisio essentialis, quæ partes tantùm essentiales exprimit. Quę rursus duplex est. Alia physica, qua homo, v. g. in corpus, & animam, & quodlibet aliud compositum in materiam, & formam realiter ac physicè distinctas, resoluitur. Alia est metaphysica, seu logica, quæ tantùm conceptus obiectiuos inadæquatos rei manifestat, genus. s. & differentiam; subiectũ, & prędicatum, quibus tanquã partibus actualibus ratione distinctis obiectum nostro modo concipiendi componitur. Ad hanc reducitur etiam diuisio indi-

differentiam indiuidualem: &
diuisio rei in essentiam, & existentiam, vel in quoslibet alios conceptus inadæquatos, omnes enim subiecta, vel prædicata sunt respectu diuisi.

Rursus diuisio potentialis, vel totius vniuersalis est duplex. Alia per se essentialis. Alia est accidentalis, seu per accidés. Diuisio per se, alia est totius analogi in membra se totis differentia, quomodo ens diuiditur in decem prædicamenta, vt infra dicemus, & principium diuiditur in causam, in cor, punctum, & fontem. Alia est diuisio totius vniuoci in sua inferiora: genus. v. g. diuiditur in suas species; species in sua indiuidua: differentia similiter in inferiora speciei, quàm constituit, vt si dicas: sensibile aliud homo, aliud brutum; rationale aliud Petrus, aliud Ioannes, &c.

Diuisio per accidens est, cuius membra diuidentia sunt extra essentiam diuisi, & non partes per se illius, quæ triplex est. Prima est diuisio subiecti in accidentia, quando s. subiectum aliquod diuiditur in varia concreta accidentalia, homo. v.g. in album, & nigrum. Secunda est è contra, qua accidens in varia illius subiecta diuiditur, vt si dicas: album aliud nix, aliud lab. Tertia est diuisio accidentis in accidentia, quando s. membra diuid. [illegible] communi subiecto; prout constituto, aut inducto aliquo accidente, quod simul cum subiecto diuiditur, vt si dicas: album aliud dulce, aliud amarú, ecce mébra diuidétia accidunt subiecto habenti albedinem. Similiter Poeta alius musicus, alius pictor.

ARTIC. III.

In quas partes diuidatur totum potentiale?

DVbium esse potest circa diuisionem totius vniuersalis; an fiat in sua inferiora adæquatè considerata, vel in solas differentias suorum inferiorum? V.g. animal, an diuidatur per hominem, & brutum, ita vt homo, & brutum ratione sui sint partes potestatiuæ illius, an verò per rationale, & irrationale? Idemque dico de specie homo, an diuidatur in Petrum, & Paulum, vel indifferentias indiuiduales ipsorum?

Ratio dubitandi esse potest; quia genus. v. g. non diuiditur in se ipsum; neque ipsum potest esse pars sui ipsius, sed si diuideretur in species ratione sui, & adæquatè conceptas, diuideretur genus in se ipsum, & esset pars sui ipsius: ergo non in species, sed in solas differentias tāquàm in partes

tes

tes, diuiditur. Minor in qua est difficultas, probatur: quia species non aliud continet, quã genus, & differentiam; si ergo diuiditur in species, diuiditur iam in se ipsum, quod esse falsum declaratur amplius: nam membra diuidentia debent esse opposita, vel distincta aliquo modo, sed species quantùm ad rationem genericam non opponuntur, sed solùm quoad rationes differentiales, ergo solùm differentiæ diuidunt, & sunt partes generis, non species. Idemq; dico de differẽtijs induidualibus.

Neque obstat communis modus loquendi etiam species ipsas enumerans inter partes generi subiectiuas; quia denominatiuè sic dici possunt ratione differentiarum, quas includunt, non verò ratione sui, in quantùm species reduplicatiuè sunt.

Confirmatur deniquè ex ratione totius actualis, quod adęquatè non includitur in qualibet sui parte, sed in omnibus simul, homo. v. g. non est solùm corpus, nec sola anima, nec solùm animal, vel rationale, aut in illis adæquatè inclusum, alioquin pars toto esset æqualis, vel maior; ergo totum potentiale non potest similiter in suis partibus adæquatè contineri: sed in speciebus totùm genericum adæquatè includitur, non in differẽtijs; ergo species nõ sunt partes potestatiuæ illius, sed tantùm differentiæ.

Resoluitur difficultas.

Nihilominùs dicendum est, genus immediatè diuidi in species completas, & speciem similiter in indiuidua tanquàm in partes. Docet ita communis sententia, quæ sinistrè interpretatur de partibus denominatiuè, vt colligitur ex rationibus, eiusdem communis sententiæ. Prima est quia partes generis nõ sunt formaliter differentiæ, sed species, & tantùm ratione specierum differentiæ: ergo genus in species, & non in differentias per se diuiditur. Probatur antecedens, quia partes generis, non sunt actuales, sed potestatiuæ, aut subiectiuæ, id est partes subiecti, de quo prædicatur genus, sed species sunt, quæ subijciuntur generi, non differentiæ, sicut & indiuidua subijciuntur speciei: ergo species sunt partes generis, & indiuidua partes speciei. Minor probatur, nam sola species definitur, quod sit subijcibilis generi, & de differentia dicemus infra, non subijci, sed prædicari de genere, & non quidditatiuè, sed denominatiuè tantùm ad modum accidentis de subiecto, ergo non est pars diuidens genus, sed forma afficiens illud, vt subiectum, de quo accidentaliter prędicatur; vnde sicut album,

album, & nigrum diuidunt hominē, ita rationale, & irrationale diuidunt animal.

Confirmatur hoc primò, quia ratio totiùs potentialis, seu vniuersalis cōsistit in hoc, q̄ indeterminatè, & indistinctè contineat sua inferiora, sed vniuersale non solùm continet indeterminatè differentias specificas, aut indiuiduales, sed etiā species completas, & indiuidua, vt docet clarè S. Th. *opusc. de ente, & essentia, c. 3. & 4.* Alioquin, vt inquit S. Doctor, genus non esset prędicabile directè, & per se de specie, si illam secundùm se totam non contineret, quia pars non potest prædicari de toto, nec de alia comparte, quod latiùs declarabimus, *disp. sequenti sect. 1.* ergo species, & non differentiæ sunt per se partes generis.

Cōfirmatur ampliùs secūdo, quia conceptus vniuersalis non est aliud, quàm confusa notitia inferiorū, & diuisio vniuersalis in suas species, vel indiuidua, est quædam explicatio, seu determinatio conceptus obiectiui confusi, ergo diuisio terminatur non solùm ad differētias, sed etiam ad ipsum conceptum genericum, per differentias contractum, & diuisum. Antecedens satis declaratum est, tractando de vniuersali in communi, *disp. 1. sect. 4. q. 5. art. 6.*

Denique vniuersale (vt non semel diximus, *quæstione illa 5.*) descendit ad sua inferiora cum diuisione reali sui ipsius, amittens suam vnitatem, & pluralitatem ratione differentiarum acquirēs, propter quod natura Diuina, etsi communis tribus personis sit, defectu huius diuisionis sui ipsius in illis, logica vniuersalitate caret; ergo non solùm differentię, sed etiam species ipsam naturam vniuersalem genericam includentes, sunt partes, & membra, in quæ ipsum genus diuiditur. Quod amplius solutione argumentorum declarabitur.

Satisfit argumentis oppositis.

Ad rationem dubitandi respondetur, quod licet genus prout confusè cognitum, seu abstractum, sit vnum, & non diuisum, prout tamen contrahitur per differentias, & descendit ad sua inferiora, amittit vnitatem illam confusam, quàm habet in statu abstractionis, & diuiditur realiter, ita vt distincta realiter animalitas sit in homine, ac in bruto. Quinimo ex hoc fundamentum sumpsit intellectus ad rationem illam, vt multis communem consideran lam. s. ex similitudine, quàm animaduertit habere species, non in differentijs, in quibus potiùs dissimiles sunt, sed in ratione communi animalis, quàm in ipsis diuisam,

&

& multiplicatam cernit, & per abstractionem à differentijs vnam efficit.

Ex quo patet rursus, quod genus prout contractũ est pars sui ipsius, prout abstractum actum, & quod ipsum est, quod diuiditur, licet per differentias. Quinimo ex hoc sumitur, alia non minus efficax ratio pro cõclusione; quia genus est totùm ipsum, quod diuidi opportet in partes illi intrinsecas, sed differentiæ sunt extrinsecæ generi, & solùm species illi extrinsecæ, ergo solùm species sunt partes generis. Maior probatur: quia totũ est, quod ex partibus aliquo modo intrinsecis componitur, & intrinsecè coalescit, vt patet ex ratione totius actualis, à quo non differt totùm potentiale, nisi in hoc, quod partes continet confusè, & indeterminatè ceterùm intrinsecè; aliàs ipsum non esset diuisum, nec in partes distinctas resolubile; causalitas enim partis à nullo extrinseco, etiã potentia Dei absoluta suppleri potest.

Ad primam confirmationem fateor, species non opponi in ratione generica prout abstracta, opponuntur tamen in ipsa, vt contracta per differentias; nam, vt dixi, totùm vniuersale, quod in statu abstractionis est vnum, & indiuisum; in statu contractionis diuiditur, non solùm quoad rationes differẽtuales, sed etiam quoad illam, quæ per intellectum abstrahentem fiebat vna, & communis.

Ad vltimam confirmationem respondeo, potiùs retorqueri posse in contrariam sententiam: nam sicut totum actuale intrinsecè diuiditur, & constituitur ex suis partibus, ita genus per suas species, & non per differentias, vt explicatum est. Et quando obijcis, quod sicut totùm actuale non clauditur adæquatè in quauis sui parte, sed in omnibus simul ita opportebat totùm potentiale.

Respondeò, hanc etiam paritatem seruari inter vtrumque totùm; nam genus reduplicatiuè, vt totùm potentiale, & vniuersale est, non includitur, vel conuertitur cum qualibet sui specie, sed cum omnibus simul: solùm realiter, vel materialiter est in qualibet totaliter, hoc est, quoad naturam, quæ est fundamentum vniuersalitatis, non verò quoad vniuersalitatem, secundùm quàm totùm potentiale dicitur.



AR-

ARTIC. IIII.

An diuiſio logica ſit diuerſa ſpecies modi ſciendi à definitione, & cæteris?

SEd adhuc vrget difficultas in fine articuli ſecundi poſita: ſi definitio rei eſſentiã per partes manifeſtat; per genus.s.& differentiam; propoſitio ſimiliter, & demonſtratio per ſuum ſubiectum, & prædicatũ, quia vniuerſaliter omnis doctrina intellectus humani modo cõpoſitiuo, & diuiſiuo procedit, ſequitur manifeſtè diuiſionem ſpeciem diſtinctam non eſſe, ſed potiùs rationem quandam cõmunem aliarum.

Dicendum tamen, diuiſionem eſſe modum ſciendi ſpecie diuerſum à definitione compoſitione, ac demonſtratione intellect⁹, quidquid de hac re Fõſeca. *1.inſtit.dialect. c.4.* & alij iuniores dicant. Noſtrum aſſertum docet communis ſententia ſemper enumerans tres ſpecies modi ſciendi diuerſas, & ſecundam diuiſionem appellans, vt videre etiam eſt apud conimbricẽſes, qui hanc ſententiam tuentur, *q.6.prohem art.1.*

Ad cuius probationẽ aduerto, dupliciter intellectum attingere diuiſionem rationis. Vel indirectè, vt rationem ab qua; quando. s. rem concipit inadæquatis conceptibus, ex quibus reſultat diuiſio obiectiua in ratione, licet intellectus rem diuiſam non iudicet, vt dixi de diſtinctione rationis in communi, vel ſecundò directè ipſam diuiſionem conſiderans, vt obiectũ quod primariò terminans talem actum. Primò ergo modo non differt à definitione, cæteriſque operibus logicis, ſed eſt quædam ratio communis tranſcendens illa, vt docet, & conuincit argumentum poſitum, & ſecundò modo eſt ſpecies modi ſciendi diſtincta.

Probatur: quia actus non ſumũt denominationẽ, & ſpeciem niſi ab obiecto primariò directè ac per ſe intento: ergo ſolùm actus, qui diuiſionem ſui obiecti per ſe, ac primariò conſiderat, vel intendit, diuiſio dicitur, ſecùs verò ille, qui tantùm indirectè eam reſpicit, vt rationem ſub qua. Tunc ſic: ſed definitio, & quilibet alius actus, qui eſt prima intentio, reſpicit indirectè ſolùm, & per reſultantiam diuiſionem obiectiuam rationis, & primariò, & directè ſolam rei quidditatem, ergo nõ eſt idem, quod diuiſio, ſed vterquè ſpecies diſtincta. Probatur antecedens duplicis diſcurſus, quia definitio hęc *animal rationale* nihil affir-

affirmat de distinctione rationis inter animal, & rationale, sed tātùm prædicata essentialia hominis per se intendit, distinctio autem illa obiectiuè resultat, & est ratio sub qua intellectus cōsiderat prædicata realia, vt latiùs loco citato exposui, idemq; de enuntiatione compositiua, & demonstratione cum proportione dico.

Confirmatur, quia propter hoc definitio, vel enuntiatio prima intentio dicitur, licet prædicata rationis generis, & differentiæ, vel subiecti, & prædicati respiciat; quia nimirum, indirectè, & vt rationem sub qua hæc prædicata attingit, & primariò, & directè naturas, & attributa realia; è contra verò conceptus reflexus generis, vel speciei, subiecti, vel prædicati dicuntur secundæ intentiones formales, licet etiam naturas reales respiciant, quia eas materialiter, & secundariò, & prædicata rationis directè & principaliter attingunt; ergo eâdem ratione solùm ille actus dicetur diuisio, peculiaris species modi sciēdi, quæ directè, & primariò ipsam obiecti diuisionem considerat, licet materialiter essentia diuisa explicetur, & ille actus erit definitio, vel enūtiatio, quę essentiam, vel attributa directè intendit, licet diuisio rationis ex ea sic cognita, indirectè, & secundariò resultet.

Secundò principaliter probatur, quia diuisio inter partes rei deffinitæ supponitur ante definitionem tanquàm præcognitio, sicut simplex apprehensio subiecti & prædicati supponitur ante enuntiationem, simili modo, vt latè dixi supra, ergo sicut simplex apprehensio subiecti, & prædicati, sunt actus distincti ab enuntiatione, & pertinent ad primam mentis operationem, non obstante, quòd in ipsa enuntiatione, quæ subiecto constat, & prædicato, alio modo speciali videantur includi, & rationem simplicis apprehensionis amittere, ita proportionaliter diuisio inter genus, & differentiam potest antecedere, vt præcognitio à definitione diuersa, & ad solam diuisionem, horum prædicatorum per se ac directè terminata, & potest etiam alio modo indirectò iam explicato in ipsa definitione includi, & consequenter denominationem, & speciem diuisionis amittere; quod exemplum est valde notandum ad huius explicationem.

Quid de diuisione totius vniuersalis?

Denique, si sermo sit de diuisione totius potentialis in suas partes subiectiuas, solùm potest esse difficultas de diuisione generis in suas differentias; nam diuisio

definitionem tanquàm præcognitio, sicut simplex apprehensio subiecti & prędicati supponuntur ante enuntiationem: simili modo, vt latè dixi supra, ergo sicut simplex apprehensio subiecti, & prædicati, sunt actus distincti ab enuntiatione, & pertinent ad primam mentis operationem, non obstante, quod in ipsa enunciatione, quæ subiecto constat, & prædicato, alio modo speciali videantur includi, & rationem simplicis apprehensionis amittere, ita proportionaliter dibisio inter genus, & differentiam potest antecedere, vt præcognitio à definitione diuersa, & ad solam diuisionem horum prædicatorum per se ac directè terminata, & potest etiam alio modo indirectò iam explicato in ipsa definitione includi, & consequenter denominationem, & speciem diuisionis amittere, quod exemplum est valde notandum ad huius explicationem.

Quid de diuisione totius vniuersalis?

Denique, si sermo sit de diuisione totius potentialis in suas partes subiectiuas, solùm potest esse difficultas de diuisione generis in suas differentias; nam diuisio

... sermo de diuisione per accidens, satis est exponere voces. Vt si dicas: *homo alius albus*, *alius niger*: absque eo, quod tàm diuisum, quàm membra diuidentia definiantur.

Ad diuisionem ergo generis rediens, hæc potest fieri, & debet per species completas, vt dixi, & sic etiam saluatur absquè definitione vlla, vt si dicas; *animal aliud homo*, *aliud brutum*, *& brutum*, *aliud equs*, *aliud leo*, *&c.* Potest autem secundo modo per differentias solas fieri, vt si dicas: *Animal aliud rationale*, *aliud irrationale*, & sic præterquamquod non est diuisio per se, sed tantùm per accidens ad modum subiecti in accidentia; nam differentiæ denominatiuè tantùm de genere dicuntur vt dixi articulo præcedẽti. Duplex illa definitio: *animal aliud rationale*, *aliud irrationale*, nõ sunt definitio diuisi, quod est animal; nec membrorum diuidentium (vt aliqui dicunt) quæ in hac diuisione sunt solæ differentiæ, sed tantùm sunt duplex definitio specierum, quæ ad hanc diuisionem non pertinent; & quando pertinerẽt, hoc esset per accidens coincidere in aliquo indiuiduo vtramquè formalitatem specificã modi sciendi, definitionis.s. & diuisionis, quod non tolleret, quod per se tur, & in casu hoc vnico etiam, vt visum est.

Proponitur, & soluitur obiectio.

Dices: definitio directè explicat differẽtiam rei definitæ ab alijs, & consequenter diuisionem, nã omnis definitio ex genere constat, & differentia illius, ergo est formalis diuisio, licet è cõtra nõ omnis diuisio sit formalis definitio. Neque obstat, quod definitio solùm respectu speciei; & non respectu generis diuisi, definitio dicatur, satis enim est, quod idem actus vtrũquè faciat, & quod diuidat genus per differẽtiam illius, quàm directè importat, & quod simul speciem definiat, propter coniunctionem generis diuisi cum sua differentia.

Nihilominùs longè probabilius est definitionem, & diuisionem esse species omnino distinctas, & non se habere, vt subalternam, & infimam alteri subordinatam, sic enim eas explicat communis sententia eo ipso, quod absolutè diuidit modũ sciendi in tres illas species: nam membra diuidentia debent esse opposita, ita vt vnum sub alio non contineatur in bona diuisione.

Ad argumentum verò respõdeo; definitionem non conside-

rare directè genus, vt totùm vniuersale, nec vt diuisum in plures species, nec differentiam, vt diuisiuam generis, hæc enim, vel considerantur directè ante definitionem, vel post illam per reflexionem intellect: respectu verò definitionis. solùm indirectè se habent, vt rationes, sub quibus prædicata realia considerantur. Definitio v.g. hominis directè, & primariò considerat tantùm animalitatem realem, nihil cogitãs de communitate, & diuisibilitate illius respectu aliarum specierum, similiter differentiam non considerat, vt diuisiuam generis, sed vt distinguentem realiter physicè humanam speciẽ ab alijs, ac si differrent se totis: quomodo non est diuisio Logica, sed Physica: quia non est diuisio alicuius totiùs actualis, vel potentialis in partes ratione distinctas, sed est diuisio realis inter duo entia totalia. Vnde solùm indirectè (vt dixi) aut virtualiter definitio dici potest diuisio.

Pręterea definitio vnam tantùm partem explicat rei diuisæ, diuisio autem Logica debet distribuere adęquatè totùm in omnes suas partes, vt sequenti articulo dicam. Quod si ad hanc adæquatam diuisionem definitiones omnium partium congerere velis, efficerent iam vnum aggregatum per accidens, diuisio autem, & quælibet modi sciendi species est ens per se.

Dubium incidens.

Rogas tandem ad quam intellectus operationẽ diuisio pertineat? Respõdeò breuiter quod licet in omnibus aliquo modo exerceri posset, tamen per se, & ratione sui ad secundam solùm pertinet: nam duplici enuntiatione, vel triplici iuxta membra diuidẽtia, eã explicare solemus, dicentes: *Animal aliud est rationale, & aliud irrationale.* Et licet non vtamur particula *est*, eam subintelligimus. Patet ex cõmuni sententia, quæ diuisionẽ semper inter definitionem ponit, & demonstrationem. Quando autem talis diuisio probatur, & in syllogismo vt cõclusio infertur; cùm. s. probamus species modi sciendi tres esse, & non plures nec pauciores, pertinet diuisio ad tertiam intellectus operationem tanquàm ad speciem, in qua emminenter continetur; quia tunc non est sola diuisio, sed etiam discursus, sicut de qualibet alia prima, aut secunda operatione dicemus, in argumentatione tanquàm in specie aliquomodo eminẽtiori includi.

Potest etiam deniquè ad primam pertinere, si simplici modo membra, vt diuisa intellectus apprehendat, non affirmando, vel negando illa esse diuisa. Tũc tamen

tamē erit diuisio imperfecta, & lata, nec merebitur nomen modi sciendi; quia talis suspensio in iudicando de illa, oritur ex incertitudine, & dubitatione, species autem modi sciendi certa debet esse.

ARTIC. V.

Leges bonę diuisionis.

PRima lex bonæ diuisionis est, quod omnia membra diuidentia debeant adæquare diuisum, & singula seorsim minus latè petere quam illud. Vnde non est bona diuisio, qua homo diuiditur in animam rationalem, & personalitatem, quia hæc duo non adęquant hominis substantiam, cum sit etiā corpus alia pars illius, nequè ista: *Animal aliud aereum, & aliud terrestre*; quià non est adęquata diuisio, cum sit etiam animal aquatile.

Secunda regula est, quod diuisum contineat in se omnia mēbra diuidentia, & quod illa participent rationem diuisi. Vnde hæc est mala diuisio: *animal aliud homo, aliud angelus*, quia Angelus non est animal.

Tertia est, quod membra diuidentia debeāt esse opposita, & adæquatè distincta, ita vt vnum sub alio non contineatur. Qua propter hæc est mala diuisio: *Viuens aliud planta, aliud animal, aliud homo*; quia homo sub animali continetur. Similiter, & diuisio animalis in natantia, & alba, vt ait Aristo. *1. de parti. c. 3.* quia non sunt opposita, cum eadem possint simul natantia, & alba esse.

Huic addi solet quarta regula, quod omnia membra eūdem distinctionis modum inter se seruent, ita vt vnum non distinguatur realiter, & alia ratione tantùm; quia ens rationis non facit numerum cum ente reali, ac proinde nec pars realis cum parte rationis. Sed regula hæc est falsa; habet enim contra se plures instantias; communis enim sententia ens diuidit in decem prædicamenta; quorum quædam realiter rigorosè, quædam modaliter, quædam sola ratione differunt. Etiam animæ potentiæ tres dicuntur, & solùm intellectus, & voluntas realiter differunt, memoria verò ab intellectu ratione tantùm. Theologi etiam omnes in Deo ponunt quatuor relationes, cum tamen tres solùm distinguantur realiter, & quarta sola ratione.

Ratio huius est, quia in his, & similibus casibus ens rationis non facit numerum cum ente reali; quia stat bene, quod extrema sint realia, licet eorum distinctio rationis sit, atquè adeò possu-

possumus numerare conceptus, & formalitates in se reales, abstrahendo a modo distinctionis, quem habeant inter se; præsertim quando metaphysicè procedimus ;abstrahendo à numero quantitatiuo, & numerando conceptus, & formalitates obiectiuas, quia tunc intellectus abstrahit ab omni distinctione materiali, & solùm formalem, seu essentialem quærit.

Quarta ergo regula sit, quod diuisio fiat in prima, & immediata membra, vt posśint esse, quàm paucisśima, & vitetur cõfusio, sitquè maior claritas. Vnde malè diuideret quis corpus animatum in hominem, brutum, arboré, herbam, equm, &c. Hæc regula non semper seruari potest, quia sæpè ignorantur differentiæ immediatæ, & proximæ, & in diuisione speciei in indiuidua, cum sint infinita, nunquam potest fieri adæquata diuisio nequè ad pauca mébra reduci, vtimur tamé loco omniũ, duobus, vel tribus, eo quod in omnibus est eadem ratio. In diuisione tamen totius essentialis in partes essentiales siuè actuales, siuè potentiales seruanda semper est regula, quãtùm commodè fieri posśit.

Præterea circa modum arguendi est breuiter obseruandum, quod à diuiso ad vnumquodquè membrum diuidens minimè valet consequentia, nisi exclusis cæteris membris. Non valet: *Est animal, ergo est homo*, valet tamen *est animal, & non equs, nec leo, nec brutum aliud irrationale, ergo est homo*, quæ consequentia dici solet à sufficienti partium enumeratione.

Item non valet consequentia ab vno membro diuidente ad aliud, *est leo ergo homo*, quia sunt opposita; valet tamé à quolibet membro diuidente ad diuisum, si membra partes potentiales sint, v.g. *est homo, ergo est animal*. Secùs verò si partes actuales; nam hæc est falsa: *Est anima rationalis, vel corpus, ergo homo*.

Sed quia hæc ad argumentationem spectant, de illis in disputatione de tertio intellectus opere fusior reddibit sermo.

(¿)

* * *

SEC-

SECTIO II.

De obiecto definitionis.

IAM ergo ad obiectum definitionis regrediens duplex est definitionis obiectum. Aliud proximum & aliud remotum. Primum est res, quæ definitur, non quomodocumquè; sed quatenùs complexè cognoscitur per definitionem formalem; quomodo dicitur definitio obiectiua. Remotum verò est eadem res, quatenùs obscurè, & incomplexè apprehensa, sub qua ratione definitum appellatur, & quia prius apprehenditur, & præcognoscitur confusè, & postea clarè definitur; ideo prior terminatio dicitur remota, & secunda proxima, & immediatior.

Ex quo intelligitur, in quo sensu dicatur communiter definitio non distingui, nec formaliter à suo definito; est enim sermo de definitione non formali, sed obiectiua, & de definito reduplicatiuè, quantùm ad rationem, quæ in eo aliàs per definitionem exprimitur; sic enim clara est identitas inter vtrumque: nam solùm differunt penès diuersos actus, quos eadem res connotat magis, & & minùs clarè illa exprimētes.

Dixi definitum reduplicatiuè sumi debere quantùm ad rationem, quæ aliàs clarè exprimitur; quia solet specificatiuè totum suppositum, vel vt singulare, vel vt existens, & pluribus alijs accidentibus indutum, definitum nuncupari, & sic constat realiter à sua definitione distingui, vel saltem formaliter; quia simplicitas, existentia, & accidentia non cadunt sub definitione, quæ solam rei exprimit quidditatem; priùs ergo de obiecto remoto, seu definito reduplicatiuè erit sermo, postea verò de proximo, & illius partibus.

QVÆSTIO. I.

Quid, & quotuplex sit definitum?

ARTIC. I.

SVppono ex infra dicendis, ens in communi analogicè diuidi in substantiam, & accidens. Substantia est ens simpliciter per se, & in se habens

bens esse; quia est conceptus primarius, qui habetur de aliqua re, accidens verò dicitur entis ens: quia non est aliquid in se habens esse, sed est quædam affectio substantiæ, vel quoddam esse secundarium illius.

Ex quo primò dicendum est; definitione quidditatiua omnino rigorosa, & perfecta solam substantiam posse definiri; accidens verò minimè. Probatur primò ex Aristo. *7. met. c. 4. tex. 12. & sequentibus*. Vbi ex professo tractans hanc quęstionem, ait, *accidens non habere propriè*, quodquid est, aut definitionem; sed solam substantiam. Verba eius, c. 4. sunt. *Etenim interrogare possumus, quid est ipsum quale? Quare & ipsum quale est eorum, quorum est, quod est, non tamen simpliciter.* Qua doctrina sæpè vtitur S. Thom. affirmans solas substātias simpliciter definiri, accidētia verò secūdū quid.

Ratio vtriusq; est; quia definitio quidditatiua perfecta, est quæ explicat essentiam rei, vt in lectione præcedenti visum est, sed solùm esse substantię est absolutè, & simpliciter essentia rei; accidēs verò tantū secūdū quid, & impropriè essentia dicitur: ergo solùm substātia est perfectè, & rigorosè definibilis. Minor, in quia est difficultas, probatur: quia essentia absolutè, & simpliciter dicitur conceptus primarius alicuius rei, quod est primū fundamentū, & basis cæterorū; accidens verò dicitur, quod alteri adiacet, vel aduenit de nouo, vel est aliquid alterius; sed solū esse substātię est primū esse, quod supponitur omnibus accidentibus, & illis substat vt fundamentum, & basis: ergo ea solùm habet essentiam simpliciter definibilem; accidētia verò sunt proprietates, & affectiones talis essentiæ, ac proinde perfectè definiri non possunt.

Confirmatur primò; quia ideo definitio dicitur primū principium demonstrationis, certitudinem tribuens ipsi, & alijs operationibus; quia explicat quidditatem, quæ est primum esse, ac proinde ratio cæterorum in genere obiecti, sicut est in genere rei, hoc est, ratio cognoscendi alia, sicut est radix essendi; sed primum esse, & radix cæterorū quoad esse, & cognosci est sola substantia absolutè, & simpliciter: ergo ea sola perfectè definibilis est.

Secundò confirmatur; quia sola substantia habet esse completum in suo genere, accidens verò est essentialiter quid incōpletum, & imperfectum, & aliquid substantię, ideoquè Philosophus illud vocat quale substātiæ, non quid: ergo perfectè definiri non potest nisi sola substantia. Probatur consequentia: quia qualis est essentia rei, talis est definitio illius; res enim in-

com-

completæ completa definitione explicari non possunt. Et quod nõ est sui, sed alterius, propriam definitionem non habet, sed sicut illius esse est alterius ita eius cognitio reducitur ad perfectã comprehensionem alterius.

Corollaria ex præcedenti doctrina.

Ex hoc infero, nec etiam omnem substantiam posse perfectè definiri; nam genera suprema, aut subalterna, res incompletæ sunt respectu infimæ speciei, ac proinde tanquàm aliquid illius ad exactam reducuntur speciei definitionem. Rursus genera suprema, & transcendentia non constant genere & differentia, quæ partes distingui necessariò debent in re definibili, vt omnes cum Arist. consonanter docent. Eâdem ratione Deus definiri non potest; quia non concipitur sub aliquo genere, in quo vniuersè conueniat cum creaturis; vt suo loco dicetur; neque eius infinitas, & illimitata perfectio potest sub angustijs, & terminis nostræ definitionis comprehendi: quomodo enim quod finem non habet, nec versus latitudinem, longitudinem perfectionis, aut profunditatem, definiri potest? Tertiò infero, indiuiduum etiam substantiæ, siuè sit corruptibile, siuè incorruptibile, nõ posse definiri, vt tale est. Docet Aristot. sæpè, & expressè tàm definitionem, quàm scientiam singularibus negans, & solis vniuersalibus concedens. Probatur, quia vel definitur indiuiduum per gradus essentiales vniuersales, aut specificos, in quibus conuenit cum alijs singularibus, & sic non erit definito indiuidui vt tale est, sed speciei, vel definitur secundùm rationem propriam indiuidui, qua ab alijs discernitur, & sic non potest esse definitio quidditatiua; quia differentia indiuidualis non est gradus essentialis substantiæ, nec est genus, nec differentia, nec compositum ex vtroquè: non potest ergo propriè definitum esse, vt tale est.

Aristote. textu 53. & 55. & 1. post. tex 22. l. 64. & 2. de Ani. tex. 68. & 3. Ani. tex. 38.

ARTIC. II.

Vtrum entia per accidens definiri valeant?

VNum aliud per se, & aliud per accidẽs. Vnum per se, vel potest sumi absolutè, vel secundùm quid. Absolutè dicitur per se vnum, quod est per se ens, & consequenter indiuisum in sua ratione, siuè vnitate simplicitatis; vt Angelus, siuè vnitate compositionis, ex partibus concurrentibus ad cõstituendum vnum ens per se: vt homo. Vnde sicut sola substantia absolutè est ens per se, ita

ita ea sola est perse vna; quia vnitas commensuratur entitati, cuius est passio. Secũdùm quid verò dicitur vnum perse res, quæ in aliquo alio genere accidẽtis habet vnitatem propriam illius generis; sicut enim quantitas v.g. vel qualitas, licet simpliciter sit accidens, & aliquid substantiæ, secundùm quid dicitur habens in se essentiam (vt latiùs dicam cap. de substantia) sic secundùm quid dicetur habere vnitatem perse in tali essentia, nam sicut est essentia & perseitas, ita illius vnitas; sic quantitas hominis est vna perse, & qualitas intensa similiter. Primũ ergo genus entis perse iam dixi, perfectè definibile ac definitũ esse, secundum verò minimè; tùm quia non est essentia, & primum esse simpliciter, sed aliquid alterius, tùm quia est incompletum pertinens ad cognitionem sui fundamenti, cuius est, substantiæ videlicet.

Sed præter hoc duplex genus entis perse, est aliud duplex entis per accidens. Vnum, quod tantùm sic dicitur per aggregationem casualem, vt aceruus lapidum, qui ex pluribus entibus completis coalescit, sic caput ornatum, vehiculum oneratum, entia per accidens huius generis dicuntur. Aliud sic dicitur, quatenùs habet esse secundarium ab aliquo accidente, & consequenter vnitatem in tali esse, vt album, aut calidum; sicut enim subiectum habet esse secundarium per accidẽs illi aduenient, ita dicitur esse vnum per accidens, vt distinguatur hæc vnitas ab ea, quam habet per substantiam.

De vtroque ergo genere etiam consequenter ad dicta asserendum est, perfectè definiri non posse, docet Arist. & de aggregato per accidens ait, posse quidem habere *quid nominis*, non tamen *quid rei*. De aggregato constat: quia non potest vnica definitione percipi, cum sit constans ex pluribus, vt plura sunt, ac proinde plures habeat quidditates, & non vnam. Hac enim ratione vt singularia possint sub scientiam, & definitionem cadere, adunantur sub ratione vna communi, & specifica; quia vt plura sunt, definiri non possunt. Similiter æquiuoca, & analoga, quæ significant immediatè plures rationes, cadere sub definitionem non possunt, quia nihil potest definiri nisi sub ratione vnius.

Aristot. 7. meth. tex. 12. 13. & sequẽtibus.

De secundo genere entis per accidens, cum sufficientem habeat vnitatem (præsertim quando per physicam constituitur in esse talis,) alia via excluditur ab obiecto rigoroſę definitiònis; quia. s. non constituitur in suo esse per quidditatem, sed per accidens, vt nomen ipsum indicat.

Præ-

Præterea constaret talis definitio ex rebus diuersorum prædicamentorum, quarum vna est extra essentiā alterius, ac proinde respiceret essentias, seu quidditates diuersas, quod est contra leges rigorosæ, & exactæ definitionis, quæ tantùm essentialia & intrinseca rei definitæ per suū proprium genus, & differētiam respicit.

Ex hoc tandem infero; denominationes extrinsecas, entia rationis, & impossibilia, aut negatiua definiri non posse. Loquor de extrinsecis denominationibus quantùm ad id quod passiuè intelligitur ex illis resultans in re extrinsecè denominata, quomodo vel sunt entia rationis, vel parum distant ab illis: de omnibus ergo obiectis enumeratis est clara assertio posita, quia si non habent verum esse reale, minus essentiam, & quidditatem substantialem habere possunt, vt perfectam definitionem terminent.

ARTIC. III.

Quomodo obiecta enumerata possint definiri?

QVamuis excluserim ab obiecto exactæ, & perfectæ definitionis omnia alia genera rerū præter substantiam, possunt nihilominùs alijs definitionibus minus perfectis exprimi, & explicari eo modo, quo in se sunt: quæ definitiones latitudinē habent, & tantò magis perfectæ erunt, quantò magis accedunt ad definitionē perfectissimam, & maximè talem, & quantò earū obiecta magis imitantur rationem entis vnius perse; & è contra tantò magis imperfectè, quantò magis imitantur definitionem *quid nominis*, & earum obiecta vnitatem solius aggregationis participāt.

Omnia ergo, quæ substantiæ non sunt, accidentia siuè in abstracto, siuè in concreto dici possunt, siuè realia, siuè rationis, siuè positiua, siuè negatiua. Quando accidens in concreto definitur, certum est in sua definitione requirere subiectum, & illud in recto dicere loco generis, & formam loco differentiæ. Vt si definias; *album est corpus disgregans visum. Risibile est homo aptus videre.* Vnde quando solùm subiectum ponitur loco generis, tota forma accidentalis, etiā quoad rationē genericā ponitur loco differentiæ; æquiparaturquè hæc definitioni essentiali physicæ, qua homo v. g. sic exprimitur: *est quid constans ex anima & corpore*; vbi corpus, quod est materia, ponitur loco generis, & anima etiam quoad gradum genericum ipsius loco differentiæ.

Potest tamen magis metaphysicè accidens in cõcreto sic definiri: risibile. V.g. *est potens ridere*. Album est *coloratũ disgregans visum*, & sic non solùm materia physica, quæ est subiectum, sed etiam materia metaphysica, quæ est genus ipsius accidentis, locum proprium generis obtinet in definitione. Sic in accidentibus rationis, vniuersalibus. s. & prædicabilibus passim definitiones adducemus vtriusque generis, physicas, & metaphysicas.

Quando vero accidés in abstracto definitur, sicut habet vnitatem per se saltem secundum quid, vt dixi, ita & quidditatiuam definitionem per suũ proprium genus, & differentiam, ad modum, quo definiuntur substantiæ, vt si dicas, *albedo est color disgregans visum; quantitas est accidens extendens partes substantiæ, &c.* Semper tamen in huiusmodi definitionibus intrát subiectum; non in recto, vt genus, sed in obliquo vt terminus habitudinis essentialis, quam dicit accidens ad subiectum, quid cum essentialiter sit entis ens, & aliquid substantiæ, quomodocumque consideratur, non potest perfectè sine ea intelligi, qui nimio nec imperfectè, ac proinde multò minus definiri, quia definitio est perfectior notitia, quæ de re haberi potest.

Hinc fit, vt scientiæ mathematicæ sint alijs scientijs imperfectiores, eo quod quantitatem non considerant, quatenus est accidens, & proprietas substantiæ corporeæ, sed inadequatè, & imperfectè quoad gradum specificum, vel differentialem extensionis, abstrahendo à subiecto, & materia sensibili, ad quam ipsa quantitas essentialem ordinem dicit.

QVAESTIO II.

De genere, quod est prima pars definitionis essentialis obiectiuæ.

ARTIC. I.

Explicato iam obiecto remoto, quod est definitum, ad obiectum proximum accedamus, quod est definitio obiectiua. Hæc autem est species, quæ ex genere componitur, & differentia, in quo omnes conueniunt, & Arist. & S. Thom. loquor de specie logica (vt alias acceptiones omittam) quæ est conceptus adæquatus essentialis constitutiuus rei.

Aristot. 7. meth. initio. & S. Thom. ibi. & opus. de ente & essentia.

Patet què ratione, quia omnis compositio, teste eodem Aristotel. fit ex partibus, quæ habent

Arist. 8. met. c. 6.

habent sibi inuicem actus, & potentiæ in physicis. V. g. materia & forma per se concurrunt ad efficiendum vnum tertium, ex eo quod materia habet rationem potentiæ, & forma rationem actus determinantis illam ad talem speciem, sed sic se habent genus, & differentia in metaphysicis, quod genus dicit potentiam contrahibilem, & perfectibilem nostro modo concipiendi per differentias, differentia verò est veluti quidam actus, illius indifferentiam, & potentialitatem contrahens, ac determinans: ergo componunt per se aliquid tertium, & hoc vocamus speciem. Minor constabit ex dicendis, & patet ex Arist. 5. *meth. c.* 28. *&* *lib.* 8. *c. vltimo.* Vbi genus propter hoc materiam appellat, & differentiam formam.

Aristote.

Hanc autem compositionem esse ex partibus sola ratione distinctis, constat ex dictis de vniuersali in communi, vbi ostendi sola ratione distingui à suis inferioribus, & constabit amplius in discursu totius huius sequentis disputationis.

Nunc ad singulas partes seorsum considerandas deueniamus, quia, vt dixi, ante definitionem præcognosci debent, & ex illis præcognitis statim definitio causatur, sicut ex præmissis conclusio. Prima ergo genus est, quia materia, vel potentia ordine naturæ actum & formam præcedit.

Tres autem generis acceptiones distinguit Porphyrius, cap. de genere, & cũ eo omnes alij, vt vocis æquiuocationem aperiat. Prima est, qua genus dicitur cõgregatio multorum habentium ordinem inter se, & ad vnum primum: quo pacto dicitur genus Romanorum, vel Gothorum.

Secunda est, qua genus dicitur principium talis collectionis, siuè sit generans, siuè patria, vel locus vbi sunt geniti. Tertiò genus dicitur prima pars essentialis speciei, & definitionis, illam simul cum differentia componens, vt dictum est, & de hoc est sermo in præsenti.

Exponitur generis definitio.

Sic autem illud definit Arist. 5. *met. c.* 28. genus esse, *quod in definitionibus primum inest, & quod in quæstione, quid est naturam quærimus dicitur primò*, & 1. *lib. Topic. c.* 4. illud definit in ordine ad secundam operationem intellectus, s. *per prædicari de pluribus speciebus*, sicut etiam facit Porphyrius citatus: sed omissa generis prædicabilitate suo proprio loco examinanda, de definibilitate, quæ propria huius est, sermonem nunc dirigere oportet.

Optima

Optima, & clarior generis definitio sub hac ratione, quæ ex assignatis ab Aristot. colligitur, est huiusmodi: *genus est vniuersale componens speciem tanquàm pars essentialis per modum per se stantis.* Vniuersale ponitur loco generis, includens non solùm subiectum physicū, sed etiam genus metaphysicum ipsius accidentis, in quo genus conuenit cum cæteris vniuersalibus, & differt ab individuo. Per particulam, *componens speciem* excluditur ipsa species à ratione generis. Per tertiam, *tanquàm pars essentialis* reijciuntur proprium, & accidens commune, quæ sunt extra essentiam, & non partes illius. Tandem per vltimam distinguitur genus à differentia, quæ licet sit pars essentialis speciei, componit illam per modum formæ alteri adiacentis, vel actus determinantis; genus verò, vt materia per se stans, & quasi perfectibilis, seu determinabilis per illam.

ARTIC. II.

Obijciūtur aliqua contra definitionem positam.

OBijci solet primò, quod genus non est definibile, vt obiectum adæquatū definitionis, quod est tantùm species, sed solùm cadit sub illa vt pars essentialis materialis speciei: ergo malè assignatur illi definitio ex genere, & differentia coalescens. Declaratur amplius antecedens: quia genus, non est species, sed vniuersale distinctum ab specie, sicut pars distinguitur à toto, sed nihil potest definiri quin sit species: ergo quod tantùm est, genus definitionem completam terminare nequit.

Dices quod est genus respectu speciei infimæ, potest habere supra se aliud genus, & ex illo, & differentia subalterna, speciem similiter subalternam cōponere. Sed contra quia licet hoc dici possit de generibus infimis, aut intermedijs, non tamen de genere supremo, quod sub se continet omnia genera, aliàs processus esset in infinitū; sed genus in communi continet sub se omnia genera possibilia quantùuis suprema: ergo nō poterit habere supra se aliquod genus superius, ratione cuius definiri possit.

Communis tamen dialecticorum, & philosophorum consensus hanc definitionē, & alias generi adscribit, & corū Principes Aristotel. & S. Thom. Vt vidimus. Pro solutione autem argumentorum iterum aduertenda est distinctio illa supra declarata inter definitum

quod,

quod, & *quo*(nam eadem est ratio, vt dixi, de definibili, ac de prædicabili.) Definitū *quod*, est res, quæ definitur, vel cuius prædicata essentialia declarantur. v.g. essentia realis hominis in definitione illius. Definitum *quo*, est ratio sub qua definitur talis essentia, quæ forma rationis est accidentaliter denominans illam vniuersalem, & speciem.

Secundò suppono, quod sicut naturæ reales per abstractionem à suis inferioribus denominantur genera, species, &c. à forma extrinseca rationis, ita ipsamet entia rationis secūdùm varias conuenientias, & dissimilitudines, quæ inueniuntur in ipsis, fundant alias intentiones rationis, à quibus accidentaliter denominantur: sic igitur genus, licet essentialiter, & secundùm se consideratū sit vniuersale distinctum ab specie, si abstrahatur ab hoc, vel illo genere, cōcipitur ab intellectu sub ratione speciei, sicut homo si à Petro & Paulo abstrahatur. Vnde sicut homini essentialiter & secundùm se conuenit esse rationale, & accidentaliter, & per intellectum esse vniuersale specificum, sic generi essentialiter, & secundùm se conuenit ratio generis, accidentaliter verò ratio speciei.

Soluuntur obiecta.

Ex quo patet ad primum argumentum: negatur enim antecedens, & ad eius probationem distinguo maiorem. Obiectum *quod*, vel res, quæ definitur, debet esse species, nego maiorē (aliàs nulla definitio esset bona, præter eā, qua definitur species, quæ est secundū prædicabile.) Obiectū *quo*, vel obiectū adæquatū prout includit etiam rationē formalē *sub qua*, debet esse species, & sic cōceditur maior, & negatur minor. s. quod genus non sit species, nam accidentaliter denominatur à secunda intentione speciei, & sub ratione illius definitur.

Ad confirmationem respondetur, genus essentialiter, & secundùm se consideratū non habere supra se aliud genus, vt probat argumentum, habet tamen illud accidentariè prout est species, ratione cuius habet cōponi ex genere, & differentia. Vnde sicut species duo habet, & contineri sub aliquo genere superiori, & continere sub se indiuidua ipsi inferiora; ita genus quatenus est vniuersale quoddam, est inferius cōtentum sub ratione vniuersalis in communi tanquàm sub superiori, & quatenus abstrahitur ab hoc, vel illo genere, est superius cōtinens sub se vniuersale in communi, in quantùm genus quoddam indi-

indiuiduum est respectu quinque prædicabilium, vt dicetur infra. Ex quo facilè vitatur processus in infinitum, quia genus, & vniuersale adinuicé sunt genus, vnú.s. respectu alterius; & idcirco non sequitur multiplicari infinita genera.

Patet hæc doctrina exemplis non paucis, sicut enim definitio & demonstratio in communi cadunt sub definitione & demonstratione particulari, & ipsa met definitio, vel demonstratio particularis se ipsam inadæquatè definit, vel demonstrat, quatenùs aliàs continetur sub definitione & demonstratione in communi; & sicut sciētia vt sic cadit similiter sub scientia particulari, qualis est Metaphysica, & è conuerso ipsa scientia particularis sub communi secúdùm diuersas rationes, sic vniuersale in communi cadit sub genere, & genus ipsum sub vniuersali in communi; & huius ratio est multiplex reflexio, quam potest intellectus efficere supra suos actus. Cum enim non solùm obiecta, quæ sunt extra animā, sed etiam ipsimet actus, quibus cognoscuntur, & modus cognoscendi, & rationes, sub quibus cognoscuntur, cadant sub vniuersalissimo obiecto intellectus; hinc est quod omnia sint intelligibilia, definibilia, abstrahibilia à singularibus, &c.

Sed adhuc dices: Si vniuersale continet sub se genus, & est superius ad ipsum, & genus est superius ad vniuersale, sequitur de primo ad vltimum, quod vniuersale sit superius seipso, & quod seipsum vt inferius contineat, quod est planè falsum, & ex consequenti etiam illud, ex quo sequitur. Probatur sequela; à simili de quolibet alio genere: hic est optimus discursus. *Animal continet sub se hominem, & homo continet sub se Petrum tanquàm inferius: ergo animal continet Petrum vt inferius*: ergo idem sequitur in nostro casu.

Respondetur negādo sequelam; quia non semper, quod est superius alicui subiecto, est superius inferioribus illius, nisi quando inferioritas, & superioritas est sub eâdem ratione; vniuersale autem sub diuersis rationibus, & non sub eâdem est superius, & inferius respectu generis; & idem dico dè genere respectu vniuersalis, estquè simile huic argumentum illud: quod est causa causæ est causa causati, sed materia est causa formæ, & formá causa materiæ: ergo materia est causa sui ipsi, nó valet: quia non causant in eodem genere, nec per eandem rationem, per quā materia causat formam, per eandem causatur ab alla; sicut ergo materia & forma sunt inuicem causæ secundùm diuersas rationes, sine eo quod aliqua earum

sit

sit causa sui ipsius, sic genus, & vniuersale in communi secundùm diuersas considerationes sunt inuicem superius, & inferius, sine eo quod aliquid eorum sit superius se ipso.

ARTIC. III.

An ponatur genus in definitione formaliter vt totùm quoddá vniuersale est, an verò solùm natura, quàm pro materiali dicit?.

EAdem difficultas de quolibet vniuersali moueri potest, an quando definitur, vel prædicatur de suis inferioribus, definiatur, aut prædicetur solùm natura realis, quæ vniuersalis denominatur, an verò solùm formale, quod est vniuersalitas, vel totum concretũ, prout ex natura, & vniuersalitate coalescit? de omnibus in genere examinabitur difficultas, nè eãdem doctrinam iterum repetamus.

Prima ergo sententia affirmat, solùm naturã, quæ vniuersalis denominatur, definiri, & prædicari de suis inferioribus, & non totùm concretum. Probatur: quia quando definitur homo, quod sit animal rationale, solùm essentia realis illius exprimitur, nihilquè curatur de vniuersalitate specifica. Item quãdo animal ponitur in ei⁹ definitione solùm facit compositionem cum differentia hominis, quæ est rationale, non verò cum differentia equi, aut leonis; ergo vt ponitur in definitione hominis, impertinẽs illi est, quod sit vniuersale respectu aliarum specierum, siquidem nihil præstat cum illis in definitione hominis: ergo solùm natura realis animalis est, quæ ponitur in definitione, & non intentio generis.

Similiter quando animal. v. g. prædicatur de homine, solùm affirmatur de illo ratio animalis, non autem vniuersalitas generica, vnde fit, quod hæc propositio sit vera. *Homo est animal.* Et non ista: *homo est genus.* Nam vt supra dixi, vniuersale eo ipso, quod actu descendat ad essendum in suis inferioribus, amittit vnitatem vniuersalem, & acquirit aliam particularem: ergo quandó actu enuntiatur de aliquo inferiori, de natura quæ vniuersalis denominatur, est sermo, & non de vniuersalitate.

Secunda vero sententia asserit totùm vniuersale formaliter, vt tale est, esse id, quod definitur, ac de pluribus prædicatur. Probatur: quia definibilitas, & prædicabilitas sunt proprietates vniuersalis, vt dictum est; omnis

autem

autem proprietas debet emanare à forma, vel a toto composito ratione formæ: ergo vniuersali formaliter vt tale est, conuenit posse prædicari, sicut risibilitas conuenit homini formaliter, vt rationalis est.

Secundò esse partem definitionis distinctam à differentia, vel hoc quod est prædicari de multis, non potest conuenire naturæ, prout est à parte rei: ergo conuenit illi, prout est vniuersalis per intellectum, nimirū prout est vna in multis. Tertiò vna ex definitionibus vniuersalis, vt tale est, est quod de pluribus aptum sit prædicari: ergo illi formaliter, vt vniuersale est, & naturæ solùm secundùm se, quæ vniuersalis non est, conuenit posse prædicari.

Statuitur difficultatis resolutio.

Sed vterquè modus loquendi potest in concordiam reduci, si aduertamus in quocumquè definibili, vel prædicabili tria distingui posse. Primò definitū, vel prædicatum *quod*, seu rem, quæ prædicatur. Secundò definitum, vel prædicatum *quo*, id est, rationem formalem *subqua* definitur, aut prædicatur. Tertiò concretum ex vtroquè coalescens. Primum dicitur prædicatum, vel definitum materiale. Secundum formale. Et tertium definibile, vel prædicabile adæquatum. Quo supposito.

Dicendum est: Definitum *quod*, vel res, quæ definitur, siuè vt obiectum totale, siuè vt pars illius, est sola natura, quæ subest vniuersalitati, vt benè probat prima sententia, & in hoc sensu est vera. Definibile autem *quo*, idest, ratio formalis *subqua* definitur, est vniuersalitas, & definibile adæquatum est totum compositum, prout ex natura, & vniuersalitate coalescit, quod ultimum benè probat prima sententia, & quantùm ad hoc non opponitur primæ. Idemquè est dicendum de prædicabili *quod*. s. quod prædicatum *quod*, vel res, quæ prædicatur, est sola natura, quæ vniuersalis denominatur; prædicabile autem *quo*, id est, ratio formalis prædicandi est vniuersalitas: at prædicabile adæquatum est totum compositum ex natura, & vniuersalitate.

Declaratur hoc; quia quamuis res, quæ definitur, sit natura realis, non tamen prout est à parte rei, sed prout abstrahitur ab intellectu, & fit genus, vel species, quia natura specifica, prout à parte rei, non est vna, sed plures: non potest ergo vt sic, vna definitione definiri nisi prout separatur à singularibus, & fit vna. Similiter animalitas à parte rei non est distincta a rationalitate, & cæteris differen-

tijs;

tijs: ergo vt ponatur in definitione, vt pars ab illa distincta, & vt sic prout distincta sit ratio clarè cognoscendi essentiam hominis, necessaria est abstractio illius à differentijs, in quibus latet, & cum quibus confunditur; nam per solam separationem obiectiuam vnius formalitatis ab alia, declaratur essentia, quæ antea confusè; & indistinctè percipiebatur: ergo res prout abstracta & vniuersalis definitur, quamuis vniuersalitas hæc reduplicetur, vt ratio formalis *sub qua*, & non vt ratio *quæ*.

Declaratur hoc etiam in alia proprietate, quæ est prædicabilitas, quia prædicari de multis non conuenit naturæ, nisi quatenùs subest vniuersalitati, & abstractioni; in tantùm res est prædicabilis de multis, in quantùm est vna in multis: ergo licet tantùm materiale sit res, quæ prædicatur, ratio formalis *sub qua* est vniuersalitas, & ex consequenti adæquatũ prædicabile est totum concretum ex natura & vniuersalitate compositum.

Quod infinitis exemplis etiam declarari potest; color enim dicitur obiectum visus, formaliter vt visibilis est, & obiectum intellectus, formaliter vt intelligibilis, & obiectum voluntatis vt appetibilis, & tamen nequè visibilitas videtur à potentia visiua, sed est ratio formalis videndi, nequè intelligibilitas ab intellectu, sed est ratio intelligendi, &c. color enim tantùm est obiectum quod intelligitur, & compositum ex vtroquè est obiectum adæquatum specificans potentiam, &. idem de alijs obiectis dico.

In hac doctrina ferè omnes conueniunt, quamuis sit nonnulla diuersitas in modo loquendi. Quidam enim distinguunt vniuersale in denominatiuum & quidditatiuum. Denominatiuum dicitur sola natura, quæ vniuersalis denominatur, prout connotat in obliquo vniuersalitatem ipsam, quæ accidentaliter illi adiacet. Quidditatiuum est totum concretum prout importat vtramquè partem intrinsecè, & in recto, quo supposito asserunt, vniuersale denominatiuè sumptum esse, quod prædicatur, non verò vniuersale quidditatiuum, quod est idem ac dicere, quod natura est, quæ prædicatur *vt quod*, & in recto, & vniuersalitas est ratio *sub qua* in obliquo connotata, cui necessariò subest natura, vt definiri possit, aut prædicari.

Sed meliùs dicendum est, tàm definibile quàm prædicabile adæquatum, quod est totum concretum, posse accipi denominatiuè, & quidditatiuè. Primo modo dicit naturam in recto, & vniuersalitatem in

 obli-

obliquo, secundo modo vtrumquè importat in recto.

Soluitur alia difficultas.

Ex quo patet solutio similis difficultatis, quæ controuerti solet cap. de genere, quodnam sit definitum huius definitionis: *vniuersale, vel genus est quod prædicatur, &c.* facilè enim expeditur, quod si definitio *prædicabile de pluribus*, denominatiuè sumatur, definitum illius est vniuersale, vel genus denominatiuum. Si autem quidditatiuè accipiatur, debet ita proportionabiliter sumi definitum; semper tamen debet esse totum concretum, quia sola natura realis, vel sola secunda intentio non est definitum, vt manifestè patet.

Sed obijcies contra dicta: in concretis non solùm materia, sed etiam forma exercet officium concreti, vt ratio *quæ*: ergo non solùm naturæ, sed etiam vniuersalitati conueniet definiri, aut prædicari, vt ratio *quæ*, sicut quando corpus vt album dicitur disgregare visum, non solùm corpus, sed etiam albedo ipsa disgregat visum. Rursus secundò: cui conuenit actus, conuenit potentia, sed tantùm materiali vniuersalis conuenit actus prædicandi: ergo illi soli conuenit potentia, & prædicabilitas de pluribus, & non toti composito, seu vniuersali quidditatiuo.

Sed ad primum respondeo, negando antecedens, si intelligatur de formali vltimo, quod est ratio *sub qua*, vt patet in exemplis supra positis: solùm enim est verum, quando forma simul cum materia componit vnam rationem *quæ*, vt patet in concretis physicis: in obiectiuis autē est diuersa ratio: nam in eis distinguimus, vt dixi supra sect. 2. obiectum formale *quod*, & obiectum formale *quo*, respectū cuius illud priùs se habet vt materiale.

Ad secundum respondeo, actum prædicandi vt *quod*, vel vt materiale, & similiter potentiam ad prædicandum hoc modo, conuenire soli naturæ, vel vniuersali denominatiuo, at verò esse rationem formalem prædicandi tàm in actu primo, quàm in actu secundò conuenit ipsi vniuersali, & esse prædicabile adæquatum toti composito, seu vniuersali quidditatiuo, & idem cum proportione applicandum rei definibili.



AR-

ARTIC. IIII.

Ostenditur genus infimum semper in definitione collocari debere; & quomodò inuestigandum sit?

PRimò certum est, in definitione perfecta, & omnino rigorosa assumi debere genus infimum cum sua vltima differétia. Ratio est supra tacta: quia prædicata superiora non cótinent essentiam rei adæquatam, sed tantùm partem illius; perfecta autem definitio debet exprimere omnia essentialia rei definitæ, quod non fieret, si deficeret genus infimum. Vnde hæc definitio esset valde diminuta: *homo est substantia rationalis*; quia ignorarentur cætera prædicata intermedia. Non opportet auté explicitè ponere in definitione omnia prædicata superiora; quia omnia essentialiter includuntur in genere infimo, (vt suo loco dicemus) non autem è contra infimum genus includitur in superioribus, & ideo ipsum explicitè collocari debet, & non illa, quia in eo formaliter contenta.

Dices: hac ratione neque esset ponendum genus vltimum, nam hoc in differentia vltima potest contineri, quæ necessariò supponit genus, quod cótrahit, & determinat, rationale. v.g. supponit viuens, & animal.

Respondetur, disparem esse rationem; quia nec genus infimú, nec vllum ex superioribus includitur in differentia, vt dicemus: ad definitionem autem, quæ debet esse clara, & perfecta rei notitia, non satis est, quod supponatur in re vna pars ad aliam, & quod per discursum ex vna possit altera colligi, sed opportet, quod explicitè partes rei definitæ in eius definitione ponantur. Vnde quia genera superiora non solùm supponútur, sed includuntur formaliter in vltimo, directè ponuntur in definitione simul cum illo.

Est præterea aliud discrimen, quod genera superiora sunt nobis notissima, & nemo dubitat illa in genere vltimo contineri; genus autem infimum est valde occultum; difficile enim cognoscitur, & sæpè ignoratur, ideoque licet contineretur in differentia, deberet exponi talis continentia.

Insuper addo; licet hæc vera sint de definitione iam formata, & acquisita, nihilominus ad inuestigationé illius, necessium est omnia prædicata superiora præcognoscere, & inclusionem; quá habent in vltimo, ita vt quando vltimum genus ponitur in eo sit habitualis, & certa notitia

omnium, quæ in eo intrinsecè continentur, cessatq; ignorantia continentiæ, & inclusionis horum prædicatorum in genere inferiori.

Quomodo inuestigari debeant genus, & differentia definitionis.

Quod attinet ad secundum punctum articuli, ad inuestigandum propriū genus & differentiam alicuius, obseruanda sunt omnia prædicata essentialia rei definitæ, in quibus essentialiter conuenit, & differt cum alijs rebus specie, aut genere diuersis, quæ à posteriori ex varijs effectibus, accidentibus, & proprietatibus, quibus assimilatur alijs generibus, & speciebus, vel ab illis discrepat, demonstranda sunt: & ex illis sic inuentis facilè erit cognoscere quodnam sit genus proximum, & quæ differentia illius constitutiua.

Animaduersa tamen hac duplici regula. Prima est, quod tantò aliquod prædicatum, aut formalitas est superior, quantò in ea magis generaliter conuenit, & assimilatur res definita cum alijs generibus, & speciebus rerum: & consequenter minùs differre facit à rebus eiusdem lineæ, seu prædicamenti. Vnde genus supremum. V.g. hominis, est ratio substantiæ: quia in ea magis extensiuè assimilatur omnibus contentis intra lineam substantiæ, & à nullo differt, nisi ab ijs, quæ sub alio supremo genere continentur, quantitatis. s. relationis, &c. Genera autem suprema in hoc cognoscuntur, quod se totis differunt, & in nulla ratione vniuoca conueniunt.

Ex quo patet secunda regula, nimirùm quod tantò ratiò aliqua est inferior, quantò minùs conuenire facit, & magis differre ab alijs, ac proinde species infima, humana. v.g. est illa, in qua homo generaliter differt ab omnibus speciebus substantiæ, & nulli alteri conuenit. Vnde genus infimum erit ratio immediatè connexa cum specie infima, & eius differentia, in qua minùs extensiuè conuenit. Animal v.g. est in homine genus inferior: quia in eo solùm conuenit cum brutis; superior est tamen ratio viuentis, siquidem extenditur eius similitudo ad plātas: & longè vniuersalior ratio est corporis, in qua cum rebus conuenit inanimatis, &c.

Exponitur duplex via, seu methodus inuestigandi definitionem.

Duplici autem via potest intellectꝰ incedere ad definitioné inuestigādā, vel cor-

corrigendam iam factam, vel per diuisionem descendendo à genere supremo vsque ad species vltimas, vel per compositionem, seu resolutionem (quod idem est, quoad præsens attinet) ascendendo ab indiuiduis ad speciem, & ab specie ad genera superiora vsque ad supremum.

Prima ergo via sic proceditur: Sumendum est genus supremum rei definiendæ; hominis v.g. quod notissimum est: vel si sit ignotum, debebimus inuestigare illud per accidentia, & proprietates, & in quo differat à quantitate relatione, & alijs generibus supremis: & quia in homine sunt proprietates substantiæ, & non accidentis, percipiemus illius genus supremum esse substantiam. Postea illa diuidenda est per suas differentias immediatas, corpoream. s. & incorpoream; & ex proprietatibus corporis tribuetur homini ratio substantiæ corporeæ. Rursus corpus sub diuidendum in inanimatum & animatum; & sic donec ad vltimam rationem essentialiter indiuisam perueniat.

Sic etiam adquærendam definitionem albedinis, percipietur, genus supremum illius esse qualitatem, per negationē aliorum generum; quod. s. non sit substantia; quia existit in alio; nec sit relatio; quia est absoluta; & independens à termino; nec quantitas, quia albedo non est modus extensionis, sed res, quæ per illam extenditur: & est ergo qualitas. Quæ si diuidatur in corpoream & spiritualem, agnoscetur esse corpoream albedinem, ex proprietatibus corporis. Si rursus distribuatur hoc genus in dispositionem & habitum, naturalem potentiam & impotentiam; passionem & passibilem qualitatem; formam & figuram: per exclusionem aliarum specierū, & proprietates passibilis qualitatis, demonstrabitur in eo generere collocari: & sic discurrendum vsque ad vltimam differentiam, quæ explicatur per hoc, quod est disgregare visum; quia res innominatas, vocibus & operationibus nobis notis, exponimus; sicut in Angelis earum species per numeros declaramus. s. per intellectiuum vt duo, vt tria, &c.

Secunda via compositionis, aut resolutionis inuerso modo procedit, comparans indiuidua speciei definiendæ, & notans ipsi quo differant inter se, & in quo essentialiter conueniant; & differant ab omnibus alijs: tūc relictis ijs, quibus inter se differunt tanquàm accidentalibus, accipimus id, in quo conueniunt, & differunt ab alijs omnibus, quæ non sunt illius speciei; & hæc erit diffe-

 rentia

rentia essentialis constitutiua talis speciei. V.g. plures homines, etsi conueniant inter se in multis, in hoc. s. quod sint animalia, viuẽtia, corporea, &c. in his tamen non differunt ab omnibus alijs, sed conueniunt cum plurimis, ideoquè nullum eorum est vltima differentia constitutiua, nisi tantùm rationale, quod est ratio distinguens ab omnibus essentialiter.

Deinde quærimus, in quo plures homines conueniant, & differant ab indiuiduis alterius speciei, & cernimus homines, & equos conuenire in hoc, quod sunt animalia viuentia, & corporea; & differre in hoc quod homines sunt rationales, & equi hinnibiles, & tunc discernimus id, in quo conueniunt, ab eo in quo differunt, & ex primo sumimus rationem genericam, & ex secundo rationem differentialem, quibus speciem, & integram definitionem componimus.

Rursus, quia rationes conueniendi sunt plures, illa erit genus superior, quæ magis extendit similitudinem ad plura specie, & genere differentia, & minus differre facit ab alijs, illaquè erit genus infimum, quæ minùs conuenire facit, & magis differre, iuxta regulam assignatam. Vnde sicut differentia vltima est illa, quæ facit differre speciem (vt suppono) ab omnibus alijs speciebus nulla excepta, ita genus supremum est illud, quod facit conuenire cum omnibus eiusdem prædicamenti, nulla excepta. Sed hęc omnia elucidabit maximè prædicamentorum tractatus, sequenti disputatione exponendus.

QVAESTIO III.

De secunda parte definitionis essentialis, quæ est differentia.

ARTIC. I.

Quotuplex sit differentia, & quæ sit pars essentialis speciei?

QVando res aliqua vniuoca diuidẽda est, prius definitur, quàm diuidatur, secùs verò quando est æquiuoca, vel anloga, quia tunc, cum non habeat vnitatem, secũdùm quàm possit definiri, diuiditur prius in membra, quæ talem vnitatem habeant, & postea quodlibet sigillatim definitur: Sic ergo contingit in præsenti de differentia,

Pri-

Primò enim diuidi potest in differentiam physicam, metaphysicam, & logicam. Physica est forma physica, siuè essentialis, siuè accidentalis, per quã res inter se differunt: homo v.g. & leo differunt per animam rationalem, & irrationalem tamquàm per differentias, & homo albus, & niger per albedinem, & nigredinem, &c.

Differentia metaphysica & logica differunt sicut vniuersale metaphysicum & logicum: dixi enim *quæstione de vniuersali in communi* prædicata transcendentia speciali quodam titulo dici vniuersalia metaphysica, eo quod solus metaphysicus illa considerat; & aliàs non seruant conditiones, quas logica assignat vniuersali, quod tãquàm obiectum præcipuum sui modi sciendi explicat: sic etiam in presenti differẽtiã, quæ quodã vniuersale est, distinguũ potest in logicã, & metaphysicã. Illa est cõceptus obiectiuus realis, rationis tamẽ formali distinctus à re, cuius est differentia, per inadæquatũ conceptum eiusdẽ rei: quo sensu si solùm differre dicuntur, quæ conueniunt in aliqua ratione vniuoca, cũ qua realiter identificantur tales differentiæ, possuntq; cum illa componerẽ speciẽ. Vt docet Arist. 7. me. tex. 12. vbi S. Tho. Auerroes; & communiter Doctores. Vndè genera generalissima, vltimæ differentię, Deus, & creatura propriè non dicuntur logicè differre, sed metaphysicè, eo quod non conueniunt in aliqua ratione vniuoca, sed differunt se totis, ideoquè hæc differentia, quia est formaliter indistincta à ratione communi, dicitur metaphysica.

Aristote. *S. Thom.* *Auerro.*

Benè verum est, quod etiã differentia logica dici solet metaphysica in alio sensu, quatenùs est gradus metaphysicus, & pars compositionis metaphysicæ, sed iam dixi suo loco, quod vniuersale logicum etiam est metaphysicum, sed non è contra, & sic licet differentia logica etiam metaphysica sit, non omnis differentia metaphysica est logica; quia non omnis seruat distinctionem, & aptitudinem ad componendam speciem, vt pars formalis illius, quod logica intendit.

Secundò differentia, alia est communis, alia propria, alia proprisima, vt docet Porphyrius, *c. de differentia*, & cum eo reliqui omnes scholastici. Illa differunt differẽtia communi, quę differunt accidente communi. Vt homo albus, & niger. Ea verò, differentia propria, quæ differũt per accidẽs propriũ, id est, proprietates, quomodo risibile facit hominem differre ab equo. Ea tandem, differentia proprisima, quæ differunt per

 essen-

essentiales differentias, vt homo, & brutum per rationale, & irrationale.

Differunt autem hæc membra. Primò in hoc, quod differentia proprissima facit aliud, id est, diuersam speciem essentialem constituit. Differentia autem communis, & propria faciunt alterum, id est, intra eandem speciem solùm diuersitatem causant accidentalem.

Secundò differunt in hoc, quod differentia communis est separabilis per se loquendo, à re cuius est; quod intellige, si in abstracto sumatur, nam in concreto sumpta non distinguitur realiter, vt supra dixi. Differentia propria, & proprissima sunt inseparabiles, id est, neque in abstracto, neque in concreto separari valent à re, quàm diuidunt. Cæterùm cum hoc discrimine, quod differentia proprissima inseparabilis est etiam de potentia Dei absoluta, à re cuius est; differentia verò propria regulariter loquendo, solùm naturaliter est inseparabilis, virtute tamen diuina separari potest. Dico regulariter; quia aliquando hæc differentia propter identitatem realem est etiam inseparabilis in ordine ad potentiam Dei, quomodo etiam accidens commune hoc idem habere potest, vt in prædicamentis dicemus.

Ex his sola differentia proprissima est altera pars essentialis speciei, & constituit prædicabile distinctum à cæteris: differentia verò propria, & communis pertinent ad quartum, & quintum prædicabile, solumq; terminant definitionem descriptiuam.

Sed duplex occurrit difficultas. Prima de proprietate specifica; nam videtur Porphyrius eam enumerasse inter differentias proprissimas, dum collocat inter eas susceptiuum disciplinæ, quod passio quædam est. Confirmaturque ex Aristot. 2. *poster.* Dicente, quod passio conuenit per se subiecto, sed differentia propria non conuenit per se subiecto, sed per accidens, vt docet Porphyrius: ergo propria passio differentia proprissima est.

Secunda difficultas est de differentia indiuiduali, ad quod membrum pertineat ex supra dictis?

Sed ad primum respondeò cum nostro Magist. Oña, Caietan. & ferè omnibus modernis omnem passionem sub differentia propria contineri; hocque sensisse Porphyrium, patet ex conditionibus, quas docet habere differentiam proprissimam, quæ repugnant propriæ passioni. Vna est, quod differentia proprissima facit aliud, id est, in essentia. Alia est, quod est differentia specifica, & quod secú-

M. Oña. hic q. 1. art. 1. & Caietan. Albertus Magnus, tract. 2. 5. c. 10. Iauellus tracta. 4. dis. c. 4.

dùm

dum eam genus diuiditur in species. Postrema est definitionem, quidditatiuam ex genere, & eiusmodi differentia constitui; quæ omnia proprietatibus specierum minimè conueniunt. Præterea differentia proprissima secundum, vel tertium prædicabile constituit, & propria passio quartum prædicabile, nemine dissentiente: ergo continetur sub differentia propria, quæ ad quartum prædicabile pertinet.

Ad argumentum oppositum respondetur, susceptiuum disciplinæ non sumi ibi à Porphyrio pro potentia accidētali, quæ nascitur ab essentia hominis, nā vt sic est passio, & differentia propria, sed sumitur pro principio, & radice, ex qua oritur hæc potentia, s. pro rationali, quod est differentia proprissima.

Ad confirmationem respōdetur, Porphyrium per ly, *per se*: intelligere idem, quod essentialiter, & in hoc sensu docet differentiam proprissimam dūtaxat conuenire per se subiecto. Aristotel. verò magis latè sumpsit vocem *per se*, pro eo quod vel est essentia, vel habens per se connexionem cum illa, vt propria passio.

Ex dictis patet solutio ad secundam difficultatem, s. differentiam indiuidualem propriam esse, & non proprissimam, vt patet ex conditionibus supra relatis, quæ etiam differentiæ indiuiduali planè repugnāt: quia verè est extra essentiam rei, cuius est. Vel secundò dici potest differentiam indiuidualem propriè, & directè non esse differentiam, sed distinctionem. Differentia enim propriè addit supra distinctionem dissimilitudinem, & esse principium constitutiuum rei, cuius est, in aliquo esse siuè substantiali, siuè accidentali, & consequenter est illi forma, & ratio agendi; nihil autem horum habet distinctio indiuidualis, ideoque differentia speciei athomæ dicitur infima: quia indiuidualis, quæ videbatur inferior, differentia non est propriè.

Vnde falsum est, quod dicūt aliqui, indiuidua eiusdem speciei essentialiter differre, non tamen specificè; sed indiuidualiter, eo quod sicut differentia specifica constituit essentialiter speciem, sic differentia indiuidualis constituit essentialiter indiuiduum.

Falsum inquām hoc est; nam sic possem dicere, quodlibet accidens esse proprissimam differentiam, nam constituit essentialiter concretum accidentale. v. g. albedo; licet respectu hominis sit accidens, respectu albi est intrinseca pars, & omnino essentialis: sicut ergò hoc non sufficit vt albedo dicatur differentia proprissima, ita neque de differentia indiuiduali

hoc

hoc asserendum erit. Potius sumitur ex hoc efficax ratio nostræ conclusionis; nam differentia essentialis solùm sumitur hìc pro eo, quod facit essentialiter differre, & vnam essentiam constituit, vt pars essentialis illius, sed indiuidualis supponit essentiam completè constitutam, & essentialiter distinctam ab omni alia per infimam differentiam, vt dicetur: ergo est extra illam.

Confirmatur à simili de existentia, & subsistentia, qui modi sunt substantiales, & differentiæ propriæ, nam subsistentia est propria passio substantiæ, & extra essentiam illius: ergo etiã differentia indiuidualis: quia similiter est extra essentiam speciei, & est proprietas entis, cum sit idem quod vnitas transcendentalis, vt supra ostensum est præcedenti disputatione, sect. vltima.

ARTIC. II.

Qualiter definiatur differentia proprissima?

QVinque definitiones adducit Porphyrius de differentia proprissima, quibus exactè eam describit, & omnia eius munera sigillatim exponit. Prima est, differentia est, *quæ species superat genus*: id est plus continet quàm genus: qualiter homo excedit animal, per rationale: quod intelligendum est de continentia actuali, quia species totũ quoddam actuale est, ex genere, & differentia compositum, atquè adeò superaddens generi differentiam: si enim sermo sit de continentia potentiali, plùs continet genus quàm species, vt docet Aristotel. *cap. de substantiis*, quia genus continet sub se omnia inferiora cuiuslibet speciei, & insuper species alias cum suis inferioribus.

Secundò definitur differentia in quantùm prædicabilis, est, *quæ prædicatur de pluribus differẽtibus specie in quale quid*. Quæ iam explicata est in definitione generis, & de illa sic considerata erit sermo disputatione sequenti.

Tertiò definitur: differentia est, *quæ diuidit genus, vel separat ea, quæ sub eodem genere posita sunt. Vel quartò: quæ differunt inter se singula*. Per quas definitiones describitur differentia in quantùm diuisiua generis est, & diuersificans species, in quibus definitionibus subintelligenda est particula *essentialiter*, vt excludantur differentiæ communes, & propriæ, & solùm proprissima intelligatur.

Quintò

Quintò definitur differentia quatenùs est pars actualis speciei, & definitionis essentialis obiectiuæ. Est, *quæ conducit ad esse rei, & est pars, cuius est differentia*. Meliùs tamen, & essentialiter definitur sic à recentioribus. Est *Vniuersale cōstituens essentialiter speciem, tamquàm forma*. Quæ definitio explicat eam vt prædicabilem, & vt definibilem.

Ex dictis colligitur, quod licet enumerentur, vt plura officia respectu differentiæ, hoc quod est diuidere, & actuare genus, constituere species, & distinguere: idem tamen formaliter sunt, nam sicut forma physica, eo ipso quod vnıatur materiæ, actuat, & perficit illā per informationem, & constituit compositum, & distinguit illud formaliter ab omni alio: ita similiter differentia est forma quædam metaphysica actuans, & determinans genus, (vt optimè aduertit doctissimus Magis. Oña citatus) & sic dicitur illud diuidere, eò quod amittit tunc vnitatem, & indifferentiam ad alias species, & multiplicatur realiter iuxta numerum differentiarum contrahentium.

Episcop° M. Oña.

Vnde non solū diuiditur genus quoad formalē vniuersalitatem, & potentialitatem, vt aliqui explicant, sed etiam quoad realitatem: nam diuersa realitas animalitatis est in homine, & in equo. Nec obstat quod tota essentia animalis sit in qualibet specie, nam ad modum, quo spiritus est totus in toto aliquo corpore, & totus in qualibet illius parte, sic essentia est tota in omnibus, & in quolibet suorum inferiorum.

Rursus, eo ipso quod actuatur genus, & quasi vnitur illi differentia, constituitur species, & distinguitur essentialiter ab omni alia, nam idem est principium constitutiuum, & distinctiuum cuiuslibet, vt fatentur omnes.

Secundò colligitur, quod licet eadem differentia respectu diuersorum sit diuisiua, & constitutiua, vt rationale diuidit animal, & constituit hominem: respectu tamē eiusdem, semper est alia differentia diuisiua, & alia differentia constitutiua, v.g. animal per sensibile constituitur, & diuiditur per rationale.

Dubium appendix.

Hîc tandem dubitari solet, an differentia faciat realiter differre species inter se; an verò per intellectum? Supponimus vt certum, alia munera illi per rationem conuenire, scilicet diuidere genus, determinare; seu contrahere illud, & constituere speciem; nam sicut cut vnitas generica est opus solius rationis, ita diuisio talis vnitatis, & contractio per modum

actus; præsertim cum nulla sit realis distinctio inter rationem contrahibilem, & contrahētem, nullaquè potentialitas, & actualitas, sed hæc omnia solùm ratione nostra excogitata, & inuenta sunt; & eâdem ratione constituere, seu componere speciem tamquàm actus formalis illius, quid rationis est, si sit sermo de modo constitutionis, seu de formali compositione; nam si sermo sit de constitutiuo *quod*, id est, de re, quæ constituit, realis est, & in hoc posteriori sensu dicitur homo realiter constitui per rationale: solùm igitur de munere distinguendi speciem ab alijs, est difficultas.

In qua multi iuniores affirmant, quod sicut genus facit formaliter conuenire species per intellectum, & non nisi fundamentaliter à parte rei; ita differētia solùm fundamentaliter faciat differre speciem à parte rei, formaliter verò non nisi per intellectum tali fundamento in re supposito.

Fundamentū eorum est; quia formalis actus differentiæ, vt talis est, est facere differre præcisè, ita vt nulla ratione faciat conuenire: quia differentia præcisè vt differentia, tantùm habet quod faciat differre, & non conuenire: aliàs genus intermedium esset differentia. Quia animal, aut viuens faciunt differre hominem à lapide: sed ideò non sunt differentiæ (vt omnes docent;) quia faciunt hominem conuenire cum equo: ergo cum differentia, prout est à parte rei, non faciat differre præcisè, sed etiam conuenire; quia est idem realiter cum genere: solùm fundamentaliter, & non formaliter conueniet illi hoc munus à parte rei. Confirmatur: quia differentia eo modo constituit, & distinguit speciem; nam constitutiuum, & distinctiuum idem sunt, sed constituere speciem est opus solius rationis: ergo & distinguere.

Nihilominus opposita sententia mihi magis probatur. s. hoc munus distinguendi speciē conuenire differentiæ à parte rei, nō solùm fundamētaliter, sed etiam formaliter. Probatur: quia negari nō potest hominem, & equum essentialiter, & formaliter differre à parte rei, & secluso quocumquè opere intellectus.

Nequè valet dicere hanc distinctionem esse solùm fundamentalem; tùm quia tota definitio distinctionis essentialis illis conuenit à parte rei, s. essentiam vnius non esse essentiam alterius, sed aliam diuersam, solùmquè vnitas vtriusque, & conuenientia diuersitati opposita est opus soliùs rationis: quia prout à parte rei, videntur se totis differre. Tùm etiam: quia si attentè inspiciamus, totùm id, quod differētia accipit à ratione,

solà est, quod ipsa differat à genere, quòd differat ab specie, & individuis illius; quod constituat illam vt actus, cæterùm quod distinguat vnam speciem ab altera, non accipit; quia velit nolit intellectus distinguntur inter se duæ species: & postquàm intellectus abstraxit rationale, & irrationale à suis generibus, non habent maiorem diuersitatem inter se, ac antea habebant.

Deniquè negari non potest, quod ipsamet forma, seu differentia physica sit differentia logica, per hoc solùm, quod abstrahatur per intellectum à ratione generica, sed differentia physica à parte rei facit differre: ergo etiam differentia logica quantùm ad hoc munus præcisè, licet quantùm ad distinctionem à genere, quid rationis sit.

Ad fundamentum oppositum facillimè respódetur, quod aliud est loqui de differentia logica completè, & adæquatè sumpta, prout est pars definitionis essentialis, & speciei. Aliud verò de illa inadæquatè quantùm ad officium distinguendi vnam speciem ab alia. Si primo modo sumatur differentia, certum est, non esse formaliter à parte rei, sed tantùm fundamentaliter, sicut reliqua vniuersalia; quia includit necessariò abstractionem intellectus possibilis, qua præscinditur à genere, quod diuidit, ac contrahit, & ab specie, quàm constituit, &c. Si verò sumatur inadæquatè solùm quantùm ad munus faciendi differre vnam speciē ab alia, sic aliquid reale est, sed non cōuenit illi absolutè ratio differentiæ; quia deficiunt illi alia munera essentialiter requisita. Quéadmodum enim de natura vniuersali, dixi, habere in re pluralitatem, tàm actualem, quàm aptitudinalem, non tamen dari vniuersalitatem à parte rei, quia deficit illi vnitas, quam habet solùm per intellectum, ita licet facere differre formaliter conueniat formis à parte rei, & generibus intermedijs; non conuenit illis ratio differentiæ logicæ; quia deficit illis ratio distinctionis à natura generica; & ratio actus contrahentis genus, & constituentis speciem; quæ essentialiter differentiæ conueniunt: vnde quotiescumque istæ rationes defecerint, & adsit solú ratio distinguendi, dicentur differentiæ physicæ, non autem logicæ.

Ad confirmationem respódetur negando antecedens; & ad probationem dico, constitutiuú *quod*, & distinctiuum idem esse, id est principiú, quod constituit, distinguit, non tamen constitutiuú *quo* est idé, quod distinctiuú *quo*; nam distinctio constitutiui à re constituta est solius rationis, distinctio autem distinctiui ab alia specie realis est.

A R-

ARTIC. III.

An differentia inferior claudat formaliter genus, vel differentiam superiorem?

ID est, an differentia constitutiua speciei infimæ, rationale. V. g. includat essentialiter genus, vel differentiam constitutiuam illius, rationem, scilicet animalis, aut sensibilis? In qua difficultate, vt certum supponendum est, genus ipsum, & differentiam constitutiuam illius non includere essentialiter differentias inferiores; vt optimè in cap. de differẽtia probauit Porphyrius, duplici ratione.

Prima, quia si animal. v.g. includeret formaliter omnes differentias hominis, & equi, &c. sicut in qualibet specie est formaliter ipsum genus animal, & de illa prædicatur, ita essent omnes differentiæ, ac proinde non esset, vnde differret vna species ab alia, essetquè vera hæc propositio. *Homo est equus*, sicut ista *homo est animal*.

Secunda, quia differentiæ inferiores sunt oppositæ: ergo non possunt actu esse in eodem genere (vt dixi tractando de vniuersali in communi) aliàs genus nullam haberet vnitatem, vanaquè esset abstractio illius à differentijs; imo & impossibilis, si illas secum traheret.

Difficultas ergo solùm in eo posita est, an genus ipsum, vel differentia constitutiua illius intimè includatur in differentijs inferiorum? Dicendumquè sine dubio est minimè in illis includi. Docet expressè Aristot. 3. *metaphy. text.* 10. dicens; ideò ens non esse genus, quia includitur in suis differentijs; & 11. *metaphy. c.* 5. & 4. *Topic. cap.* 2. ergo si prædicari, & includi in differentijs tollit rationem generis, etiam rationem differentiæ, quæ generis correlatiua, imo & constitutiua est in ratione speciei subalternæ.

Probat etiam Aristotel. citatus, & S. Thom. ibidem, ratione ab inconuenienti desumpta; quia si animal. v.g. includeretur in rationali bis poneretur in definitione hominis, semel explicitè, & iterùm implicitè in ipsa differentia, idem autem bis poni in definitione vitium est: ergo dicendum est, animal non includi in gradu præciso rationalis.

Aristotel. S. Thom. Scotus in 4. d. 11. q. 3. & 7. quæst. 17. Capreol. 1. d. 2. q. 2 Itẽ. S. Th. 1. contra Gẽt. c. 17. Ferrar. Iauel. & Niphus. Soncin. M. Oña,

Secundò probatur: quia differentia vt differentia est, non est principium conueniendi, sed differendi tantùm, sed si differentia includeret genus, vel differentiam superiorem, iam

esset

esset principium conueniendi, atquè adeo superfluè distingueretur à genere: ergo.

Tertiò, sequeretur differentias inferiores non esse primò Diuersas, nam conuenirent in ratione generica. Sequeretur item, quod genus non esset vniuocum; quia inclusio, & transcendentia, vt infra dicetur, analogiam causat, & vniuocationem tollit. Deniquè: quia hoc prædicabile differentiæ ad hoc instituitur à Logico, vt sit pars definitionis essentialis, & simul cum genere componat speciem, sed de ratione partium componentium est, quod inter se distinguantur, & vna sit extra essentiam alterius: ergo de ratione differentiæ logicæ est, quod sit extra essentiam generis, & è contra aliàs non esset pars speciei, sed tota species.

Soluuntur aliquot argumenta contra dicta.

Sed contra hanc conclusionem obijcies primò: quidquid dicitur essentialiter de prædicato, dicitur essentialiter de subiecto in prædicatione essentiali, sed animal, & sensibile dicuntur essentialiter de prædicato huius propositionis: *rationale est homo*: ergo, & de subiecto, quod est *rationale*, & cõsequenter differentia superior includitur, & prædicatur de inferiori.

Respondetur, quod quando propositio est directa, & prædicatur essentialiter dicitur de subiecto, quidquid dicitur essẽtialiter de prędicato, dicitur essentialiter de subiecto; at verò illa propositio, *rationale est homo*, est indirecta, & sic nõ sequitur, quod quidquid essentialiter dicitur de homine, debeat dici de gradu præciso rationalis.

Secundò obijcies: quia benè sequitur hic syllogismus in darapti. *Omnis homo est essentialiter animal, omnis homo est essẽtialiter rationalis: ergo aliquid rationale est essentialiter animal*: iã ergo includitur *animal*, quod est genus, in differẽtia inferiori.s.rationali.

Respondetur variari suppositionem à non distributo ad distributum: quia cum extremitates vniãtur in medio tamquàm partes illius distinctæ, & impermixtæ formaliter, retinent eandem distinctionem inter se, & mediũ respectu vtriusq; est formaliter plures, & non perfectè vnum, vt postulat rectitudo syllogistica infra exponenda.

Hac enim de causa est in physicis vitiosa hæc cõsequẽtia: *homo essentialiter includit animã; homo essentialiter includit corpus: ergo corp^o essentialiter includit animã*; nam inclusio vtriusq; partis in toto nõ infert inclusionẽ vnius partis in alia, sed potius distinctionem vtriusquè inter se, quia eandem habebant in medio.

Tertiò

Tertiò obijcies; quia alioquin differentia infima esset ratio suprema, si non contineretur sub ratione superiori, essetque actus omnino simplex, & purus. Sed facilè respondetur, differentiam infimam indirectè saltem, & confusè contineri sub genere superiori, quatenùs est constitutiua speciei, quæ sub illo continetur; quia nec potest esse superior sua specie, quin potiùs cum illa conuertitur.

Præterea res suprema debet esse prædicabilis de pluribus generibus, respectu quorum emminentiam, & supræmum gradum superioritatis habeat, quod differentiæ minimè quadrat.

Item ratio actus puri non solùm excludit compositionem in se, verùm etiam, quod ipse sit pars aliud constituens, alioquin materia, & forma physica, & quæuis alia pars simplex esset purus actus; qua ratione ergo ipsæ excluduntur, excluditur differentia.

Soluitur quartum, & difficile argumentum.

Sed difficilius obijcitur. Quartò hinnibile, quod est differentia equi, essentialiter est ens: ergo, vel per se, vel in alio; non in alio; quia non est accidens: ergo per se, & substantia. Rursus non incorporea: ergo corporea: quia nulla est intelligibilis substantia, quæ non sit corporea, vel incorporea. Item, non inanimata: ergo animata, & viuens; & non insensibilis: ergo sensibilis, & animal: ergo hinnibile secundùm gradum præcisum differentialem includit intrinsecè omnes differentias, & genera superiora.

Confirmatur, quia formalitates graduum superiorum non aliter distinguntur, quàm per ordinem ad operationes, sed eo ipso quod hinnibile est principium actionis equinę, est formaliter corporeum; quia actio illa corporea est: & est sensibile, quia est principium sensationis, nam actio illa sensatio quædam est; & est viuens, quia vitalis est, &c. ergo claudit intrinsecè rationes superiores.

Huic argumento communiter responderi solet, distinguendo inter substantiam prædicamentalem, & differentiam diuisiuam illius; & substantiam trãscendentalem, quæ abstrahit à substantijs completis, & incompletis, & primam dicunt, nõ includi in rationali, & alijs differentijs superioribus, sed solùm secundam, & idem proportionabiliter distingunt de ratione corporis, & alijs generibus, quæ vt transcendunt, non sunt genera, &c.

Sed hec solutio dificilior est, quàm ipsum argumentum: quia præterquàmquod explicandum

restabat

restabat discrimen inter vtramquè rationem prædicamentalem & transcendentalem (quod in præsenti commodè fieri non potest) est idem cōplemētum, vel incomplementum in generibus, & differentijs superioribus, ac in inferiori; nam physicè tam cōpleta ratio est generica, ac differentialis, & si metahysicè dicatur incompleta differentia inferior, quia præbet tantùm vnam partem speciei formaliter à genere diuersam, propter eandem rationē genus, & differentia superior dicentur metaphysicè incōpleta, de quo infra: quare ergo si sunt ita completa; vel incompleta ac differentia, inferior, non includentur in illa?

Res est sanè difficilis, & à nomine sufficiētēr explicata: procius tamen intelligentia suppono, quod genus quodcumquè superius, substantia. v. g. duo dicit, vnum determinatè, & explicitè; rationem, s. in qua cōueniunt & assimilantur sua inferiora, & alterum in potentia, & confusè, differentias. s. per quas contrahitur ad inferiores species, vt supra dixi tractando de vniuersali in communi.

Ex quo infero, quod non solùm ratio determinata & explicita, sed etiam differentiæ indeterminatè, & cōfusè sub illa cōtentæ, substātiæ dici possint, cū hoc tamen discrimine, quod ratio explicita primariò & formaliter substantia dicatur, ratio verò confusè contenta, secundariò & materialiter, quatenùs est aliquid pertinens ad gradum substantiæ; è conuerso verò corporeum explicitè, & primariò dicit principium corporeitatis, & secundariò & materialiter, vel in obliquo rationem substantiæ, quatenùs est actus illius diuidens, & contrahens eam, & sic de alijs generibus proportionabiliter philosophandū est.

Secundò aduerto, genus, & differentiam diuisiuam illius nō distingui formaliter penès ordinem ad operationes omnino diuersas, sed per habitudinem ad diuersas formalitates eiusdem operationis, quinimo nulla operatio potest à solo genere, vel à sola differentia prodire, sed necessariò à toto composito, vt patet in physicis: sic ergo in actione, quæ est propria equi, distinguimus rationem actionis vt sic, secundùm quam tribuitur substantiæ vt sic tamquàm radici. Secundò rationem actionis corporeæ, qua ratione correspondet formalitati corporis. Tertiò rationem vitalitatis, quo pacto tribuitur principio vitali. Quartò determinamus eam ad sensationē, & sic correspondet conceptui animalis, & denique ad talē sensationem equi propriam. s. ad hinnitum, & sic tribuitur speciei infimæ.

Ex quo patet, quod tam in principio radicali, quàm in operatione, quæ illi correspondet, distinctio inter gradus superiores & inferiores, solùm attenditur penès formalitates magis, aut minus determinatas eiusdē rei, ita vt quò magis descendimus, magis determinetur, & particularizetur operatio, vnde cũ vna formalitas aliam supponat, & connotet essentialiter, nil mirùm, quod sine illa saltem in obliquo, aut confusè contenta, concipi non valeat.

Ex quo iam ad argumentũ in forma respondeo: Concedo, quod hinnibile sit substantia: quia non accidens, cæterùm materialiter, & secundariò, quatenùs confusè, & in potentia sub ratione substantiæ continetur, & quatenus rationem explicitam substātiæ supponit, & connotat tamquàm actus, & determinatio illius: formaliter verò & primariò dicit conceptum à substantia prædicamentali diuersum, per ordinem ad talem determinationem operationis, quàm non dicit præcisa formalitas substantiæ. Sic etiam dicendum est respectu formalitatis corporis; & differentiæ constitutiuæ illius, & respectu aliorum graduum eiusdem lineæ, supponi essentialiter, & connotari à differentia equi, & ratione huius illi suas denominationes tribuere, non tamen primariò, sed modo dicto; nam vnusquisquè conceptus suam distinctam rationem obiectiuam, & denominationem primariam retinet ab alia diuersam.

Ad confirmationem respondetur; concedo quod actio illa propria equi, omnes illas rationes intrinsecè contineat, sed vt sic non correspondet principio differentiali præcisè, sed toti speciei, & de qua verum similiter est, includere omnia genera superiora & consequenter eorum differentias diuidentes & contrahentes: differētiæ enim equi præcisè considerate, non conuenit illa actio secundùm omnes formalitates, quas in se habet, corporeitatis, vitalitatis, sensationis, &c. sed solùm secundùm vltimam, quæ alias vltimò determinat, easq; supponit, & quamuis sine illis intelligi nō valeat, non prouenit hoc, quia illas intrinsecè includat, sed quia essentialiter supponat, & respiciat, vt dixi; sicut contingit in correlatiuis.

De differentia autem numerica, seu indiuiduali est euidentius minimè claudere in suo conceptu rationes superiores: quia non addit aliquam nouam formalitatem, aut gradum in ratione principij; nec illi correspondet aliqua specialis proprietas aut determinatio operationis, quæ nouam formalitatem principij postulet, sed tantùm

tùm modũ distinctionis, aut limitationis naturæ specificæ, vt latiùs infra declarabo.

Proprietates autem, quę dici solent indiuiduales, non ideo sic dicuntur; quia proueniant à sola differentia indiuiduali tamquam à radice, sed quia oriuntur, vel ab ipsa natura specifica, vt iam modificata per singularitatem, & vt vestita alijs accidentibus, & circumstantijs extrinsecis, vel ab alijs causis extrinsecùs aduenientibus: ideò proprietates latè dicuntur, quia singularitaté connaturaliter comitantur, in rigore tamen non sunt, nisi accidentia communia: ideoquè differentia indiuidualis definitionibus logicis deseruire nequit.

ARTIC. IIII.

An diuersorum generum possit esse eadem differentia?

PRimò certũ est, quod duorum generum, quorum vnum non est sub alio, nec vtrumq; sub vno tertio, non potest esse eadem differentia constitutiua, nec diuisiua. Primũ constat, quia si haberent talem differentiã; haberent etiã aliud genus supra se quod est iam cõtra suppositionem, quod ambo non sint sub vno tertio. Antecedens probatur: nã omnis differentia contrahit, & diuidit aliquod genus superius: si ergo illa differentia cum vtroque genere efficeret vnã speciem, supponeret necessariò aliud genus superius, quod diuideret ab alijs speciebus, nam duo genera immediata cum quibus speciē constituit, potiùs coniungit, quam diuidit.

Secundùm patet etiam: nam differentia diuisiua pertinet essentialiter ad prædicamentum sui generis: quia est compars illius, & pars speciei, quam cum illo constituit, nihil autem per se vnum potest continere rationes diuersorum prædicamentorum, eo enim ipso vtrúmquè prædicamentum ad vnum reduceretur.

Docet clarè hanc assertionem Aristoteles *in ante prædicam. c.* 4. Vbi regulam tradit bipartitam in hunc modum. *Diuersorum generum & non subalternatim positorum diuersæ sunt species, & differentiæ: subalternorum verò generum nihil prohibet, easdem esse differentias*: per genera nõ subalternatim posita intelligit illa, quorũ vnũ non est sub alio, nec ambo sub vno tertio, vt interpretantur in eo loco. Caietan. Sotus. Tolet. Conimbricenses, & alij. *Aristote.* *Caietan.* *Sotus.* *Tolet.*

Iuxta secundam partem regulæ secundò certum est, generũ, quorum vnum est sub alio, & vtrumq; sub vno tertiò eadem

 est

est differentia constitutiua, & diuisiua; vt animalis, & corporis eadem est differentia constitutiua. s. corporeum, & diuisiua. s. rationale, quod proximè diuidit animal, & remotè, aut mediatè contrahit viuens.

Controuersia igitur est, an duorum generum, quorum vnum non est sub alio, vtrumquè tamen est sub vno tertiò, possit esse eadem differentia? Etnō est sermo de differētia cōstitutiua, de qua certū est posse esse eandem: nam differētia generis superioris constituit genera inferiora, sermo ergo est de differentia diuisiua.

Et hanc posse eādem esse, respectu dictorum generum, tenet verior opinio. Quā expressè docet Aristot. 4. *Topic. loco.11. & clariùs lib.6. loco. 41. & in ante prædicamentis c.* 4. vbi pro secunda regula, quàm ibi assignat, inquit. *Subalternorum vero generum nihil prohibet easdem esse differentias*, vbi per genera subalterna intelligit, vel quorum vnum est sub alio, vel saltem vtrumquè est sub vno tertio; nam vtroquè modo verè dicuntur genera subalterna.

Probatur manifestis exemplis, nam rationale in homine diuidit animal, & intellectiuum. In primo conuenit cum brutis, & in secundo cum Angelis, & neutrū genus est sub alio, sed ambo sub vno, tertiò, scilicet sub genere substantiæ viuentis.

Secundò: potentia cognoscitiua & appetitiua continentur sub potētia in communi, & neutra sub altera collocatur, & nihilominùs habent eandem differentiā diuisiuam. s. corporeum, qua determinātur ad sensus corporeos, & appetitū sensitiuum, & distinguntur à cognitione & appetitu spirituali. Item animal volatile, & gressibile, vt docet Arist. citatus. 6. *Topic.* sunt genera, quorum neutrum sub alio cōtinetur, & ambo sunt sub animali, & tamen bipes est differentia diuisiua vtriusquè.

Dices: sequeretur huiusmodi genera efficere vnum per accidens: quia cōcurrunt in vna specie, & vnum non se habet vt actus, vel potētia respectu alterius. Rursus: bipes non petit animal volatile, cum possit esse sine illo in homine: ergo nō facit vnum per se cum illo.

Respondetur ad primū, quod licet vnum genus nō sit forma, vel materia respectu alterius, satis est quod vtrumquè sit materia, & potentia respectu differentiæ, qua vtrumq; contrahitur, & actuatur, vt resultet ens per se, vt contingit manifestè in Christo Domino, in quo sunt duæ naturæ completę, diuina & humana, & vna non est actus, vel potentia respectu alterius, quia tamen vtraquè terminatur eadem subsisten-

substantia efficiunt vnum ens per se; & in præsenti est minor difficultas, nam duo genera non sunt absolutè, nisi tantùm duo conceptus inadęquati eiusdem rei.

Ex quo patet ad confirmationem: nam sicut genus, animal v.g. non petit determinatè hanc speciem hominis. v. g. quia potest sine illa esse in leone, & nihilominùs constituit vnum per se cum rationali, quando actuatur per illud, sic bipes, licet non petat determinatè volatile, potest illud per se actuare, &c.

ARTIC. V.

An differētia propriissima sit gradus omnino simplex, an verò compositus?

NOn est difficultas de differentia subalterna: quia si hæc deberet esse composita ex alijs superioribus, procederetur in infinitũ, vsquequo incideremus in simplices differentias, & non ex alijs compositas. Sensus ergo difficultatis est, an differentia cuiuslibet speciei infimæ simplex sit, an verò cōposita ex pluribus differētijs subalternis, quarum vtraque, licet seorsim sumpta vniuersalior sit, inter se tamen vnitæ vnam æqualem efficiant, & conuertibilem cum specie?

Prima sententia, quam tenuit Porphyrius, ita affirmat. s. nullam differentiam infimam simplicem dari, sed esse aggregatũ ex pluribus subalternis, & ita hominis differentiã, ait, esse rationale mortale. Per rationale conuenit cum Angelis, & per mortale cum brutis.

Porphy. c. de differentia. Philopp. ibid. commēto. 39. Auerro. 7. meta. tex. 43.

Fundamentum est: quia sine differentia infima simplici potest species sufficienter constitui, & distingui essentialiter ab omni alia: ergo sine necessitate asseritur differentia simplex. Antecedens probatur: nam sicut collectio proprietatum indiuidualium sufficienter distinguit vnum indiuiduum ab altero, licèt in vna, vel altera proprietate conueniant, ita collectio plurium differentiarum, si inueniatur in vna specie, & non in altera, erit sufficiens ratio distinguendi, quamuis inadæquatè conueniant in aliqua ratione, sicut conueniunt etiam in genere. V. g. sufficiēter distinguitur voluntas ab intellectu & appetitu sensitiuo, per hoc quod definiatur, est *appetitus spiritualis*; nam per primam particulã conuenit cum appetitu sensitiuo, & differt ab intellectu: & per secũdam differt ab appetitu sensitiuo, & conuenit cum intellectu, & idē constat in differentia hominis assignata à Porphyrio.

Probatúr tandem ex Arist. 2. *poster. c.* 14. vbi tradens formam quidditatiuè definiendi, docet, *tot debere in definitione sumi, quot simul sumpta possint esse æqualia definito, quodlibet tamen sit vniuersalius*, & 4. *Topic.c.5.& 5.Topic.c.2.* vbi docet, quod *differentia non est conuertibilis cum specie*, & 7. met. vbi ait, *partes definitionis simul esse æquales definito, non autem si seorsim sumantur*.

Secunda sententia est aliorũ iuniorum asserentium, differentiam infimã frequenter esse simplicem, aliquando verò esse cõpositam ex pluribus subalternis; quia nulla ratio repugnantiæ, (vt aiunt) assignari potest, ob quam repugnet huiusmodi differentia composita, quod probant fundamento supra assignato: & adducendo aliqua exẽpla in scientijs, quæ simul sunt practicæ & speculatiuæ, & in habitibus, quæ simul rationem artis, & scientiæ participant: ergo nec semper simplex, nec semper composita asserenda est vltima differentia, sed abstrahens ab vtraque.

Mihi tamen opposita sententia affirmans semper esse simplicem, magis probabilis, & vera videtur. Tenet illam S.Thom. & plures alij in hoc loco. Probatur primò: quia vnitas, & distinctio specifica cuiuscumque radicis, aut virtutis sumitur semper per ordinem ad proprietates & operationes primarias, quas vt finem perse intentum respiciunt: ergo quęlibet essentia per se vna vnicam tantùm proprietatem, & operationem vt finem perse respicit, ac proinde quando duæ proprietates, aut fines diuersi æquè primò intenduntur, diuersæ sunt essentiæ, aliàs nullum firmũ principiũ esset ad diuersificandas essentias, aut potentias. Sed tunc sic: essentia, quæ constitueretur per differentiam compositam ex duplici subalterna, æquè primò, & immediatè respiceret duas operationes, & proprietates: ergo eo ipso non esset perse vna, sed efficeret vnum per accidens, vel per aggregationem.

Declaratur amplius hæc ratio: quia, vel istæ differentiæ subalternæ concurrerent ad cõponendam hanc vltimam differentiam vt interse subordinatæ, ita vt vna sit altera superior, & sic possunt ad eãdem operationem perse ordinari, & tunc superior habebit rationem generis respectu inferioris, quia erit abstrahibilis à pluribus differentibus specie; ac proinde non poterit cum ratione inferiori vnã vltimam differentiam componere: vel ergo concurrunt vt differentiæ non subordinatæ, & sic quælibet erit ellicitiua suæ propriæ operationis, ac proprietatis, sicut antea, atquè adeò si ope-

D. Tho. 2. post. c. 14 tex. 17. Albert.

tract. 5. de differ. c.6. Fons. 5. met c.28. q.17. Vnetus. Sotus. Tolet.

operationes sunt duæ, radices & essentiæ erunt duę iuxta principium assignatum.

Si dicas, esse vnam radicem, & causam æquiuocá emminentiorem. Eâdē rationę possemus confundere essentias aliàs distinctas, asserendo vnam æquiuocè extendi ad plures operationes, & sic ex principio posito nihil firmum colligi posset. Præterea, causa æquiuoca, seu vniuersalis ideo extenditur ad plures effectus, quia coniungitur cum alijs causis particularibus, à quibus determinatur, atque adeo efficit cum illis plures virtutes.

Secundò principaliter, quia vltimæ differentiæ diuersarum specierum debent esse primò diuersæ, & se totis differre, sed in casu, quod differentia vltima esset composita ex duplici subalterna, non esset primò diuersa, sed esset principium conueniendi, & non differendi præcisè: ergo eo ipso quod taliter composita, non esset vltima differentia. Maior patet ex communi Philosophorum sententia, qui omnes propter hoc genera inter media excludunt à ratione differentiæ, quia sunt rationes conueniendi, & non differendi. Minor etiam constat; quia si species hominis constitueretur per intellectuale mortale, talis differentia, si esset vltima, esset ratio conueniendi cum Angelis, & cum brutis, atquè adeo non primò diuersa.

Si autem his rationibus respondeatur, vltimam differentiá in hoc casu non esse vtramquè rationem subalternam, sed coniunctionem præcisam vtriusquè & hanc esse primò diuersam. Contra hoc est: quia omnis differentia constitutiua speciei debet esse formale principium alicuius proprietatis, aut operationis, sed præcisa identificatio, aut coniunctio duplicis rationis subalternæ non est principium alicuius nouæ operationis, aut noui modi operandi: ergo non potest esse vltima, & formalis ratio constitutiua essentiæ specificæ, de cuius ratione est, quod sit radix, aut principium alicuius operationis.

Ad fundamentum ergo primæ sententiæ. Respondetur, quod licet verum sit, quod sufficienter distingueretur essentia ab omni alia specie, quia haberet tale aggregatum differentiarum subalternarũ, vt probat argumentum, cæterùm non distingueretur vt species per se vna, sed vt ens quoddam per accidés ex pluribus coalescens. Ratio enim est clara: quia cum principium distinctiuum sit idé quod principium constitutiuum, si distinctiuum est collectio plurium, ita & constitutiuum, atquè adeo non erit species per se vna.

Ad exempla posita respondetur, quod intellectuale, quatenus est principium conueniendi hominis cum Angelis, non est vltima differētia hominis, etiam partialis, sed verum genus; differentia autem est intellectiuum per modum discursus seu intellectiuum, quod pendet ex phātasia, in qua non solùm differt à brutis, sed etiam ab Angelis, & ab omni alia specie.

Similiter voluntas est facultas tendens in ens sub ratione boni: & in hac indiuisibili ratione, differt ab intellectu, qui tendit in ens sub ratione veri, & ab appetitu sensitiuo, qui respicit non bonum vniuersale, & in cōmuni, sed determinatam rationem boni sensibilis. Ad exempla autem de scientijs, aut habitibus, satis dixi *disp.1. sect.2.* Vnde nulla assignabitur vnquā species, quæ non respiciat differentiam indiuisibilem, & adæquatam.

Ad testimonium Aristotel. respondetur primò, quod si aliquid probaret, probaret semper id esse faciendum, quod tamen planè falsum est; nam quando scimus vnam simplicem esse differentiam rei, vitiosum iudicamus definiendo, plures accumulare loco illius; debet ergo doctrina Arist. intelligi, quando ignoramus simplicem differentiā; vt frequenter contingit. Sic enim loco illius substituenda est multiplex differentia: inde tamen non licet colligere speciem constitui multiplici differentia, sed intellectum carere cognitione simplicis differentiæ: Sic etiam frequenter accidit loco differentiæ positiuæ, quam ignoramus, collocari negationem aliquam, & loco differentiæ essentialis ignotæ, vti proprietate aliqua accidentali.

Ad secundum, & tertium testimonium Aristot. facilè respondetur, ibi non loqui de partibus differentiæ, sed definitionis, quas verum est, non esse æquales definito, si seorsim sumantur nec conuertibiles cum illo; nam sola ratio generica, vel sola ratio differentialis non potest esse idem, quod tota species, quæ ex vtraque componitur.

ARTIC. VI.

An quælibet differentia sit perfectior genere, quod contrahit, & an vna semper sit perfectior alia?

Communis sententia tenet, differentiam, saltem secundùm quid esse perfectiorem genere, quatenus se habet veluti forma, & actus determinans, genus verò tanquàm mate-

materia, & potentia perfectibilis, & determinabilis. Perfectior autem est actus, quàm potentia: & determinans, quàm determinabile, vt sæpè docet S. Thom.

S.Th.1.p. 50. ar.4. ad 1. & q.75. ar. 7. ad 1. *Caietan.*

Est tamen difficultas, an hic excessus sit simpliciter, vel secundùm quid? Ad quod, aduerto, differentias alias esse extrahentes, & alias limitantes; quæ diuisio sic communiter explicari solet. Quod differentia extrahens dicatur illa, quæ est radix alicuius operationis nobilioris, & perfectioris, quàm sit ipsum genus; ac proinde per illam extollitur, & erigitur ipsum genus ad nobiliorem modum operandi, & hoc modo se habet rationale respectu animalis: quia est radix operationum intelligendi, quæ multò præstantiores sunt, quàm operationes sentiendi, quas habet animal; ideoquè meritò extrahi, seu eleuari dicitur animal per rationale ad gradum perfectiorem. Similiter sensibile est differentia extrahens respectu viuentis; quia operationes sentiendi longè nobiliores sunt, quàm operationes viuendi solùm; quæ arboribus conueniũt, & plantis.

Differentia verò limitans est illa, quæ est radix alicuius nouæ operationis distinctæ ab operationibus generis, cæterùm imperfectioris, & ideo potius dicitur limitare perfectionem generis, quàm eleuare illud ad perfectiorem gradum, & huiusmodi fortè erunt differentiæ aliquorum mixtorum imperfectissimorum, & etiam rationale respectu intellectiui vt sic, & differentiæ Angelorum, vt aliqui dicunt.

Quo supposito, facilè respondetur, differentias extrahentes, quæ genus eleuant ad præstantiores operationes, esse simpliciter perfectiores ipso genere, secùs verò limitantes, sed potiùs exceduntur à genere. Ratio est clara: quia illa natura est perfectior, quæ est radix perfectioris operationis: ergo si differentia extrahens est radix perfectioris operationis, quàm genus, & differentia limitans est radix operationis imperfectioris manifestè sequitur, illam esse simpliciter nobiliorem; hanc verò genere imperfectiorem.

Circa secundam partem articuli, an vna differentia semper sit altera perfectior? Dicendum est, differentias constituentes diuersas species semper esse inæqualis perfectionis. Docent hanc conclusionem Aristotel. 3. *met. c. 3. & text. 11.* S. Tho. ibidem *lect. 8. & 8. met. text. 11.* Item S. Tho. *q. de spiritualibus creaturis art. 8. & quodlib. 3. art. 6. & 2. contra Gent. c. 44. ratione 8.* Vbi Ferrar. Aegid. 1. *met. q. 27. &* 2. *met. q. 4.* Fonsec. 5. *met. c. 28. q. 10. sect. 2.* Suar. *disp. 28. sect. 3. n. 16. & 17.*

Aristote. S. Thom. Ferrar. Aegid. Fonsec. Suarez.

& 17. Ob idquè species asserunt, esse sicut numeros.

Probatur hac vnica ratione, quia species constitutę per diuersas differẽtias necessariò sunt inęqualis perfectionis; ergo ipsæ differẽtię cõstituẽtes necessariò sunt inæquales in perfectione. Patet consequentia: quia species non possunt esse inæquales in perfectione, propter rationem genericam, quia hæc est principium conueniendi earum: ergo propter differentialem. Antecedens verò probatur: quia si species non essent inter se inæquales, non haberent per quod differrent inter se; nam vnaquequè haberet omninò eandem perfectionem ac alia: æqualitas nãquè esset illis similitudo, & ratio conueniendi, nam conueniẽtia in quantitate virtutis non est propria æqualitas, sed similitudo: æqualitas propriè attenditur secundùm quantitatem propriã, cuius est proprietas.

Sed contra obijcies; relationes diuinæ sunt quasi specie distinctæ, & tamen sunt æquales in perfectione, secundùm illud Athanasij, *Totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*: ergo non est inconueniens, quod dentur species, & differentiæ diuersæ, & quod sint æquales in perfectione.

Respondetur supponendo ex infra dicendis, capite de qualitate, quod duplex est perfectio. Alia entitatiua, seu transcendentalis, quæ consistit in integritate cuiuslibet rei, quomodo definiri solet: perfectum est, *cui nihil deest*. Alia est perfectio quantitatiua, quæ non est aliud, quàm quantitas virtutis alicuius rei. Prior perfectio consistit in indiuisibili, atquè adeo non suspicit magis & minus: nequè dicitur alteri æqualis, aut inæqualis; nam he sunt proprietates quantitatis, sed solùm posterior.

Quo suposito respondetur, relationes diuinas, si explicitè, & reduplicatiuè considerentur, secundũ pręcisos relatiuos conceptus, nõ dicere perfectionem quantitatiuam intrinsecè, & in recto, sed tantùm perfectionem entitatiuam, id est, integritatẽ in ratione relationis, atq; adeo nequè esse æquales, neq; inęquales in his perfectionibus propter rationem dictam, si autem hę relationes considerentur secundũ id, quod includunt formaliter implicitè, vel secundùm id, quod connotat in obliquo. s. secundùm naturam diuinam, dicunt perfectionem quantitatiuam, & hæc non multiplicatur, sed est vna & eadẽ, & ratione illius dicuntur æquales, in conclusione autem posita, & eius probatione loquimur de perfectione quantitatiua.

ARTIC. VII.

An differentia proprissima posſit suſcipere magis, & minus?

RAtio dubitandi eſt, quia diſgregatiuum viſus. v.g. (& idem eſt de qualibet differentia qualitatis ſuſcipientis magis, & minus) eſt differentia propriſsima, & tamen ſuſcipit magis, & minus. s. ipſa albedo: quia implicat augeri albedinem, quin augeantur etiam omnia eius prædicata eſſentialia, ac proinde etiam differentia propriſsima.

Reſpondent recentiores aliqui hac ratione conuicti, quod quando Porphyrius docuit, differentiam propriſsimam non ſuſcipere magis, & minus, ſolùm loqutus fuit de differentia ſubſtantiarum, non verò de differentijs aliquorum accidẽtium, quæ poſſunt ſuſcipere magis, & minùs, ſed abſque vllo fundamento limitantur verba vniuerſalia Porphyrij. Quod vt explicem, aduerto, difficultatẽm noſtram, & Porphyrij doctrinam non intelligi de augmẽto extẽſionis, ſic enim certum eſt, differẽtiam propriſsimam quantitatis eſſe extenſionem, quæ ſine dubio formaliter vt talis eſt, ſuſcipit magis, & minus, tantùm igitur eſt quæſtio de augmento intenſionis, vt patet ex nominibus intenſionis, & remiſionis, quibus vtitur Porphyrius.

Porphy.

Qua propter dicendum breuiter eſt, differentiam propriſsimam formaliter, & eſſentialiter vt talis eſt, non ſuſcipere vnquã magis, & minus, ſed ſolùm materialiter; & in quantùm differentia aliàs cõmunis. Probatur concluſio ex Ariſt. 8. *met.* dicente, quod ſpecies vel eſsẽtiæ ſunt ſicut numeri, quia conſiſtunt in indiuiſibili; quod etiam communiter aſſeritur ab omnibus: ergo differentia propriſsima quatenùs eſſentialiter conſtitutiua eſt ſpeciei, & diſtinctiua illius à qualibet alia; non poteſt ſuſcipere magis, & minus.

Ariſtote.

Ex quo ſumitur ratio huius concluſionis; nam albedo quæ erat vt vnum, ex eo quòd augeatur vt duo, neque eſt magis albedo eſſentialiter, quàm antea, vt optimè notauit Sotus, ſicut neque ſubſtantia aliqua magis extenſa, dicitur magis ſubſtantia, quàm altera minoris quantitatis, vt omnes docent, aliàs magis differret eſſentialiter albedo intẽſior à nigredine, quàm remiſior, & ſubſtãtia magis extenſa ab accidente, quàm ſubſtãtia minus extenſa. ergo differentia eſſentialis, vt talis eſt, non ſuſcipit magis, & minus.

Confir-

Confirmatur: quia suscipere magis, & minus intensiuè est, quid accidentaliter conueniens albedini, aliàs albedo vt duo, & vt quatuor essentialiter differrent: ergo etiam conuenit accidentaliter eius differentiæ: ergo si differentia essentialis albedinis consideretur secundùm quod differentia proprisima essentialis est, non suscipit magis, & minus.

Secundò, quia vt dicam in libris de generatione, intensio, & remissio fit per additionem, aut diminutionem noui gradus in eâdem parte subiecti, vel per maiorem radicationem eiusdem indiuisibilis qualitatis in eâdem diuisibili parte subiecti: ergo respectu albedinis non augetur vllo modo differentia proprisima, sed tãtùm respectu subiecti, respectu cuius dicitur differentia communis, & non proprisima. Patet consequentia; quia si intendatur albedo per maiorem radicationem eiusdem indiuisibilis formę ad idem subiectum, manifestum est hanc maioritatem non esse in ipsa forma secũdùm se, sed in ordine ad subiectum. Si verò intendatur per additionem gradus ad gradum, vt augeretur differentia proprisima, deberet augeri in eâdem parte albedinis, respectu cuius est differentia proprisima; sed non augetur, aut extenditur nisi solùm in diuersis partibus, aut gradibus albedinis, ad modum, quo substantia in diuersis partibus integralibus: ergo.

Hanc doctrinam optimè notauit Caiet. dicens, quod disgregatiuum visus in ordine ad subiectum, cuius est differentia cõmunis, intendi potest, quia. s. aduenit noua pars albedinis eidem parti subiecti; at verò respectu speciei albedinis, cuius est differentia proprisima, non intenditur, quia non aduenit noua pars differentię in eâdem parte albedinis, sed in noua, & diuersa parte, intensio autem fit in eâdem parte subiecti. Idem similiter notauit Sotus dicens, quod licet corpus fiat magis album, quia in eâdem parte subiecti adueniunt illi noui gradus albedinis, tamen albedo non fit magis albedo, quia in eâdem parte albedinis non aduenit noua pars differentiæ essentialis, sed quasi materialiter, & extensiuè. *Caietan.* *Sotus.*

Exemplum autem optimum est, in numeris, quibus Aristot. essentias cõparauit, sicut enim si vnitas aliqua ternarij cresceret in se ipsa, & esset maior, cresceret non formaliter in ratione numeri, quia tàm numerus ternarius remaneret, sicut antea, sed tantùm materialiter, & entitatiuè, quod ideo est, quia illa entitas non aduenit, qualis debuit, vt discerem. Sic etiam aucta albedine, crescit differentia proprisima illius materialiter solùm *Aristote.*

solùm, & entitatiuè, quia aliquid illius de nouo aduenit, nõ tamen formaliter, vt differentia essentialis est, quia non facit albedinem magis essentialiter differre (licet faciat plus albedinis realiter) quod ideo fit, quia tali differentiæ augmẽtum non aduenit in eâdem parte albedinis, sed in noua, vt dictum est. Vnde cum differentia communis augeatur in eâdem parte subiecti, albedo. v. g. facit subiectum magis accidentaliter differre; nam corpus, quò magis est album, eò magis accidentaliter differt à nigro.

Ex quo colligitur iam secunda pars conclusionis, s. materialiter, & vt differentia communis est, posse differentiam aliàs proprissimam suscipere magis, & minus. Probaturquè prætera ex Arist. *6. Topic. c. 3.* dicente, quod cum res definita suscipit magis, & minus, etiam omnes partes definitionis suscipiũt. Et ratio est clara; quia genita, vel corrupta aliqua entitatè, necessum est simul generari, vel corrumpi omnia prædicata essentialia illius: ergo minuta, vel aucta tali natura; necesse est illá minui, vel augeri, ac proinde si intendatur albedo, essentiam disgregatiui, quæ est differentia, & rationem coloris, qui est genus per intensionẽ augeri necessum est; sed hoc augmentum conuenit illi materialiter, & in ordine ad subiectum, vt probatum est.

Ex quo patet iam ad rationem dubitandi, solùm enim probat, quod differentia proprissima materialiter, vel extensiuè, vel in ordine ad subiectum, respectu cuius est differentia propria, vel communis, possit suscipere magis, & minus.

Tandem aduertendum est, quod quando Porphyrius dixit, differentiam propriam suscipere magis, & minus, non est intelligendum generaliter de omnibus differentijs proprijs; non enim possunt omnes suscipere magis, & minus: solùm ergo vult, quod differentiæ propriæ, vt talis est, non repugnet posse suscipere magis, & minus, cum dentur aliquæ, in quibus id inueniatur.

ARTIC. VIII.

An differentia sumatur à forma physica, & genus à materia?

VVlgare assertũ apud Metaphysicos, & Dialecticos est, quod genus sumatur à materia, & differentia à forma, in quo quidem explicando non satis conueniũnt: nam Caietan. Ferrar. Marsil. & alij *Caiet. in.* *Ferrar.* *Marsil.*

alij plures existimant, in substátijs materialibus genus sumi à materia præcisè, & differentiam à forma; nam substantiæ immateriales, cum non habeant compositionem ex materia, & forma, certum est in illis non sumi genus à matèria, & differentiam à forma.

Fundamentum huius sententiæ, est; quia genus dicit quendam gradum côtrahibilem per plures differentias, & differentia dicit gradum quendam determinantem, & perficientem genus; sicut & forma physica dicit entitatem determinantem materiam, & materia dicit entitatem indifferenter contrahibilem per plures formas: ergo genus sumitur à materia, & differentia à forma.

Hæc verò sententia, si contendat genus tantùm sumi à materia, & differétiam tantùm à forma, est planè falsa, sed absolutè & vniuersaliter dicédum est, tàm in substantijs, quàm in accidentibus, tàm materialibus, quàm in immaterialibus sumi a tota quidditate, seu entitate rei. Probatur primò, quia materia, & forma physica distinguntur realiter, vt in phylosophia certum est, genus autem, & differentia sola ratione, quatenùs vna, & indiuisibilis entitas consideratur in ordine ad diuersas operationes, vt iam ex supra dictis constat: ergo à tota entitate sumuntur, & non à partibus physicis realiter distinctis.

Secúdò, homo v.g. nô constituitur per materiá in ratione generica animalis, quia habet materiá eiusdem speciei cum materia lapidis, & non conuenit cum illo in genere animalis: ergo côstituitur in ratione animalis per suam formam, quæ quatenùs est forma substantialis dat esse substantiæ: & quatenùs est ratio viuendi, dat esse viuens: & quatenùs est ratio sentiendi dat esse animalis, sicut quatenùs est talis forma rationalis, dat esse hominis: ergo.

Tertiò, quia materia ex se est indifferens ad omnes formas tá substantiales, quàm accidentales, tàm sensitiuas, quàm insensitiuas: præsertim de forma viuentis certum est, non sumi vllo modo à materia, sed ab anima realiter distincta, tamquàm à ratione propter quàm, aliàs lapis eandem materiam habens esset viuens.

Quartò, quia alioquin si genus à sola materia physica acciperetur, non posset prædicari de specie, quia pars non potest prędicari de toto.

Denique, quia quod est differentia constitutiua vnius speciei s. subalternæ, est genus respectu alterius inferioris: ergo talis differentia non posset sumi à materia: quia esset differétia;

tia, neque posset sumi à forma, quia esset genus; quod est planè falsum. Neque potest dici, quod forma physica respectu vnius, est materia physica respectu alterius formæ substantialis: ergo nec differentia respectu vnius posset dici genus respectu alterius, si differentia à forma, & genus à materia sumeretur.

Ad fundamentum igitur cõtrariæ sententiæ, respondetur solùm probare, quod genus quodammodo assimiletur materiæ, & differentia formæ; quia illud habet modum, & indifferentiam materiæ, hæc verò determinationem formæ, & propter hoc vulgariter dici genus à materia, & differentiam à forma sumi, quia intellectus, qui tales rationes excogitauit, vnam sumpsit à materia, id est, ad similitudinem, & exemplar materię, & alteram à forma, tamquàm ab exẽplari, quod imitatus fuit.

QVÆSTIO III.

De partibus definitionis accidentalis, seu descriptiuæ.

DEfinitio accidentalis est illa, quæ declarat proprietates, & affectiones, quæ accidentaliter adueniũt rei definitæ, vnde subiectum important vt materiale, & loco generis, modo iam supra dicto, quaten' perfectibile est per suas proprietates, aut qualitates: & proprietates ipsæ terminant, vt formale, quod ponitur loco differentiæ. De subiecto nihil est in præsenti dicendum; quia non intrat in his definitionibus ratione sui, sed prout subest suis proprietatibus, & affectionibus, quæ solùm declarari intenduntur per ipsas.

ARTIC. I.

De accidente proprio.

PRiùs de proprio, quàm de accidente communi est sermo, quia proprium pertinet ad definitionem speciei, & est essentiæ proximiùs, accidens verò commune pertinet ad definitionem indiuidui, & est magis extraneum, vt dicetur. Itaq; duo sunt genera accidentium, quæ alicui extra essentiam illius aduenire possunt: quædam vt dixi propria: quædam communia. Accidentia propria sunt, quæ dimanant ab essentia rei, & cum ea inseparabilem habent connexionem, illique ita connaturaliter debentur, vt sine illis essentia non esset integra, sed imperfecta, & quasi læsa in his proprietatibus: quia naturaliter eas postulat. Accidentia verò com-

communia sunt, quæ non oriuntur à principijs proprijs naturæ, nec necessariò connectuntur cum essentia rei, sed sunt illi omnino extrinseca, & quasi aduentitia; & ideo natura sine illis, ita integra, & perfecta remanet, ac cum illis. v.g. albedo respectu hominis, vel nigredo respectu equi.

Rursus: accidentia propria, alia sunt, quæ simpliciter sic dicuntur, ea. s. quæ conueniunt speciei *omni*, *& soli*, *& semper*, id est, omni indiuiduo speciei, quæ est primarium subiectum, & radix talium proprietatum, & soli speciei, & semper; ideoquè communis omnium sententia huiusmodi accidentia propria vocat conuertibilia cum specie, id est, quod ab specie ad eius proprietates, & à proprietatibus ad speciem sit optima, & mutua, cõsequentia & sic se habet risibile respectu hominis.

Alia sunt propria secundùm quid tantùm, ea. s. quæ dicunt aliquam conuenientiam cum eo, quod est simpliciter proprium, quatenùs participant aliquam ex tribus conditionibus prædictis, quas habet proprium simpliciter. Et ideo ex tribus illis seorsim participatis colligitur triplex proprium secundùm quid. Primum, quod conuenit soli, sed non omni. Esse Architectum v.g. conuenit soli speciei humanæ, sed non omni indiuiduo illius. Secundùm, quod conuenit omni, sed non soli; vt bipes conuenit omni homini, sed non soli. Tertiũ deniquè, quod omni, & soli, sed non semper competit. Vt canescere soli homini conuenit, & omni, sed non semper. Hoc tamen est semper animaduertendum, proprium emanare aliquomodo debere, vel naturalem connexionem habere cum re, cuius est, defectu cuius gratia, & habitus supernaturales, licet substantiæ rationali conueniant, omni, soli, & semper, proprietates non sunt.

Proprium igitur, vt distinguitur contra accidens commune, vel potest considerari prout est in singularibus, vel potest in communi abstrahi ab omnibus subiectis singularibus, & comparari solùm prout est proprietas dimanans ab essentia specifica, & sic est quædam species vniuersalis, prædicabilis, & definibilis; quæ sic definiri potest. Est *Vniuersale, quod tamquàm accidens connaturaliter debitum, est commune multis, ab eorumquè essentia dimanans.* Per illam particulam *accidens*, dicunt aliqui significari, non quod sit de prædicamento accidentis, prout distinguitur contra substantiã, sed prout distinguitur contra essentiam; nam in ipsismet accidẽtibus consideramus suas proprias essentias genericas, seu specificas; ideoq; propriũ distĩgui à genere,

genere, differentia, & specie, quia est accidens aduenieus extra essentiam rei. Hæc tamen ratio est friuola, nam eo ipso quod aliquid sit proprietas consequens essentiam alicuius accidentis, & ab ea dimanans, erit accidens prout distinguitur contra substantiam, quia si radix talis proprietatis est accidés respectu substantiæ, à fortiori proprietas consequens illam.

Item distinguitur proprium ab accidente communi, quia est dimanans ab essentia rei, quæ differentia sufficiens est; nam diuersitas essentialis vniuersaliũ, definibilium, & prædicabilium sumitur iuxta mentem Porphirij, & communem consensum ex diuersa connexione prædicati cum subiecto: Cum ergo esse aliquid subiecto intrinsecum, & extrinsecum, & esse extrinsecũ connaturaliter debitum, & petitum inseparabiliter, & non connaturaliter debitum, sint habitudines, & connexiones valde diuersæ respectu subiecti, manifestè ex illis constat differentia huius à cæteris vniuersalibus. Vltima particula *dimanans* ab essentia additur præcedenti ad maiorem explicationem illius, non vero quia aliquid nouum explicet.

Addo præterea sub dicta definitione cóprehendi propriunt, quod dimanat ab specie infima, quod propter hoc infimum appellatur. v.g. risibile, & propriũ sub alterum, quod ab specie oritur subalterna vt sensibile, & proprium genericum, quod solum generi connaturaliter debetur, quomodo subsistentia dicitur proprietas substantiæ. Proprietates autem entis in communi propter suam transcendentiam excluduntur à ratione definibilis, ac prædicabilis, reductiuè tamen pertinere possunt ad proprium genericum, sicut & ipsum ens ad genus reducitur.

Etiam actus potentiarum sub proprio continentur.

Ex hac definitione quidam colligunt, actus potentiarum nó pertinere ad proprium, sed ad quintum vniuersale accidentis communis. Sed immeritò; nam huiusmodi actus cóueniunt omni, & soli, licet non semper, dimanantque ab essentia rei saltem mediatè: suntque accidentia connaturaliter petita & debita naturæ: quia si potentiæ sunt connaturaliter debitæ, vt fatentur authores oppositi, à fortiori actus, propter quos tales potentiæ requiruntur.

Rursus, hi actus conueniunt indiuiduo ratione speciei, à qua dimanant, sed accidentia communia è conuerso conueniunt speciei ratione differentiæ indiuidualis, vt postea dicetur: ergo pertinent ad quartũ, & non ad

quintū vniuersale, seu prædicabile. Vlterius, hi actus pertinēt ad definitionē speciei, nam eo ipso quod pertinent potentiæ, pertinet & actus, sine quib' potentiæ intelligi non possunt, aut intrare definitionem, sed accidentia communia solùm pertinere possunt ad descriptionem indiuidui: ergo sunt definibilia, & prædicabilia diuersa.

Denique, sine his actibus esset aliquantulum læsa, & imperfecta natura, etiam si haberet omnes suas potentias, vt patet in eo, qui habet impedimentum extrinsecum ad discurrendum, loquendum, vel audiēdum, &c. Bene verum est, non esse proprium simpliciter & quarto modo (vt dici solet) hos actus, eo quod non conueniunt semper, & inde habent posse adesse & abesse hoc, vel illo tempore determinato, sine læsione subiecti, cæterùm si semper abessent, læderetur sine dubio subiectū, vt probatum est.

ARTIC. II.

Quid sit accidens quintum vniuersale, & quomodo definiatur?

TRes definitiones ex Porphyrio communiter adduci solent. Prima est. Accidens est, *quod potest adesse, & abesse subiecto, præter illius corruptionem.* Secunda est: *quod contingit idē inesse, & non inesse.* Tertia definitio est. accidens est *quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, semper autem est in subiecto subsistens*, quæ duæ vltimæ definitiones etiam sunt Arist.

Circa illas autem (quæ in sensu æquiualent, & tantùm verbis differūt) aduertit N.M. Oña intelligi posse primò & secundò intentionaliter. Si primo modo sumantur, efficiunt hunc sensum: accidens est, *quod potest inhærere, & non inhærere sine subiecti corruptione.* Si autē secundò intentionaliter, sic intelligēdæ sunt: accidēs est, *quod potest adesse, & abesse*, idest quod potest affirmari, & negari de subiecto, sine illi' corruptione, hoc est, sine eo quod lędatur aliquo modo subiectum ex absentia illius, eo quod non dimanat ab illius essentia, neque est connaturaliter illi debitum, & in hoc secundò sensu locutum fuisse Porphyrium, sicut in cæteris definitionibus aliorū prædicabilium. *Arist.* *Magister Oña.*

Colligiturque præterea ex diuisione, qua Porphyrius accidens sic definitum, statim distribuit in accidens separabile, & inseparabile: si enim definitio, primò intentionaliter daretur, repugnaret diuisioni; quia

quia accidens inseparabile non abest secundum rem à subiecto, & ita dicit Porphyrius, quamuis coruus albus, & æthiops candore affectus à parte rei non sit, tamen mente, cogitatione vè coruus albus, & æthiops candore affectus intelligi potest.

Sensus ergo illius definitionis est: accidens esse, quod affirmari, vel negari potest de suo subiecto, sine eo quod intelligatur aliquid detrahi integritati connaturaliter debitæ subiecto, eo quod tale accidens ab essentia illius non fluit, nec annectitur naturaliter. Ex quo rursus patet, particulam illam *adesse, & abesse subiecto* intelligendam esse disiunctiuè, vel successiuè, non autem simul, vel copulatiuè, quia sunt opposita.

Fonseca 5. meth. c. 28. q. 19. sec. 5. Aduertit etiam Fonseca, quod accidens secundò intentionaliter sumptum vt prædicabile, & prout continetur in his definitionibus, abstrahit ab accidente vniuersali, & singulari, facilè tamen accommodari potest accidenti vniuersali, si addatur loco generis, est *vniuersale, quod potest adesse: vel est prædicabile in quale separabile, & non naturaliter connexum:* quæ definitiones, quia facilè deduci poterant ex alijs aliorum prædicabilium, omissæ sunt à Porphyrio.

Obyciuntur aliqua.

Contra definitiones autem sic declaratas, adhuc obijci solet: quia forma substantialis potest adesse, & abesse subiecto. s. à materia, sine illius corruptione, & similiter vestis, aut corona adest, & abest homini sine illius corruptione, & tamen non sunt accidentia, sed substantiæ: ergo prædicta definitio conuenit alijs à definito.

Secundo: morbus lethalis, vt pestis, & aliæ qualitates mortiferæ sunt accidentia, quæ non possunt adesse subiecto sine illius corruptione, idemquè est de morte, & anihilatione Angeli: ergo mala est definitio accidentis.

Tertiò: quia definitio Aristo. aduersatur duabus præcedentibus; quoniam si in illis dicitur, quod accidens potest adesse & abesse subiecto, malè dicitur in alia, quod semper debet esse in subiecto subsistens.

Quartò: actus potentiarum & proprietates, licet conueniant omni, & soli, non tamen semper, ac proinde possunt adesse, & abesse sine subiecti corruptione: Ratiocinari. v. g. & loqui respectu hominis; crescere, & mouere se respectu viuetis, quæ proprietates sunt; & tamen illis cõuenit prædicta definitio; quia potest homo nũc loqui, aut discurrere, interdum non. Similiter viuẽs nõ semper crescit, aut

mouetur, & nunquàm ex absentia horum accidentium læditur subiectum: ergo &c.

Ad primùm respondebitur sequenti articulo. Ad secūdùm omissis alijs, dico particulam illam, *sine subiecti corruptione*, coniungi solùm cū absentia accidentis, non autē cum præsentia; ita vt sensus sit; accidēs est illud quod potest adesse, & quod potest abesse sine eo, quod subiectum corrūpatur, quando abest.

Cuius ratio manifesta est; nā quod ex absentia accidentis corrumpatur subiectum, arguit tale accidens esse connaturaliter petitum ab essentia subiecti, atq; adeo esse proprietatē illius connaturaliter debitam ad illius integritatem; at vero quod ex præsentia accidentis corrumpatur, potius infertur oppositum, scilicet ideo subiectum corrumpi adueniente illo, quia est maximè extraneum & contrariū naturæ talis subiecti, atq; adeo non connaturaliter debitū, sed potius contra naturam illius, vnde nihil mirum, quod morbus, pestis, & alia similia accidentia dextruant subiectum, & calor respectu aquæ, &c.

Ad tertium respondetur, minimè contrariari illas definitiones; nam licet quando corrumpitur accidens, possit abesse subiecto, tamen dum non corrūpitur, illi naturaliter debet semper inesse, semperquè in illo subsistere: Vnde in illa definitione Arist. solùm explicatur, ex identiis realem accidētis semper debere esse in aliquo subiecto, quamuis possit abesse illi, vel realiter per sui destructionem, vel per intellectū, illęssa manēte natura subiecti, quinimo dato quod accidens posset migrare ex subiecto in subiectū, semper in aliquo subsisteret vagè, & indeterminatè, licet respectu huius, vel illius determinati posset adesse, & abesse.

Ad quartum respondetur in primis, ideo huiusmodi accidentia dici propria secundùm quid, quia habent maximā similitudinē cum accidētibus quinti prædicabilis. Præterea secundò respondeo, quod quando proprietates non sunt pro omni tēpore connaturaliter debitæ, satis est, quod pro illo tēpore, quo naturaliter petuntur à subiecto, si absint, subiectum lædatur, & imperfectum maneat, quidquid sit de alio tempore, in quo subiectum eas non postulat, & sic si viuens non cresceret, aut moueretur, quando id postulat eius natura, valde diminutū esset. Similiter, quādo homo se applicat ad discurrendum, vel loquendū, si impediretur ab aliquo extrinseco, carentia istorum actuum subiectum imperfectum redderet, vt patet: quamuis nulla facta applicatione, vel ex parte pōtētię, vel ex parte obiecti carere his

his accidentibus, non lædat subiectum: quia non sunt connaturaliter petita à natura pro omni tempore.

ARTIC. III.

Quæ nam accidentia pertineant ad hoc quintum vniuersale?

MVltipliciter accidens sumitur. Primo modo latè, vt distinguitur cõtra essentiam, pro omni eo, quod non est de essentia alicuius rei, siuè illud sit substantia, siuè non; & in hoc sensu rationale dicitur accidens respectu animalis, & hæc prædicatio, *animal est rationale*, dicitur accidentalis: quia sine rationali saluatur in bruto tota essentia animalis, & in hac acacceptione includitur etiam proprium quartum prædicabile, quatenus est extra essentiam rei cuius est. Secundò modo sumitur accidens vt distinguitur contra substantiam, & in hoc sensu illud solùm, quod non est aliquid substantiale, vt albedo & nigredo, dicitur accidens, & illi hoc modo sumpto conuenit illa communis definitio: accidẽs est, *cuius totũ suũ esse est in esse subiecto*, nõ quia actu inesse sit de illius essentia, sed quia sua natura est aptum natum vt subiecto inhæreat. Huiusmodi accidens etiam cõprehendit proprium, quinimo & cætera prædicabilia; nam genus, species, & differentiæ, ita inueniuntur in accidentibus, ac in substantijs. Tertio modo sumitur accidens magis strictè, prout distinguitur non solùm contra essentiam, sed etiam contra quamcumque proprietatem illius. s. pro omni eo, quod ita extraneum est subiecto, quod nec sit de illius essentia, neque aliquo modo illi connaturaliter debitum, & hoc modo vocatur accidens commune, quia cum non manet ab hac essentia determinata, est indifferens ex natura sua, vt subiectis essentialiter diuersis insit.

Hoc ergo supposito, quidquid aliqui iuniores existiment, dicendum est: Accidens quintum vniuersale, comprehendere sub se, non solùm accidens, vt distinguitur contra substantiam, sed etiam omne prædicatum accidentale, quod est omnino extraneum essentiæ, & debito conaturali alicuius rei. Docet S. Tho. sæpè eumq; alij plures sequntur.

S. Thom. q. de spirit. creat. art. 15. 1. p. q. 77. art. 1. Scotus. Caieta. hic Fer. Auicenn.

Probatur ratione; quia non solùm prædicata accidentalia, quæ distinguntur à substantia, vt hominem esse album, vel nigrũ, sed etiam illa, quæ sunt substantia, possunt adesse, & abesse subiecto pręter illius corruptionem,

nem, & de illo accidētaliter prædicari, sic caput dicitur coronatum, vehiculum oneratum, materia informata, &c. ergo huiusmodi prædicationes verè pertinent ad 5. prædicabile, & vniuersale.

Confirmatur: quia huiusmodi prædicationes habent omnes conditiones, vt fint ex veris prædicabilibus, vt dicetur suo proprio loco, disp. sequenti, sed non pertinent ad aliquid ex cæteris prædicabilibus, vt facilè discurrenti patebit; ergo pertinent ad 5. prædicabile & vniuersale.

Ex quo colligitur etiam propositiones, quæ sunt de prædicatis negatiuis, vt *homo est cæcus, animal est mortuum, &c.* pertinere ad hoc quintum vniuersale saltem reductiuè; quia cum in quolibet vniuersali non tam attendatur res, quàm modus essendi, & prædicandi de multis, in omni genere fieri possunt prædicationes ad hoc quintum prædicabile pertinentes, vt homo est cæcus, columna est dextera, paries est visus, &c.

Quidam dicunt, has prædicationes: crux est lignea, annullus est aureus, &c. non pertinere ad hoc, vel aliud prædicabile, quia sunt indirectæ. Decipiuntur tamen, quia nulla prædicatio, in qua prædicatum sit terminus adiectiuus, & subiectum terminus substantiuus, potest esse indirecta, cum vnum significetur vt materia per se stans, & aliud vt forma alteri adiacens, sed huiusmodi sunt prædictæ prædicationes: ergo sunt directæ, ac proinde quinti prædicabilis, sed de hoc latius sequenti disputatione.



DIS-

DISPVTATIO III.

DE SECVNDA OPERATIONE, ſeu ſpecie modi ſciendi.



ECLARATA iam primæ operationis intellectus natura, primaq; modi ſciendi ſpecie, nunc ad ſecundæ explicationem recto ordine tranſgrediamur, in qua ſimul omnia quæ Ariſtotel. docuit non ſolùm in libris de interpretatione, ſeu Perihermenias (ſi Græco vtamur idiomate) verum etiam, quæ in libro prædicamẽtorũ, Deo dāte exponemus: nā interpretatio, vt ad præſens attinet ſignificat idẽ, quod ſecunda operatio intellectus, ſeu enuntiatio, aut prædicatio. Hæc autem res omnes ſub ratione prædicabilis, & ſubijcibilis, vt obiectum reſpicit, & ex conſequenti decem prædicamenta, quæ nihil aliud ſunt, teſte D.Th. *opuſc.48.trac.2.de prædicamentis c.1.* quàm quædã prædicabilia coordinata, vel decem lineæ quibus res prædicabiles, & ſubijcibiles inter ſe coordinantur; prædicamentum enim Latinè, idem ſignificat, quod Græcè *cathegoria*, ſeu *cathegorema*; vt docet Fonſeca 5. *met. p.1.c.7 ſect.2.* ac proinde actionem prędicabilem; quapropter ſequendo rectum Ariſtotelis doctrinæ ordinem, priùs de prædicatione obiectiua, vel de obiecto enuntiationes, poſtea verò de ipſa enuntiatione formali erit ſermo. Omittam enim breuitatis gratia textus, & capita Ariſtoteles (quæ videri poſſunt apud Reuerendiſsimum noſtrum Epiſcopum Magiſt: Oña in ſua Logica, & latiſsimè apud Paulum Vallium Roman. Ieſuitam) omnia verò, quæ in illis, & in commentarijs præceptoris ſanctiſsimi inuenero ſcitu digna, ſincerè proponam, & meis quæſtionibus fideliter explanabo.

D.Thom.

Fonſec.

Ariſtoſto.

Epiſ. Oña

Pau. Val.

SECTIO I.

De obiecto formali propositionis in communi, & de varijs conditionibus, & diuisionibus illius.

QVÆSTIO I.

Quid sit prædicabile, quod est obiectum formale quo propositionis.

ARTIC. I.

PRopositio formalis non est aliud, *Quam enuntiatio, seu prædicatio vnius de alio.* Vnde obiectum adæquatum illius est compositum quoddam constans ex subiecto & prædicato, vel ex subijcibili, & prædicabili. Subiectum est *Id, de quo aliud affirmatur, vel enuntiatur*, & prædicatum *id quod prædicatur de alio tamquam de subiecto*: sunt enim correlatiua, quorum vnum sine alio intelligi, aut definiri nequit. Subiectum autem & subijcibile & prædicatum & prædicabile non differunt, nisi tamquam actus secundus & primus, vt supra animaduerti, & idcirco illis indifferenter nunc hac, nunc illa voce vtemur.

Ex quo colligitur, subiectum esse obiectum materiale propositionis, & prædicatum esse obiectum formale quod. Patet, nã subiectum se habet vt materia, quæ non tàm attingitur ratione sui, quàm ratione prædicati; & prædicatum se habet, vt forma, vel ratio subqua consideratur subiectum, & quæ principaliter in eo intelligitur v. g. quando enuntiatur de homine, quod sit albus: quod intendit intellectus, non est considerare essentiam subiecti, hominis scilicet, sed rationem albedinis, quæ in illo est, & de illo affirmatur, subiectum autem quasi supponitur.

Dixi prædicatum esse obiectum formale quod, vel rationẽ subqua ex parte rei cognitæ, vel in genere rei, vt distinguã illud à ratione subqua ex parte modi cog-

cognoscendi, quæ dicitur obiectum formale *quo*, specificans hanc secundam operationem intellectus, & est modus simplicis enuntiabilitatis, aut prædicabilitatis constituens, seu determinans hanc operationem secūdam, & distinguens eam à prima, & tertia nostri intellectus operatione, nam totum hoc cōpositū, homo albus: potest cognosci per primam operationem simplici modo illud incomplexè repræsentantē, vel cognosci complexè, modò compositiuo componendo vnū cum alio, non tamen simplici enuntiatione, aut affirmatione vnius de alio, sed iudicio discursiuo inferendo totùm illud complexum ex alio præcognito, & sic pertinet ad tertiam operationem: ergo quando simplici modo sine discursu enuntiatur vnum de alio, pertinet ad secundam operationem, ac proinde sicut enuntiabilitas discursiua est modus constituens tertiam operationem intellectus, & ratio sub qua attingitur obiectum illius ita simplex ennuntiabilitas est modus constituens secundam, & obiectū illius in esse obiecti.

Item secundo assero, & colligitur ex dictis, quod obiectum adæquatum huius secundæ operationis est veritas complexa, seu complexè cognoscibilis: obiectum autem inadæquatum, quod subiectum est, vel prædicatum, est quandoquè complexum, quandoquè verò incomplexum.

Hęc conclusio certa est apud omnes, & probatur facilè, quia propositio est oratio vnū de alio affirmans, vel negans: vnum cum alio componens: vnum esse aliud iudicans: ergo essentialiter postulat aliud, & aliud in suo obiecto; subiectum scilicet, & prędicatum, ex quibus hoc complexum coalescit.

Dixi formaliter, vt tale est, id est, quod cōplexè terminet, quia benè possunt plura obiecta simul sumpta, incomplexè simplicem terminare apprehensionem absq; affirmatione, aut negatione aliqua. Vnde nō satis est, quod obiectum in genere rei constet subiecto, & prædicato, sed requiritur quod in genere obiecti terminet sub ratione complexionis, s. prædicatum vt attributum alteri tāquàm subiecto, & tamquàm forma, quæ de altero affirmatur, in quo a simplici apprehensione hæc secūda operatio distinguitur, quæ licet res compositas etiam respiciat, non dicitur illas componere, quia nihil prædicat, & affirmat de tali compositione, sed purè materialiter se habet in tali obiecto, quod in re compositum, vel simplex sit: loquimur ergo semper de complexione in genere obiecti, quidquid sit de de compositione in genere rei.

AR-

ARTIC. II.

Declaratur omne prædicabile vniuersale vniuocum, vel analogum esse.

PRimò obseruandum est, quod quemadmodum definitio dupliciter sumi potest: vel pro definitione perfecta secundùm omnes regulas, & conditiones logicæ, pro ea s. quæ constat ex vero genere, & differentia, & cuius obiectum adæquatum est species: vel secundò in tota sua latitudine pro quacumque manifestatione cuiuslibet ignoti, quæ simplici modo essentiam rei declarat; sic prędicabile, vel potest sumi strictè secundùm rigorem, & conditiones logicæ, pro eo, quod est ponibile in recta linea prædicamentali, vel potest accipi in tota sua latitudine, pro quouis prædicato enūtiabili, siuè pertineat ad quinque prædicabilia, & ad prædicamenta, siuè non; de vtroque ergo prædicabili erit sermo, vt omnia prædicata imperfecta, quæ incepta sunt, vt in prędicamentis collocentur, possimus excludere.

Omissa igitur diuisione, qua prædicatum in communi diuidi poterat priùs in vniuersale, & singulare, de qua satis dictum est præcedenti disputatione: prędicatum vniuersale, si in tota latitudine sua sumatur, aliud est vniuocum, aliud verò analogum. Quæ diuisio sufficiens, & adæquata est, nā prædicata denominatiua continētur sub vniuocis, vel analogis; prædicata autem æquiuoca in quantùm talia minimè prædicationis officium exercere possunt, quia nullam vnitatem nec vniuersalem, nec singularem participant, sed immediatè significant plura solo nomine conuenientia, vt patebit ex definitionibus quas Arist. affert *c. 1. ante prædic.* Idcirco cōmuniter asseritur à Dialecticis, omne æquiuocum esse distinguendum, vt æquiuocatione per distinctionem sublata, definitionibus, & prædicationibus deseruire possit. Prima igitur definitio est, æquiuoca sunt illa, *quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ secundùm nomē est diuersa*, v.g. canis æquiuocè dicitur de cælesti, & latrabili, quia in ratione significata per nomē differūt, & nullo modo conueniunt, quidquid sit de cōuenientia, quàm habere possunt in alijs rationibus significatis per alia nomina, s. in ratione substātiæ corporis, &c.

Secunda definitio est: vniuoca sunt illa, *quorum nomē est commune, ratio verò substantiæ secundum nomen est eadem*, vt homo, qui

qui vniuocè dicitur de Petro & Paulo, quia non solùm in nomine, sed etiã in natura significata per tale nomen æqualiter conueniunt; ad quam vnitatem parum obstat, quod aliàs differentijs indiuidualibus sint diuersi, quia hæ differentiæ non sunt in ratione significata per tale nomen.

Tertia definitio sumitur ex *S. Thom.* D. Tho. 1. *p. q.* 13. *à* 5. *&* 1. *metaphy. lect.* 3. s. analoga sunt illa, *quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ partim est eadem, & partim diuersa*; vt homo respectu viui, & picti, qui in ratione significata per nomen partim cõueniunt. s. in figura & de lineamentis, & partim differunt, vt patet. Vnde huiusmodi analoga media sunt inter purè æquiuoca & vniuoca; nam vniuocata sunt illa, quę habent perfectam conuenientiam, & æquiuocata omnimodam differentiam; at vero analoga dicunt quamdam conuenientiã imperfectam, quæ admixtam habet secum aliquam dissimilitudinẽ, vel disconuenientiam.

Sed contra obijcies, æquiuoca sunt definibilia, vt constat ex prima definitione Arist. ergo & prædicabilia. Patet consequẽtia, quia omne prædicabile est definibile. Respondetur æquiuocũ in actu exercito nec definibile, nec prædicabile esse, nec contineri in ea definitione Arist. sed solùm ratio æquiuocationis in actu signato, quatenus denominatiuè, & per intellectum abstrahitur ab hoc, vel illo æquiuoco, nam sic talis essentia accidentaliter est vniuoca, & consequenter in quantùm talis, prædicabilis, & definibilis.

ARTIC. III.

Quænã sint prædicata denominatiua.

QVartò denominatiua sic definiuntur: sunt illa, *quæ ab aliquo secundùm nomen habent appellationem, à quo solo casu differunt*, vt à iustitia iustus, à Grammatica Grammaticus, &c. Suppono pro eius declaratione, quod sicut in definitionibus vniuocorum, & æquiuocorum Aristo. non definiuit nomina vniuocantia, & æquiuocantia, sed res vniuocatas, & æquiuocatas, per ordinem tamen ad conceptionem rationis, & ad nomen vniuocans, aut æquiuocans: ita in definitione denominatiuorum nõ definiuit nomina denominantia; sed res ipsas, quaten⁹ nominibus significantur desumptis ab aliqua forma denominãte, & solo casu differẽtib⁹. Patet ex ipsa definitione: denominatiua sunt, quę ab aliquo nominis appellationẽ habent,

habent, à quo solo casu differūt; habere autem nominis appellationem tantùm rebus conuenit appellatis.

Secūdò aduerte, quod differre solo casu Apud Aristote. formā denominantē, & concretum denominatiuum, non excludit; quod in re non differant etiam realiter, sicut concretum, & abstractum, & sicut totū, & pars, sed cum dixerat, *quæ ab aliquo nominis appellationem habent*, subdit, *à quo solo casu differunt*, s. quantum ad nominis appellationem, quidquid sit de conuenientia, aut differētia quantum ad rem.

Item differre solo casu non sumitur hic in sensu Grammatici pro casibus eiusdem nominis, sed pro nominibus differentibus in cadentia, & terminatione syllabarum, conuenientibus tamen in principio, & inceptione vocis: vt iustitia, & iustus.

Obijcitur contra definitionem, ipsaquè exponitur.

Est tamen adhuc difficultas, quia tota hæc definitio conuenit æquiuocis: homo enim ab humanitate accipit rationem, & nomen, ab eaq; solo casu differt, & tamen non est concretum denominatiuum, & si est, etiam est vniuocum, ad quid diuersis definitionibus explicantur denominatiua, & vniuoca?

Plures in hac definitione hallucinari video, eamquè inexplicatam relinquere. Et Petrus Hurtado ait se eam non percipere, ne dicat eam damnare; sed cum communiter recepta fuerit ab omnibus Peripateticis non est dubitandum de vero illi⁹ sensu, & authoritate, quā omnes definitiones habere debent. *Hurta. in sua logica d.9. sec.2.*

Suppono ergo pro solutione; tripliciter accipi denominatiua in vniuersa schola. Primò omnino strictè, & rigorosè pro his quæ tantùm analogicè, & metaphoricè sic dicuntur, quæ certè ab aliqua forma nominis appellationem participant, non tamē rationem intrinsecam, quomodo pulsus, vrina, & medicina sana dicuntur, non tamen eius rationem propriè participant, sed tantùm eius nominis appellationem cum differentia in solo casu, & cum fundamento in aliqua habitudine, aut connexione, quàm habeant cum tali forma; pulsus videlicet, quia sanitatem indicat, medicina, quia illā causat, &c.

Secundò denominatiua intelligi solent prout distinguntur à cōcretis quidditatiuis, & sunt quæ licet ab aliquo non tātùm nomen, sed formam propriam, & rationem accipiant, non participant illam intrinsecè, & in recto, sed tantùm in obliquo, & de connotato; quo pacto distinxi supra, vniuersale in denominatiuum, & quidditatiuum, &

esse

esse cognitum similiter, tractando de ente rationis in communi. Huiusmodi ergo concreta, licet cum quidditatiuis etiam incadentia nominis conueniant, differunt ab eis, in hoc quod formam non intrinsecè participat, sed extrinsecè, & ab ipsa forma, à qua vtrumquè concretũ denominationem sumit, differunt casu, & cadentia nominis.

Tertiò hinc extensa est hæc vox denominatiuum, ad significandum quodcumque concretum accidentale, etiam si formã intrinsecè, & in recto significet: ex eo, quod omnis forma accidentalis, extrinseca aliquomodo dicitur, seu extranea subiecto, comparatione formę substãtialis, seu essentialis; quinimo etiam substãtiale compositum, vt homo, si non dicitur denominatiuum, vt distinguatur ab accidentali, dicitur tamen denominatum; & omnis forma denominãs cõmuniter appellatur.

Ex his patet, quod licet denominatiua tertiæ acceptionis ab vniuocis non differant; distinguuntur tamen denominatiua in prima, & secunda acceptione, eaquè à prædicabilibus reijciuntur: quia vel non significant rationem vnam in pluribus, vel non significant illam intrinsecè, & in recto, sed tantùm de connotato; continentur ergo sub Aristotelis definitione, quę sensum exclusiuum efficit; nam illa verba, quæ ab aliquo secundùm nomen habent appellationem, participationem solius nominis, & non rei indicant. Ex quo cessant iam obiectiones positæ; patetquè ratio, quare omisit hic Aristot. definire analoga, quia, sc. quædam sub vniuocis, quędam sub æquiuocis, & sub denominatiuis continentur: nam vt postea dicam, & sunt analoga, quæ rationem significant verè communem, quæ ad vniuoca reducuntur, quia eorum nomen, & ratio per nomen significata eadem est; alia sunt, quę immediatè plura significant, licèt aliqualiter conuenientia, & hæc ad æquiuoca, & ad denominatiua secundùm diuersas considerationes pertinent. Ideoquè Aristot. exemplum pro æquiuocis posuit in homine respectu viui, & picti.

Dices. Analoga sunt, quæ conueniũt nõ solùm in nomine, sed etiam in ratione significata per nomen, in qua partim conueniunt, & partim differunt, denominatiua verò sunt, quæ ab aliquo solùm nominis appellationem trahunt, non rationem, vt explicuimus: ergo potius æquiuoca, quàm analoga in denominatiuis opportebat intelligi.

Respondetur denominatiua ideo participare nominis appellationem ab aliquo, licet propriè eius rationẽ nõ participẽt, quia dicunt habitudinem, vel attri-

attributionem, aut proportioné ad illam rationem; & hæc conuenientia licet imperfecta est sufficiens ad analoga attributionis, vel proportionalitatis sequenti articulo explicanda, & vt discernantur à purè æquiuocis.

ARTIC. IIII.

Quotuplex sit prædicatum analogum.

OMissis prędicatis vniuocis, de quibus infra, analogū in tria genera diuidi solet à S. Tho. & eius expositoribus. Primum, quod dicitur analogum inæqualitatis physicæ, vel secundùm esse, *est quædā ratio inæqualiter participata à pluribus, ratione differentiarū, in quibus reperitur contracta.* Animal v.g. perfectius participatur ab homine, quàm ab equo, ratione perfectioris differentiæ rationalitatis. Hæc analogia reijci solet vt omnio impropria, quia est compatibilis cum perfecta vniuocatione & quia inæqualitas, & differentia illius non exerceatur in ratione communi sed in differentijs contrahentibus, ac proinde non conuenit illi analogiæ definitio, quæ est ratio partim conueniens, & partim differens; sed immeritò, nam ratio animalis v.g. si consideretur prout abstracta à suis differentijs, nec physicè, nec logicè est analoga, quia nullam inæqualitatem in tali conceptu dicit, sicut nec differētias, contrahētes, sed tantùm est vniuoca, vt potè omnimodá dicens conuenientiam. Si verò talis ratio consideretur vt est à parte rei identificata cum suis differentijs, sic ratio generica & differentialis minimè distinguūtur, ac proinde in eadē ratione physica attenditur simul conuenientia & differentia. Naturæ v.g. hominis, & equi per easdem simplices realitates conueniunt à parte rei similitudine reali v.g. & differunt, & significantur eodem nomine; nam animal apud physicos significare solet totam speciem hominis, vel bruti; ideoquè aduertenter hoc analogum vocat S. Thom. *secundùm esse*, quia. s. attenditur secundùm esse, prout est à parte rei, & non vt conceptum.

S. Thom. in 1. d. 19. q. 5. ar. 2. & 1. contra gētes c. 34. & alibi. Caietan. opusc. de Analogia cap. 1.

S. Thom.

Ex quo tandem patet hoc analogum non significare aliquam rationem verè communem, sed immediatè plura realiter similiá & dissimilia. Ideoquè Arist. 7. *Physic. tex. 31.* hanc analogiam vocat æquiuocationem, quia maior est differentia, quàm conuenientia illius; & ideo potiùs reducitur ad æquiuoca, quàm ad vniuoca.

Aristote.

Colligit etiam, & benè noster M. Oña *q. 1. ar. 1.* solùm genera esse analoga non vero species infimas, quia physicè sunt vni-

M. Oña.

vniuocæ, idest, hanc analogiam côuenire generi, prout est à parte rei in multis speciebus, nô autem speciei, prout consideratur contracta per multa indiuidua, quod constat ex illo Aristot. 7. *Physic. sub genere latent æquiuocationes*: quod non dixit de specie. Et etiam ex ratione; quia species infima totã essentiam continet, & per differentias indiuiduales solùm additur quidã modus extra essentiam, & sic similiter per cætera accidentia: ergo essentia specifica, quæ in quolibet indiuiduo integra reperitur, vniuoca est.

De Analogia attributionis.

Caiet. c. 2 de anal. & Ferr. cũ S. Tho. 1. contra Gent.

Secũdùm gen' dicitur analogorũ attributionis: quæ sic definiri solent. Sunt. *quorũ nomen est commune, ratio verò per nomẽ importata, est eadẽ solùm per attributionẽ ad vnum terminũ, & diuersa secundũ diuersas habitudines ad illũ.* Vel clariùs sunt, quorũ ratio significata per nomẽ intrinsecè & principaliter reperitur in vno, in alijs vero extrinsecè & minùs principaliter, & solũ per attributionẽ ad ipsum tamquã ad terminum, quẽ respiciunt. Exẽplum vulgare est, sanũ, quod dicitur de animali, medicina, cibo & pulsu; sed de animali dicitur principaliter & intrinsecè, nã sanitas propriè & intrinsecè solùm inest animali, de alijs verò dicitur per denominationẽ extrinsecã à salute animalis: medicina. s. prout illam caussat, cibus quatenus eã côseruat, pulsus vt illã indicat. Vnde si ratio intrinseca horum trium consideretur, medicina. v. g. nullam sanitatẽ in se habet, sed est causa illius, & ab effectu extrinseco denominatur sana, & sic de alijs. Idcircò hęc analoga maximè accedunt ad æquiuoca, quia conuenientia, quam habent, est valde exigua, ideoq; ab Arist. vocantur *æquiuoca ab vno* à principali. s. analogato, à quo denominantur talia, vel æquiuoca ad vnum, idest in ordine ad vnum terminum, ad quem habitudinẽ dicunt: differunt nihilominus à purè æquiuocis, quæ nullam habitudinem, nec conuenientiam dicunt præter soliùs nominis. *Aristote.*

Hæc analoga attributionis. Primò diuidi solent in analogum vnius ad vnum, & plurium ad vnum. In quorum expositione variant dialectici; sed non habent aliud mysterium hæc verba, nisi quod analogum vnius ad vnum, vt ait S. Thom. & communis sententia, est quando vnum analogatum minùs principale refertur ad aliud principale: analogum verò plurium ad vnum est quando plura analogata minùs principalia respiciunt eumdem terminum diuerso modo, vt patet in exemplo posito. *S. Tho. 1. p. q. 3. ar. 5. & 2. cô tra Gen. c. 24.*

Decla-

Declarãtur quatuor species huius analogiæ.

Secundò diuidi solent quatuor analogorum species, iuxta quadruplex genus causæ. Quia scilicet terminus, aut principale analogatum, vel potest esse causa efficiens, & ad illud tamquàm ad causam efficientem dicant habitudinem cætera analogata minùs principalia. Vt *Medicus*, qui dicitur de homine arte Medicinæ instructo, & de libris, & Medicina. Vel termin[us], s[eu] principale analogatum est finis respectu aliorum, quo pacto medicina, pomum, &c. dicuntur sana, quia sanitatem, vt finē respiciunt. Vel terminus est causa materialis, qua ratione ens subsistens dicitur de substantia, & accidente; nam accidens subsistere dicitur per attributionem ad substantiã, in qua substentatur. Deniquè analogata minus principalia possunt dicere ordinem ad terminum, qui sit aliquo modo forma extrinseca: quomodò cognitio dicitur de formali, & obiectiua; homo de viuo, & picto, & Nero de homine crudeli, & Nerone. Ad quã reducitur omne, quod sic dicitur per similitudinem imperfectam, aut translationem ab vno, in quo propriè reperitur, ad aliud, in quo impropriè, aut metaphoricè est talis ratio: sic Christus Dominus analogicè dicitur agnus, leo, petra, &c. Ad hoc etiam genus analogiæ reducitur ea, qua nomen causę tribuitur effectui, vel è cõtra, quo pacto mors dicitur palida, nox tristis, opus artificiosum, &c.

Conditiones obseruandæ pro his analogis.

Ad pleniorem horum analogorum notitiam, aliquę assignãtur proprietates, & conditiones. Prima: quod ratio à qua analogata formaliter sic dicuntur, intrinsecè, & principaliter reperiatur in principali analogato, quod ab alijs respicitur, vt terminus, & in cæteris per denominationem extrinsecam, & minus principaliter, quæ conditio in definitione secunda declarata est. Eam tamen aliqui impugnant, dicentes, non esse generaliter veram, nam ex Arist. 4. *metaph.* ens est analogum attributionis respectu substantiæ, & accidentis, & tamen ratio entis reperitur intrinsecè in accidente. Secundò medicina habet in se intrinsecam virtutem sanatiuam: ergo ratio sanitatis, quæ in ipsa inuenitur intrinsecè, & nõ per denominationem extrinsecã illi conuenit.

Deffin 1. d. 3. q. 1. no tab. 5. Bañez. 1. p. q 13. art. 6. Sua disp. 28. meta. sec. 3. numer. 14.

Sed immeritò, & sine sufficienti fundamento hæc conditio negatur; illam enim docent cum S. Thoma, Caietan. & Reuerendissimi nostri M. Zumel, & M. Oña; & probatur: quia talis

S. Th. 1. p. q 13. ar. 6 M. Zuel. sup. hunc loc. q. 2. Caiet. 11. met lec. 3. M. Oña hic ar. 2.

talis analogia idcirco per attributioné dicitur, quia ratio, quæ non est intrinsecè, & formaliter in analogato minùs principali, illi attribuitur, ac si re vera esset, propter habitudinem, quàm dicit ad principale analogatum, in quo intrinsecè inuenitur talis ratio; si enim in analogato minùs principali etiam intrinsecè, & formaliter talis ratio inueniretur, non diceretur de illo per attributionem ad alterum, sed per proprietatem independétem ab analogato principali.

Ad argumentum oppositum facilè respondetur, quod accidens eo modo, quo dicitur analogicè per attributionem ens, idest, subsistens, non habet esse subsistens intrinsecè, sed solùm per denominationem extrinsecam à substantia, vt colligitur ex S. Thom. Si autem sumatur ens in tota sua latitudine pro omni eo, quod quomodocumquè habet esse, quomodo accidens intrinsecè est ens, tunc analogia entis non est attributionis, sed proportionalitatis, vt infra dicam.

S. Thom. 1.2.q.110 art. 2. ad 3. & 11. metaphy. lect.3.

Ad secundum respondetur, quod aliud est, virtuté productiuá sanitatis esse intrinsecè, & formaliter in medicina, & aliud, quod sit sanitas ipsa. Primùm est verum, secundùm autem nó nisi per denominationem extrinsecam: nam stat benè, quod habitudo ad terminum sit intrinseca, & quod terminus vel eius ratio extrinseca sit, & extrinsecè denominans.

Secunda conditio, quæ ex præcedenti colligitur, est, quod ratio analoga per prius dicatur de vno, de principali. s. analogato, & per posterius de alijs, quibus attribuitur. Patet: nam forma extrinsecè denominans prius est intrinsecè in suo proprio subiecto saltem prioritate à quo, quàm in re denominata.

Tertia conditio est, analogú attributionis non significare aliquam rationé communem, sed immediatè plures rationes. Patet etiam, nam ratio verè communis propriè, & intrinsecè reperitur in omnibus suis inferioribus, in illisquè vnitatem formalem habet; at verò ratio analoga per attributionem in vno tantùm est propriè formaliter, & intrinsecè, in alijs verò impropriè, & extrinsecè: ergo.

Tertiam côditioné docet Caiet. de analog. c. 2. Soncin. 4. met. q. 4. ad 1. M. noster Oña citatus & alij plures.

Vnde rursus aduertendum est ex Reuerendissimo nostro Episcopo M. Oña, per hanc regulam, & rationem illius solùm negari conceptum communem respectu principalis, & minùs principalis analogati, cæterùm si analoga minus principalia inter se comparentur, poterunt habere conceptú communé, imò & vniuocum in ratione respiciendi principale analogatum,

& poterunt esse plura significata immediata, & quodcumquè istorum per accidens erit respectu analogiæ.

Quarta cōditio est, quòd analogum per se, & solitariè sumptum, semper stet pro famosiori significato, idest, pro principali analogato, in quo solùm propriè, & formaliter ratio significata per nomen analogum reperitur, sic enim quando dicitur homo: si non addatur aliquid diminuens, significatur homo viuus.

Vltima conditio est, quod in definitione analogorum minùs principalium semper ponatur analogatum principale, quemadmodum in definitione denominationis extrinsecæ debet necessariò intrare forma extrinsecè denominans; & sicut in definitione cuiuslibet relationis, siuè prædicamentalis, siuè transcendentalis debet poni terminus, quia analogata minus principalia, vel consistunt in denominatione extrinseca à principali analogato, vel in habitudine ad illud; & sic medicina definitur, quod sit causa sanitatis, & pulsus, quod illam indicet, &c. quā cōditionem docet S. Thom. 1. *p. q.* 16. *ar.* 6. *& q.* 7. *de potentia, art.* 8. & communiter omnes.



ARTIC. V.

De analogis proportionalitatis.

Nomina hæc, proportio, & proportionalitas desumpta, sunt ab Arithmeticis: apud illos enim proportio est habitudo vnius numeri ad aliū, siuè æqualem, siuè inæqualem, vt habitudo, quæ est inter denarium & quaternarium. Proportionalitas vero est proportio, quæ est inter duas proportiones. v. g. sicut quatuor se habet ad duo, ita sex ad tria; nam sicut quatuor includit bis duo, ita sex includit bis tria: vnde fit ꝙ analogia proportionalitatis necessariò petat quatuor terminos. Cuius ratio est, quia est proportio inter duas proportiones, sed quælibet proportio requirit duos terminos: ergo analogia proportionalitatis exigit quatuor.

Hoc igitur supposito, analoga proportionalitatis sunt illa, *quorū nomē est cōmune, ratio vero per nomen significata est proportionaliter eadem*, idest, eadem secundùm similitudinē vnius proportionis cum altera. In qua definitione sub illa particula: *proportionabiliter eadem* includitur differētia, quę est de ratione analogiæ; nā proportionalitas dicit conuenientiā diuersarū proportionum.

tionum. Colligitur definitio hęc ex Arist. S. Tho. & ab eius expositoribus communiter amplecti tur, ponitq; exemplū noster M. Zumel. in videre, qui dicitur de visione corporali, & intellectuali propter proportionalé conueniétiam quam inter se habét potentia visiua & intellectiua in ordine ad suas operationes.

Arist. 2. Rethor c. 24. & 1. Ethic. c. 6. vbi S. Tho. lect. 6. & Caiet. opusc. de anal. nom. c. 6. & ex nostris M. Zumel & M. Oñ. art. 3.

Hæc auté analoga sunt in duplici differétia; vt docet S. Tho. *q. 2. de verit. art. 11.* & Caiet. relatus. Alia sunt proportionalitatis propriæ. Alia verò proportionalitatis impropriæ, seu methaphoricæ. Primi generis sunt illa, in quibus ratio significata per nomé analogū formaliter & propriè reperitur. Ens. v. g. est intrinsecè & formaliter in substantia & accidente. Secundi verò generis sunt illa, in quibus ratio significata in vno analogato propriè & formaliter reperitur, in altero verò non nisi per metaphoram; vt ridere respectu risus hominis & prati; pratum enim impropriè & methaphoricè ridere dicitur.

Ex quo primò colligitur, q̄ analogū proportionalitatis propriæ immediatè significat vnam rationé communé suis analogatis; vt docent communiter omnes ferè dialectici. Ratio est, quia ad hoc quod possit abstrahi aliqua ratio cōmunis à pluribus inferioribus, satis est pro fundamento, quod illa à parte rei formaliter, & propriè talé rationé participent, & in illa realiter assimilentur, sed analogata proportionalitatis proprię, formaliter & proprię participant rationé significatā per nomen analogū: ergo ab illis potest abstrahi ratio verè cōmunis, ac proinde nomen analogū propriæ proportionalitatis immediatè significat vnā rationem communem.

Secundò colligitur, nomen analogū proportionalitatis metaphoricæ nō significare vnam rationé communem suis analogatis; sed immediatè significare plura analogata. Ratio est: quia nomen analogū proportionalitatis impropriæ non significat rationem, in qua analogata formaliter conueniant, sed solùm in vno propriè & formaliter reperitur talis ratio, in alijs autem impropriè & per metaphoram: ergo nulla ratio communis est abstrahibilis ab eis, quæ significetur in mente per nomen analogum.

Proponitur & soluitur triplex obiectio.

Obijcies tamen primò cōtra prædictā diuisioné: quia sequeretur vniuoca esse analoga proportionalitatis propriæ, ac proinde rationes omnino diuersas inter se confundi, nam in vniuocis ratio significata per nomen est proportionaliter eadé, quia sicut se habet homo ad opera-

tiones sentiendi, ita & equs; cōuenit ergo vniuocis tota definitio analogorum proportionalitatis propriæ.

Secundò: omnis ratio verè communis est vniuoca: ergo si ratio analoga proportionalitatis propriæ, est communis, erit vniuoca. Antecedēs probatur: quia omnis ratio communis debet esse vna in multis, & abstracta ab omnibus differentijs suorum inferiorum à quibus participatur, vt patet ex definitione vniuersalis in communi: ergo debet esse ratio omninò eadē, & nullo modo differens, cum potiùs à differentijs omnibus abstracta sit: ergò vniuoca.

Tertiò analoga proportionalitatis metaphoricæ, & analogā attributionis, seu proportionis, minimè differre videntur: ergo malè est assignata diuisio. Probatur antecedens: quia in analogis tā attributionis, quàm proportionalitatis metaphoricæ ratio significata per nomen analogū est propriè, & formaliter in vno, in alijs verò impropriè, & omnes cōditiones supra assignatæ pro analogis attributionis: quod immediatè significet plura: quod solitariè sumptum nomen analogum stet semper pro famosiori significato: quod analogata minus principalia intelligi & definiri nequeant sine habitudine ad principale analogatum, &c. etiā conueniunt analogis proportionalitatis impropriæ: ergo.

Respōdetur tamē ad primū, quod quāuis ratio analoga proportionalitatis propriæ conueniat cū vniuocis quantū ad conuenientiā & proportionalitatem propriā, quam habent analogata inter se, differt tamen ab illis in hoc quòd dicit conuenientiam imperfectam admixtā habens differentiā; ratio autē vniuoca dicit perfectam, & omnimodam conuenientiam.

Ad secundum respondebitur exactè infra, nunc breuiter dico rationem analogam ita intimè includi, vel inuolui cum suis differentijs, vt non possit ab illis abstrahi aliqua ratio communis formaliter diuersa; sed tantùm penès implicitum & explicitū concipiendi modum eiusdem formæ, & ideo cum conuenientia & differentia exerceantur in eādem forma, erit ratio partim conueniens, & partim differens, ac perconsequens analoga & nō vniuoca.

Exponitur discrimen inter analoga attributionis, & proportionalitatis impropriæ.

Ad tertium respondetur primò, nullum inconueniens esse quòd eadem analogata sub diuersis considerationibus dicantur attributionis & proportionalitatis metaphoricæ, dicuntur enim

enim attributionis, quatenus vnum, vel plura analogata considerantur cum ordine, & attributione ad vnũ principale analogatum; dicuntur autem proportionalitatis impropriè, quatenùs comparatur proportio vnius analogati cum aliquo termino, vnde analoga attributionis vt talia, solùm vnum terminum respiciunt sicut principale analogatũ; at verò analogata proportionalitatis attendũtur penès ordinem ad diuersos terminos.

Neq; valet dicere, hanc differentiam accidentariam esse, quia minimè vt accidens reputari potest id, quod vniuocè conuenit speciei essentialiter diuersæ, s. proportionalitati propriæ, quæ nullo modo est cõposibilis cũ analogis attributionis: saltem enim proportionalitas abstracta à propria, & impropria potest esse species essentialiter diuersa ab attributione, licet non semper realiter differat.

Præterea secundò, etiam in analogis proportionalitatis impropriæ est sufficiens discrimen ab analogis attributionis, in hoc s. quod quamuis in illis detur vnum analogatum nobilius, & principalius, non est tamen tale vt ad ipsum cætera analogata habitudinem essentialem dicãt, & per illud definiantur, sicut contingit in analogis attributionis, quę propter hoc sic dicũtur. Quod exemplis patet; nam ratio principij dicitur de causa, de initio temporis, de corde, de fonte, de puncto analogia proportionalitatis, & licet causa efficiens sit principalius analogatum, & cætera impropriè sic dicantur, nullum eorum consistit in habitudine essentiali ad causam, nec definitur per illam sicut definitur medicina, quod sit causa sanitatis, & pulsus quod illam significet, &c.

Hic disputari solet, per quidnam causetur analogia proportionalitatis propriæ, an per transcendentiam, vel per dependentiam? sed commodius de hac re dicemus postea, tractando de ente in communi, & eius transcendentia, & analogia.

QVAESTIO II.

Vtrum omne prædicatũ vniuersale contineat sua inferiora in potentia, & quomodo de illis prædicetur?

ARTIC. I.

Difficultas hæc, & sequẽs tractari solet, cap. de Genere, sed quia communis vniuersalibus est, hic habet suũ

Ariſt. 1. *Phyſ. tex.* 4. & 7. *phyſ tex.* 31. & 2. *phyſ. tex.* 4. *poſte.c.*8. *tex.*7. *non longe à fi ne, vbi S. Tho. lect.* 13. & *opuſc.* 42. *c.*1. 9. & 10. *Porphyr. c. de dif. Alb. m.* *Iauell. Caiet. Card. Tolet. Mercatus*

proprium locum. Primò enim ſuppono vniuerſale dici ab Ariſt. S. Tho. & alijs, totum potentiale reſpectu ſuorum inferiorum contrahentium. Ariſtot. enim 1. *phyſ. tex.* 4. inquit. *Vniuerſale autem totũ quoddam eſt, multa enim comprehendit vt partes*, & alijs locis idem docet de genere. Eſt tamen explicatu difficile, in quo hec ratio totius potentialis conſiſtat, vel quomodo ſuas partes contineat?

Primò omnes conueniunt, totum potentiale non continere ſuas partes actu determinato, ſiuè explicito, ſiuè implicito, probatur: quia hoc eſt proprium totius actualis, quód. ſ. componatur ex ſuis partibus, illaſquè actu contineat: ergo totum potentiale, quod illi directè opponitur, non poteſt in hoc cum illo conuenire.

Secundò: quia aliàs omnes prædicationes, in quibus prædicaretur totum potẽtiale de ſuis partibus, eſſent falſæ, nam ſi animal v.g. actu includeret hominem, equm, & leonem, quoties de homine diceretur, diceretur etiam de illo, quod eſſet equs, & leo; quod eſt plane falſum: ergo & illud ex quo ſequitur. Sequela probatur ex regula illa cõmuni Ariſt. ab omnibus recepta, quod: ſi quando aliquod prædicatum dicitur eſſentialiter de aliquo ſubiecto, quidquid continetur, aut includitur in tali prædicato, verificatur etiam de ſubiecto illius: ergo ſi animal includit actu omnes ſuas ſpecies, quotieſcumquè prædicatur de vna, verificantur ſimul de illa omnes aliæ ſpecies oppoſitæ.

Tertiò: inepta eſſet omnis definitio, nam quotieſcumq; poneretur genus in definitione ſpeciei, animal. v.g. cum illo ſimul includerentur in tali definitione omnes ſpecies illius; atq; adeo in definitione hominis continerentur differentiæ oppoſitæ leonis, equi, &c. & etiam omnes differẽtiæ indiuiduales, per quas contrahitur rationale, quod abſurdum videtur.

Quartò: ſi omnes differẽtiæ, ſiuè ſpecificæ, ſiuè indiuiduales clauderentur actu in vniuerſali generico, vel ſpecifico, eo ipſo dextruerent vnitatem, quæ eſt de ratione vniuerſalis, quia ex oppoſitis vt oppoſita ſunt, non poteſt ratio vna coaleſcere.

Tandem docet hanc veritatem Porphyrius, *c. de differentia* dicens. *Genus poteſtate quidẽ continere differentias, actu vero nullam*: Docuit inſuper differentiam eſſe, id, quo ſpecies excedit genus; quæ ſententia falſa eſſet, ſi genus contineret actu omnes ſpecies, & differentias, nam potius genus excederet quamcumquè ſpeciem & omnibus ſimul æquivaleret.

* * *

Pro-

Proponitur & reijcitur primus modus explicandi rationem totius potentialis.

Rub. in sua logica c. de genere, q. 4. & alij. Hoc ergo supposito quidam iuniores docent rationem totius potẽtialis cõsistere in hoc quod dicat potentiã vt cõtrahatur per aliquas differentias, & simul cũ illis constituat vnũ totũ. Quorum fundamentũ est; quia quocumquè alio modo ratio totius potentialis explicetur, coincidit cum toto actuali, & incidit in inconuenientia posita, quod. s. actu includat opposita, quod nõ posit prædicari, &c.

Sed hic modus explicandi valde insufficiens est meo videri; nã quod potentia, genus. v. g. contrahatur per differentiam, & simul cum illa constituat speciem, tantùm explicat rationem partis actualis potentis simul cum alia componere vnum totum; hoc autem non sufficit ad rationem totius potentialis: ergo. Probatur minor: quia materia prima est pars contrahibilis, & determinabilis per plures formas, & potens cum illis componere plura tota, & tamen non dicitur totum potentiale, neque est prædicabilis de illis. Tum etiam: quia ex eo quod pars aliqua habeat potentiam ad componendum vnum totum, tantùm sequitur, quod sit pars potentialis, non autem totum, nam illa aptitudo, quam habet, non est, aptitudo vt sit totum, sed ad hoc quod sit pars alicuius totius: ergo potentia hæc solùm poterit denominare illam, partem potentialem, & nõ totum.

Confirmatur, nam aliàs abstracta de abstractis prædicari possent; animalitas. v. g. de humanitate, quod esse falsum infra ostendemus: ergo. Sequela probatur: nã animalitas est abstrahibilis ab humanitate, & equinitate, & contrahibilis per differentias vnius speciei: ergo esset totum potentiale & prædicabile de illis.

Denique: quia ratio totius potentialis ad hoc ponitur, vt reddat rem aliquam proximè prædicabilem; sed potentialitas explicata hoc non præstat: ergo. Minor probatur: quia pars vt pars non potest prædicari de toto, eo quod minus continet quàm totum, ac proinde non potest esse idem quod totum, quod requiritur ad prædicationem formalem; sed potentia vt aliqua pars contrahatur per aliã, & simul cum illa componat vnum totum, non extrahit eam à ratione partis, sed relinquit eam minorem toto: ergo tam inepta manet, vt posit prædicari de quælibet alia pars actualis; nam supposito quòd eadem pars, quæ actu componit, erat antea in potentia, vt cõponeret,

& per potentiam nihil illi additur, in vtroq; statu habet quod sit minor toto, ac proinde quod non possit affirmari de illa esse totùm, vel è contra, sicut in hac propositione affirmatur: homo est animal.

Excluditur etiam secundus modus dicendi aliorum.

Propter hoc alij dicunt rationem totius potentialis consistere in hoc, quod identicè contineat entitatem totius actualis; licèt formaliter obiectiuè dicat vnam tantùm partem illius, id est, quod realiter idemtificetur cum tota realitate compositi, & à tota illa sumatur, & in hoc distingui partes metaphysicas, & prædicabiles à physicis, quæ prædicari nequeunt, eo quod vnam tantùm partem realitatis includunt.

Hæc etiam sententia mihi non probatur, nam sola idemtificatio realis, si non adsit aliqualis identitas rationis, non est sufficiens ad prædicationes formales, licèt sit satis ad prædicationes in sensu idemtico; vnde istæ propositiones sunt falsæ; animalitas est rationalitas: actio est passio, &c. quia licèt realiter sint idem, ratione distinguuntur omnino; quæ omnimoda distinctio rationis satis est, ad falsificādas propositiones, quia nos sicuti concipimus, ita loquimur: aliquid ergo amplius requiritur ad hoc quod aliquid sit totùm potentiale, & prædicabile, præter idemtificationē realem totius.

Statuitur vera sententia.

Respondeò ergo dicendum cum sapientissimo nostro Gaetensi Episc. M. Oña, quodlibet vniuersale in tantùm continere sua inferiora in potentia, & dici totum potentiale, in quantùm importat illa actu indistincto, & indeterminato, vel cōfuso, quod idem est. *M. Oña. q. 2. de genere ar. 5.*

Probatur primò ex communi doctrina de diuiso, & membris diuidentibus; diuisum appellant omnes logici, id quod confuse continet plura inferiora; & membra diuidentia ipsamet inferiora secundùm suas determinatas, & explicitas rationes, quę eadem ratione, qua dicuntur mēbra, sunt etiam & dicuntur partes, & consequenter id, quod respiciunt, esse totum. Sic etiam communiter species dicuntur partes subijcibiles, vel subiectiuæ, & genus totum potestatiuum respectu earum, non alia de causa, nisi quia sunt membra diuidentia, distinctèquè explicantia rationem genericam, quia omne vniuersale est in suis inferioribus diuisiuè, & determinatè, & in se ipso indiuise, & confusè, vt supra dixi; & ratione huius Deum non vniuersalem di-

xi,

xi, licèt sit in tribus personis, quia non dividitur in illis, nec est indeterminatè, & confusè in se ipso.

Secundò probatur, quia hæc est doctrina expræssa S. Thom. inquit enim, *Quid quid est in specie, est etiam in genere, vt non determinatum; si enim animal non eßet totum quod est homo, sed tantùm pars eius, non prædicaretur de eo cum nulla pars posit prædicari de suo toto.* Hæc S. Tho. Quæ verba maximè ponderanda sunt contra primam sententiam, nam inquit S. Doctor, idcirco animal prædicari, quia continet indeterminatè, & confusè totam entitatem hominis, non autem quia sit pars potens cōponere cum differentia hominis; potius enim hoc excludit, ibi: *Cum nulla pars posit prædicari de toto.* Deinde paulò inferius clarius loquitur; dicens, animal dupliciter considerari posse, vel cum præcisione, quatenùs præcise dicit naturam animalis, quæ est tantùm principium sentiendi, & sic neque esse genus, neque prædicari de specie, sed esse tantùm partem illi', quod etiam est maximè ponderandum contra secundam sententiam dicentem sufficere hāc solam præcisionem rationis. Secundò inquit, considerari animal vt est quodam totum, & prædicabile, & prosequitur explicans rationem hujus totius consistere in hoc, quod confusè, & indeterminatè contineat totum id de quo prædicatur, vt patet clarè ex toto illo *c.* 3. & 4. *opusculi de ente, & essentia.* Vbi expresè docet nostram conclusionem.

S. Tho. de ente de essentia, c. 3. & 4.

Ratione probatur aßertio posita.

Ex dictis verbis S. Thom. & ex doctrina superius posita colligitur prima ratio pro nostra conclusione. Nam ad rationem prædicabilis, & totius potentialis non sufficit sola ratio partis actualis, vel potentialis, id est potentis componere cum alia aliquod totum; nec sufficit quod identicè cōtineat aliam partem, & consequenter totam realitatem compositi: ergo requiritur, quod habeat aliquam identitatem rationis cum subiecto de quo prædicatur, ita vt saltem indeterminatè & confusè illud contineat. Antecedens supponitur probatum ex dictis, & consequentia probatur: quia prędicatum debet esse idem quod subiectum, prędicare enim nihil aliud est, quàm enuntiare vnũ esse aliud; hominem esse animal v. g. ergo si sola identitas realis non sufficit, aliqua identitas rationis est necessaria; sed non requiritur omnimoda identitas rationis, qualis est inter Petrum & Petrum, & inter duo synonoma,

noma, nec requiritur etiam continentia actualis determinata, etiam si implicita sit; quia hæc in vniuersali non est possibilis respectu suorum inferiorum: ergo sufficit continentia actualis indeterminata & confusa.

Confirmatur primò: quia de ratione prædicabilis est, quod habeat identitatem in ratione habentis cum subiecto, non solùm in re, sed in modo enuntiandi; sensus enim huius propositionis homo est animal: est habẽs humanitatem est habens animalitatem: ergo in tantùm prædicabile verificatur de subiecto, in quantùm est idem habens vtrãquè rationem.s. formam prædicatam, & eam, quę expresse significatur per subiectum: totum ergo potentiale confuse & indistinctè saltem continere debet subiectum, vt de illo prædicari possit.

Cõfirmatur tandẽ ex S. Thoma. 1. *p.q.* 28. *ar.* 3. vbi docet, principium illud, *quæ sunt eadẽ vni tertio, sunt eadem inter se*, intelligendum esse de his, quæ sunt eadem re, & ratione, & sic esse fundamentum totius artis syllogisticæ, in quibus verbis multi hallucinati sunt, non intelligentes, de qua identitate rationis loqutus fuerit Doctor Sanctus: certum enim est non loqutum fuisse de omnimoda identitate rationis, qualis est inter synonoma, nec de identitate determinata, explicita, aut implicita, quia sic nõ esset principiũ illud fundamentũ totius artis syllogisticæ, vt infra demonstrabo: ergo sensus illius fuit, principium illud intelligendũ esse de his, quæ sunt eadem re, & ratione, identitate in cõmuni sumpta, prout abstrahit à determinata & indeterminata, ab explicita & confusa; quia de ratione prædicabilis formalis, vt distinguitur ab eo quod prædicatur per prædicationem identicam, est quod sit idem ratione cum subiecto aliquo modo ex dictis, siuè quia illud actu determinato, siuè explicito, siuè implicito contineat, siue quia illud continet indeterminatè, & confusè.

ARTIC. II.

Quibusdam occurritur obiectionibus.

Sed obijcies primò: solæ species dici solent partes subijcibiles, vel subiectiuæ, & genus totum potestatiuum respectu earum: ergo ratio totius potentialis non conuenit omni vniuersali, vt à nobis explicatũ est, quinimo propter hoc quæstio hæc, cap. de genere tractari solet, & non in præsenti loco, quia solùm propria generis est.

Respondetur, etiam de vniuersali in communi ratio totius poten-

potentialis dicitur, vt ostendũt authoritates, & probationes adductę; ratio autem, quare generi quasi per antonomasiam tribuitur habere partes subijcibiles, est quia illud solùm habet partes formales & essentiales, in quas diuidatur; species autem, & cætera vniuersalia non nisi partes materiales: Rursus solùm genus habet partes determinatas, & aptas diuisioni logicæ, de cuius ratione est, quod fiat in membra diuidentia pauca, & determinata, vt suo loco dicemus; at species & cætera habẽt partes infinitas, quia indiuidua, vel subiecta materialia non habent numerum certum & determinatum, & ideo non sunt tota diuisibilia adæquatè, & determinatè à logico, sunt tamen tota prædicabilia, & ideo in ordine ad prædicationẽs de illis agimus.

Ex quo rursus infero, totum potentiale in hac consideratione etiam posse abstrahi à singulari & vniuersali, sicut & prædicabile: nam perse in hac abstractione solùm postulat totũ potentiale prædicabile, quod sit idem realiter cum subiecto, rationequè ab illo distinctum; ita tamen vt confusè & indeterminatè saltem illud contineat, nam particula *est* in prædicatione solùm postulat, quod prædicatum cõtineat subiectum illud, de quo verificatur, & quod simul cum illo componat vnum totum.

Secundò obijciunt cõtra nos oppositi authores rationes, quibus supra probauimus vniuersale non continere actu determinata sua inferiora; nam eandem vim dicunt habere de quacumquè continentia actuali, siuè sit determinata, siuè indeterminata & cõfusa. Præterea si actu contineat vniuersale suas differentias: ergo non in potentia: immeritò ergo dicitur totum potentiale, sed actuale; nam continentia actualis partium, & potentialis directè opponuntur.

Facilè tamen respondetur, negãdo paritatem inter vtrumquè modum continentiæ; contineri namquè in vniuersali determinatè inferiora, est contineri secundùm suas determinatas & speciales rationes; & cum oppositio & repugnantia, quàm habent inferiora inter se, non conueniat illis nisi secundùm determinatas & peculiares eorum rationes, hinc est, quod ex continentia actuali determinata eorum dextruatur vnitas rationis communis, quod includantur differentiæ oppositæ in definitione essentiali vnius speciei, quòd prædicata opposita verificentur de eâdem re, &c. Nihil autem horum sequitur ex cõtinentia indeterminata & cõfusa, quæ in hoc consistit, quod vni-

vniuersale, indistinctè, & vagè significet quodcumque habens talem naturam, non determinando hoc, vel illud in particulari. V.g. animal explicitè, & determinatè significat talem naturam animalitatis, sed illa sic præcisè sumpta, non habet rationem generis, & totius potentialis, vt docet S. Thom. citatus, nisi quatenus pro materiali importat indistnctè, & vagè habẽs animalitatem, abstrahendo ab hoc, an sit homo, vel equs, &c.

Hæc tamen suppositio confusa, & determinata per actualem prædicationem, aut definitionem, aut diuisionem determinatur, & explicatur, sicut similiter ratio communis per cõtractionem, particularis redditur, atquè adeo licet vniuersale vt tale est, actu indeterminato contineat inferiora, quando descendit ad definitionem, vel prædicationem, non sequitur quod prædicet omnia, sed quod suppositio illa confusa determinetur, sicut Deus determinatè significat Deitatem, & vagè, & indistinctè supponit pro habente illam, siuè sit Pater, siuè Filius, siuè Spiritus Sanctus, quando autem dicitur Deus generat, nõ valet dicere: Fili⁹ est Deus: ergo Filius generat, quia illa suppositio confusa, & indeterminata suppositi in maiori, determinatur tantùm ad Patrem: ita ergo similiter animal in hac propositione: homo est animal supponitur determinatè pro homine. Patet hoc etiã in indiuiduo vago. v. g. *aliquis homo*, qui suppositiuus est pro omnibus indistinctè, & confusè; quando autem Petro currente dicitur: aliquis homo currit: tunc determinatè supponitur pro Petro.

Ex quo patet iam ad secũdum obiectum; licet enim continentia actualis, & potentialis respectu eiusdem opponantur, non tamen respectu diuersorum, potius namque ex hoc quod actu indeterminatè plura contineat infertur necessariò, quod habeat potentiã, vt illa determinate contineat, nam semper indifferentia, seu determinatio est quasi actus primus, seu potestas respectu determinationis.

ARTIC. III.

Vtrum vniuersale, vt totum, vel vt pars prædicetur de suis inferioribus?

PRima sententia constanter defendit vniuersale nõ prędicari vt partem, sed solũ vt totum potentiale. Probari solet, primò ex S. Tho. *de ente, & essentia, c. 3.* vbi ait, *si animal non esset totum quod est homo nõ prædicaretur de eo, cum nulla pars præ-* S. Thom.

prædicetur de suo toto. Item Porphyrius *c. de specie* ad finem dixit, *Ideo genus prædicari de specie, quia totum quodam est.*

Porphyr.

Secundò, quia vniuersale, genus. v. g. quando est pars actualis alicuius speciei amittit statum abstractionis, & vniuersalitatis, & acquirit statũ determinationis, & cõtractionis: ergo vt sic nõ est prædicabile, sicut nec vniuersale, aut totum potẽtiale est.

Secunda sententia, quam tenent quidam iuniores, asserit, per accidens conuenire vniuersali, quando dicitur de vno inferiori, quòd prædicetur vt totum, vel vt pars. Probatur, quia hoc solùm in rigore postulat copula *est* in hac propositione homo est animal: s. quod ratio animalis reperiatur in homine; quod autẽ in equo, vel in leone etiã reperiatur, per accidens est ad veritatem talis prædicationis; nam si per impossibile leo non esset animal, non sequeretur hominem animal non esse, ergo non prædicatur reduplicatiuè, vt totum vniuersale est.

M. Oña c. de genere q. 2. ar. 6. Arcisius q. 3. de specie super Porphyr. notab. 3. Zum. in vlta Gener. Mag. 28.

Tertia tamen, & vera sententia est, vniuersale prædicari simul vt partem, & vt totum: quam ex nostris defendunt Mag. Oña in sua Logica, & sapientissimus Mag. Fr. Gregorius Arcisius, quondam apud Salmanticenses publicus, & proprius professor, quem multum commẽdat Reuerẽdiss. N. M. Zumel.

Conclusio prima.

Pro cuius explicatione dico primò: quãuis sola ratio partis, sine ratione totius non sufficeret ad prędicationem, est tamen essentialiter, & per se requisita ad illam. Probatur primò ex Arist. asserẽte, integram definitionẽ, & singulas eius partes de definito prædicari. Secundò, quia de ratione prædicabilis est, quod sit forma subiecti, simulq; cum illo vnum totum metaphysicũ constituat: ergo de ratione illius est, quod sit pars formalis subiecti, sicut de ratione subiecti est, quod præbeat partem materialem. Declaratur antecedens, quia prędicabile formaliter vt tale, debet esse idẽ realiter cũ subiecto, ab eo què ratione distinctũ per conceptũ inadęquatũ talis realitatis obiecti: ergo de ratione illius est, quod contineat explicitè, & determinatè vnã tantũ partẽ formalitatis obiecti, sicut de ratione subiecti est, quod alterã partẽ materialẽ exprimat; nam partes actuales metaphysicę, de quib⁹ hîc loquimur, nihil aliud sũt quã duę rationes obiectiuę eiusdem realitatis; animal, s. & rationale.

Aristote. 1. post. c. 4.

Cõfirmatur: nam omnia prędicabilia distinguuntur essentialiter penès diuersos modos prędicandi, qui sumuntur ex diuersis modis componendi inferiora; gen⁹, scilicet vt pars materialis, differẽtia vt pars formalis essentiæ: & licet species prædicetur,

vt essentia completa, prædicatur vt forma in abstracto constituens vnum totum cum differentia indiuiduali, idemquè patet etiam de proprio, & accidente, quæ prædicantur vt formæ accidentales, de quo infrà latius: ergo omnia prædicabilia per se prædicantur vt partes.

Tertiò: quia genus & differentia ita ponuntur in prædicatione, sicut in definitione, sed in definitione ponuntur vt partes actuales: ergo & in prædicatione. Maior patet ex paritate rationis, quia sicut definitio cõstat ex duplici parte essentiali. s. ex genere & differentia, ita propositio ex subiecto & prædicato: & sicut genus in definitione dicitur materia, & differentia forma, ita in propositione subiectum dicitur materia, & prædicatum forma. Ex quo patet etiã minor. Tùm, quia ratio materię & ratio formę nõ est aliud, quàm causalitas quædam partis componentis: tùm quia partes rei definitæ sunt partes metaphysicæ actuales, quod nemo negat.

Tandem confirmatur: quia genus vt genus prædicatur de specie, vt constat ex definitione generis, sed genus vt genus intrat definitionẽ: ergo vt intrat, prędicatur, sed vt intrat, est pars: ergo prædicatur vt pars. Probatur prima minor: quia definitio non componitur ex partibus vt cumquè, sed componitur ex vna parte, per quam definitum conueniat cum alijs, & ex altera per quam differat ab alijs; sed pars, per quam conuenit cum alijs, est genus: ergo genus vt genus est, & vniuersale cõmune pluribus speciebus, intrat definitionem.

Quod etiam prædicetur vt totum, probatur.

Altera pars conclusionis. s. quod non sufficiat sola ratio partis ad prędicationem, nisi simul adsit ratio totius; patet iam ex dictis præcedenti articulo, & argumentis, quæ fieri solent pro prima sententia quæ hoc tãtùm probant; nam dicere, quod si animal non esset totum, non prædicaretur de specie; quid contra nos? hoc enim non est excludere rationem partis, sed simul postulare rationẽ totius; quod nõ negamus, quin potiùs asserimus, in hoc distingui partes metaphysicas, quod illæ sunt prædicabiles, eo quod simùl sunt tota, istę verò minimè.

Nequè valet dicere, quod ratio totius, & partis simùl opponantur; hoc enim est verum de toto & parte actualibus, non verò de toto potentiali, & parte actuali: quinimò de ratione totius potentialis, vt nos ani supra, est quod determinatè, & explicitè contineat vnam partem, & alteram; quæ se tenet ex parte subiecti

iecti indeterminatè & confusè, quia nequè potest vtramq; indeterminatè dicere, cum omnis indifferentia debeat fundari in aliquo esse determinato; nequè potest vtramq; omnino expressè continere, aliàs prædicatio erit idemtica, vt *animal rationale est animal rationale.*

Ad secundùm argumétum primæ sententiæ Respondetur primò, per rationem partis actualis in conclusione intelligi eã, ex qua componitur totum actuale, siuè actu componatur ex illa, siuè posit componi; quia non est de ratione totius actualis, vt distinguatur à potentiali, quod in actu exercito ex suis partibus cõponatur, sed sat est, quod in actu signato, vel sub esse posibili rationem totius, & partis actualis consideremus. Addo secundò; quod natura vniuersalis, quãdo est pars actualis, non amittit statum abstractionis, & vniuersalitatis; imo eo ipso quod statum abstractionis amittat, non habet iam rationem partis; nam de ratione partis est, quod distinguatur à toto, & sit minor illo, quod totum habebat natura per abstractionem, & amittit per contractionem, fitquè vnum & idem cum toto.

Statuitur duplex alia conclusio.

Dico secundò: quamuis ad prædicationem de vno per accidens sit, quod sit totum vniuersale, non est per accidens, sed perse requisitum, quod sit totũ potentiale confusè continés subiectum illud, de quo verificatur, & ad prædicationé de pluribus, quod sit totum potentiale vniuersale plura cõtinens indistinctè. Tota hæc assertio quoad singulas eius partes patet ex dictis, nam ratio totius potentialis abstrahit ab vniuersali, & singulari, à prædicabili superiori, & æquali subiecto, solumquè postulat, quod confusè contineat subiectum, vt posit in recto prædicari de illo: ergo prædicabile de vno petit confusè continere illud, & prædicabile de pluribus, indistinctè continere plura, ac per consequens vt totum potentiale.

Quod auté prædicatio de vno non postulet perse, quod prædicatum sit totum vniuersale, probat optimè secunda sententia. Cæterùm prædicatio de pluribus id postulat, perse, & idé prædicabile respectu vnius consideratu: nã licèt ex vi talis prædicationis non sit necessariùm, quod sit vniuersale, tamen concomitanter id habet ex alio capite, scilicet ex vi abstractionis de pluribus, qua essentialiter est in se vniuersale: sicut dici solet in prima parte, quod licet Deus in seipso sit essentialiter, & perse trinus, creatio vniuersi

uersi quãtum est ex vi suæ productionis non postulat per se à tribus personis procedere; nam si per impossibile Deus esset vna persona, posset creare, solùm enim concomitánter à tribus procedit ex eo, quod Deus ex alio capite habet esse trinum; sic in proposito.

Vltimò tamen dico, & colligitur ex dictis, quotiescumque asserimus vniuersale prædicari, vt totum, vel vt partem, ratio totius potentialis, vel partis actualis se habent nõ vt ratio quæ prædicatur, sed vt ratio subqua: licet enim vtrumque essentialiter includant, cæterùm cum discrimine dicto. Ratio autẽ quæ, considerata, vel separata à ratione subqua, non habet rationem partis, nec totius: hę enim sunt denominationes prouenientes naturæ, vt subest abstractioni, & vniuersalitati subqua consideratur, vt animaduerti soluendo secundum argumentum primæ sententiæ artic. 5.

QVAESTIO III.

Vtrum abstracta tã primæ, quàm secundæ intentionis, de abstractis prædicari valeant?

ARTIC. I.

Exponitur quid sit prædicatio directa, quid vero indirecta?

VT pœnitùs innotescat prædicabilitatis natura, nunc videndum restat, an sit de ratione prædicabilis, quod sit semper concretum, vel an sicut concretum de concreto verificari potest, sic etiam de abstracto? Pro cuius expositione triplex prædicatio præmittenda est. Alia idẽtica, alia doctrinalis, & alia disparata. Identica est illa, in qua prædicatum est omnino idem cum subiecto, vt si dicas: *Petrus est Petrus*. Doctrinalis est illa, in qua prædicatum differt aliquo modo à subiecto, & re vera illi conuenit; vt *homo est animal*. Disparata denique est illa, in qua prędicatum repugnat subiecto, vt Petrus est lapis. *Auerr. 7. met. com. 59. & 4. phys. com. 33. Them. 1. post. c. 38. Philo. ibid. com. 55. Titel. 1. prædic. c. 25. & 26. & fere omnes moderni.*

Rursus omissis prædicatione identica, & disparata, quæ scientijs minimè seruiunt. Auerroes, Themistius, & alij diuidũt prædicationem doctrinalẽ in eam, quæ inordinata, indirecta, & nõ naturalis dicitur, & in eam, quæ ordinata, directa, & naturalis appellatur: quia hæc constat ex debito subiecto, & prædicato,

illa

illa verò minimè. Illud dicitur subiectum debitum, seu naturale, quod significatur vt materia, vel vt habens illudq; prædicatũ naturale & directum, quod significatur vt forma habita, vel in alio existens. Loquor de ratione explicitè significata per vtrũquè, nam implicitè & confusè vtrumquè debet significari per modum totius habentis, vt dixi

Ex his colligitur, quod indiuidua substantiæ vt Petrus Paulus, &c. nunquam possunt esse prædicatum in prædicatione directa & ordinata, sed semper debét esse subiectum, quia semper significantur vt prima subiecta habentia, & omnia alia prædicata superiora, vt formæ existẽtes in illis: quare hæc propositio est directa, hoc animal est homo: & hæc indirecta: animal est homo: quia omnia prædicata superiora substentãtur, vt formæ ab inferioribus illis, quibus insunt nostro modo cõcipiendi, tãquã subiectis, ac proinde quia animal respectu hominis est superior, debebat de illo prædicari in secunda prædicatione, & quia hoc animal, significato Petro, supponitur pro illo, idcirco rectè, & ordinatè subijcitur in priori.

Colligitur etiã accidentia directè prædicari de substantijs: quia formã significant illis realiter inherentẽ: vnde substantiæ de accidẽtibus, non nisi indirectè prædicari valent, vt si dicas: *album est paries*, vnũ verò accidens de alio existente in eodem subiecto, etiã indirectè prædicatur, quia vnum potest non subiectari in alio, sed vtrumq; in alio tertiò, v.g. *albũ est dulce*.

Solet dubitari de his propositionibus: animal est rationale: & similibus, in quibus differentia prædicatur de genere, an sint naturales, & directæ, vel nõ? Quidam negant, eo quod rationale non est intrinsecè in animali, sicut est in homine. Sed licèt rationale sit in homine tãquàm in concreto, quod formaliter cõstituit, etiam est in animali tanquàm in materia, quã actuat, & in qua nititur, vt patet in forma physica respectu materiæ, & hoc sufficit, vt talis prædicatio, directa sit, licèt sit, accidentalis, vt suo loco dicetur.

Concretum de concreto verificatur, non de abstracto.

Secũdò vt certũ premittunt fere omnes, tã in primis, quã in secũdis intẽtionibus, eas prædicationes esse veras & doctrinales, in quibus vnũ concretũ dè alio prædicatur, dummodò cætera requisita seruẽtur ad debitã prædicationẽ. s. quod prædicatũ realiter insit subiecto & ratione distinguatur ab illo, nè propositio sit idẽtica. Solùm est aduertẽda hìc differẽtia, quę est inter concreta primę intẽtionis, cum dę se inuicẽ prędicantur, &

inter secundas intẽtiones, quando de primis, vel de alijs secundis dicuntur, quod in primis prędicata, quę dicuntur de superioribus, dicuntur eo ipso de inferioribus sub illis contentis. v.g. si de animali dicitur, quod sit viuens sensitiuum, etiam dicitur hoc de homine, & Petro, &c. At in secundis intentionibus minimè hoc contingit; genus enim prædicatur de animali, & species de homine, & indiuiduum de Petro, & est fallax argumentatio ab vno ad aliud; vt si dicas: *animal est genus: homo est animal: ergo homo est genus*, & sic de alijs. Ratio differentiæ est, quod prædicata, & accidentia realia conueniunt subiectis, prout sunt à parte rei, & cum superiora existant in inferioribus, quidquid reale in illis est, debet consequenter in inferioribus existere; at prædicata rationis cùm non cõueniant naturis, nisi prout taliter cõcipiũtur, & obiectiuè existũt in intellectu, hinc est, quod variato modo concipiendi, varietur denominatio, & nõ possit attribui ipsi rei aliter conceptæ.

Tertiò certũ est apud omnes, prędicationes illas esse falsas, in quibus abstractũ, siuè substãtiale, siuè accidẽtale prædicatur de suo cõcreto, vel è cõtra cõcretũ de suo abstracto, exceptis illis in quibus vnũ intimè includitur in vltimo cõceptu alterius: nam ratione inclusionis huius poterit de illo prædicari, vt bene notat S. Tho. & patet in his: Deus est Deitas; rationale est entitas: extensio est quãta, &c. Quod autẽ omnia alia abstracta præter ista prædicari nequeãt, patet ex distinctione reali, quã habent cum suis cõcretis; homo enim & humanitas realiter differunt, sicut includens & inclusum, vt patet: & similiter albũ & albedo: ergo vnum de alio verificari nequit, quia pars non potest prædicari de toto, neq; vnum extremum de alio diuerso realiter; vt docet S. Thomas. *S. Thom. q.21. de verit. art. 4. ad 4.*

Dixi *concretũ de suo abstracto prædicari non posse*; nã de abstracto alieno plura cõcreta dici possũt. s. *albedo est similis alteri albedini: & dissimilis nigredini; est visibilis, vbicata &c.* *Vtrũq; docet S. Th. Primum opusc. de Ente, & essentia. c.3 & 4. & secundùm 1. p. q.13. art.12. in corpore.*

Sed obijcies: hæc est vera prędicatio: *vniuersalitas est vniuersalis*; nam etiam est communis multis vniuersalitatib' ergo saltẽ in entibus rationis pędicatur concretũ de proprio abstracto.

Respõdetur concretũ & abstractũ in hac propositione nõ esse eiusdẽ omnino rationis, nam abstractũ illud *vniuersalitas*, significat vniuersalitatẽ in cõmuni, illud verò concretũ *vniuersalis*, tantũ supponitur pro aliquo vniuersali in particulari, quod accidẽtaliter & denominatiuè aduenit vniuersalitati in cõmuni; vnde si propriũ concretũ illius abstracti prędicaretur, falsa esset prędicatio,

Com-

Comparatur vnum abstractum ad alterum omnino distinctum.

Tandem: si vnum abstractū ad alterum comparetur, in quo nullo modo includatur formaliter tamquàm pars illius, vt abstractum differētiæ ad abstractū generis, vel vnum abstractum generis ad alterum, cum quo realiter idemtificetur; conueniunt ferè omnes, solùm esse veras in sensu idemtico, non verò in sensu formali & doctrinali, v.g. *animalitas est rationalitas*; *actio est passio*. *&c.* probatur: quia sola idemtitas realis, si non adsit aliqua formalis, vel rationis, qua prædicatum explicitè, determinatè, vel indeterminatè contineat subiectum, non est sufficiens ad prædicationem doctrinalem; sed inter huius generis abstracta sola est identitas realis: ergo vnum de altero minimè verificari nequit. Rursus gradus differentialis prædicatur, vt adiacens subiecto, & in quale quid; vt dicetur infra; sed forma in abstracto sumpta non habet modum alteri adiacentis, cum subiectum non respiciat: ergo, &c.

ARTIC. II.

Statuitur abstracta substantialia de abstractis minimè prædicari.

DVo supersunt genera abstractorum, de quibus est principalis controuersia. Vnum, dum superior de inferiori prædicatur, vt *humanitas, est animalitas*. Alterum, cum vnū æquale de altero dicitur, in quo includitur essentialiter, s. abstractū differentiæ de abstracto speciei; de abstractis enim accidentalibus, si ad abstractū substantiæ comparentur, non est dubiū, falsas & disparatas esse prędicationes; vt *humanitas est albedo*.

Est ergo prima sententia huiusmodi propositiones esse absolutè veras. Cuius fundamentum est, quia omnes cōditiones, quæ in concretis inueniuntur, ratione quarum vnum de alio prædicatur, reperiūtur etiā in his abstractis: in primis enim sicut animal est vniuersale abstractū ab homine, & equo, ita animalitas est ratio quædā cōmunis abstracta ab equinitate, & humanitate: ergo erit etiā prædicabilis de illis. Patet cōsequētia: tùm quia prędicabilitas est proprietas vniuersalis, & cum illo conuertitur; tùm etiā, quia ad rationē prædi- *Tenuit Soto q.3. vniuers. Cantheras c. de differentia. Mercat. c. de genere, & plures moderni.*

cabilis duo tantū requiruntur: & quod sit forma abstracta à subiecto & quod significetur vt existens in illo, sed vtrumq; conuenit etiam his abstractis, animalitas enim distinguitur ratione ab humanitate & includitur etiam in illa essentialiter: ergo.

Confirmatur, tùm à simili de formis accidentalibus, in quibus vna de altera in abstracto dicitur, vt *albedo est color, dispositio est qualitas, &c.* Tùm etiam in formis substātialibus, in quibus plures sunt propositiones, quæ, minimè negari possunt, vt sunt, *anima rationalis est sensitiua: anima hominis est anima viuens; hæc humanitas est humanitas, &c.* sed eadē est ratio de omnibus alijs: ergo.

Statuitur pars negatiua vt vera.

Secūda tamē & vera sine dubio sententia negat has propositiones esse veras. Defendunt illam vtriusquē scholæ parentes Sanctus Thom. & Scotus: etiam Caiet. Ferrara, & plures alij vtriusq; familiæ. Hæc sententia facilè probatur si aduertamus concretū & abstractū, licèt eandē naturā significēt, differre in hoc, quod concretū significat eā per modū totius, vel habētis: homo enim significat idē quod habēs humanitatem. Abstractū verò solū significat eam per modū partis, vel formæ habitæ, aut inclusæ in aliquo toto, vt humanitas, quæ solùm significatur per modum principij formalis hominis, nō verò per modum totius. Ex quo patet hæc abstracta tantùm habere rationem partis actualis, & non rationē totius, neq; actualis, neq; potentialis; quia cum significent solùm formam abstractā à quocumque habente, & consequenter vt præcisam ab omni subiecto, de quo prædicari debebant, non possunt continere confusè & in potentia aliquod subiectū, quod necessarium diximus ad prædicationem.

S. Tho. 4. contra Gēt. c. 81. num. 2. & apusc. de ente & essentia, c. 3. & 4. Ferrara, & Caiet. & Scot. in 1. d. 5. q. 5. ar. 1. Niphus Canariēs.

Ex quo infertur iam ratio conclusionis, quia vt vnum de alio prædicetur, necessum est, quod contineat saltem confusè & indeterminatè subiectum de quo dicitur. Vt docet S. Thom. *opusc. cit. to de ente & essentia,* sed animalitas non continet sic humanitatem, & idem dico de quouis alio abstracto: ergo non potest de illa prędicari. Patet minor ex notabili posito: quia animalitas respectu humanitatis solùm habet rationem partis, & non rationem totius habentis.

Confirmatur primò, ex verbis citatis S. Thomæ *præcedenti quæstione*, vbi asserit, quod si animal intelligatur cum præcisione, ita vt solùm denotet naturam animalis, seu principium sentiendi, sic nō potest prædicari de homine, quia nulla pars potest

potest prædicari de toto, & animal sic conceptum non habet rationem totius, sed solùm rationem partis actualis, sed animalitas significat solâ naturam, quæ est principium sentiendi abstractam & præcisam à ratione totius, solùmquè habentem rationem partis: ergo.

Secundò confirmatur: quia nemo concedet has propositiones. *Principiũ sentiendi est principium ratiocinandi, &c.* ergo nequè has: *animalitas est rationalitas*, nam idem significant cum eâdem præcisione.

Ex quo infertur, solùm in sensu identico esse veras similes propositiones, vel quãdo vnum abstractũ intimè includitur in conceptu alterius, vt si dicas in Deo: *Sapientia est voluntas, & Deitas est æternitas, &c.* quia in his vnum est idem quod aliud ratione inclusionis, vt patet.

Secundò infertur, eodem modo philosophandũ esse in abstractis secundarũ intẽtionum, ac in abstractis realibus accidentiũ, non substãtiæ: si enim entia rationis in abstracto comparentur ad entia realia, de illis prædicari nequeunt, neq; è conuerso: falsa enim hæc est: *humanitas est specietas: genereitas est animalitas, &c.* propter omnimodum distinctionem, quàm habent huiusmodi extrema.

Si vero abstracta secundarũ intentionum, ad alia similia comparentur, vera est prædicatio abstracti superioris de abstracto inferiori, vel æqualis de æquali, si in eo essentialiter includatur; quia cum huiusmodi intentiones sint accidentia rationis, sicut accidentia realia in abstracto ad inuicem prædicari possũt, sic & huiusmodi secundæ intentiones rationis. *Genereitas est vniuersalitas.*

ARTIC. III.

Vbi satisfit argumentis oppositis.

RestAt argumenta diluere partis oppositæ: ad primum respondetur, negando paritatem, & ad probationẽ animaduertẽdum est ex Sancto Thoma, & Auicena, quem refert Caietanus ibi animalitatem non esse genus, sed principium generis, & humanitatem non esse speciem, sed principium speciei, & sic de alijs abstractis, nõ habere completam vniuersalitatem, cuius rationem reddit S. Tho. quia non habet rationem totius potestate continentis sua inferiora. Ex quo sequitur. Primò, non esse prædicabilia huiusmodi abstracta absolutè loquendo, sed sicut competit illis incompletè vniuersalitas, vel principium illius, ita competit eis prædicabilitas, atque adeò indigent ratione totius & concreti vt compleantur in ratione

S. Thom. *Auicena. 5. meth.* *Caietanus de ente & essentia c. 4.*

prædicabilis, & vt actu prædicari possint.

Secundò sequitur consequēter ad alterā probationē ibi subiunctam, ad rationem prædicabilis non sufficere, quod distinguatur à subiecto, & insuper includatur intrinsecè in illo: nam omnis pars actualis vtramquè hanc conditionem habet, & nihilominus inepta est, vt de toto prædicetur: requirit ergo aliquid amplius, nimirum quod sit totum potentiale confusè cōtinens totum subiectum, de quo prædicatur, quod defuit in his abstractis.

Ad primam partem confirmationis respondetur, abstracta physica formarum accidentalium æquiualere, & in omnibus assimilari cōcretis substātiæ, cuius rei variæ rationes inefficaces afferuntur. Illis omissis: optima ratio petenda est ex discrimine, quo substantia & accidēs participant rationem entis completi; illa enim cum sit ens vt quod, habens in se, & perse esse, postulat perse ad suum complementum etiam in ratione prædicabilis, quod sit concretum compositum ex habente, & ex esse habito; atquè adeò quod significetur vt subsistens, & per se operans tàm in actu primò, quàm in actu secundò. Accidens verò solùm dicitur ens vt quo, tamquàm forma adiacens, vel esse habitum; solumquè habet & postulat complementū in ratione formæ, vt sit essentia perse vna, nam cum subiecto efficit vnum per accidens ex diuersis essentijs coalescens, quarum vna est extra aliam. Vnde fit, quod tàm in ratione essendi, quàm in ratione operandi, tàm in definitionibus, quàm in prædicationibus semper significetur vt forma adiacens, ac proinde quod prædicetur, & subijciatur vt quo per modum formæ, & non per modum habentis: hæc enim prædicatio in substantijs, *homo est animal*, reddit hunc sensum, *habens humanitatem est habens animalitatem*, vel quod est principium discurrendi dependenter à phantasia, est principium sentiendi. Hæc verò in accidentibus, *albedo est qualitas*, minimè importat rationem habentis, vel existentis vt quod; sed efficit hunc sensum: *forma dealbans*, *vel disgregans visum est forma qualificans.*

Hinc secundò fit, huiusmodi abstracta physica accidentium tamquàm entia completa in suo genere posse metaphysicè concreta & composita esse, & suscipere denominationem generis, differentiæ, & speciei, quia quod physicè, & realiter simplex est, potest metaphysicè, & secundùm rationem induere cōpositionem fundatam in varijs conuenientijs, & dis-

& differentijs, quàm res simplices inter se habent à parte rei.

Tertiò colligitur, abstracta accidentium collocari in prædicamentis, & non concreta, quæ sunt vnum per accidens, vt benè aduertit S. Thom. de ente & essentia cap. 7. abstracta verò substantialia minimè.

Quartò colligitur, quod abstracta substantialia, cum sint metaphysica, & per intellectum, esse iam vltimò abstracta, & non resolubilia in duos conceptus, atque adeò tantùm potest illis competere, esse principium formale generis, & non rationem generis in concreto: cæterùm formæ accidentales cum solùm à subiectis sint realiter diuersæ, & physicè abstractæ, non sunt vltimò abstractæ; sed sunt capaces vlterioris abstractionis, & compositionis metaphysicæ, seu obiectiuæ, quam potest intellectus in rebus simplicibus efficere, nam vt dixi, quod est abstractum, & simplex in genere physico potest metaphysicè, & obiectiuè concretum & compositum esse.

In abstractis ergo vltimis, & metaphysicis accidentium currit eadem ratio ac de substantijs, quod non possint de se inuicem prædicari: falsum enim est dicere, *ratio albedinis est ratio coloris, &c.* Solùm est aduertendum huiusmodi abstracta vltima, non habere propria nomina, nisi barbara, quibus significentur. s. *albedinitas, coloreitas, &c.* vnde sumpsit occasionem irridendi ille quidam Neothericus, & negandi hæc abstracta, sed debebat aduertere, multa alia huiusmodi nomina, quibus vtuntur scholastici ad præcisiones, & subtilitates metaphysicas meliùs declarādas, v.g. *haecceitas, petreitas, in essendo, &c.* Præterea licèt abstracta hæc nō sint vlterius voce abstrahibilia, satis est, quod sensu abstrahi possint abstractione metaphysica. Quod sic ostendo: nam supposito, quod sunt genera & species, & tota potentialia habētia, sicut animal & homo, vt fatentur authores oppositi, debēt esse resolubilia in duos conceptus: quorum alter abstractum, & rationē partis: alter concretū significet, & rationē totius, vt constat ex ratione totius potentialis supra declarata; in qua dixi includi vnam rationem explicitè significatam, quæ est pars actualis tantùm, & alteram confusè, & indeterminatè, per quàm constituitur in ratione totius, & prædicabilis; ergo sicut in toto potentiali substantiali distinguimus rationem explicatam, & determinatam à ratione confusa, & indeterminata, ita in toto potentiali accidentali. Quod licèt non importet verùm habens Physicum,

cum, sicut substantię satis est, quod importet habens Metaphysicum; id est rationem totius confusè continentis obiectum, de quo verificatur; vt patet etiam in his abstractis. *Deitas est Sapientia*, quæ ratione huius inclusionis sunt quædam tota (vt supra dixi) in qua doctrina, cum sit cõmunis amplius morari nolo.

Ad secundam partem confirmationis respondetur, quod priores illæ prædicationes. *Anima rationalis est sensitiua, est viuens, &c.* Non sunt abstractorũ, nam vegetatiuum, seu sensitiuum, viuens, &c. concreta sunt, cum de animali prædicentur: Anima etiam licet abstractum Physicum sit, est concretum Metaphysicum, sicut dixi de accidẽtibus, atque adeo cessat dificultas argumenti, quantùm ad hoc, negata similitudine. Esset autem maior difficultas, si in abstracto ita enuntiaretur; principium intelligendi in anima rationali est principium sentiendi, & sic solùm in sensu identico essent veræ, & falsæ in sensu formali; & idem dico de illa propositione. *Hæc humanitas est humanitas*; solùm in sensu identico veram esse.

SECTIO II.

De prædicabili vniuoco in particulari.

EXplicata iam ratione vniuoci prædicabilis in communi, nunc in particulari quinque species, seu modos prædicandi, quos exposuit Porphyrius in suo tractatu, declarare oportet; omissis, quæ de illis in ordine ad definitionem consideratis, *præcedenti disputatione sect.* 2. dixi. Solùm enim enim prout secundæ intellectus operationi deseruiunt, de illis præsens sectio instituitur, & primo de Genere. Quia, vt ait Boetius, cæteris vniuersalior est materia Metaphysica, seu potentia aliorum comparatione, ab vniuersalioribus autem incipiendum esse, iuxta ordinationem doctrinæ ait Aristotel. 1. *metaphy.* in proœmio, & iuxta ordinem naturæ à materia, & potentia prius quam ab actu, quapropter sit.

Aristote.

QVAES-

QVÆSTIO I.

De genere, quod est primum prædicabile.

ARTIC. I.

Quid sit genus, & quomodo definiatur?

Dupliciter definitur genus à Porphyrio, & omnibus, in quantùm prædicabile. Prima definitio est *Genus est, cui supponitur, vel subycitur species*. Secunda, quæ clarior est. *Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid*. Per primã particulam, *de pluribus*. Discernitur genus ab indiuiduo, quod de vno tantùm dicitur. Per alteram *differentibus specie*. Differt ab specie ipsa, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero. Per vltimam *in quid* differt genus à differentia, quæ prædicatur in quale quid; & à proprio, & accidenti, quæ prædicantur in quale accidentale.

Hanc autem definitionem descriptiuam, & non quidditatiuã esse probaui *disputat. 1. in fine quæst. 8.* vbi ostendi prædicabilitatem proprietatem quandam vniuersalis esse, & non essentiam.

Circa genus huius definitionis dubitari solet, quodnam illud sit? Quidam asserunt, esse vniuersale sub ratione vniuersalis; quidam verò esse subiectum secundæ intentionis, naturam, s. quæ genus denominatur. Quod probant ex S. Thoma, qui modum explicans definiendi accidentia in concreto; subiectum, inquit, collocandum esse loco generis, quem modum definiendi affirmat sumpsisse ex Aristotel. 1. *de interpretat. c. 1. & opusc. & 2.* vbi nomen, & verbum, quæ concreta sunt accidentalia, definit, subiecto pro genere posito, dicens. Nomen est vox significatiua ad placitum, &c. *D. Tho. in com. prioris libri de interpretatione, c. 1. l. 4. de ente, essentia, cap. 7.*

Melius tamen, & magis consonum veritati, & Porphyrio, docet noster Magist. Oña. genus illius definitionis non esse vniuersale sub ratione vniuersalis, sed sub ratione prædicabilis. Probatur ex verbis illis, *quod prædicatur de pluribus*, quę communia sunt omnibus prædicabilibus, & in omnibus definitionibus eorũ ponuntur: ergo ponuntur loco generis. Patet consequentia; quia genus est id, in quo conuenit definitum cum alijs speciebus diuersis:

sis: ergo prædicabile est genus huius definitionis, nam particula *prædicatur*: intellecta non actu, sed aptitudine (vt exponi solent verba definitionum) idẽ significat, quod prędicabile.

Secundò, quia particula *prædicari de pluribus*, docet Porphyrius, excludi indiuiduum à ratione generis: ergo non subintellexit vniuersale, tamquàm genus in illius definitione. Patet: nam per illud præintelligeretur iam sufficienter exclusum indiuiduum. Sed quæstio est parui momenti, & vtramque rationem, vniuersalis scilicet, & prædicabilis simul cum subordinatione inducere, etiam dici potest.

Quod autem obijcitur ex S. Thoma parùm vrget, nam concreta accidentalia dupliciter definiri possunt. Primò per definitionem physicam; partes physicas exponentem: & sic definitur per subiectum loco generis. Secundò, per definitionem metaphysicam; & sic non adducit subiectum loco generis; nam subiectum est materia physica, & non genus metaphysicum. Genus autem physicum est realiter diuersum à differentia, & diuersæ rationis ab ea, cum plusquam genere distinguantur substantia, & accidens. Genus autem, & differentia sub eâdem ratione prædicamentali contineri debent, imo & esse idem realiter. S. Thomas autem non exclusit vnquam hunc secundum modum definiendi concreta accidentalia, neque potest excludi rationabiliter, quia nihil ex illo inferri potest contra regulas, & conditiones bonæ definitionis.

Definitionem quidditatiuam habes *disp. 2. sect. 2. quæst. 2.* videlicet est *vniuersale componens species tamquàm pars essentialis materialis, vel per modum per se stantis*, in quo discernitur à differentia, quæ est pars formalis per modum adiacentis, licet in re quidditatiua sit.

ARTIC. II.

Proponuntur, & soluuntur argumenta aliqua contra definitiones positas.

PRimò obijcitur, ens prædicari de pluribus speciebus in quid, & tamen non est genus. Similiter viuẽs sensibile affirmatur in quid de homine, & equo specie differentibus, & non est genus, sed complexum quoddam ex genere, & differẽtia. Item color. v.g. est accidens quintum prædicabile: ergo non est genus, & tamen prædicatur in quid de pluribus speciebus,

bus, s. de albedine, & nigredine: ergo definitio assignata est valde diminuta.

Respondetur ad primum, vniuersale, & prædicabile vel posse sumi metaphysicè in tota sua latitudine, prout distinguitur contra singulare, & sic ens, & quodcumque simile est vniuersale, & prædicabile eo ipso, quod indiuiduum non sit. Vel potest secundò vniuersale, & prædicabile accipi strictè in omni rigore logico pro eo, quod est perfectè vnum in multis, rationem vniuocam, & formaliter diuersam de illis enuntians, vt diximus; in definitionibus igitur assignatis sumitur vniuersale, & prædicabile hoc secundò modo, & per illas excluduntur ens, & quodcumque aliud analogum, defectu vnitatis perfectæ, & distinctionis formalis.

Ad secundũ respondeo, viuẽs sensibile non esse vnum prædicabile, sed duo prędicabilia, quorũ vnum genus est, alterũ verò est differẽtia, quæ licet de pluribus speciebus dicatur, affirmatur de illis in quale quid, & mediatè: vnde vniuersale, & prædicabile, in definitionibus positis debent esse incomplexa; & attenditur eorum distinctio penès inferiora immediata.

Ad tertiũ respondetur, quod licet color respectu subiecti sit accidens, respectu albedinis, & nigredinis est essentia generica pertinens ad primum prædicabile, idemquè est aduertendum pro alijs accidentibus.

Quartò obijcies: gen' prędicatur de pluribus differẽtib' genere, nã istæ sunt verę prędicationes: *Substantia est genus, quãtitas est genus, &c.* quæ differũt genere: ergo non solũ de pluribus speciebus, sed etiã de pluribus generib' prędicatur genus. Substãtia etiã prædicatur de animata, & inanimata, quæ genera sũt: ergo.

Respõdetur priores prædicationes. s. *Substãtia est genus, &c.* non esse prædicationes generis, sed quinti prædicabilis; nam genereitas est accidẽs rationis substantiæ, vel quantitati adueniẽs, sicut albedo, vel nigredo homini. Ad alias prędicationes. s. substantiã est viuens, vel inanimis: Respondeo, quod licet viuens, seu animal sint genera respectu aliarum specierũ inferiorum, respectu generis superioris sunt species subalternę, vt dicetur infra, & de qualibet specie intelliguntur definitiones positæ.

Quintò obijci potest, quod licet plura genera hoc habeant, s. prædicari de pluribus differentibus specie, non videtur essentialiter, & in vniuersum hoc requiri, sed in vna specie totam generis rationem posse saluari, et si aliæ repugnent: ergo definitio illa non explicat, quod per se, & essentialiter semper generi conuenit. Probatur antecedens: quia

quia genus in quantum est pars speciei, tantùm petit vnam speciem componere vt pars materialis, ad hoc autem officium exercendum, vnica tantùm species satis est, quia materia non est essentialiter receptiua differentium formarum, vt multi dicunt de materia cæli.

Rursus neque genus in quātum vniuersale est, petit essentialiter plures species, nam saluatur eius vniuersalitas per ordinem ad indiuidua per ipsum cōstituta, in quibus plurificatur, sicut dicemus de differentia, infima, quod licèt sit pars essentialis, non petit essentialiter plures species ad suam vniuersalitatem, sic ergo similiter genus.

Respondetur tamen, quod genus eo ipso quod est pars materialis speciei dicit essentialiter ordinem ad plures species, nam analogia materiæ, quæ ipsi tribuitur, non est quia receptiuum sit differentiæ, ad quod fortè sufficeret vnica species, sed quia est potentia contrahibilis, & determinabilis per plures actus formales, aut differentiales, quod habet saltem materia sublunaris & fortasse materia cælestis. Et certè communis vsus, & modus loquēdi omniū scholasticorum semper obtinuit, omne indifferens ad plura determinantia, & contrahentia, materiam vocare, vt patet in obiecto materiali cuiuscumq; scientiæ, vel potentiæ, vel actus: & eo ipso quod aliquid conuertibiliter se habet cum forma determinante, asserunt ad formam essentialiter pertinere, vel in recto, vel in obliquo, vel vt essentiā, vel vt eius proprietatē, minimè autem vt materiā, sic ergo in speciebus metaphisicis, eo ipso quod aduertitur aliquid conuertibiliter se habere cum specie, aliquid verò vt commune, & indifferens ad plures species, illud vocatur forma, vel proprietas illius, hoc verò materia.

ARTIC. III.

Vtrùm genus de solis speciebus prædicetur immediatè?

Adhuc tandem objicies: genus prædicatur etiam de pluribus differētibus numero, vt patet in his prædicationibus. *Petrus est animal. Paulus est animal*: ergo diminutè procedit definitio non explicans omnia inferiora generis.

Neque valet dicere, genus immediatè & proximè solùm de speciebus prædicari, de indiuiduis verò mediante specie, eādemque habitudine, qua respicit species, descēdere ad indiuidua

dua ratione speciei quam componit. Contra hoc enim est primò: quod hæc prædicatio est immediata: *Hoc genus est genus*: ergo iam prædicatur genus immediatè de pluribus differentibus numero.

Secundò vrgentius; in hac prædicatione. *Hoc animal est animal*, nulla mediat species; quia nec mediat à parte rei, cum ibi omnia sint immediatè, & per se ipsa indiuidua, neque mediat per intellectum, quia optimè potest ratio abstrahere immediatè rationem animalis ab hoc, vel illo animali: ergo poterit eam immediatè de illis prædicare, ac si nulla ibi esset species; quæ licet in re sit, satis est, quod in modo enuntiandi non significetur, nec cognoscatur, sicut differentia, licet in re sit essentia sicut genus, quia in modo enuntiandi (qui semper attendendus est) prædicatur per modū qualitatis adiacentis, dicitur prædicari in quale, & distingui essentialiter à genere.

Confirmatur, quia si videam quatuor animalia à longè venientia, euidenter iudico esse animalia, quia illis conuenire video proprietatem animalis, s. motū localem, tuncquè solam rationē animalis, quam in illis indiuiduis inuenio, abstraho, & de illis prædico: ergo ratio generica de indiuiduis immediatè prædicatur, præsertim cum ignoretur species, ac si ibi non esset.

Statuitur difficultatis resolutio.

Nihilominus in oppositum est communior, & verior sententia, genus, s. de solis speciebus prædicari immediatè, & primariò, secundariò verò, & mediatè de indiuiduis. Probatur primò, ex ipsius definitione, quæ propter hoc solùm illud explicat per ordinem ad species, quia satis est in definitione explicare id, quod primariò, & immediatè terminat, vel specificat; secundarium enim est penitùs extra rei essentiam.

Secundò, quia genus in tantùm prædicatur de indiuiduis, in quantùm est pars metaphysica speciei; vnde si per impossibile nō esset species in indiuiduis, neque genus esset in illis, nec generis essentia esset à parte rei. Et contra verò, si essent species sine indiuiduis, in speciebus esset complete genus, quod est pars essentiæ specificæ: ergo genus indiuidua tantùm concomitanter, & secundariò pertinere ad genus, solùmquè terminare relationem generis ratione specierum, & non ratione sui. Patet consequentia, nam terminus, vel obiectum primariū dicitur semper id, quod terminat ratione sui

sui: & secũdarium, quod terminat ratione alterius: vt patet à simili de obiecto primariò, & secundariò logicæ, vt disput. 1. dixi sect. 2. quapropter ad obiectionem supra positam respondetur, benè ibi responsum fuisse: & ad primam obiectionẽ contra illud respondetur, quod hæc prædicatio. *Hoc genus est genus*, non est prædicatio generis, sed speciei; quia genus respectu huius, & illius generis est quædam species contenta sub vniuersali in communi, vt iam supra dixi.

Ad secundum negatur antecedens, quia cum illud pronomen, hoc, demonstret aliquod determinatum indiuiduum, species sub qua tale indiuiduum necessariò in re continetur, debet mediare; & idem est, si accipiamus indiuiduum vagum, scilicet quoddam animal est animal; ibi enim mediat aliqua species vagè sumpta.

Ad probationem autem contrà hoc, respondetur, quod licet in re non sit formalis mediatio, vel interpositio speciei inter genus, & indiuidua, eo quod nulla sit distinctio, neque etiam per intellectum, eo quod ignoratur species, est tamen in re fundamẽtum non solùm ad distinctionem, sed etiam ad subordinationem prædicatorum, realum inter se, quia sunt entia rationis ratiocinatæ, quæ non nisi cum fundamento in re intelligi debent, nec pendent ex beneplacito, aut ignorantia nostra; atque adeo sicut non licet anteponere genus infimum supremo, ita neque genus infimum immediatè contrahere per differentias indiuiduales, quia est in re in indiuiduis quædam alia ratio virtualiter distincta, quæ generi inferior est, & indiuiduis superior, ac proinde inter vtrumque medians.

Quod autem immediatè abstrahatur ab indiuiduis ratio generica, non præsupposita abstractione speciei, parùm refert: quia non est necessarium, quod intellectus in actibus abstrahẽtibus, & prædicantibus seruet quoad exercitium eum ordinem, quem inter se habent prædicata; potest namq; prohibito suo nunc hanc, nunc illam rationẽ abstrahere, & prędicare alijs omissis, nam mediatio non est attendẽda quoad exercitium actus abstrahentis, sed quoad id, quod postulat ex se natura abstracta, eo quod magis, vel minus superior sit, attenta ratione fundamentali, quã in re habet.

Ad vltimam probationem, respondeo, quod licet in hac prędicatione, *hoc animal est animal*, explicitè, vel determinatè non significetur, aut intelligatur species, implicitè & confusè significatur, quia animal, quod est totum potentiale continet indeter

minatè

minatè quidquid continet hoc animal à parte rei, & consequẽter speciem.

Dices: etiam continet consistere indiuiduum, & non propter hoc prædicatur de illo immediatè. Sed iam assignaui discrimen ex parte fundamenti quod in re supponitur, ratione cuius species prior est, quàm indiuiduum, nostro modo concipiendi, & subsistendi consequentia.

Ex quo ad confirmationem dico, quod intellectus videns à longè quatuor animalia, etsi non discernat species, supponit naturas habere specificas, animalitatemquè esse rationem earum genericam; & si indiuidua incompletè cognoscat, etiam speciem incompletam in eis appræhendit, scilicet animalitatem vt contractam; etsi non determinatè cognoscat differentiam immediatè contrahentem; confusè tamen supponit aliquam esse. Omitto alia, quæ obijci possunt prolixitatis vitandæ gratia, in re non magni momenti.

Addo ad maiorẽ explicationem, quod etsi abstrahatur ratio animalis immediatè ab indiuiduis, immediatèquè contrahatur per ipsa, siuè cum fundamento in re, siuè absquè vllo fundamento, vt probatum est; consequenter dicendum esset animal sic consideratum, non esse genus, sed speciem, quia haberet eundem modum prædicandi speciei infimæ: prædicaretur namquè animal, vt natura composita ex genere, & differentia. s. ex viuente, & sensibili, & rursus immediatè de indiuiduis; vnde per hoc genus abstractionis iam amittit statum generis, & acquirit statum speciei: quemadmodum etiam respectũ huius, & illius generis consideratum, denominatur species.

ARTIC. III.

An genus eâdem relatione simplici species subijcibiles, & indiuidua respiciat?

PRimò dicendum est, genus eâdem indiuisibili relatione respicere plures species, & non pluribus essentialiter diuersis. Probatur, quia genus essentialiter est pars quædam metaphysica, quæ se habet vt materia communis, & potentia, eo quod essentialiter est indifferens, vt contrahatur per plures differentias; & ratio vniuersalis, in qua conuenire debent plures species: ergo per eundem indiuisibilem respectum eas respicit. Prob. consequentia, quia omne vniuersale in quantũ

tale

tale vnica indiuisibili ratione essentialiter respicit plura: ergo hoc speciale vniuersale, sicut essentialiter tale est, sic essentialiter plures respicit species.

Nec potest contra hoc adduci instantia de patre respiciente plures filios diuersis numero relationibus, quia præterquam quod à multis negatur, est manifestū discrimen, quia pluralitas illa filiorum est accidentalis, vnusq; sine alio dari potest, & datur de facto diuersis temporibus, at pluralitas speciorum est essentialis, essentialiterquè petita ab eàdem indiuisibili forma, vel essentia. Qua de causa in relatione ipsa patris ad filium, in omni sententia admittitur eodem indiuisibili respectu referri ad fundamentum & terminum, quia vtrumquè extremum licet inter se diuersum, est essentialiter petitum ab ipsa relatione.

Declaratur hoc amplius: quia licet species primò intentionaliter sumptæ distinguantur essentialiter inter se, non inferunt respectus essentialiter diuersos in secunda intentione generis; nam sic sunt termini materiales relationis generis, vel termini inadæquati vniuersalitatis illius, distinctio autem relationum non est attendenda iuxta diuersitatem materialem, vel secundùm terminos inadæquatos, sed iuxta diuersitatem formalem terminorum totalium; cum ergo species terminent formaliter vt subijcibiles, relationem generis, & vt sic non distinguantur: non est vnde talis distinctio essentialis in genere colligatur.

Dico secundò, cum species subijcibiles sint correlatiuum adæquatum, immediatum, & primarium respectu generis; indiuidua autem correlatiua secundaria, & mediata; idcirco eodem indiuisibili respectu, & habitudine respicit species, & indiuidua.

Probatur manifestè ex dictis, nam terminus, vel obiectum primarium, & secundarium, semper pertinent ad eundem respectum, habitum, vel actum, quia sunt termini subordinati essentialiter; atquè adeo potentia, vel actus; qui potest primum, necessariò & secundùm attingere debet, quia virtualiter in primo continetur: ergo si species, & indiuidua sunt termini essentialiter subordinati, & vnus est primarius, & immediatus, & alter secundarius terminus, & mediatus, eundem respectum indiuisibilem terminare debent.

Confirmatur à simili de logica, quæ eòdem indiuisibili respectu respicit modum sciendi mentalem realem, & modum sciendi obiectiuum, qui est ens rationis, & quælibet potentia eàdem indiuisibili habitudine respicit actus, & obiecta.

Depi-

Deniquè, quia hæc prædicatio. *Petrus est animal*, est directa enuntiatio, & doctrinalis: ergo debet esse alicuius prædicabilis; nō alterius, nisi generis: ergo genus vt genus est, respicit etiā indiuidua. Quod verò hęc prædicatio non sit alterius prædicabilis, nisi generis. Patet, quia nō est species, quæ immediatè dicitur de indiuiduis, animal verò mediatè: nequè est prædicatio differentiæ, vel proprij, aut accidentis, quia animal nihil horū est respectu indiuiduorum: neq; est aliud prædicabile præter hæc, vt dicetur infra: ergo est prædicatio generis, vt tale est.

Sed contra obijcies: quia species, & indiuidua respiciunt genus diuersis relationibus subijcibilitatis, nam species respicit immediatè genus, mediatè verò indiuiduū: ergo similiter genus diuersis relationibus respicit species, & indiuidua. Patet consequentia: nā vnum relatiuū speciei, quale est genus, non potest habere correlatiua specie diuersa, vt sunt species, & indiuiduum.

Sed facilè respōdetur ex dictis, quod quādo termini, vel correlatiua sunt inter se subordinata, ita vt vnum sit primarium, & alterum secundarium, vtrumq; potest terminare eundem respectum indiuisibilem, atquè adeò sicut genus eâdem relatione prędicabilitatis respicit species, & indiuidua modo explicato, ita indiuiduum eâdem simplici habitudine subijcibilitatis respicit speciem, & genus: hoc mediatè, & secundariò, & illam immediatè, & primariò.

Alia, quæ hîc de genere controuerti solent, iam supra tractata sunt disputatione de vniuersalibus in communi, & disputatione de definitione obiectiua.

QVAESTIO II.

De specie secundò prædicabili.

Diximus, genus esse id, quòd prædicatur de speciebus, easquè correlatiuas, & terminos relationis generis esse, idcircò prius de specie tractandum per ordinem ad genus superius, & postea de illa per respectum ad sua inferiora. Est igitur.

ARTIC. I.

An species sit essentialiter subijcibilis, & in quantùm talis intrinsecè correlatiua generi?

Primò supponendū est, prædicabile, & subijcibile esse ad inuicem correlatiua, prędicabilitas enim est aptitudo, quam habet res aliqua, vt de alia

asseritur, nihil potest definiri, nisi in quantū species: ergo in hoc solùm saluatur essentia speciei. Denique propter hanc rationē non diuidimus genus in subijcibile, & prædicabile, sed solùm appellatur genus, quatenùs de pluribus speciebus enuntiatur, & quatenùs subijcitur alteri generi superiori, dicitur species subalterna; ratio inquam non est alia, nisi quia vt sic conuenit illi essentia speciei, quæ est subijci generi, & differentiæ, & esse obiectum definibile: ergo &c.

Ex quo colligitur, quod sicut genus subalternum & infimum, & generalissimum sunt idem specie in ratione generis, ita species subalterna & infima; quia eodem modo respiciunt genus, sunt eiusdem rationis specificæ; vt optimè notauit hic noster Magister Oña. Est enim definitio speciei subijcibilis, vt benè aliqui iuniores. *Vnū quodpiam ex natura sua aptum, tamquàm aliquid per se stans subesse immediatè generi, & differentiæ, tamquàm partibus essentialibus.* Quæ definitio optima est, quia explicat nō solùm subijcibilitatem per ordinem ad genus, sed etiam per ordinem ad differentiam, quia vtraquè essentialis est speciei, cum ex vtrâquè constet essentialiter.

M. Oña. q. 1. de natura speciei subijcibilis.

(3)

Satisfit duplici obiecto.

Sed contra dicta obijcies primò Aristot. *cap. de relatione*, & omnes eius interpretes asserentes, relatiua esse simul natura, tēpore, & cognitione, sed genus, & species nō sunt simul natura, cum genus sit vniuersalius specie, & vniuersaliora sint priora natura, vt docet Arist. 1. *physic.* ergo species non est correlatiua generi. Arist.

Secūdò: quia vnum correlatiuū non prædicatur de alio; hæc enim est falsa. *Pater est filius*; sed genus prædicatur de specie: ergo non sunt correlatiua.

Respondetur ad primùm, quod quando vniuersaliora dicuntur priora, non est sermo de vniuersalioribus formalitèr, de quidditatiuè sumptis, prout dicunt relationem ad minus vniuersalia; sed de naturis, quæ vniuersalia denominantur, quemadmodùm de illis etiam asseritur, esse idem realitèr cum suis inferioribus, prædicari de illis, esse partes, &c. Quæ verificari non possunt de secundis intentionibus, sed tantùm de naturis, quæ illis subsunt modo iam supra dicto. Sic etiam *Pater vt Pater est, non potest esse prior filio, cum dicatur per ordinem ad filium*. Entitas tamen seu natura, quę denominatur à relatione paternitatis, est prior entitate, quę denominatur à relatione filiationis.

Ad secundùm similiter respondetur, quod quamuis vnum relatiuum formalitèr vt relatiuũ est de alio prædicari non possit, & sic nec genus quidditatiuè sumptum prædicetur vt quod de specie (hæc enim est falsa: *genus est species*) fundamentum tamen, quod relatiuum denominatur, benè potest prædicari, præsertim loquẽdo de relationibus rationis, quæ non interueniunt inter extrema realitèr distincta, sed solùm formalitèr; & ita natura quæ denominatur genus, *animal*. v. g. potest prædicari de natura, quæ denominatur species. s. de homine.

ARTIC. II.

An species subijcibilis per se, & in quantùm talis, sit prædicabilis?

Triplex est in hac re dicendi modus. Primus est rationem prædicabilis intrinsecè, & essentialitèr includi in ratione speciei subijcibilis. Ita videtur insinuare Auicena. *c. de specie*, propter quod repræhenditur ab Alberto, *tract. 4. cap. 2.* Secundus modus dicendi est, subijcibilitatem esse passionem prædicabilitatis, vel è conuerso, prædicabilitatẽ emanare à subijcibilitate, tamquàm à radice. Tertius modus dicendi est Alberti, vbi sup.. & Caiet. dicentium, quod speciei, vt genus respiciat, omnino accidit esse prędicabilem; quę vltima sententia vera est, eamquè probat, & defendit noster M. Oña vbi supra, *artic. 2.* Pro cuius explicatione.

Auicena.

M. Oña.

Dico primò: species subijcibilis essentialitèr vt subijcibilis, non est prędicabilis. Probatur: quia relationes distinguntur per diuersos modos respiciendi terminos; sed species subijcibilis, & prędicabilis habent diuersos modos respiciendi, & diuersos terminos: ergo sunt relationes essentialitèr distinctę, ac proinde vna non includitur in alia. Maior supponitur certa ex cap. de relatione: & minor probatur: quia species vt subijcibilis, respicit genus tamquàm prædicatũ, respectu cuius ipsa est subiectum & inferius, & vt prædicabilis respicit indiuidua tamquàm subiecta inferiora, respectu quorum ipsa est vniuersalis, & superior: ergo habet modos respiciendi, & terminos valdè diuersos.

Confirmatur: quia subiectũ non est formalitèr prædicatum: ergo nec subijcibile est formalitèr prędicabile. Consequentia patet, quia exercitium prędicabilitatis est actualis prędicatio, & exercitũ subijcibilitatis actualis subiectio in propositione.

Dico

Dico secundò, licet species subijcibilis, & prædicabilis coniungi soleant in eâdem natura, vna non oritur ex alia tamquàm ex radicè, respectu cuius sit proprietas, neque è contra, sed sunt relationes omnino disparatæ. Probatur, quia hæ duæ relationes possunt adinuicem separari, id est, vna sine alia reperiri in aliquo subiecto: ergo vna non oritur tamquàm passio ex alia. Probatur antecedens: quia species subalterna. v. g. animal respectu generis superioris, s. viuétis, est species subijcibilis, & tamen non est species prædicabilis, sed genus, quia prædicatur de pluribus differentibus specie: ergo vna non est necessariò connexa cum alia tamquàm passio, vel radix illius.

Rursus secundò, de speciebus Angelicis est manifesta doctrina S. Thom. esse subijcibiles, & non esse prædicabiles, & vniuersales; vt sequēti articulo dicam, eo quod non sunt multiplicabiles in plura indiuidua: ergo.

Deniquè ratio propter quàm species prædicabilis est de multis indiuiduis non est genus, vel differentia, sed potius è contra genus, vel differentia de illis prędicantur mediante specie, vel ratione speciei, vt supra dixi: ratio ergo solùm est ex parte intellectus abstractio à multis indiuiduis, & ex parte fundamenti multiplicatio indiuidualis, quā habet natura à parte rei, quæ ratio adæquata est huius prædicabilitatis, & ita independens à subijcibilitate, respectu generis, vel differentiæ: quod si per impossibile talis natura nullum supra se haberet genus, nullamq; differentiam ab alijs, si esset plures indiuidualiter, posset abstrahi à pluribus singularibus, sicut modo, & de illis prædicari. Et propter eandem rationem etsi nō prædicaretur de plurib⁹ indiuiduis, posset componi ex genere, & differentia: Tùm propter instantias positas de speciebus Angelicis, & de speciebus subalternis; tùm etiam, quia cōpositio ex genere, & differentia solùm causatur ex conuenientia, & differentia essentiali inter plures species; non verò ex conuenientia, & differentia specifica solùm indiuiduali inter plura singularia: ergo.

Dico tertiò, species subijcibilis accidentaliter, & denominatiuè est vniuersalis, & prædicabilis, sicut homo, & quælibet alia natura realis, quæ licet secundùm se vniuersalis non sit, aut prędicabilis; denominatiuè, & per abstractionem intellectus hoc habet. Probatur, quia species subijcibilis in communi potest abstrahi ab hac, vel illa specie subijcibili, & quælibet species subjicibilis in particulari; homo. v.g. à *Petro*, & *Paulo*: ergo.

 Soluitur

Soluitur obiectio.

Sed contra dicta obijcies: species est vnum ex quinque prędicabilibus, quæ communiter enumerantur ab omnibus dialecticis: ergo si talis species est essentialiter subijcibilis, vt primo articulo probatum est, erit etiam prædicabilis, secundùm quod subijcibilis est: patet consequentia: nam quinquè hæc prædicabilia, quæ enumerantur communiter ab omnibus, conueniunt tamquàm in re essentiali generica, in ratione vniuersalis, & prædicabilis.

Confirmatur: quia species secundùm quod subijcibilis, nō est singularis, nequè solùm natura secundùm sua prædicata essentialia, cum subijcibilitas non sit prædicatum essentiale, sed conueniens naturæ per intellectum: ergo est vniuersalis, & prædicabilis: patet consequentia: quia solùm tres isti status communiter attribuuntur naturæ.

Confirmatur secundò: quoniam indiget abstractione natura specifica, vt immediatè generi subijciatur; sed vniuersale fit per solam abstractionem: ergo vt subijcibilis est vniuersalis, & consequentèr prædicabilis, quia cui competit essentia conuenit & proprietas.

Respondetur tamen ad primùm speciem, quæ assignatur vt vnum ex quinquè prædicabilibus, non esse speciē vt subijcibilem, sed prædicabilem. Quæ vtraquè sic dicitur: quia species, vt optimè notauit hìc Porphyrius, pulchritudinem significat; & hac etiam ratione Arist. *physic. formam vocat speciem*, quia tribuit totam pulchritudinem, & esse rei, & 3. *metaphy. c. 12. differentias appellat species*: quia perficiunt, & ornant genus illūquè determināt ad determinatā speciem; & idcircò quia natura specifica est pulchritudo generis; ideò species subijcibilis, speciei nomen sortita est, & quia species prædicabilis est tota essentia & pulchritudo indiuiduorum, etiam appellatur species; & etiam posset sic appellari denominatione sumpta à suo fundamento seu materiali, quod semper est species subijcibilis. *Aristot.*

Ad primam & secundā confirmationem nego consequentiam; nam species, vt subijcibilis, est materialitèr vniuersalis, & præsuppositiuè, seu antecedentèr, & propter hoc indiget abstractione à singularibus: formaliter verò nec vniuersalis, nec prædicabilis est, quia hic respectus solùm est ad inferiora, subijcibilitas autem est ad superius.

(3)

AR-

ARTIC. III.

An omnis species subijcibilis, sit etiam prędicabilis.

NOn est dubium dari speciem subijcibilē sine specie prædicabili, vt de speciebus subalternis iam dixi; sed quæritur, an detur species, quæ nullo modo sit prædicabilis, neque vt genus, neq; vt species: & est difficultas in opinione valde probabili, quam defendimus discipuli S. Tho. videlicet, impossibiles esse plures Angelos eiusdem speciei, quam examinabimus infra, sed illa supposita, est adhuc controuersia, an huiusmodi species realiter immultiplicabiles in plura indiuidua, sint aliquo modo vniuersales, aut prædicabiles?

Penet Alber. Mag. Iauel. 12. metaphy. q. 24. Caiet. hic fatetq; non nihil S. Tho. 1. p. q. 13. ar. 9 & 5. de ente & essentia. Canarien. 1. p. ar. 4. dub. vlti.

Prima sententia est, esse prædicabiles; quam tenent multi thomistæ. Quorū fundamētum est, quia vt aliqua species sit prędicabilis, non requiritur habere plura indiuidua in actu, vt patet in speciebus Solis, & Lunæ, neque plura in potentia reali, & physica; sed sufficit, quod contineat plura in potētia logica, idest quod sit apta apprehendi ad modū rei habentis plura indiuiduas, & hanc aptitudinē habere dicunt, species Angelicæ, quia cùm cōcipiantur à nobis ad modum specierum materialium, sicut homo. v. g. *intelligitur vt species communis, & prædicabilis;* ita & Angelus, qui solùm consideratur ad modum hominis.

Confirmatur hoc, quia nulla natura denominatur species, aut vniuersalis, prout est à parte rei, sed prout ab intellectu apprehenditur, sed natura specifica cuiuslibet Angeli apprehenditur per modum cuiusdam rei materialis habentis plura indiuidua: ergo vt sic denominari potest species vniuersalis, & prædicabilis.

Mihi tamen semper consequenter visum est, dicendū, supposita repugnantia dicta, huiusmodi species esse tantùm subijcibiles, & non vniuersales, aut prędicabiles. Ita est communior sententia, docetq; illam noster M. Oña hîc. Quod sint species subijcibiles, patet: quia naturæ Angelicæ sunt definibiles, constantq; suis proprijs generibus, substantiæ. s. immaterialis, quæ de illis prædicantur, & ex differentijs, quibus inter se distinguntur. Quod autem prædicabiles non sint, probatur: quia de ratione vniuersalis speciei est, quod sit vnum in multis, saltē aptitudine: ergo si his speciebus repugnat omnino esse in pluribus; etiam de potentia absoluta minimè conueniet illis vniuersalis essentia.

Episcop. Oña.

Neque valet respōdere hanc

aptitudinem esse logicam conuenientem his speciebus per intellectum, licet non à parte rei. Contra hoc enim est primò, quod vniuersalitas, sicut & distinctio rationis ratiocinatæ debent, habere fundamentum in re, sed fundamentum, quod vniuersale specificum sumpsit ex rebus, est conuenientia, vel similitudo realis inter plura singularia, & vniuersale genericum in hoc discernitur ab specifico, quod habet pro fundamento in re similitudinem realem inter plures species: ergo species Angelica, quæ nullum tale fundamentum in re supponit, erit vniuersalis sine fundamento, ac proinde mera fictio.

Secundò, quia aliud est naturam Angelicam apprehendi ad modum corporis, & rei materialis communicabilis pluribus solùm ex parte modi cognoscẽdi, vt ratio sub qua cognoscitur, & aliud est apprehendi, & iudicari vt rem verè materialem, & cõmunicabilem pluribus ex parte obiecti terminatiui: hoc secundum est manifestè falsum, & requirebatur, vt species Angelica, diceretur vniuersalis, & verè prædicabilis: ergo quidquid sit de modo concipiendi, vel de ratione sub qua Angelus concipitur, ratio quæ concipitur, id est, ipsemet Angelus nullatenùs dici potest vniuersalis, aut prædicabilis, sicut nec dici potest corpus: minor declaratur amplius, quia vt quælibet natura sit verè vniuersalis, & prædicabilis, præter modum, quo ab intellectu concipitur, debet esse in multis realiter, siuè actu, vel aptitudine; quia licet vniuersalitas, & ratio sub qua prędicatur non sit in multis à parte rei; res tamen quæ prædicatur, in multis debet esse: aliàs prędicationes erũt falsæ.

Confirmatur, nam ideo istæ sunt falsæ, *Petrus est equs, Paulus est equs.* Quia species equina non est realiter in Petro, & Paulo, sed potius negatio illius; ideoquè etiam species equina non est verè prædicabilis de Petro, & Paulo. Sed eâdem ratione species Gabrielis solùm est realiter in vno indiuiduo, & prędicationes de alijs indiuiduis sunt falsæ, & contradictoriæ sunt veræ, quia vt supponitur talia indiuidua sunt impossibilia, & natura realis nõ potest esse in indiuiduo, vel subiecto impossibili: ergo non potest esse verè prædicabilis; aliàs darentur prædicationes contradictoriæ simul veræ, illæ s. quibus affirmaretur naturam Gabrielis esse in multis à parte rei; quas cõcedere tenentur authores oppositi, supposito, quod asserunt esse verè prædicabilem, & illæ quibus negaretur naturam Gabrielis esse in multis, quas etiam admittere debent consequen-

quenter ad suam doctrinam negantem plures Angelos possibiles esse sub eâdem specie.

Deniquè: idem fundamentum habet *Deus*, vel *Petrus*, vt concipiantur vt vniuersales, & prædicabiles, ac habet Angelus Gabriel in opinione istorum, & eandem repugnantiam, vt nudetur à sua propria singularitate, & communicetur alijs differentijs indiuidualibus; sed hoc fundamentum sufficiens nõ est, vt *Deus*, vel *Petrus* vniuersales dicantur, vt ipsi concedunt: ergo neque vt Angelus Gabriel. Maior patet, nam sicut Angelus non obstante, quod sit singularissimus à parte rei, considerari potest, vt cõmunis ex parte modi cognoscendi, ita & Petrus, quia nihil peculiare habet, ratione cuius hoc illi repugnet, nisi sua singularitas, in qua ęqualis est Angelo Gabrieli, quinimò sub nomine Petri sunt multa indiuidua realiter existentia, quæ omnia sub hoc nomine significantur, quæ non sunt sub nomine Gabrielis, & cum aliàs sit certum differentias indiuiduales non cognosci distinctè, & clarè pro hoc statu, sed semper sub rationibus vniuersalibus, idẽ & maius fundamentum habet petrus, vt naturam significet communem, & prædicabilem de omnibus, qui sic vocantur, quàm Gabriel. Nam hæ prędicationes sunt veræ, *hic est Petrus*, *& hic qui tali nomine vocatur*, *&c.* quod de Gabriele dici non posset.

Ex dictis patet iam solutio ad fundamentum oppositæ sententiæ. Instantia enim de Sole, & Luna non est ad propositum, quia licet non habeant plura indiuidua actu existẽtia, respiciũt plura possibilia realiter, quod sufficit ad veras prædicationes vniuersalium, quæ cum sint æterna, & obiecta scientiarum, abstrahunt ab omni existentia, quæ cõtingens est, & mutabilis.

Rursus; quod vniuersalia sint entia rationis, quoad vnitatem, non tollit, quod debeant habere fundamentum in re, quoad pluralitatem. s. realem, & similitudinem inter plura, vt iam dixi.

Sed obijcies contra conclusionem: supposito, quod angeli sint essentialiter singulares, & non vniuersales, sequitur manifestè, quod nõ sint species subijcibiles, ac proinde nulla est possibilis species subijcibilis, quæ non sit vniuersalis, & prædicabilis. Sequela probatur: quia genus non respicit immediatè singularia, sed species, ac proindè si naturæ Angelicæ Michaelis, & Gabrielis sunt essentialiter singulares, non erunt species subijcibiles respectu alicuius generis, sed indiuidua subijcibilia alicuius speciei.

Respondetur negando sequelam, & ad probationem illi⁹ respon-

respondetur, de ratione generis solùm esse, quod respiciat plures species, vel quod prædicetur de pluribus differentibus specie; quod autem istæ species vniuersales sint, vel singulares, per accidens illis conuenit, in quantùm generi subijciuntur: per se verò componi ex genere, & differentia essentiali, & esse cōceptum primarium, & quidditatiuum rei; & idcircò, quia Angeli differunt non solo numero, sed etiam essentialiter, & specificè, immediatè contrahūt genus quantùm ad rationem specificam, quæ ex genere constat, & differentia, non verò quantùm ad rationem indiuidualem, quæ licet essentialis illis sit, est tamquàm modus speciei, & non vt conceptus primarius, atquè adeò terminat mediatè; hoc est mediante specie, relationem generis; estquè subijcibilis illi secundariò, non primariò.

ARTIC. IIII.

De natura speciei prædicabilis.

Porphyrius *cap. de specie*, sic definiuit speciem prædicabilem: *est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid*. Quam definitionem omnes admittunt, quia in eà optimè explicatur essentia speciei vt prædicabilis, & in quo cum cæteris prædicabilibus cōueniat, & in quibus differat; conuenit scilicet cum cæteris in ratione prædicabilis de pluribus, & differt ab eis, quia prædicatur de pluribus solo numero differentibus: vel quod idem est, de pluribus indiuiduis immediatè, & per se. Quas particulas in explicatione addo, ad excludendum à definitione speciei genus, quod immediatè prædicatur de speciebus infimis Angelorum, quæ species vt indiuiduæ, vel non terminant immediatè rationem genericam, sed mediante specie, vel terminant eam per accidens ratione speciei, & non ratione differentiæ indiuidualis, quæ tantùm concomitanter ibi se habet.

Non fuit tamen necessarium has particulas ponere in definitione, quia verba in definitione semper sunt intelligenda omninò per se, & ratione sui; & quia indiuidua quotiescumquè non differunt solo numero, sed aliàs essentialiter, non terminant immediatè relationem generis, sed medijs naturis specificis, hinc est quod inferiora speciei immediatè, & per se eius respectum terminantia, esse debent sola indiuidua.

Cætera, quæ circa hanc defi-

definitionē desiderari possunt, scilicet esse descriptiuam, quia explicat propriam passionem vniuersalis: & conuenire tam materiali, quàm formali speciei cuilibet suo modo, &c. iam supra satis declarata sunt, loquendo de vniuersali, & prædicabili in communi, & de genere. Solùm hîc addenda restat definitio essentialis speciei prædicabilis, quæ ex dictis facilè colligitur. Est *vniuersale, quod est in multis tanquàm essentia totalis ipsorum*. Prima particula vniuersale: explicat radicem prædicabilitatis in communi, quæ vniuersalitas est, vt in superioribus dixi. Secunda particula explicat differentiam essentialem speciei à reliquis vniuersalibus; nam in quolibet indiuiduo tria sunt genera, prædicatorum. Quædam essentialia, quæ sunt genus, & differentia, & species, quę ex vtroquè componitur, ac proinde includit totam essentiàm. Quædam accidentalia, quæ sunt accidens proprium, & commune, de quibus infra. Quædam deniquè, quę licet substantialia, sunt extra essentiam rei, quia sunt modi quidam substantiales supponentes essentiam vt radicem, & illam modificantes; & huiusmodi sunt subsistentia, existentia, &c. Ex quo patet, quod eo ipso, quod definiatur species esse tota essentia, dicitur subiectum illius esse indiuiduum, vt tale, nam de illo immediatè prædicatur tota essentia & ipsum est, quod immediatè subsequitur essentiam cōpletam, & est extra ipsam.

Soluuntur aliqua contra dicta.

Sed non desunt aliqui scrupuli contra primam definitionem. Primò obijci potest, quod animal, & rationale possunt de pluribus differentibus numero prædicari; dicimus enim: *Petrus est animal*, *Paulus est animal.* Similiter *hoc rationale est rationale*, & tamen animal, nec rationale species sūt, sed genus, & differentia.

Sed ad primum iam dixi tractando de genere, prædicationes illas esse mediatas ex natura sua, quod si intellectus inuertat modum, & ordinem, quem habent inter se huiusmodi prædicata, tales prædicationes erunt speciei, quia tunc prædicatur animal, vt tota essentia, & non attendítur aliqua differentię specificę, respectu cuius animal posśit obtinere rationem generis, erit tamen hęc species rationis ratiocinantis sine fundamento in re, non autem ratiocinata, de qua loquimur in pręsenti, quæ essentialiter supponit tale fundamentum in re; sicut cętera prædicabilia.

Ad secundum respondetur quod si quando dico: *hoc rationale est rationale*, sumatur hoc rationale pro indiuiduo speciei humanæ, scilicet pro *Petro*, vel *Paulo*, prædicatio non erit speciei, quia no erit in quid, sed solùm in quale quid, quæ est prædicatio differentiæ. Si verò hoc rationale sumatur pro cõposito ex rationalitate præcisè & substantiuè sumpta, & ex singularitate, nulla habita attentione ad genus, vel ad speciem hominis, quæ mediat, erit etiam prædicatio speciei, sed ratiocinantis, & sine fundamento, sicut dixi de genere.

Secundò obijcies: quia indiuiduum vagum prædicatur de pluribus numero diuersis in quid, vt cum dicitur: *Petrus est aliquis homo*, & tamen non est species: ergo. Deniquè essentia, vel persona Diuina prædicatur de tribus Diuinis personis realiter diuersis, & tamen non est species prædicabilis de illis.

Respondetur tamen, indiuiduum vagum, si sumatur propriè, prout afficitur signo illo vagè sumpto, non dici de pluribus, sed de vno tantùm vagè, & indeterminatè; nam licet de pluribus enuntietur per ascensum, vel descensum, hoc fit media particula disiunctiua *vel*, quę tantùm postulat veritatem ratione vnius, vt si dicas: *quidam homo currit*, est vera solùm concurrente Petro, & solùm ratione illius erit verum dicere: *ergo vel Petrus, vel Paulus, vel Ioannes currit.*

Ad vltimum respondetur, quod attinet ad essentiam Diuinam, non esse vniuersalem, atq; adeo neque speciem, quia non multiplicatur in tribus personis; neque est in illis tamquàm in subiectis numero diuersis, quia in ratione Dei non differunt, sed sunt vnum numero. Quod verò attinet ad personam Diuinam, quæ re vera communis est secundùm rationem tribus personis Diuinis realiter, & numero distinctis in ratione personæ, aliter respondetur, in Deo propter eius infinitatem ad inuicè se includere omnia prædicata Diuina essentialiter, atque adeo ratione huius mutuæ transcendentiæ, nullam in eo esse compositionem metaphysicam generis, & differentiæ, & ex consequenti neque rationem speciei, neque vllam aliam alterius prædicabilis, de cuius ratione est, quod formaliter distinguatur à suo subiecto.

(¿)



QVAES-

QVÆSTIO III.

De indiuiduo, quod est correlatiuum speciei prædicabilis.

ARTIC. I.

Quid sit indiuiduum primò intentionaliter, & quomodo definiatur?

QVia dixi, indiuiduum correlatiuum esse speciei, nunc breuiter eius natura explicanda est. Pro quo supponendum est, dupliciter posse sumi, & primò, & secundò intentionaliter. Indiuiduum primò intentionaliter *est natura singularis, prout significatur secundùm ea, quæ habet à parte rei independenter ab intellectu, vt Petrus, Paulus, &c.* Indiuiduum secundò intentionaliter *est eadem natura singularis, prout intelligitur secundum ea, quæ proueniunt illi ab intellectu*, & de indiuiduo in vtraquè acceptione agemus in præsenti, & primò de natura indiuidui primò intentionaliter, quia supponitur vt fundamentum ad secundam intentionem.

Pro cuius intelligentia suppono secundo: in vno quoq; singulari præter naturam specificã reperiri realem quandam differentiam, vel modum determinationis, per quam constituitur in suo esse singulari, & distingui tur à quolibet alio indiuiduo: quam differentiam consequntur quasi proprietates multa accidentia communia, vt color, figura, complexio, & aliæ qualitates, quæ seorsim sumptæ dicuntur accidentia communia, quia in alijs singularibus multis inueniũtur; dicuntur autem proprietates indiuiduales, in quantùm omnes simul collectæ non possũt in alio indiuiduo reperiri.

Indiuiduum igitur primò intentionaliter sumptum sic definitur à Porphyrio: *est cuius collectio proprietatum nunquã eadem in alio est*; quæ definitio descriptiua solùm est, & non essentialis, quia solùm passiones declarat indiuidui; hæ autem his versibus comprehendi solent.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis.
Patria sunt septem, quæ nõ habet vnus, & alter.

Forma, id est, complexio, seu temperamentũ; figura, id est, dispositio, & proportio partiũ. Locus, id est, propria domus, vel cubiculũ in quo natus est. Tempus, id est, instans generationis, sen

seu natiuitatis; & constellatio illi correspondens. Nomen est id, quo significatur, & appellatur, & ratio specialis ob quam istud nomen potius quàm aliud tali indiuiduo imponitur, s. deuotio alicuius sancti, aut amor Patris, vel memoria, &c. Sanguis est genus; seu prosapia. Patria vrbs, in qua natus, & educatus fuit; quæ vltima, vt optimè notat noster Episcop. Magist. Oña, potest reduci ad locum, vel dicendum; quod patria significat regionem, vel temperiem aeris, & cælorum influentias.

Episcop. Gaetens.

Circa quas est semper aduertendum, quod iam dixi supra, nō esse veras proprietates: tùm, quia nulla earum conuenit omni, Soli, & semper, sed omnes dicuntur accidentia communia, vt distinguantur proprijs; tùm etiam, quia non dimanant physicè à differentia indiuiduali, sed à causis extrinsecis; & multæ sunt denominationes merè extrinsecæ, vt tempus, locus, nomen, sanguis, patria, &c. Et præterea differentia indiuidualis est tantùm modus quidam incommunicabilitatis, qui non potest esse principium, & radix alicuius proprietatis, sed potiùs ipsa cōcipitur, vt proprietas modificans speciem.

Ex quo patet, vt hoc obiter dicam, ratio efficax, quare de indiuiduo non possit esse scientia; quidquid alij dicant; ratio enim est, quia neque scientia à priori, neque à posteriori est possibilis, quia nulla est causa, vel effectus, aut proprietas, ex qua euidenter cognosci possit differētia indiuidualis; causa enim, vel radix solum potest esse species, quæ indifferens est ad omnes differentias indiuiduales; & non magis postulat hanc, quàm illam: effectus autem, aut proprietates nullas habet, vt dixi, & tota collectio earum, licet de facto in hoc indiuiduo inueniatur, & non in alio, hoc non prouenit ex determinata connexione, quam habeat per se cum hac differentia indiuiduali, & non cum altera; nam si discurramus per omnes, & quælibet seorsim, & omnes simul sumptæ sunt simpliciter contingentes, & accidentariæ huic indiuiduo; ideo igitur de facto tota collectio vnius indiuidui in alio non est, quia proueniunt huiusmodi proprietates à causis extrinsecis valdè diuersis, & est saltem moraliter impossibile, quod eædem causæ, & circumstantiæ reperiantur circa duo indiuidua, sicut est impossibile, quod plures homines conuenientes in foro, quorum vnus de altero nesciret, eadem obiecta cogitarent, & eosdem sermones inter se haberent, & vellent; quamuis physicè possent. Vnde immeritò,

&

& sine vllo rationabili fundamento quidam iuniores supponentes differentiam indiuidualem esse radicem aliquarum proprietatũ, docent quod de illa possit haberi scientia, licet de facto non habeatur, quia talis differentia nobis ignota est.

Constat etiam quod sicut de indiuiduo non potest dari demonstratio scientifica, ita nec definitio essentialis propriè dicta, quia hæc solùm est de specie, quæ ex genere constat, & differentia, potest tamen latè sumendo definitionem essentialem, definiri. Vt docet S. Thom. *1. p. q. 29. art. 1. ad 1.* Vbi ait, *licet hoc singulare, vel illud definiri non possit, illud tamen, quod pertinet ad communem rationem singularitatis, posse definiri*, & sic Philosophus definiuit substantiam primam, & Boetius definiuit personam. Sic ergo illud definiri potest: *Est modus positiuus, à quo species habet quod sit realiter indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio.* Modum dico positiuum, *quia Petrus, v.g. & Paulus* positiuè, & realiter differunt à parte rei, per entitates positiuas realiter diuersas, sed non differunt specie, vt constat, sed solo numero: ergo illa differentia numerica, quæ in quouis indiuiduo reperitur, est positiua, & realis. Vnde negatio diuisionis est quid consequens necessariò hunc modum positiuum; quemadmodum de personalitate, aut subsistentia dicitur in metaphysica, esse modum positiuum realem, ad quem negatio communicabilitatis sequitur.

Quod autem sit modus tantùm, & non res rigorosè sumpta, patet ex eius officio, & munere, quod tantùm est distinguere, & determinare speciem, non addendo illi perfectionem, aut virtutem aliquam ad nouas operationes, vel proprietates, de quo fortè redibit sermo infra tractãdo de quantitate discreta.

ARTIC. II.

An ab omnibus indiuiduis realibus possit abstrahi ratio communis, in qua omnia conueniant?

Id est, an sicut ab omnibus hominibus abstrahitur natura humana, quæ ratio quædam est specifica, in qua omnes homines conueniunt; ita ab omnibus indiuiduis possit abstrahi ratio cõmunis indiuidui, in qua vniuocè, vel analogicè conueniant; & non est difficultas de indiuiduo secundò intentionaliter sumpto, quaten⁹, s. consideratur vt forma determinãs, & contrahens speciem, & illi subijcibilis; nam vt sic non est dubium

dubium, quod omnia indiuidua vniuocè conueniant in tali relatione subijcibilitatis, & secundæ intentionis; quemadmodum genera suprema substantiæ, quátitatis, &c. licet in nullo prædicato reali vniuocè conueniant, possunt in aliquo rationis, s. in ratione generis supremi sic conuenire.

Albert. *Caietan.* Loquendo ergo de ratione reali differentiæ indiuidualis, quidam negarunt penitùs rationem communem, præter solùm nomen, inter quos citantur Albert. *cap. de genere*, Caietan. & alij.

S. Th. q. 9 de potent. ar. 1. ad 1. & 2. & 1. par. q. 30. art. 4. Gaetens. Episc. M. Oña, c. de specie. q. 2 art. 1. Sed melius S. Thóm. *q. 9. de potentia, & 1. p. q. 30.* & ferè omnes, præsertim huius temporis, docent ab omnibus singularibus rationem communem indiuidui abstrahi posse: inquit, enim S. Doctor, *ibidē quod licet indiuiduum, vel persona incommunicabilis sit; ipse tamen modus existendi incommunicabiliter potest esse pluribus communis*.

Caiet. eodem cap. Suar. to. 2 met. disp. 6. sect. 8. & alij plures. Præterea probatur eodem argumento, quo probari solet quæuis alia ratio communis, nempe: quotiescumquè aliqua conueniunt, & sunt realiter similia in aliqua ratione, talis ratio in qua conueniunt, potest abstrahi ab illis, & confusè intelligi, eis nō cognitis distinctè, & in particulari, sed omnia singularis conueniunt in hoc, quod quodlibet habet differentiam numericam positiuam, & realem, & in diuisionem realem in se, & diuisionē à quolibet alio: ergo talis ratio differentiæ numericæ potest abstrahi ab illis. Maior est certa ex communi doctrina de vniuersalibus: nullum enim aliud fundamentum habemus ad vniuersalia excogitanda, præter similitudinem, & cōuenientiam realem, quam experimur in singularibus à parte rei, & minor etiam cōstat, quia sicut *Petrus, & Paulus* sunt similes in ratione hominis, eo quod quilibet est realiter homo, ita & in ratione indiuidui, quia quilibet est indiuiduum, non solùm quantùm ad nomen, sed etiam quantùm ad rem significatam per nomen, & diffinitam per communem definitionem.

Confirmatur, quia hæ prædicationes sunt veræ. *Petrus est indiuiduum*, *Paulus est indiuiduum*, afficiturquè vox indiuiduum omnibus signis quibus modificatur vox vniuersalis; dicimus enim verè, omne indiuiduum: plura indiuidua: aliquod, vel hoc indiuiduum; possumusquè ascendere, & descendere sub illo; quæ & similia manifestè eius communitatem indicant.

Ratio communis indiuidui analoga est, & transcendentalis.

Dico secundo: hęc ratio positiua

sitiua indiuidui ab omnibus singularibus abstracta non est ratio vniuoca, sed analoga. Probatur: quia hæc ratio indiuidui est communis Deo, & creaturis, substantijs, & accidentibus; sed Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti nihil reale est commune vniuocum, vt infra dicetur: ergo neque ratio indiuidui, prout de illis dicitur.

Præterea etiam si consideremus rationem indiuidui prout abstractam à solis indiuiduis substantiæ analogam esse, probatur: quia illud est analogum, quod transcendit vltimas differentias suorum inferiorum, & nullam potest efficere cum illis metaphysicam compositionem propter omnimodam inclusionem; sed sic se habet ratio indiuidui; est enim ratio abstracta ab vltimis differentijs indiuidualibus, quæ se ipsis differunt, & ita simplices sunt, vt non sint resolubiles in duos conceptus formaliter diuersos: ergo ab ipsis non est abstrahibilis ratio communis vniuoca, aliàs vltimæ differentiæ non essent.

Secundò, quia si à differentijs indiuidualibus abstrahi posset ratio communis vniuoca indiuidui vt sic, sequeretur differentias indiuiduales esse metaphysice compositas, quod nec de specificis, est verum, ac proinde non se totis differrent. Sequeretur etiam, quod inter speciem infimam, & Petrum mediaret ratio cõmunis indiuidui, quã nemo, quem ego viderim, in linea posuit prædicamentali,

Tertiò, etiam si admittamus rationem communem indiuidui contractam per alias differẽtias particulares, de illis inquirere possumus, an se totis differãt, ita vt in nullo vniuoco conueniãt? & sic procedere possumus in infinitũ, donec veniamus ad vltimas differentias, & de illis erit sine dubio abstrahibilis ratio trãscendens, quia quælibet erit indiuidua, & incommunicabilis, sicut altera: ergo talis ratio cõmunis indiuidui necessariò transcẽdens, & analoga dicenda est.

Soluuntur aliqua contra dicta.

Dices, his argumentis solùm probari, ꝙ ratio incõpleta indiuidui sit analoga, nempe sola differentia numerica incommuni, prout abstrahit ab hac, & illa differẽtia numerica, nõ tamẽ, quod ratio cõpleta indiuidua, quę cõponitur ex natura specifica, & differentia indiuiduali, quia cõpositum hoc non includitur intimè in differentia indiuiduali.

Resp. tamen non solũ rationẽ incompletã indiuidui, sed etiam rationem completam analogam esse, quia ratio cõpleta importat ut rationẽ formalem adęquatã, differentiã numericã, quæ transcendens est, & analoga, & naturam specificam importat vt ma-

 teriale,

teriale, atq; adeo licet materiale non sit transcendens, sed ratio vniuoca, ratio indiuidui simpliciter & absolutè dicitur transcendens, & analoga, sumpta denominatione à forma constitutiua illius.

Obijcies secundò contra primã conclusioné: indiuiduum ex propria sua ratione petit esse incõmunicabile pluribus, solùmq; de vno tantú dicitur, sicut instari potest in specie Angelica, cui negatur cómunitas propter similé repugnantiam; sed si daretur ratio communis indiuidui foret communicabilis pluribus, & de pluribus, idest, de omnibus indiuiduis diceretur: ergo implicat, quod sit ratio indiuidui, & quod sit communis.

Respondetur, nullú esse incõueniés, quod indiuiduú, quod à parte rei est incommunicabile, per intellectũ cõmunicabile fiat; si cõfusè conuenientia omniú intelligatur, sicut animal à parte rei vniuersalitaté non habet, habet tamen illá per intellectum.

Instãtia de specie Angelica, & omnia arguméta, quæ ab authoribus oppositis possunt adduci, solú probant, cuilibet indiuiduo in particulari repugnare vniuersalitaté, propter repugnantiam, quã habet, sicut speciei Angelicę, vt pluribus cõmunicetur: nõ probat auté, quod omnia indiuidua inter se cõparata, & cõfusè quoad illorum conuenientiá, & similitudiné cognita, nõ possint in cõmuni concipi, sicut cõsideramus ita Angelum in communi, non solùm quoad species, verũ quoad indiuidua. Quando auté obijci solet; quidquid conuenit superiori, cõuenit inferiori. Respondetur hoc intelligendú esse de prædicatis realibus, quæ conueniunt superioribus, nõ verò de prædicatis rationis, illi ex abstractione intellectus quę proueniunt.

Ex dictis tandé colligitur, indiuiduum non esse idé formaliter in natura substantiali, quod suppositum, neq; in natura humana idem, quod persona, quia suppositú, & persona dicunt naturá cum modo subsistétiæ realiter ab illa diuerso, ex quo & naturá fit cõpositio realis; at verò indiuiduum dicit differentiá indiuidualem metaphysicam tantùm ratione diuersam, & compositionem solam rationis cum illa efficientem.

ARTIC. III.

Quid sit indiuiduum secundò intentionaliter sumptum?

INdiuiduum secundò intentionaliter sumptú est ipsa natura realis singularis considerata

rata secundùm ea, quæ illi conueniunt ab intellectu. Duo autẽ sunt, quæ illi præcipuè conueniunt. Primum, quod sit subijcibile speciei; & secundũ, quod sit prædicabile de se ipso, & simùl subijcibile sibi, quatenus est sub iectũ prædicationis sui ipsius.

Circa primum aduerte, quod in indiuiduo primò intentionaliter sumpto, quod immediatè participat speciem superiorẽ (eo ipso quod intellectus vnum præscindit ab alio per abstractionẽ, vel comparationem) fundat relationem subijcibilitatis, siuè secundùm dici (vt dixi proportionabiliter de relatione vniuersalis in communi) quatenus aptũ est esse subiectum, de quo prædicetur species, sicut dixi de subijcibilitate speciei respectu generis, & differentiæ; quod eo ipso quod in se participat naturam genericam, vel differentialem, est apta, vt de illa genus & differentia enuntientur.

Quare indiuiduum in hac consideratione sic definiri potest, *est i.l., de quo species prædicatur in eo quod quid*. Quæ definitio colligitur ex definitione speciei prædicabilis, & ideò illud expressè non definiuit Porphirius vt subijcibile; definiuit autem illud vt prædicabile, hoc modo: *Est quod de vno tantùm dicitur*: quæ definitio bona est, constat enim ex genere, quod est *prædicari*, & ex differentia, s. *de vno tantùm*, in qua distinguitur à cæteris prædicabilibus, quoniam licet indiuiduum primò intentionaliter non sit species, secundò intẽtionaliter, species est, & ratio vniuoca, vt notaui supra. Non sequitur autem ex hoc multiplicari sextum prædicabile supra quinque, quæ communiter assignantur, quia prædicabilia, quæ enumerantur quinque, sunt vniuersalia essentialiter, indiuiduum autem, siue primò intentionaliter, siuè secundò, prout est definitum harum definitionum, non est intrinsecè vniuersale, sed tantùm denominatiuè, & sic quatenus secundò intentionaliter abstrahitur ab omnibus indiuiduis, secunda intentio speciei denominatur, vt dixi. Quatenus verò primò intentionaliter sumptum abstrahitur ab omnibus indiuiduis realibus, non est aliquod prædicabile ex quinque, quia est analogum & transcendens: potest tamen reduci ad genus, si comparetur ad species diuersas, hominem s. & Angelum, & de illis prædicetur, & ad speciem, si enuntietur de pluribus eiusdem speciei.

Controuerti autẽ solet circa dictã definitionẽ, an prædicabilitas de vno, quæ est de ratione indiuidui, sit formalis & directa, vel solùm identica & indirecta? In qua re omissis alijs; breuiter

dico indiuiduū tàm accidentis, quàm substantiæ, non solùm identicè, sed etiam formalitèr prædicari de seipso; vt si dicas. *Petrus est hoc album*. *Petrus est hoc animal*, *vel hic homo*, nam quamuis idem in re prædicetur de seipso cæterùm diuerso modo significatur & concipitur. Quod si eodem omninò modo significaretur, esset propositio identica, vt si dicatur. *Petrus est Petrus, hic homo est hic homo*: ad prædicationem autem formalē, & directam satis est diuersitas in modo significandi, aut concipiendi; atquè adeò sicut ista est formalis: *Homo est animal rationale*; ita & ista: *Petrus est homo, vel hoc album.*

Quotuplex sit prædicabilitas indiuidui?

Tandem inquires, an sicut dantur quinquè modi prædicationis vniuersalis, vt dicetur infra, sic dentur quinquè alij modi prædicationis singularis, & similitèr quinquè modi subijcibilitatis respectu horum prædicatorum singularium?

Respōdetur affirmatiuè, imo & esse plusquam quinq; modos prædicationū; & in primis, quod dentur quinquè modi prædicandi de vno, patet; quia sicut ex prædicabilibus vniuersalibus formari possunt quinquè modi prædicationum; ita ex eisdem singularizatis, & contractis ad esse Petri. V.g. isti quinq; modi prædicandi diuersi formari possunt. Primus est: *Petrus est hoc animal*, quod est indiuiduum genericum. Secundus: Petrus est hic homo, quod est indiuiduum specificum. Tertius est: *Petrus est hoc rationale*, quod prædicatur in quale quid ad modum differentiæ. Quartus est in indiuiduū proprium, quod prædicatur vt passio accidentaliter, & necessariò, vt cum dicimus, *Petrus est hoc risibile*. Quintus est indiuiduū merè accidentale, quod prædicatur vt accidens commune, & contingens, vt cū dicimus. *Petrus est hoc album*. Et deniq; est alius sextus prædicandi modus, quo differentia indiuidualis prædicatur vt modus speciei in qualitèr, vel in quomodo, vt cum dicimus *Petrus est indiuiduum, vel indiuisus in se, & diuisus à quolibet alio.*

Ex quibus patet alios sex modos subijcibilitatis dari in indiuiduis respectu horū prædicabilium; nam cuicumq; prædicabili formalitèr diuerso suum proprium correspondere debet subijcibile, quia sunt essentialitèr correlatiua.

Ocurritur obiectionibus.

Sed cōtra primò obijcies: Petrus non cōponitur ex hoc animali, & hoc rationali, sed ex homine & Petreitate, nam eo ipso quod homo abstrahitur à Petro, reddi-

redditur communis, & non hic homo: ergo quælibet alia prædicatio indiuidui est identica, & formalis nulla.

Respondetur, quod quamuis abstractio essentiæ, & partium illius ab indiuiduatione faciat eam vniuersalem, potest tamen essentia prout indiuiduata in eius partes, & prædicata per diuersos actus intellectus resolui, seorsim considerando, quod Petrus sit hæc substantia, hoc viuens, hoc animal, hoc rationale, hic homo, quæ distinctiones & prædicationes fiunt cum fundamento in ipsa re, supposita virtuali comminentia Petri, & confusa intellectus capacitate, qui omnia illius prædicata indiuidua & singularizata non potest clarè vnico actu percipere.

Obijcies secundò: genus & species prædicantur eodem modo, si inquid: ergo contineri possunt sub eodem modo prædicandi. Neque valet respondere, quod genus prædicatur per modum partis materialis, & species per modum totius; quia hæc differentia solùm conuenit illis, vt sunt prædicabilia vniuersalia, non autem vt sunt iam contracta per singularitatem. Quod sic declaratur; nam genus vniuersale idcircò dicitur prædicari per modum partis materialis, quia prædicatur vt totum potentiale indifferens ad plures formas differentiales, quæ in differentia & potentialitas est propria materiæ; at verò genus iam singularizatum nullam habet potentialitatem & indifferentiam, ratione cuius dici possit prædicari vt pars materialis. Species similiter vniuersalis prædicatur, vt tota & sola essentia indiuiduorum; quia abstrahitur ab omnibus indiuiduis; sed vt contracta prædicat simùl non solam essentiam, sed etiam singularitatem: ergo &c.

Respondetur nihilominus esse diuersitatem ex parte modi prædicandi inter vtrumquè: animal enim singularizatum, licet non prædicetur vt indifferens ad alias species, prædicatur vt pars huius speciei determinatæ, ad modum quo materia cæli, licet secundùm probabilem, & fortassè veram opinionem non sit indifferens ad alias formas; dicitur materia, quia est suapte natura subiectum receptiuum formæ cælestis. Sic ergo genus, quia significatur per modum partis per se stantis, & perfectibilis per differentiam, quæ prædicatur per modum formæ illi adiacentis, vnum habet rationem naturæ, & alterum rationem formæ, & species rationem totius naturæ ex vtroquè compositæ; & licèt omnia ista prædicabilia includant modum singularitatis, hic se tenet vt modus prædicari, vel quasi ratio communis compossibilis cum differentijs in modo

prædicandi iam declaratis.

Deniquè Tolet. & alij obijciunt aliqua testimonia Arist. negantis indiuiduum de indiuiduo prædicari. Sed loquitur de indiuiduis substantialibus; eodemmodo intellectis in subiecto & prædicato, vel de prędicabilitate vniuersali: hanc enim solùm illis intendit auferre.

ARTIC. IIII.

An definitio indiuidui prædicabilis conueniat indiuiduo vago?

Quadruplex est indiuiduū. Aliud determinatū vt Petrus. Aliud ex demōstratione, vt hic homo. Aliud ex suppositione, vt filius Cæsaris. Et aliud vagum, vt quidam homo. De tribus prioribus nulla est difficultas, quin illis prædicta definitio conueniat, sed solùm est dubium de indiuiduo vago.

Pro cuius declaratione aduerto, quod signum illud, *quidam*, vel *aliquis*, dupliciter sumi potest, vel cathegorematicè, vel sincathegorematicè. Si cathegorematicè sumatur, idem significat aliquis homo, quod particularis, vel singularis homo; quare sicut toti huic complexo: singularis homo: non conuenit definitio indiuidui, quia verè vtraque pars illius est terminus communis, ita etiā nec huic complexo: quidam homo. Si verò *quidam* sincathegorematicè accipiatur, tunc nihil perse significat, sed tantùm denotat terminum communem cathegorematicum, cui adiungitur, accipiendum esse pro aliquo ex suis significatis remotis, illud tamen non determinat, sicut faciunt singulare ex demōstratione, vel ex suppositione; significat tamen, quod debet accipi pro vno tantùm, siuè sit hoc, vel illud, & in hoc secundo sensu dicitur proprissimè indiuiduum vagum, non autem in primo. Vnde cōstat indiuiduū vagum, formalitèr vt tale, non existere à parte rei, sed in intellectu, quia quidquid est in re, certa res est, & determinata: est igitur in intellectu indeterminatè, & confusè in rem singularem tendente: vel est ipsa res, vt connotat indeterminationem intellectus, aut voluntatis circa illam. Item: indiuiduum sub hac posteriori ratione non est aptum ad prædicationem, sed ad subiectionem; vt si dicas: *quidam homo currit*; eo enim ipso, quod ponatur ex parte prædicati, dicendo: Petrus est quidam homo: particula *quidam*, non sumitur sincathegorematicè, & vagè, sed cathegorematicè, ita vt sensus sit: Petrus est indiuiduum, vel singularis homo.

Caiet. hic *Vazquez 1. p. disp. 130. ca. 3.* *Masius* *Rub. q. 6. in fine.* *Sedeño lib. 3. c. 16*

Loquendo igitur de indiuiduo vago propriè sumpto, quidam dixerunt esse terminum communem, afferuntquè pro se S. Thomam. Sed hæc sententia est absolutè falsa, quia vox illa *aliquis*, dicitur terminus vagus, ex eo quod cathegorematicum, cui adiungitur, facit supponere pro vno tantùm vagè, & indeterminatè: ergo non significat rationem communem indiuidui, quæ quidem significatum determinatum est, prædicabile de inferioribus determinatis.

Secundò: quia indiuiduum vagum non potest affici signo vniuersali distributiuo, sicut quęlibet ratio verè communis, nequè licet sub illo ascendere, vel descendere copulatiuè; vt facere solemus in quacumq; alia ratione communi, vt cũ dicimus. *Homo est animal*, valet: ergo hic & ille, &c. non valet autẽ, *quidam homo currit*: ergo & hic, & ille, sed potius sub disiunctione: ergo, vel hic, vel ille, cuius ratio non est alia, nisi quia supponit pro vno tantum & non pro pluribus; nam veritas propositionis copulatiuæ omnes partes exigit veras.

Deniquè, quælibet ratio verè communis potest affici signo vago, s. quidam homo, vel aliquod animal, &c. sed indiuiduum vagum non potest affici huiusmodi signis, ineptè enim diceretur: quidam aliquis homo; ergo.

Dicendum igitur est, indiuiduo vago conuenire definitionẽ indiuidui subijcibilis, quod .s. est subiectum, de quo tanquam de vno singulari verificatur multa alia prædicata. Definitiò autem illa indiuidui prædicabilis. s. quod. *de vno tantùm dicitur*, potest sumi, vel positiuè, pro aptitudine, vt prædicetur formaliter de vno, vt iam explicui: vel negatiuè, prout significat idem, quod non dici de pluribus, eo quod non sit ratio communis: & hoc secundo modo conuenit indiuiduo vago, non autem primo modo, quia quando sumitur aliquid ex parte prædicati non sumitur vagè, & indeterminatè, vt dixi; atquè adeò quatenus prædicatum est, non est indiuiduum vagum. S. Thom. autem in citatis locis oppositum non voluit, quia non loquitur ibi de vera & propria communicatione, vt ibi clarius explico. *S. Thom.*

Sed dices: indiuiduum vagũ dicitur de pluribus saltem disiunctiuè: ergo non de vno tantum. Antecedens patet ex dictis, quia valet benè, aliquis *homo currit*: ergo vel hic, vel ille, &c.

Respondetur, dici de pluribus disiunctiuè tantùm, est verificari tantùm de vno, atquè adeo de vno tantùm verè dicitur, & non de pluribus.

QVAESTIO. IIII.

De differentia tertio prædicabili.

ARTIC. I.

Quid sit differētia prędicabilis, & an sit vniuersalis respectu speciei, quam constituit, vel respectu inferiorum, quę sub illa continentur?

POrphirius, vt vidimus, triplicē distinguit differentiā. Communem, propriam, & proprissimam, non quia existimet, omnes idem prædicabile constituere, sed vt explicet analogiam, & proportionem, quam habent differentia communis, & propria, cum proprissima, & vt hanc, quæ sola pertinet ad tertium prædicabile, distinguat ab illis. Omissis ergo alijs duabus, quæ prædicabile quartum, & quintum efficiunt, vt dicemus, differentia proprissima sic definitur à Porphyrio. *Est quæ prædicatur de pluribus differētibus specie in quale quid*; quę definitio iam supra explicata est in declaratione definitionis generis. Solùm hic est addendum, eam tantùm conuenire differentiæ subalternæ; illi videlicet, quę constitutiua est speciei subalternæ.

Quare autem Porphirius omisserit differentiam atomam speciei infimæ constitutiuam? maximè controuertitur ab aliquibus, sed parùm interest in hoc immorari: breuiter tamen dicendum, illam omisisse, quia eam nō cognouit, eo quod existimauerit, differentiam constitutiuam infimæ speciei compositam esse ex duplici subalterna; & sic definiuit hominem esse rationale mortale; sed facilè definiri potest differentia in communi, si auferatur particula *specie*, & dicatur: est *quæ prædicatur de pluribus in quale quid*.

Proponitur secunda pars articuli.

Circa secundam partem articuli est non parua difficultas, an etiam per ordinem ad speciem quam constituit, habeat rationem vniuersalis, & prædicabilis? Et ratio dubitandi est, quia vniuersale est quid superius, dicens ordinem ad plura inferiora; sed differētia respectu speciei, quàm immediatè constituit, est ęqualis: ergo non est superior respectu illius, & consequenter nec vniuersalis, nec prædicabilis.

Propter

Tributiur Alberto, tit. 3. c. 4. Amnon, c. degener. q. 3. notab. 1. & Lauello eodem cap. Titul. Lo-uaniensi.

Propter hoc aliqui recentiores totis neruis contendunt differentiam non esse vniuersalem, & prædicabilem respectu speciei, quam constituit; sed solùm respectu inferiorum speciei, quæ sub illa continentur. Certum tamen est primò in hac re, quidquid sit de hoc, an differentia sit vniuersalis respectu speciei, quã constituit, esse prędicabilem respectu illius: quia non omnis prędicabilitas est proprietas vniuersalis superioris, sed abstrahit à superiori, & æquali; & sic in casu quod vniuersalis non esset, esset formaliter, & directè prædicabilis de specie, ab eaque distingueretur ratione, sicut modo, & sicut distinguitur, & prędicatur de speciebus Angelicis in sententia, quæ asserit inmultiplicabiles esse.

Secundò certum est, differentiam constitutiuam speciei Angelicæ, in sententia, quæ asserit inmultiplicabilem esse in plura indiuidua; non esse vniuersalem vllo modo. Probatur: quia de ratione vniuersalis est, quod dicat ordinem ad plura inferiora actu, vel aptitudine; sed talis differentia nullatenùs plura respicit vt inferiora, sed de vno tantùm dicitur: ergo.

Tertiò: comparando differentiam ad speciem prædicabilem de multis, dicendum est absolutè, eam vniuersalem esse non solùm respectu inferiorum speciei, verum etiam respectu ipsius speciei constitutæ. Probatur: quia differentia dicit ordinem ad inferiora speciei mediante specie, quatenùs est pars illius, ita vt ratione ipsius diffundatur in plura inferiora: ergo etiam per ordinem ad speciem, & ratione speciei constituitur vniuersalis, sicut ratione illius habet dicere ordinem ad plura inferiora.

Confirmatur: quia tota ratio propter quam indiuidua terminant relationem vniuersalitatis differentiæ, est natura specifica, quæ relucet in illis, quatenùs per ipsam differentiam talis natura specifica constituitur: ergo implicat, quod differentia constituatur vniuersalis respectu indiuiduorum, quin simul sit vniuersalis respectu speciei. Patet consequentia, quia implicat, quod relatio aliqua, vel actio terminetur ad aliquod materiale, quin terminetur etiã ad rationẽ formalem illius; nam est ratio secundùm quam terminat: ergo si tota ratio formalis secundùm quam indiuidua terminant respectum vniuersalitatis differentiæ, est species, in illam primariò, & immediatè tendet talis respectus.

Confirmatur secundò: quia quamuis ordo ad solã speciem, quæ est terminus formalis, & immediatus non sufficiat differentiam constituere vniuersalem, vt benè probat fundamen-

tum

tum oppositæ sententiæ; ordo tamen ad illam in quantum plures est indiuidualiter, vel in quātum est ratio tendendi in plura, constituit vniuersalem, quia talis ordo non sistit in sola specie, sed idem transit vlterius ad indiuidua propter talem rationem specificam: ergo ad indiuidua fertur, vt ad materiale, saltē connotatum, & ad rationem specificam, vt ad formalem rationem terminandi respectum vniuersalitatis.

Deniquè probatur: quia omnis prædicatio directa, & vniuoca, quæ non sit alicuius singularis, reducitur ad vnum ex quinquè prædicabilibus vniuersalibus, vt patet ex communi sententia, sed huiusmodi est talis prædicatio, homo, v.g. *est rationalis*, quæ non est alicuius singularis: ergo alicuius vniuersalis ex quinque, quæ communiter assignantur ab omnibus; sed non alterius quam differentiæ: ergo, &c.

Occurritur obiectionibus, & declaratur amplius doctrina posita.

Dices; hæc arguméta tantùm conuincere, quod differentia per ordinem ad speciem sit vniuersalis materialiter, sicut species subijcibilis cōparata generi, vniuersalis non est formaliter, sed materialiter tantùm, vt dixi. Vel ad summum probant, quod differentia sit virtualiter tantùm, & remotè vniuersalis, comparatione speciei, formaliter verò, & proximè non nisi ad indiuidua comparetur.

Sed contra est primò, quod ad formalem vniuersalitatem necessaria non est actualis prædicatio, vt dixi de vniuersali in communi; sed satis est abstractio absoluta, vel simplex comparatio, seu ordo ad multa actualis, vel aptitudinalis, quem dicit natura sic abstracta; sed quando differentia prędicatur de sola specie, est abstracta ab illis, & dicens ordinem ad illa mediante specie, saltem aptitudine: ergo est formaliter vniuersalis per ordinem ad speciem, non excludédo indiuidua, sed respiciendo illa mediante specie, quod est valde notandū; nā differentia constitutiua speciei Angelicæ propter hoc negatur à nobis, quod sit vniuersalis, quia respicit speciem excludendo plura indiuidua, eo quod illi repugnant: ergo quando asserimus differentiā corporeā vniuersalé per ordiné ad illā, est prout connotat multa, considerando eam cū ordine, quē dicit ad multa; & sic qua ratione ipsa species formaliter vniuersalis est, etsi actu de indiuiduis non prædicetur, colligitur quod etiam differētia simili modo vniuersalis sit, cum sit pars illius; nam eandem vniuersalitaté, quā habet totū, debent habere eius partes.

Dices:

Dices: ergo vniuersalitas differentiæ non ratione speciei, sed ratione indiuiduorum speciei illi competit. Probatur consequentia, nam sola species non sufficit excludendo indiuidua, & sola indiuidua sufficerent, etsi species non esset; ergo per ordinem ad sola indiuidua vniuersalis constituitur.

Respondetur negando consequentiam, & ad illius probationem dico, quod nec sola species sufficit excludendo indiuidua, nec sola indiuidua, nisi ratione speciei possunt in se rationem differentiæ habere; nam constitutiuum sine re constituta obtineri non valet; ideoquè species connotando indiuidua necessaria est, ipsa nimirum vt ratio formalis sub qua indiuidua terminant relationem differentiæ, & indiuidua vt materialia, seu terminantia vt quod.

Nequè obstat exemplum de specie subijcibili, quod adducitur supra; quia cum in ordine ad genus inferior sit, & talis respectus ex diametro vniuersalitati opponatur; hinc est, quod sub tali ordine considerata, non nisi materialiter vniuersalis dicatur: at differentia respicit speciem vt rationem formalem plurium inferiorum, de quibus prædicatur, & cum ordine ad illa, vt dixi, atquè adeò est dissimilis ratio, quia saltem inadæquatè constituitur per ordinem ad speciẽ, licet vlterius requirantur indiuidua vt connotata.

Ex quo patet iam ad rationem dubitandi. Respondetur enim, quod quamuis ordo ad speciem, quæ solùm est vna, & non plures, nec ratio respiciendi plura, non constituat differentiam in ratione vniuersalis; ordo tamen ad speciem, quæ realiter plures est, imò & formaliter dicit ordinem ad plura: quia quãuis consideretur vt vna, est vna in multis, & respiciens multa, sufficiens est terminare respectum vniuersalitatis, quatenùs est terminus quo, id est, ratio formalis terminandi aliorum instãtiorũ, illa essentialiter cõnotans.

ARTIC. II.

An differentia infima, & subalterna, constituant duo prædicabilia diuersa in specie?

NOn procedit difficultas de differentia infima, & subalterna materialiter sumptis, quia vt sic certum est, essentialiter distingui, rationale, s. quod est differentia infima, & sensibile, quod est subalterna. Controuersia igitur est de illis formaliter consideratis in ratione vniuersalis, & prædicabilis;

an inquam essentialiter distinguantur, ita vt duo prædicabilia diuersa constituant?

Quidam dixerunt, esse duo prædicabilia specie distincta, quorum ratio prima est; quia illa distinguuntur essentialiter, & specie, quæ habent distinctas definitiones essentiales; sed differentia infima, & subalterna habent distinctas definitiones essentiales: prima definitur per prædicari de pluribus differentibus numero: & secunda de pluribus differentibus specie: ergo distinguuntur essentialiter specificè in ratione prædicabilis.

Secunda, quia magis distinguuntur differentia infima, & subalterna, quam duæ differentiæ infimæ; sed duæ differentiæ infimæ distinguuntur solo numero: ergo differentia infima, & subalterna distinguuntur specie.

Tertia, quia prædicari in quid de pluribus differentibus specie, & de pluribus differentibus numero cōstituit duo prędicabilia specie diuersa, genus. s. & speciem: ergo prædicari in quale quid de pluribus differentibus specie, & de pluribus differentibus numero cōstituent duo alia prædicabilia diuersa in specie. Patet consequentia a paritate rationis.

Caie. c. de different. Sot. ibidē. Fonsec. 5. met. c. 28. q. 2. sec. 8. M. Oñ. q. 2. de diff. art. 2. Sua. disp. 6. meta. sec. 8. n. 7. & cōmuniter omnes alij.

Dicendum nihilominus est, differentiam infimam, & subalternam in ratione vniuersalis, & prædicabilis non differre specie. Docent hanc conclusionem fere omnes, qui tantùm quinquè agnoscunt prędicabilia, & consequenter hæc duo non esse distincta.

Probatur, quia quæ habent eundem modum essendi in multis, habent eo ipso eundem modum prædicandi, cum modus prædicandi oriatur à modo essendi; sed differentia infima, & subalterna habent eundem modum essendi in multis: ergo & eundem modum prædicandi, per quem constituuntur in ratione vnius prædicabilis. Maior patet, & probatur minor, quia tam differentia infima, quā subalterna habent esse partem formalem speciei, quam constituunt; & mediante illa respicere alia inferiora mediata: ergo eundem habent essendi, & prædicandi modum.

Confirmatur, quia species cuiuslibet relationis semper attendenda est penes ordinem ad correlatiuum immediatum, mediatum autem solùm secundariò se habet, & vt materiale; sed correlatiuum immediatum, & primarium differentiæ est solùm species per ipsam constituta; inferiora autem speciei, siuè sint indiuidua, siuè aliæ species inferiores, solùm sunt termini materiales, & secundarij: ergo non specificant, nec variant rationem formalem differentiæ, sed

ſed ſolùm ſpecies cõſtituta, quę eſt ratio formalis terminãdi vniuerſalitatem differentiæ, vt explicui articulo præcedenti.

Secundò probatur ab inconuenientibus, quæ ex oppoſita inferuntur ſententia. Primò enim ſequeretur, ſi differentia infima & ſubalterna in ratione vniuerſalis, & prædicabilis diſtinguerentur, quod etiam genus infimum & ſubalternum duo alia prædicabilia efficerent, & vniuerſalia diſtincta, quia primum prædicatur de pluribus differentibus numero, & ſecundum de pluribus ſpecie differentibus. Secundò ſimiliter ſequeretur, duo prædicabilia proprij diſtinguenda eſſe, & alia duo accidentis, quia in illis etiam duo hi modi prædicandi inueniuntur, ac proinde plura quam pro numero eſſent prædicabilia, quod falſum eſt; nemo enim aſsignat prę ter quinquè, vt dicetur.

Ex hac concluſione colligitur optimam eſſe definitionem, quam ſupra tradidi de differentia in communi. s. *eſt quæ prædicatur de pluribus in quale quid, vel vt pars formalis ſpeciei*, quod verò hæc plura numero, vel ſpecie diſtinguantur, quid accidentarium eſt differentiæ, ideoquè in eius definitione exprimi neceſſarium non eſt.

Satisfit iam argumentis oppoſitis.

Ex quo patet iam ad argumenta oppoſita. Ad primum reſpondeo illas non eſſe diuerſas definitiones eſſentiales, ſed tantùm accidentales, ac proinde ſolùm accidentariam inferre diuerſitatem.

Ad ſecundum nego conſequẽtiam: nam intra eandem ſpeciem poſſunt aliqua duo magis, & minus differre; magis enim differunt maſculus, & fœmina, quàm duo viri, & tamen non diſtinguntur maſculus, & fœmina ſpecie; nequè calor vt octo, & vt quatuor, quamuis diſtinguantur pluſquã numero: ſic ſimiliter differentia infima, & ſubalterna magis differunt, quã ſolo numero, ſed non eſſentialiter, ſed accidentaliter, & materialiter.

Ad tertium reſpondeo negando ſimilitudinem, & ratio diſcriminis eſt, quod genus prædicatur, vt pars materialis ſpeciei, ſpecies verò, vt adæquata eſſentia ſpecifica, atquè adeò habent diuerſum modum eſſendi in ſuis inferioribus, & conſequenter diuerſum modum prædicandi: at verò differentia infima, & ſubalterna habent eundem modum eſſendi, & prædicandi de ſuis inferiorioribus, vt probatum eſt. s. vt pars formalis ſpeciei: ideoquè pertinent ad idem

idem prædicabile, sicut genus subalternum, & infimum propter eandem rationem.

Aliqui hoc discrimen eludere conantur, asserentes speciem non esse completam essentiam, sed partem componentem cum differentia indiuiduali essentiam completam; immeritò tamen, & contra communem sententiam hoc asseritur; aliàs solùm differentia indiuidualis diceretur differentia infima, & non differentia specifica. Præterea, quia vt iã dixi, differentia indiuidualis non addit aliquem nouum gradum, aut principium essendi, sed tantùm modum quendam, qui extra essentiam rei est, sicut subsistentia actualis extra essentiam substantiæ. Et tandem, etiam si talis modus compleret intrinsecè essentiam rei, negari nõ potest, esse hoc discrimen inter genus, & speciem, quod genus prædicatur vt pars materialis speciei, & species vt totum quid compositum ex genere, & differentia, quamuis aliàs sit pars respectu indiuidui; & hæc disparitas sufficit ad constituẽda duo prædicabilia, sicut genus, & differentia similiter duo efficiunt prædicabilia, quamuis vtrumquè sit pars speciei, quia diuersam induunt partis componentis rationem.

ARTIC. III.

Quid sit differẽtia materialis, & ad quod prędicabile pertineat?

PRæter differentiam formalem hactenus declaratam, & præter differentiam indiuidualem dictam, admittenda est differentia materialis, quæ quidem illa est, per quam plura indiuidua eiusdem speciei differunt plusquam numero. In quo distinguitur materialis differentia ab specifica, & numerica; nã per specificam variæ rerum species discernuntur; per numericam verò indiuidua etiam eiusdem speciei distinguntur realiter, & solo numero; at per materialem indiuidua inter se differunt, non tantum, quantum per specificam, nec tam parum, quãtum per numericam; sed minus quam specie, & plusquam numero: itàque hęc differẽtia materialis medium locum tenet inter formalem, & numericam, eo quod ratione illius indiuidua, quæ in eâdem specie conueniũt, magis interse differunt, quàm si solo numero differrent.

Declaratur exemplis positis, nam vir, & mulier plus differũt, quam solo numero, quia plus differunt quam duo viri, aut duæ fœmi-

fœminę, ac proinde esse marem, rem, aut fœminam sunt differentiæ materiales vtriusq;. Item duo actus Fidei, quorum vnus sit affirmatiuus, & alter negatiuus, plus differunt, quam numero, quia differunt plusquam duo actus affirmatiui numero distincti, & non specie: ergo materialiter.

Colligitur ex dictis differentiam materialem in hoc distingui à numerica præter rationem dictam, quod numerica est essentialiter singularis, & propria vnius, materialis verò etiam est communis multis.

Secundò infertur, differentiam materialem longè differre ab specifica, etiam incompleta, qualis est ea, quæ est inter caput, & pectus, & alias partes dissimilares animalis; quia omnis differentia specifica importat formalem perfectionem, & causat distinctionem specificã, tùm etiam, quia multa distinguntur materialiter, quæ dici non possunt differre specie, etiam incompleta, vt duo homines diuersæ complexionis, coloris, & inæquales in ingenio, & alijs facultatibus, quæ inæqualitas ex diuersitate prouenit materiæ, & non essentiæ specificæ, quæ vt supponimus eadem est.

Obijcies: si daretur differentia materialis à duabus alijs diuersa, multa sequerentur incommoda. Primum est, quod homo non esset species, quia species dicitur de pluribus solo numero diuersis; homo verò dicitur de mare, & fœmina materialiter, & plusquam numero differentibus. Secundum, quia diuisio vnitatis in formalem, & numericam non esset adæquata contra communem sententiam, nam præter vnitatem formalem, quæ fundatur in essentia specifica, & præter numericam, quæ fundatur in differentia indiuiduali daretur alia tertia vnitas materialis in differentia materiali, fundata. Tertium, quod inter speciem, & indiuidua mediaret aliquid, scilicet differentia materialis, vnde fieret speciem non prædicari immediatè de indiuiduis, & differentiam numeralem non esse actum immediatum speciei.

Negandum tamen est huiusmodi inconuenientia sequi ex nostra doctrina; nô enim sequitur primum: quia quando dicitur species prædicari de pluribus solo numero distinctis, excluduntur solùm plura specie differentia; nam distinctio materialis, cum consequatur differentiam indiuidualem, reducitur ad illam, vel ad accidentalem, & propter eandem rationem, nec sequitur secundum, quia

quia vnitas materialis, sicut & distinctio reducitur ad numericam, vel accidentariam, sicut reliquæ aliæ proprietates indiuiduales.

Tertium etiam nihil valet, nam posita hac differentia, solùm mediat inter speciem, & indiuiduum aliquid materiale, vel accidentale, non verò aliquid formale; quando autem dicitur, speciem immediatè dici de indiuiduis, solùm excluditur perfectio aliqua formalis, quæ mediet inter vtramque: vel per differentiam indiuidualem intelligitur etiam differentia materialis, quatenus est proprietas illius, vel quatenus ipsa etiam dici solet materialis in alio sensu.

Colligitur ex dictis, differentiam materialem in hoc distingui à numerali, quod hæc semper est sterilis, si præcisè consideretur, nullarum, s. proprietatum radix, aut operationū principium; illa verò potest principium esse aliquarum operationum: mulier enim in quantùm talis, est causa lactis, & calor vt quatuor producit calorē vt quatuor, quē non posset producere calor vt vnum.

Ad secundam partem articuli facile respondetur, & breuiter, differentiam materialem frequenter ad quintum prædicabile, eo quod accidentaliter cōueniat subiecto, cui attribuitur, vt patet in exemplis positis, aliquando etiam reduci posse ad speciē, si materia sit essentialis, quomodo cœli, & elementa & mixta materialiter essentialiter distinguntur, quia materia cœlestis, & elementaris specie differunt, & essentialiter componunt huiusmodi corpora.

QVAESTIO V.

De accidente proprio, & communi.

Coniungimus quartum, & quintum prædicabile sub vna quæstione, quia pauca de illis addenda supersunt; cetera enim disputatione de definitione obiectiua explicata sunt.

ARTIC. I.

De proprio quarto prædicabili.

Proprium logicè sic definitur: est *prædicabile in quale vt proprietas*: per nomē *in quale* differt à tribus prioribus prædicabilibus, & per vltimam particulam ab accidente discernitur.

Ex dictis colligitur iam, quod sicut differentia constituitur in ratione

ratione vniuersalis non solùm per ordinem ad indiuidua, sed etiam per ordinem ad speciem quam cōstituit, ita & proprium per ordinem ad genus, vel speciem à qua oritur, habet rationē vniuersalis, quia mediante illa dicit ordinē ad plura inferiora; itē quia habet ex natura sua esse proprietatem naturæ vniuersalis, vnde à fortiori conuenit illi ratio prædicabilis per ordinem ad essentiam genericam, vel specificam, à qua dimanat, tùm quia hæ sunt proprietates vniuersalis naturæ, tùm etiam quia si per possibile, vel impossibile proprium vniuersale non esset respectu inferiorū, respectu speciei à qua dimanat esset definibile, & prædicabile, vt dicēdum est de proprietatibus, & differentijs specierum infimarū Angelorum.

Colligitur secundò, quod sicut differentia infima & subalterna non constituunt duo prædicabilia diuersa, quia habent eundem modum prædicandi, s. per modum formę essentialis; ita proprium genericū subalternū, & infimum non constituunt diuersa prædicabilia, aut vniuersalia in specie, quia habent eūdem modum prædicandi. s. vt forma accidentalis connaturaliter debita, vel dimanans ab essentia.

Tertiò obserua, idem accidens posse pertinere ad propriū respectu vnius subiecti, si ab essentia illius dimanet, & respectu alterius, à cuius essentia non profluit, ad accidens quintum prędicabile; calor vt octo est propria passio respectu ignis, & frigiditas in summo gradu respectu aquæ, licet in alijs gradibus remissioribus istæ qualitates alijs subiectis conueniant. Sic etiam albedo respectu cigni, & nigredo respectu corui possunt esse veræ proprietates, si emanent ab illorum essentijs, & respectu aliorum accidētia communia, nam albedo, & nigredo eo modo quo conueniunt cigno, & coruo, non sunt communia cæteris corporibus albis, vel nigris.

Dico si emanent ab essentia; quia non est huius loci examinare, an sint veræ, & rigorosæ proprietates ab essentia fluentes; sub cōtrouersia enim Philosophorum positum est, & partem negatiuam tenuerunt Ammonius, Albertus, Celius, Rhodiginius, qui refert ex Aristotele in Lycia fuisse coruos albos, quam sententiam fortasse sequtus est Porphirius, dicēs, *in cap. de proprio*, nigredinem corui pertinere ad accidens quintum prædicabile.

Philosoph. *Ammon.* *Albertus* *Cælius.* *Rhodigin.* *Aristot.*

Quartò aduerte, quod quando aliqui graues Philosophi solum propriū quartò modo proprium appellant, loquuntur de eo strictè, & simpliciter sumpto, & in acceptione perfectissima

non tamen negant, dari propria in alijs tribus acceptionibus, quę pertineant ad hoc prædicabile: quia sicut negari non potest præter propriú simpliciter, & quarto modo, esse alia accidentia, quæ emanant ab essentia rei, ita & esse distincta à quinto prædicabili, & pertinere ad quartum. Lux respectu Solis, & crescere respectu viuentis non sunt proprietates simpliciter, & quarto modo, & tamen dimanant ab essentia, & communiter reputantur vt proprietates.

Sed contra obijcies: Si proprium quodcumque pertineret ad hoc prædicabile, omnia accidentia ad illud pertinerent, ac proinde nullú esset, quod pertineret ad quintum prædicabile; quod est falsum. Et sequela probatur: quia omnia accidétia sunt connaturaliter debita substátiæ, ac proinde proprietates illius; ideo namq; substantia dicitur à substando accidentibus, quia illis conna-uraliter vestitur, & sine illis esset quasi læsa.

Respondetur, negando quod omne accidens sit proprietas connaturaliter debita cuicumq; substantiæ, nam quælibet substantia habet proprietates diuersas à proprietatibus alterius, atq; adeò quodlibet aliud accidés, quod nō est proprietas huius substantię in particulari, potest illi aduenire vt accidés commune. Dicitur enim substátia à substádo, quia est potentia receptiua omnium accidentium, tàm propriorum, quàm communium; ex quo solùm sequitur, quod vis receptiua sit proprietas, vel esséntia substantiæ, non verò accidentia, quæ in ea recipiuntur, si ex alio capite illis non proueniat.

ARTIC. II.

Et vltimus vtrùm accidens quintum prædicabile constituatur per prædicari de subiecto, vel de inferioribus?

Accidens commune, sicut & proprium habet prædicari de suis inferioribus. v.g. coloratum de albo, & nigro, & album de hoc, & illo albo: & habet etiam de subiecto prædicari, vt si dicas: *homo est albus*, *paries est albus*: in quo est magnú discrimen; nam in prioribus accidens prædicatur essentialiter, in posterioribus autem denominatiuè. Et hinc oritur ratio dubitandi; quia prędicatio de subiecto est denominatiua, & non vniuoca: ergò nō potest pertinere ad aliquod prędicabile, de cuius ratione est quod sit vniuocum. Antecedés quoad secúdá partem probatur ex Arist. 1. c. *ante prædic.* Vbi diuerso modo definit denominatiua, ac vniuoca:

ea. Ista sunt, quorum nomen est cõmune, & ratio significata per nomen est omnino eadē. Illa verò, quæ sumunt denominationē ab alio, à quo solo casu differũt, vt dicetur infra: ergo longè diuersa est ratio vniuoca à denominatiua.

Et cõfirmatur ex *cap. de substantia*, vbi ait Aristot. quod ea, quæ prædicantur vniuocè, debent conuenire nomine, & ratione; idest, quod eadem sit ratio, & definitio prædicati, & subiecti, & ideo inquit, hanc prędicationem *Petrus est homo*, vniuocam esse, quia Petrus homo vocatur, & est verè homo: ergo cum accidens non conueniat nomine, & ratione cum subiecto, sed solū cũ inferioribus, de illis, & per ordinē ad illa cõstituitur in ratione quinti prædicabilis.

Certißima tamē cõclusio est, solũ per ordinē ad subiecta, de quibus prędicatur, cõstituı accidēs in ratione quinti prędicabilis. Ratio est clara; quia prædicatio, qua accidēs prædicatur de suis inferioribus est essentialis, ac proinde generis, vel differentiæ, vel speciei: quia si sit de pluribus differētibus specie in quid, est generis; si in quale quid, est differentiæ, &c. At verò prædicatio pertinens ad hoc prædicabile est in quale omnino accidentale: ergo solùm respectu subiecti, vt distinguitur ab inferioribus, attenditur ordo talis prædicabilis.

Confirmatur ex definitione huius accidentis: *Est vniuersale, quod prædicatur de suis inferioribus tanquam forma, quæ potest adesse, & abesse illis, sine ipsorũ læsione*: Sed respectu inferiorum, de quibus essentialiter prædicatur, non potest adesse, & abesse sine ipsorum corruptione, sed tantùm respectu subiectorum: ergo per ordinem ad illa tantùm constituitur in ratione quinti prædicabilis.

Respondetur, ergo iam ad rationem dubitandi quod vt supra dixi, multipliciter aliqua denominatiua dicuntur. Primò, quia non solùm nomen, sed rationem significatam per nomen ab aliqua forma participant; sicut iustus, à iustitia, & albus ab albedine, & sic denominatiua possunt esse vniuoca, & prædicabilia, quia talis ratio potest eodem modo à pluribus participari. Secundò, dici solent cõcreta accidentalia denominatiua, quādo subiectũ denominatũ significatur solùm in recto, & forma denominans, in obliquo solũ & de connotato, qua ratione distinxi supra, vniuersale in denominatiuum, & quidditatiuum, & esse cognitum similiter tractādo de ente rationis in communi, & sic certum est huiusmodi denominatiua prędicabilia nõ esse, quia debebant prædicari ratione formæ, & hæc non significatur ab eis in recto, sed in obliquo tantum

Sect. 1. q. art. 2. huius disputationis.

tum; propter quod aptiora sunt vt subijciantur, quam vt prædicentur. Tertiò dici solent denominatiua analogata secundaria, quia formam rei, quæ est principale analogatum non participant, sed tantùm nomen, cũ fundamento in ipsa re proportionem aliquam habente: sic pulsus denominatiuè tantùm dicitur sanus, vrina, &c. & in vtraquè hac posteriori acceptione distinguntur ab vniuocis, & excluduntur à prædicabilibus.

Ex quo ad confirmationem dico, quod cum accidens non prædicetur in abstracto, sed in concreto, non denominatiuè, sed quidditatiuè sumpto, continet confusè subiectum, de quo prædicatur, & conuenit cum illo re, & ratione.

Dubium appendix.

Supposito ergo, quod accidens de subiectò prædicari potest, tandem inquiri potest, an immediatè de indiuiduo subiecto, vel de specie illi⁹ prędicetur?

Et ratio dubitandi est, quod accidens commune in hoc distinguitur ab accidente proprio; quod istud habet propriam, & adæquatam radicem, cum qua conuertitur, speciem s. ideoquè nequit prædicari, nisi de specie; cuius est: Accidens verò commune est ex natura sua in multis speciebus, quia non dimanat ab vna, vel altera: ergo accidens commune est, quod prædicatur de pluribus speciebus subiectorum, & non de pluribus indiuiduis vnius speciei: ergo immediatius constituitur per ordinẽ ad species, respectu quarum accidens dicitur commune, quàm per ordinem ad indiuidua taliũ specierum.

Confirmatur ex Porphi. *c. de genere*, & *c. de communibus*, qui hanc assignat conuenientiã generis cum accidente, quod vtrumquè prædicatur de pluribus differentibus specie, licet primum in quid, & secundum in quale transmutabile, & inconuertibile modo supra explicato: ergo sicut genus propter hoc immediatè dicitur de speciebus, & mediatè de indiuiduis, ita & accidens commune. *Porphir.*

Dicendum tamen est, accidens cõmune in hoc à proprio differre, ꝙ istud prædicatur immediatè de specie, & mediatè de indiuiduis, illud verò è contra immediatè de indiuiduis, & mediatè de specie: ratio est: quia cum hæc accidentia non dimanẽt à principijs essentialibus speciei, si ipsi conueniunt, est quia conueniunt indiuiduis ratione indiuidualis differentiæ, aut particularium causarum. Hæc enim propositio causalis est vera *homo est alb⁹, quia Petr⁹ est albus*, quare non existente albedine in Petro, hęc esset falsa: *homo est alb⁹.*

Con-

Confirmatur, quia si ratione speciei, vel generis accidens cõueniret indiuiduis, omnia indiuidua speciei esset necessariò affecta tali accidẽte, albedine, s. aut nigredine; quod falsum est: ergo signum est talia accidentia conuenire speciei ratione indiuiduorum, & non è conuerso.

Confirmatur secundò: quia propter hoc talia accidentia dicũtur proprietates indiuiduales, quia ratione differentię indiuidualis conueniunt, & distinguntur à proprijs, quæ ratione naturæ specificæ indiuiduis insunt. Denique hæc est expressa sententia Arist. *c. de substantia*. Vbi ait, primas substantias, id est, indiuidua, esse magis substantias quàm secundas, quia secundæ, hoc est species, & genera non substant accidentibus, nisi ratione primarum.

Ad rationem dubitandi respondeo, aliud esse quod accidẽs in cõmuni prędicetur necessariò de multis indiuiduis specie differentibus, aliud verò quod immediatiùs prædicetur de rationibus specificis, quàm de indiuidualibus; vnum enim potest ab altero separari; atque adeò quamuis genus, & accidens cõueniant in hoc, quod est prædicari de pluribus specie differentibus; differunt; quia genus prædicatur immediatè de speciebus, & mediatè de indiuiduis, eo quod prædicatur vt pars intrinseca, & essentialis speciei; at vero accidens commune, quod neque vt pars, neque vt proprietas, neque vt aliquid connaturaliter debitum speciei prædicatur, sed vt aliquid ortum ex differentia indiuiduali, vel ex proprietatibus particularibus illius, non est cur ratione speciei indiuiduo conueniat, sed potius è contra.

QVAESTIO. VI.

Quænam sit diuisio vniuersalis definibilis, & prædicabilis in communi in quinque vniuersalia enumerata?

ARTIC. I.

An sint plura, vel pauciora quàm quinque?

QVatuor præcipuè examinanda sunt circa diuisionem vniuersalis in quinque enumerata. Primum an sit sufficiens, & adæquata diuisio? id est, an sint alia vniuersalia definibilia, seu prædicabilia, in quæ diuidi posset

vniuersale in communi, præter quinque enumerata? Secundum est, an talis diuisio sit generis in species? Tertium, an sit in species infimas, vel subalternas? Quartum, an sit immediata diuisio in quinq; vniuersalia dicta, an vero mediet inter vniuersale in cõmuni, & ipsa aliquod aliud prædicatũ? Per quæ omnia sigillatim & breuiter discurremus.

Et circa primum indubitanter asserendum est, prædicabilia, & definibilia esse tantùm quinque, & non plura, nec pauciora. Ita Porphyrius, & communis sentẽtia, & probatur: quia prædicabile, seu definibile, aut est essentiale, aut non essentiale, inter quæ membra, vtpotè contradictoria, non datur medium: si sit essentiale, aut affert totam essentiam, & sic est species, aut partem essentiæ: quæ si sit communis cum alijs essentialiter diuersis, est genus, si vero non sit communis, sed specialis, est differentia; si vero prædicabile non sit essentiale, erit accidentale: ergo aut accidens profluens, seu dimanans à subiecto, de quo dicitur, illiquè connaturaliter debitum, & sic proprium, aut accidens extraneum subiecto, & ab eo connaturaliter non dimanans, & sic est accidens commune: non igitur plura quàm quinque definibilia, & prædicabilia sunt.

Soluitur duplex obiectio.

Sed obijcies. Arist. 1. *Topic. c. 4.* dicentem, prædicata esse tantùm quatuor, videlicet definitio, genus, proprium & accidens: ergo quatuor tantùm sunt prædicabilia & definibilia. Patet consequentia: quia prędicatum, & prædicabile solum discernuntur vt actus secundus, & actus primus, & prædicabile, vniuersale, & definibile sunt conuertibilia, vt ex dictis constat. *Aristotel.*

Secundò obijcies; quia prædicamenta sunt decem, vt infrà dicemus: ergo totidem sunt prædicabilia, quia prædicamentum non est aliud, quam prædicabilium coordinatio.

Respondetur tamen ad primum, Aristotelem in eo nõ velle enumerare prædicabilia, nam ibi enumerat definitionem, quæ nec prædicabile, nec definibile est, sed definitio; tantùm enim intẽdit designare loca, ex quib⁹ argumẽta topica deduci possũt, & huiusmodi sunt quatuor enumerata, nã definitio species, & differentia pro eodẽ reputantur.

Ad secundũ respondetur, negando consequentiam, nam ab alio sumitur distinctio prædicamentorum, & ab alio distinctio prædicabilium; prædicamenta enim multiplicantur penès diuersos modos essendi, & prædicabilia penès diuersos modos prædicandi, & definiendi, modus autem essendi se habet vt ma-

materiale respectu modi prædicandi, aut definiendi, atq; ideo intra eundẽ modũ essendi, seu intra idẽ prædicamẽtum potest esse multiplex modus prædicandi, vt videre est in quocumquè prædicamento, in quo sunt genera, species, & differẽtiæ: & similiter è conuerso idem modus prædicandi, & definiendi spectare potest ad diuersos modos essendi, nam sicut in substantia, ita in alijs prædicamentis accidentium datur modus prædicandi generis, &c.

ARTIC. II.

Vtrùm diuisio hæc sit generis in species?

Boet. & Ammonius sup. cap. de genere. Alexan. Mag. tra. 1. in Porphi. ca. 8. Canterus in ante præd. c. 4. & aliqui thomistæ hic.

PArtem negatiuã tenuerunt antiqui aliqui Philosophi, & cum illis tandẽ aliqui iuniores. Quorũ fundamentũ est, quia vniuersale si abstrahatur ab omnibus vniuersalibus realibus, & rationis, est analogũ, nam enti reali, & rationis nihil potest dari commune vniuocũ. Si autẽ abstrahatur à solis vniuersalibus realibus, est transcendens vltimas eorũ differentias, ac proinde nõ potest esse genus respectu eorũ. Probant autẽ transcendentiã hoc modo: nam differentia generis, quæ additur vniuersali in communi, solùm est, quod sit in pluribus distinctis specie, & differentia speciei, quod sit in pluribus indiuiduis, &c. Sed esse in pluribus speciebus, aut indiuiduis, intelligi non potest sine hoc quod sit vnũ in multis, nã esse in distinctis dicit intrinsecè actũ essẽdi in plurib⁹: ergo ratio vniuersalis in cõmuni intimè imbibitur in vltimis differẽtijs cuiuslibet vniuersalis.

Confirmatur: quia differẽtia cuiuslibet vniuersalis, per quam contrahitur vniuersale in communi, nõ est singularis; quia singulare non potest constituere aliquid commune: ergo est intrinsecè vniuersalis.

Tertiò probatur: quia genus est superius ad suas species, de quibus dicitur; sed vniuersale, si esset genus, non esset superius respectu generis, sed inferius contentũ sub illo: ergo non potest esse genus respectu illius: prob. min. quia gen⁹ cõtinet sub se omnia genera: ergo non potest habere supra se aliquod genus, ac proinde eo ipso quod habet supra se vniuersale in cõmuni, nõ potest esse gen⁹ respectu illius.

4. Quælibet differẽtia cõstitutiua cuiuslibet vniuersalis, cõtinetur sub differẽtia, 3. prædicabili: ergo includit rationẽ vniuersalis in cõmuni. Antecedens patet: quia sicut gen⁹ includit sub se omnia genera, ita differẽtia omnes differentias. Consequentia probatur: quia tertiũ vniuersale, quod est differentia, includit intrinsecè rationem vniuersalis:

ergo quælibet etiam differentia sub illa contenta eam includit, ac proinde erit transcendens ratio vniuersalis, seu prædicabilis.

Tandem ratio cõmunis, quę prius dicitur de vno, & per posterius de alio, est analoga, & nõ vniuoca; sed vniuersale per prius dicitur de genere, & specie, quæ immediatè prædicantur de pluribus, per posterius verò de differentia, & proprio, quæ non nisi mediante specie, de pluribus dicuntur: ergo, &c.

Statuitur pars affirmatiua vt verior.

Tenet Scotus q. 8. vniuers. Tole. q. 2. de subiecto 5. prædicab. Sot⁹ q. 4. Connimb. q. 3. in præfatione. Porphir. artic. 3. Rub q. 9. vniuers.

His tamen non obstantibus, communis sententia, & tenenda est, vniuersale esse gen⁹ ad quinque prædicabilia, seu definibilia. Probatur ex definitione generis, quod non est aliud, quàm ratio vniuersalis vniuoca, & non trãscendens, quam participant plura specie diuersa; sed omnes istæ conditiones conueniunt vniuersali, vt patebit soluendo fundamenta opposita: ergo est genus ad quinque enumerata.

Ad primum igitur argumentum oppositum quantùm ad primam partem de analogia respõdetur, quod quamuis vniuersale pro materiali, vel metaphysicè consideratum, analogum sit, quia enti reali, & rationis, substantiæ, & accidenti nihil reale intrinsecum est commune vniuocum, cæterùm si formaliter consideretur quantùm ad secundam intentionem vniuersalitatis, quid vniuocum est, quod cum sit extrinsecum, & obiectiuè in intellectu existens, nullum sequitur inconueniens.

Ad secundam partem, de trãscendentia respondeo, differentiam generis præcisè consideratam, non esse quod sit in pluribus speciebus, neque differentiam speciei, quod sit in pluribus indiuiduis, sed modus partis materialis est differentia cõstitutiua generis, & modus totius est differẽtia speciei, & modus partis formalis est vltima ratio constitutiua differentiæ, & ratio formę accidentalis propriæ, vel extraneæ sunt differentiæ proprij, & accidentis: quæ omnes differentiæ præcisè consideratæ nullum ordinem ad plura dicunt explicitè, imo realiter saluari potest hoc, quod est prædicari per modum totius in specie, sine ordine ad plura indiuidua, & prædicari per modum partis formalis in differencia, & per modum formæ accidentalis propriæ in proprio, sine ordine ad plura, vt patet in speciebus, differentijs, & proprietatibus in fimis Angelorum in sententia probabiliori, quæ tenet multiplicari non possè de potentia absoluta.

Ad confirmationem respondetur,

detur, quod licet res adæquatè concepta vniuersalis sit, vel singularis; nullum tamen inconueniens est, concedere conceptum inadæquatum, & incompletum, qui explicitè nec singularis sit, nec vniuersalis, sicut concedimus in specie subijcibili, vt subijcibilis est, & in natura secundùm se considerata, id est, secundùm suam essentiam. Ita vltima differẽtia vniuersalis, nec vniuersalis, nec singularis est, sed modus, vel differentia constitutiua specierum vniuersalis, vel conceptus inadæquatus vniuersalitatis, vel vniuersalis materialiter, & implicitè, non explicitè, & formaliter.

Ad secundum argumentum respondetur primò, eodem argumento probari posse, rationale, & quamcumquè aliam differentiam intimè, & transcendenter includere rationem vniuersalis, quod nemo dicet.

Quare respondeo, quod sicut rationale, v.g. & potest considerari primò intentionaliter pro re, quæ est differentia hominis, & dicit principium reale ratiocinandi, abstrahendo ab vniuersalitate, & singularitate; & potest considerari secundò intentionaliter, prout abstrahitur per intellectum ab specie, & indiuiduis illius, & sub hac posteriori ratione continetur sub differentia tertio prædicabili, & includit rationem vniuersalis, non autem sub priori, sic similiter in differentijs cuiuslibet vniuersalis generis, vel speciei, & est considerare rem, quæ est differentia secundùm suam essentiam præcisè, & sic nihil aliud dicit, quam esse prædicatum per modum partis, vel per modum totius abstrahendo à prędicato vniuersali, vel singulari, & est considerare talem rationem per modum partis, vel totius, prout abstrahitur per intellectum ab hac, vel illa differentia generis, & sic induit intentionem rationis differentiæ tertij prædicabilis; quæ posterior ratio extrinseca, & accidentalis est priori, atquè adeò ratio vniuersalis, etiam extrinseca, & accidentalis erit, & non intimè transcendens illam.

Ad tertium respondetur, nihil mirum, quod sicut definitio in communi, vel vt aiũt, in actu signato, definiri potest quadam definitione in particulari, seu in actu exercito; ita genus in communi, seu in actu signato contineatur sub quodam genere particulari, seu in actu exercito, atquè adeò secundùm diuersas rationes sit superius, & inferius respectu vniuersalis in communi; est enim superius accidentaliter, & denominatiuè, quatenus abstrahitur per intellectum ab hoc, vel illo genere, & est inferius, quatenus talem essentiam vniuersalis habet.

Ad

Ad quartum, & vltimum respondetur, quod ratio vniuersalis in communi æquè primò, & immediatè dicitur de omnibus vniuersalibus, quod autem aliquando differentia, & proprium non nisi media specie de pluribus prædicentur, hoc prouenit per accidens, ratione alicuius differentiæ contrahentis, à qua abstrahit non solùm ratio vniuersalis in communi, verùm etiam ratio talis vniuersalis, s. differentiæ, & proprij: nam differentia subalterna, & propriũ genericum immediatè de pluribus dicuntur, & non medio alio prædicabili: solùm ergo differentia, & proprium infimum ex speciali ratione accidentali, quam dicunt, habent prædicari mediante specie de pluribus indiuiduis, quod non sufficit ad causandam analogiã, vt patet.

ARTIC. III.

An quinq; vniuersalia sint species infimę, vel subalternæ, & an sint species mediatę, vel immediatę?

Circa primum, quidam iuniores asserunt, genus, speciem, &c. esse species subalternas respectu vniuersalis in communi, quia genus, vt aiunt, supremum, subalternum, & infimum distinguntur specie, & differentia infima, & subalterna, & sic species, & proprium: ergo genus, quod continet sub se supremum, & infimum, & sic de alijs sunt species subalternæ.

Nihilominus breuiter dicendum est, has quinque species infimas esse; quæ conclusio facilè constat ex dictis de quocumquè vniuersali: Dixi enim de genere supremo, & infimo esse eiusdem speciei, & de specie infima, & sualterna, & idem de differentia, & proprio, quia habent eundem modum prædicandi in quid, vel in quale quid, &c. & quæcumquè alia in eis aduertitur distinctionis ratio, est accidentalis: ergo omnes sunt species infimæ.

Solùm de proprio poterat esse nonnulla maior dubitandi ratio, quatenùs sub se continet proprium simpliciter, & secundùm quid, quæ specie differre videntur: nam proprietates, quæ omnino conuertibiliter, & inseparabiliter prædicantur de specie, & immediatè ab eius essentia profluunt, diuersæ sunt ab illis, quæ separabiles sunt, & & non ita conuertibiles, & mediatè solùm ab essentia dimanant: ergo saltem proprium erit species subalterna vniuersalis.

Quod

Quod si dicas, hanc differentiam tantùm accidentalem, seu seu materialem esse ex parte rei, quæ proprium dicitur: eâdem ratione affirmari posset, proprium, & accidens commune solùm materialiter differre, seu accidentaliter, quia modus prædicandi in quale accidẽtale, idem est: quod autem sit accidens profluens ab specie, vel non, materiale quid est.

Propter hoc non desunt, qui id affirment, ac proindè prædicabilia specie differentia non esse nisi quatuor dumtaxat. Sic Petrus Hurtado, *disputat. 6. Logic. sect. 6. & disp. 7. sect. 2.* Sed nihilominùs, loquendo de proprio, probabilius existimo, has esse differẽtias accidẽtales intra eandem speciẽ infimam, quia omnes proprietates eundem modum prædicandi, & definiendi habent, scilicet in quale proprium, & conuertibile cum tali specie, quòd autem emanent mediatè, vel immediatè: physicè, vel metaphysicè sicut proprietates entis: pro omni tempore, vel pro aliquo determinato: non variat modum prædicandi, sed modum essendi ex parte materialis huius prædicabilis.

Pet. Hur.

Qui tamen propter rationem positam ad huc defendere voluerit, proprium esse speciem subalternam, non est necessarium, quod idem dicat de alijs speciebus, nam optimè potest genus aliquod descendere ad duas species, quarùm vna sit infima, & altera subalterna, sicut animal ad hominem, & brutum.

Ad replicam respondetur, esse maius discrimen logicè loquendo inter proprium, & accidens commune, quàm inter diuersos illos modos proprietatum, ratione cuius in illis constituit communis sententia specificum discrimen, & non in istis. Quod sic declaro, nam logica considerat, & distinguit huiusmodi vniuersalia in ordine ad definitionem, & demonstrationẽ; sed respectu harum operationum valde differunt accidens proprium, & commune, nam proprium quomodocumquè sumatur, pertinet ad definitionem descriptiuam speciei, & ad demonstrationem, in qua proprietas demonstratur de subiecto per definitionem ipsius subiecti, non verò accidens commune: cuius ratio disparitatis est, quia proprium oritur ex natura specifica, & conuenit subiecto ratione speciei, accidens verò commune è contra conuenit subiecto ratione indiuidui, & idcirco ad definitionem speciei minimè conducit, vel ad demonstrationem, quæ de singularibus non est.

Secunda pars articuli.

Circa secundam partem articuli, quidam asserunt, hanc diuisionem non esse immediatam, nam immediatius diuiditur prædicabile vniuersale in prædicabile, seu definibile essentiale, & in accidentale: & secundò essentiale diuiditur in genus, differentiam, & speciem; & accidentale in proprium, & accidens.

Melius tamen iudico, has species immediatas esse respectu vniuersalis in communi, quæ conclusio conformior est communi omnium sententiæ, sic immediatè diuidenti vniuersale in communi in quinque species enumeratas. Et præterea ratione efficaciter probatur: quia illa diuisio generis est immediata, quæ fit in species, inter quas, & ipsum genus non mediat aliud genus, sed inter vniuersale in communi, & quinque species assignatas nullum aliud genus, aut prædicabile vniuocum mediat: ergo. Minor probatur: nam rationes illæ, quæ mediare dicuntur ab aduersarijs, s. vniuersale essentiale, & accidentale, sunt rationes transcendentes, atquè adeò non possunt esse genera: quod patet, nam esse prædicatum essentiale intimè includitur in vltima differentia generis, quæ est prędicari per modum partis materialis intrinsecę, & in differentia, cuius vltima ratio, quæ est modus partis formalis constituentię speciei, intelligi non potest sine ratione prędicati essentialis, idemquè à fortiori est de specie, quæ prædicatur per modum totius essentiæ. Similiter vltimę differentiæ proprij, & accidentis, s. prædicari in quale proprium, vel extraneum nullatenùs intelligi possunt sine ratione accidentis: ergo sunt rationes omninò transcendentes.



SEC-

SECTIO III.

De prædicabili quod, & de vniuerſaliſsimo omnium, quod eſt ens.

QVÆSTIO I.

Vtrum ratio entis ſit verè communis, an verò immediatè plura ſignificans?

ARTIC. I.

DEclaratis iam, quæ pertinent ad modum prædicandi, nunc ſermo erit de rebus, quę prędicantur, & primò de vniuerſaliſsimo omnium prædicatorum, quod eſt ens in communi, ſub quo omnia prædicata eounciabilia continentur, vt patebit ex diuiſionibus illius. Primò igitur diuidi poteſt in ens reale, & rationis. Ens reale eſt, quod habet verùm eſſe à parte rei. Ens autem rationis non niſi per intellectus fictionem; ideoquè reſpectu vtriuſquè ens non importat rationem aliquam communem, ſed tantùm eſt analogum analogia attributionis, vel proportionalitatis impropriæ; vt docet Sanctus Thomas; & cum eo communis ſententia.

S. Th. q. 2 de verit. art. 11. ad 5. & 4. meta. c. 2. Sonci. ibi. q. 5. Iaue. Capreol. Caietan. Fonſec. Reuerẽd. M. Zumel 1. p. q. 13 art. 5. & M. Oña, q. 2. de analogia, art. 1.

Probatur: quia ens reale eſt verùm ens, ens rationis eſt ens fictum, vel apparens formatum ad ſimilitudinem veri entis, ſicut ſe habent homo viuus, & pictus: ergo ſicut propter hanc rationen non eſt vera conuenientia inter hominem viuum, & pictum in ratione hominis, ita nec inter reale, & rationis in ratione entis: quia vera definitio entis non conuenit enti rationis, ergo ſolùm erit proportionalitas impropria, vel conuenientia imperfectiſsima per attributionem.

Confirmatur: quia nullus cõceptus communis excogitari poteſt reſpectu obiectorum habẽtium definitiones contradictoriè oppoſitas; ſed ſic ſe habent ens reale, & rationis. Primum

defi-

definitur: est quod habet verũ esse à parte rei. Et secundũm quid non habent illud à parte rei, sed fingitur, vel intelligitur ac si illud haberet: ergo. Non assero quod sint absolutè contradictoria ens reale, & rationis, sed quod contradictionem in suis definitionibus includant.

Sed dices, benè potest aliquis cognoscere aliquid esse ens, & ignorare, an sit ens reale, vel rationis: ergo illa ratio prout abstracta, & indifferens est, ad ens reale, & rationis communis est.

Respondetur negando antecedens: nam si aliquis cognoscat verè aliquod ens, non potest nõ cognoscere an sit verum ens reale, vel rationis, cùm entitaté cognoscit; & ita quando dubitat de aliquo obiecto, an sit ens reale, vel rationis? dubitat etiam an sit ens, vel non ens?

Ex dictis colligitur, quod sicut in mente vltimata non potest dari æquiuocatio, id est, conceptus repræsentans plura vt plura solo nomine conuenientia, ita nec potest dari vnicus conceptus, qui sit analogus attributionis, vel proportionalitatis metaphoricæ; & ex consequenti, neque vnus conceptus, qui repræsentet simul ens reale, & rationis.

Probatur: quia sicut æquiuocum indeterminatè significat plura, ita & hoc analogum indeterminatè plura exprimit, & propter hoc accedit maximè ad æquiuocationem, & appellatur æquiuocum ab Aristot. ergo nõ potest dari in conceptibus talis analogia. Patet consequentia, nã conceptus est naturalis quædam, & determinata repræsentatio sui obiecti, ita vt implicet primariò, & directè vnum conceptum repræsentatiuum leonis. v. g. transferri ad repræsentandum Angelum, vel hominé: neque impropriè, quia conceptus essentialiter, & propriè semper repræsentat, & est ipsa imago sui obiecti: ergo non potest esse in illo analogia, & indeterminata repræsentatio plurium.

Comparatur ens reale ad Deum, & creaturas substantiam, & accidens.

Secundò ens reale diuiditur quoad præsens attinet, in increatũ, & creatũ, & in substantiã, & accidens; nam aliæ diuisiones in ens à se, & ab alio, in infinitũ, & finitum, &c. tantùm verbis differunt ab ea; quæ diuiditur in Deum, & creaturas; & quia respectu substantiæ, & accidentis est eadem proportionalis comparatio entis, ac respectu Dei, & creaturarum, vtramque diuisionem simul ponimus in logica, quamuis in metaphysica sint considerandæ vt valde diuersæ.

Acci-

Accipitur autem hîc ens reale, nō solùm participialiter, quatenus oritur à verbo *sum*, ꝙ existētiam significat, seu actualitatē essentiæ, sed etiam nominaliter pro quacumquè entitate reali, siuè existente, siuè possibili, vt distinguitur contra negationes, & priuationes, & contra entia rationis, & de illo ita latè considerato, est difficultas, an importet respectu Dei, & creaturarū, & substantiæ, & accidentis rationem aliquam verè communem?

Porphir. c. de specie. Heru. quodli. 2. q. 7. Caie. c. 4. & c. 6. Fland. Soncinas. Ferrar. Fonsec. Toletus. Vazquez.

Partem negatiuam tenuerūt multi antiqui Thomistæ.

Communis tamen sententia est, posse conceptum vnum dari obiectiuū abstractum ab omnibus entibus, & illis propriè conuenientem. Ita expressè Aristot. 4. *metaph. tex.* 7. vbi ait, metaphysicam considerare ens, in quantùm ens, sub quo alia genera conueniunt; vbi S. Thomas idem docet. Et *de veritate q.* 1. *art.* 1. ait, conceptum entis esse simplicissimum, & determinari ad substantiam, quantitatem, &c. Conceptum obiectiuum dico, vt distinguatur à conceptu formali, id est, ab actu intellectus repræsentante naturam entis in communi; dicitur etiam specialiter conceptus, vel ratio obiectiua, obiectum repræsentatum per talem actum, quia repræsentatur aliter ac est à parte rei, & prout dicit rationem solùm obiectiuè existentem in intellectu eo modo, quo repræsentatur.

Veram sentē. docet Arist. 4. meta. text. 7. S. Tho. ibid. & q. 1. de verit. art. art. Scot. Reuerēd. M Zumel & Gaetē. Episc. M. Oña ar. 2.

Pro explicatione aduerto, ens dupliciter accipi. Primò rigorosè, & simpliciter pro eo, quod est habens esse, vnde concretum coalescēs est ex esse tāquàm ex forma habitā, & ex habente ipsum. Secundò magis latè, & abstractè pro omni eo, quod est à parte rei, siuè vt *quo* tamquā esse habitum, siuè vt *quod* habens illud. Ens ergo sumptum in rigore primæ acceptionis, non dicit rationem verè communē substantiæ, & accidenti, sed tantùm Deo & creaturis: quapropter sub hac consideratione, solùm est analogum respectu substantiæ, & accidentis analogia attributionis. Ita docent Sanct. Thom. 4. *metaphys. c.* 2. *lect.* 1. Vbi ait, ens dici analogicè; sicut sanū. Hoc ipsum tenent insigniores eius discipuli, Caie. & alij.

Quorum ratio est, quia accidens non est habens esse, sed tantùm in abstracto est esse habitum à substantia, vel affectio substantiæ: ergo non est propriè ens, sed esse entis, sola ergo substantia rationem entis & nomen obtinebit: ergo ratio entis communis substantiæ, & accidenti non est.

Ex quo patet secunda assertionis pars: quia substantia creata quantumuis pendeat à Deo in suo esse, quinimo licèt magis

distet

vocamus nomine entis, vel esse: quia nulla ratio est simplicior, & abstractior, quàm ista.

Secundò probatur, quia istæ prædicationes, substãtia est ens, accidens est ens: sunt superioris de inferiori: ergo ens est superius, & verè commune respectu vtriusque. Probatur antecedens, quia ideo prædicatur, quia est de intrinseco, & quidditatiuo conceptu vtriusque, & cùm neutrò cõuertitur, & valet bene: est substantia, ergo ens; est accidens, ergo ens, non autem è contra; ergo habent se sicut superius, & inferius.

Dices, ens dicere immediatè substantiã & accidens, licèt confusè, & vagè. Contra, quia ratio quare substantia, & accidens significantur nomine entis, est quia participant essentialiter, & quidditatiuè aptitudinẽ ad essẽdum, in qua vtrumque conueniunt, & in qua neutrum includitur, expressè: ergo ratio ista, in qua conueniunt, & assimilantur, est ratio immediatè significata per nomẽ ens, & ipsa prout inter se differentia, mediatè. S.Thom. Quod explicat S. Thom. *q. 1. de verit. art. 1.* vt declaret, quomodò abstrahatur ratio communis entis ab inferioribus suis. *Secundum hoc*, inquit, *aliqua dicuntur addere supra ens, in quantum exprimunt, ipsum modum, qui nomine entis explicatur.* Ex quibus verbis satis cõstat, quod perseitas, & inhærentia non significentur immediatè sub nomine entis, sed mediatè, quatenus conueniunt in ratione illa confusa, & ratione distincta, cui tales differentiæ superadduntur.

Denique conceptus ille, de quo intellectus est certus, est distinctus ab illo, de quo est dubius; sed potest intellectus esse certus de aliquo, esse verum ens reale, & dubitare, an sit substantia, vel accidens: ergo conceptus entis nihil illorum dicit determinatè. Antecedens probatur, quia multi Philosophi cognouerunt euidenter lucem esse verum ens, & tamen de illa dubitauerunt, an esset substantia, vel accidẽs; similiter de relatione & actione prædicamentali multi sunt certi, esse vera entia realia, & incerti an ad substantiam, vel accidens realiter pertineant; & de Sole, & Stellis Gentiles supponentes esse vera entia, dubitarunt, an creata, vel increata: ergo ratio entis abstrahibilis est per intellectum ab his omnibus differentijs, ac proinde cõmunis.

ARTIC. II.

Obijciuntur nonnulla contra dicta.

SEd contra dicta obijcies Aristotelẽ dicentem, primò diuersis nihil esse commune, quia se totis differunt, sed

nec quæuis alia ratio generica, etiam si non dicat in suo determinato conceptu differentias, excludat illas in re.

Tertiò obijcies: inter Deum, & creaturas nulla est proportio, quia creatura distat infinitè à Deo: ergo nec conuenientia in ratione essendi. Confirmatur, quia Deus dicitur ens simpliciter & absolutè, creatura verò secundùm quid, & quasi nihil, vt constat ex Sacra scriptura: ergo ab illis non est abstrahibilis ratio communis.

Quartò, quia illa ratio esset finitæ perfectionis, & comprahensibilis ex vna parte, ac proinde non posset Deo formaliter conuenire; ex alia verò esset simplicior Deo, quæ similia inter se opponuntur, & pugnant.

Respondetur tamen ad tertium, inter Deum, & creaturas non dari proportionem, idest, determinatam distantiam, aut finitum excessum in perfectione, dari autem proportionem, idest, conuenientiā intra rationē entis, in qua est latitudo, & distantia infinita, secūdùm quā Deus possit summè creaturas excedere, etsi in ratione communissima entis cum illis conueniat.

Ad confirmationem respondetur, creaturam dici ens secundum quid, & nihil, comparatione ad Deum infinitè excedentem eam in ratione essendi, sicut mille anni, respectu æternitatis, dicuntur dies vnus, vel instans vnicum, cum hoc tamen stat, quod creatura secundùm se considerata sit ens simpliciter, intrinsecè ac propriè, prout distinguitur contra non ens.

Ad quartum respondetur, rationem obiectiuam entis esse determinatæ perfectionis & cōprehensibilem, non positiuè, quia sit finita & limitata, sed negatiuè, vel præcisiuè, quatenus in eo conceptu abstracto non includit omnes perfectiones infinitas & comprahensibiles, quas in re potest habere, atquè adeò optimè conuenire Deo potest talis ratio; quia quàmuis vt abstracta nihil Dei habeat, sicut animal nihil hominis, habet tamen proprium esse Dei, vt contracta.

Ad aliud, quod vltimò subditur, de maiori simplicitate entis, quàm Dei, respondetur, simplicitatem entis realem non esse, sed obiectiuam tantùm, & quamuis esset realis talis simplicitas, oritur ex summa imperfectione, sicut materia prima simplicior est homine, qui perfectior illa est; simplicitas enim, vel potest prouenire ex negatione aliarum perfectionum, vel ex identifica-

tione, & vnitate cum alijs perfectionibus; & hoc posterior conuenit Deo, & arguit perfectionem; prior vero etiam in communi sumpto, & dicit imperfectionem.

Denique obijcies: Implicat quod aliqua ratio transcendentalis & analoga sit communis, sed ratio entis vtrumque habet, & intime includi in omnibus differentijs; & analoga esse: ergo non est ratio communis. Hoc argumentum est valde difficile, constabitque eius efficacia, & solutio in sequentibus.

QVAESTIO II.

An prædicta ratio entis sit transcendens differentias suorum inferiorum?

ARTIC. I.

Triplex potest abstrahi præcisio entis. Prima entis completi. Secunda entis incompleti. Tertia entis communissime sumpti prout abstrahit à completo, & incompleto, & de qualibet istarum procedit difficultas, an intime includatur in omnibus differentijs cuiuslibet rei, & in modis decem prædicamentorum?

Prima sententia absolute negat, ens quidditatiue includi in suis differentijs. Ita Scotus *in 1. d. 3. q. 3.* & cum eo omnes Scotistæ. Scotus.

Secunda sententia affirmat, saltem de ente communissime sumpto, prout abstrahitur ab entibus completis. Ita S. Thom. *q. 1. de verit. art. 1.* & cum eo communis Thomistarum schola. Aliqui tamen, vt Sotus hoc *cap. 4. q. 1. art. 2.* solum in ente completo respectu suorum inferiorum hanc transcendentiam negant. S. Thom. Sotus.

Dicendum igitur est primo: quod ens in tota sua latitudine sumptum, non est transcendens suas differentias tamquam includens illas essentialiter.

Hæc conclusio ab omnibus fere amplectitur, & probatur: quia ratio vna formaliter, & communis non potest essentialiter includere differentias oppositas, nam oppositio & distinctio destruerent vnitatem, illamque formaliter diuinam redderent; sed ens in suo conceptu præciso importat, vt vidimus, vnam rationem obiectiuam communem omnibus rebus: ergo non includit suas differentias essentialiter.

Secundò, quia aliàs quotiescunque ens prædicatur de substantia, vel de quouis alio inferiori, prædicatio esset falsa; quia simul cum ratione entis prædicarentur omnes aliæ differentiæ oppositæ. v.g. sicut ista est vera prædicatio, substantia est ens, esset ista, substantia est quantitas, relatio, &c. Probatur sequela ex communi regula, quã docet Arist. & S. Tho. *cap. 3. ante prædicam.* quod quando aliquid prædicatum includitur essentialiter in aliquo subiecto, quidquid dicitur essentialiter de prædicato, dicitur essentialiter de subiecto. Sed ratio entis includitur essentialiter in substantia, & de illa prædicatur: ergo etiam quantitas, relatio, & omnes aliæ differentiæ, si essentialiter includuntur in ente, includentur etiam & in substantia, & de illa dicentur. Vnde vlterius sequeretur tolli omnes differentias essentiales rerum, & interse confundi.

Aristot.
S. Thom.

Secunda conclusio affirmans.

Secundò dico. Ratio entis communissimè sumpti, prout abstrahit à completo, & incompleto, intimè, & essentialiter includitur in omnibus differentijs suorum inferiorum.

Probatur primò: quia quælibet differentia quantumuis præscindatur, & secundùm quod intrinsecum, & proprium sibi est, consideretur, vel est aliquid reale, vel rationis, vel nihil, & quodcumque aliud dicatur, est inintelligibile, sed secundum, & tertium dici non possunt: ergo primum dicendum est, scilicet esse aliquid reale. Vlterius probatur: quia differentiæ sunt formæ constituentes, determinantes. & perficientes ens reale, ergo non possunt aliquid rationis esse, vel nihil, quia quod non est, quomodo potest esse forma, & constitutiuum illius, quod est?

Confirmatur præsertim in vltima differentia substantiæ, quæ componit substantiam, & non quomodocumquè, sed vt forma constituens, & distinguens illam: ergo est intrinsecè substantia. Patet consequentia: quia ex non substantijs, inquit Arist. non fit substantia. Tunc sic, sed substantia est ens per se: ergo ratio entis intrinsecè imbibitur in vltima differentia substantiæ.

Secundò confirmatur: quia potentia determinabilis, & actus determinans per se, debent esse in eodem genere, & propter hoc substantia non potest determinari per qualitates, tanquàm per differentias, nequè relatio per differentias quantitatis potest essentialiter cõtrahi, quia sunt diuersi ordinis: ergo multo minus ens contrahi poterit per differentias, quæ non sint

ens intrinsecè, quia multò maior distinctio est inter ens, & nõ ens, quàm inter substantiam & & accidens, quæ cõueniunt saltem in ratione entis.

Secundò, vel istæ differentiæ, vt sunt aliquid extra ens, habent esse à parte rei actu, vel aptitudine, vel non. Si primum, erunt intrinsecè reales. Si secundum, sequitur planè ens non habere differentias à parte rei, sed per intellectus fictionem illi tribui. Patet consequentia, ex definitionibus entis realis, & non entis: ens reale dicitur: quod est, vel potest esse; & non ens, cum sit contradictorium, per negationem talis definitionis sufficienter explicatut.

Tertiò: istæ differentiæ, quibus ens limitatur ad substantiam & accidens, ad Deum, & creaturas, dicũtur inæquales in perfectione entitatiua, sed in præcisa ratione entis sunt æquales secundùm Scotum: ergo differentiæ secundùm quas differunt inæquales entitates includunt, secundùm quas Deus, v.g. dicitur creatura perfectior, & ens nobilissimum omnium; & substantia excellentiorem entitatem habere, quàm accidens: ergo sunt reales intrinsecè.

Quartò: quia differentijs secundùm suos præcisos conceptus conueniunt passiones entis, s. habere vnitatem, vel pluralitatem, habere veritatem, bonitatem, &c. ergo conuenit illis radix harum passionum intrinsecè, quæ est ratio entis.

Deniquè probatur ex omnibus principijs, quæ ab omnibus sine controuersia admittuntur, s. quod ens nõ sit genus ad decem prædicamenta: quod non contrahatur per differentias propriè sumptas, idest, quæ super addant aliquid diuersum ab ente: quod prędicamenta sint primò diuersa, idest, se totis differentia: quod sint conceptus omnino simplices, & nõ compositi ex alijs duob': quæ, & similia solùm nituntur in hoc, quod ens ita essentialiter includatur in suis differentijs, vt non possit cum illis componere tamquam pars metaphysica generica; neque ipsæ tamquam partes differentiales; ideoq; prædicamenta dicuntur primò diuersa, & differre se totis, quia licet cõueniãt in ratione entis, talis conuenientia est intimè inclusa in differentijs, & exercetur in ipsis differentijs, descenditq; cum diuersitate ad ipsa inferiora.

ARTIC. II.

Vtrùm etiam ens completum sit transcendens?

De ente completo est nonnulla maior difficultas, communis tamé, & vera senten-

sententia Arist. & omniũ Peripatheticorũ affirmat suorũ inferiorũ differentias transcendere.

Dico tertiò; etiam ratio entis incompleti, si abstrahatur ab entibus incõpletis, est transcendẽs vltimas differentias suorum inferiorũ. Quæ cõclusio satis constat ex dictis; quia si ens est transcendens aliquo modo, saltẽ id debet habere vt est ratio incompleta respectu entium incompletorum. Probatur primò, quia ipse Arist. & omnes Philosophi, *cap. 4. ante prædicam.* diuidunt ens completum in decem prædicamenta, & non tamquàm genus in inferiora, cùm quibus cõpositionem faciat, sed tãquàm superius in genera omnino simplicia, & se totis diuersa: ergo tamquàm quid intimè inclusum in differentijs.

Arist. c. 4 ante prædic. & 4. metaph. tex. 2. & lib. 7. tex. 14. & lib. 12. tex. 19 & alibi sæpe S. Tho. 1. p. q. 3. art. 6 & q. 7. de potentia, art. 7. & 1. contra Gen. c. 34 & in prol. sent. q. 1. art. 2. Caiet. & Sotus hic Fonsec. Suar. R. noster Mag. Zumel. citatus, & Episc. M. Oña hic.

Patet consequentia, quia solum ratione trãscendentiæ tàm ipse Arist. quàm S. Thom. dicunt ens nõ esse genus, nec posse in compositionem venire cũ differentijs.

Secundò ratione sic probatur, quia si ens comparetur ad principale analogatũ, idest, substantiã, saluatur complete in eius differentia; quod sic declaro, nã esse per se, qui est modus, & quasi differẽtia cõstitutiua substantiæ prædicamentalis, est radix subsistendi, prout terminata per ipsam actualem subsistentiam, tamquàm per vltimum actum, & terminum in ratione essendi: ergo ex sua propria ratione differentiali habet esse ens completam. Antecedens patet. Consequentia probatur: quia ens completũ tãtũ importat esse radicẽ cõpletã suarũ operationũ, & vltimum terminum in ratione essendi; sed hoc habet differẽtia substantiæ, eo ipso quod est radix subsistentiæ, quia nulla alia proprietas illi explicitè debetur, preter modum subsistentiæ, *vt sequenti sectione, q. 1. art. 2.* dicetur; & aliàs ipsamet subsistentia nõ aliter definitur, quã quod sit vltimus terminus, & cõplementum in ratione essendi: ergo.

Confirmatur: quia propria ratio, & differentia substantiæ est esse ens per se, vel radix, cui debetur modus subsistẽdi, vt docet S. Tho. *Opusc. 48. trac. 2. de prædicamẽtis, c. 2. 1. p. q. 3. art. 5. ad 2. & 3. p. q. 77. art. 1. ad 2. 1. contra Gent. c. 25. & alibi sæpe*; sed ens per se est ens simpliciter cõpletũ: ergo ens cõpletũ non solũ includitur in differẽtia subsistẽtię, verum est ratio explicita illius. Probatur minor; quia ens perse, vt est propria differẽtia substantiæ, est illud, q perse est, & secũdũ esse, quod habet in se, est sine indigentia alterius: solet namq; definiri ens completũ: est quod ex natura sua non ordinatur ad constitutionem alterius: nam eo ipso esset iam ens, seu pars alterius, & non ens perse quod

S. Thom.

differentè docuit S. Thom *opusc. cit. & alibi*. Vbi ait, quod nec materia, nec forma substantialis propriè dicuntur esse per se, nec partes integrales, sed solũ compositum integrum, quod verè non est alterius, neque in alio vt in toto, licet in alia min' rigorosa acceptione, quælibet pars substantiæ dici possit ens per se partiale, vt distinguitur contra accidens; vt latius infra.

Ex quo rursus infero, quod quando perseitas dicitur modus substantiæ, vel significatur substantia actualis, & tunc est verus modus physicus realiter super additus, & non differentia, vel quasi differentia intrinsecè cõstitutiua substantiæ: vel significatur substantia radicalis, prout completa per actualem subsistentiam, vt dixi, & sic non est verus modus, sed tota res dicitur modus logicus, quatenus instar modi concipitur, sicut sapiẽter, & substãtialiter, cõcipiũtur vt modi, cũ sint propriè res.

Idem dico de modo essendi in alio, accidentis, s. accipi posse, vel pro inhærentia actuali, quæ est modus ex natura rei super additus, vel pro aptitudinali, quę est essentia constitutiua, & distinctiua illius; & quoad hanc posteriorem rationem est modus logicus, essentialiter verò ens completum, etiam si secundùm vltimum gradum differentialem spectetur.

Quod vt probem, aduerto, quod sicut ens dicitur analogicè de substantia, & accidente, ita & complementum in ratione entis: nam substantia cùm sit ens per se, & simpliciter habens esse, petit ad suum complementum esse concretum compositum ex forma, & ex habente ipsam; accidens verò cum sit entis ens, vel affectio substantiæ, est ratio simpliciter incompleta, cum sit pars formalis concreti accidentalis; vnde solùm secundùm quid completum dicitur, s. in ratione formæ: postulat ergo ad suum complementum, quod sit forma adiacens substantiæ, ideoquè completa illius ratio definitur per aptitudinalem inhærentiam respectu substantię, vel per modũ essendi in alio.

Quo supposito sic argumentor: ratio differentialis, vt ita loquar, qua contrahitur ratio entis ad esse accidentis, est aptitudinalis inhærentia, vel forma, cui connaturaliter debetur in alio esse, vt latius infra; sed in hac saluatur ratio accidentis cõpleti: ergò & ratio entis completi includitur intimè in tali differentia. Omnes propositiones huius syllogismi constant ex dictis.

Deniquè probatur conclusio ex communissimis principijs ab omnibus receptis, quæ hanc veritatem supponunt, nimirùm prædicamenta esse conceptus,

ceptus omnino simplices: se totis differentiis completum non esse genus ad illa: & alia huiusmodi, quæ vera nõ essent, si ens completum non esset transcendens eo usque in intimas differentias, sed componeret cum illis totum aliquod metaphysicum.

Eadem transcendentia tribuitur accidenti completo respectu nouem generum accidentium.

Ex dictis sequitur id, quod dictum est de ente completo respectu substantiæ, & accidentis, dicendum esse etiam respectu aliorum nouem prædicamentorum, & idem de accidente completo respectu nouem prædicamentorum, quod sc. includitur in eorum differentijs: quod intelligendum est, non solùm respectu differentiarum generum supremorum; sed etiam respectu differentiarum subalternarum, & infimarum, quod vltimum negant aliqui iuniores.

Sed meo iudicio facilè id probari potest, quia vel est sermo de ente physicè completo, vel mataphysicè. Primo modo certum est, differentias ita completas esse sicut genera; nam genus, & differentia sumuntur ab eadem realitate, id est sunt vna, & eadem realitas physicè loquendo, atquè adeo implicat, quod realitas generis completa sit, & realitas differentiæ incompleta. Si verò sermo sit de ente metaphysicè completo, eadem est ratio de differentia, ac de genere; nam sicut genus est pars actualis metaphysica, & simul totum potentiale, ita & differentia est pars speciei, & simul totum potentiale; aliâs non esset vnum ex quinque vniuersalibus, & prædicabilibus, cum omne vniuersale, & prædicabile debeat esse totum potestate cõtinens sua inferiora, vt latè diximus supra; & specialiter de differentia; continere totum id, quod est in specie, docet expressè S. Thom. *c. 3. & 4. de ente, & essentia.*

Vnde nõ satis percipio differẽtiam, quæ assignari solet; nimirum, quod genus prædicetur per modum totius per se stãtis; & differentia per modum partis alteri adiacentis; nam si sit sermo de eo quod, explicitè vtrũquè dicit, genus significat rationem partis per se stantis, & differentia rationem partis alteri adiacentis, quæ vtraquè ratio incompleta est metaphysicè: nam genus in abstracto, animalitas, v. g. est sine dubio incompleta physicè, & metaphysicè, & significatur vt per se stans. Si autem sit sermo de eo, quod implicitè importat vtrũquè, tã genus, quam differentia dicunt rationem totius potẽtialis; nam diffe-

differentia significatur per modum concreti, & habentis, sicut genus, rationale, v. g. idem significat, quod habens rationalitatem.

Secundò probatur: quia eadem est ratio de differentijs subalternis, & infimis; ac de supremis: nam differẽtia suprema significatur vt modus alteri adiacens, s. perseitas, vel esse in alio, imo differentiæ subalternæ, & infimæ significantur vt res, quãuis alteri adiacentes; & differentiæ supremæ significãtur vt modi: ergo si differentiæ generum supremorum completæ sunt, à fortiori infimæ, & subalternæ.

Deniquè: quia si ens completum non includeretur in omnibus differentijs, sed solùm in supremis, sequeretur ens respectu omnium aliarum esse genus supremum, quia haberet perfectam vniuocationem, & non transcendentiam; hoc autem est falsum; ergo & illud ex quo sequitur.

Sed obijcies Aristot. *cap. 1. de substantia*, qui substantiam completam diuidit in primam, & secundam, & postea ab illius ratione excludit differentias; quod non alia ratione facere potuit, nisi quia sunt incompletæ.

Respondetur Aristot. in ea diuisione solùm diuidere substantiam prædicamentalem, excludereque differentias, non, quia incompletæ sunt, sed quia non sunt ponibiles in recta linea prædicamentali; quod qua de causa sit, dicetur infra.

ARTIC. III.

Obijciuntur, & soluũtur nonnulla contra dicta.

Primò autem obijci potest contra dicta; quia implicat quod ratio aliqua sit communis, & transcendens differentias suorum inferiorum; sed ratio entis est communis: ergo non transcendens, maior probatur primò ex Aristot. 3. *metaph. tex.* 3. dicente, non posse commune prædicatum contrahi per differentias, quæ per se includant ipsum commune prædicatum.

Secundò ratione sic probatur: quia nihil potest abstrahi à se ipso: quando enim præscindis rationem entis à substantia, quid abstrahis, nisi rationem entis? Sed hæc remanet in differentia substantiæ, vt supponis: ergo non potest abstrahi ratio entis, vel si abstrahitur, non erit transcendens.

Tertiò; quia ratio communis habet modum materiæ metaphysicæ, & potentiæ contrahibilis, & differentia modum formæ contrahentis, determinantis, & actuantis rationem communis

munem: ergo sunt conceptus obiectiui diuersi, ac proinde vnū nō includitur in alio formaliter.

Quartò, quia omnis contractio, seu compositio debet constare ex partibus inter se diuersis; quia nulla est compositio, vbi nulla est distinctio: sed ex ratione communi contrahibili, & contrahente fit semper vnum compositum ex vtroque coalescens, vt patet vniuersali inductione in quacumque alia ratione communis ad sua inferiora comparata: ergo ratio communis entis, & differentię contrahētes illam debent inter se distinctionē habere, & non inclusionē.

Respondetur tamen negādo maiorē, & ad authoritatē Arist. *Aristote.* & ad alia, quæ ex illo libro adduci possunt, respondetur primò procedere ibi dubitando, & argumentandō, non resoluēdo.

Præterea secundò non fideliter citatur, quia non loquitur ibi de quocūque prædicato cōmuni, sed de genere, quod tantùm dicit ordinem ad differentias propriè dictas: ens autem in communi non respicit differentias propriè, & rigorose dictas propter transcendentiam, & ita benè philosophus in citatis verbis: imò hæc est communis omnium sententia.

Ad secundam, & tertiam probationem dicō, contractionem, seu determinationē entis ad sua inferiora non esse per modū cōpositionis diuersorum graduū, aut formalitatum, sed solùm per modum expressioris, & confusioris conceptionis eiusdem simplicis formalitatis; quia non omnia, quæ ratione distinguuntur, distinguuntur formaliter, vt dixi disputatione præcedenti declarando varios gradus distinctionis rationis; sed possunt duæ rationes obiectiuæ distingui solùm secundùm magis, & minùs explicitum concipiendi modum eiusdem formalitatis; sic enim homo, & animal rationale differunt, & nullam compositionē formalem dicūt; & calor vt sic, & calor vt octo vnam & eandē formalitatem dicunt magis, & minus determinatam: & sic in præsenti ratio entis, & substantiæ licet ratione differant, est solùm penès magis, & minus abstractum, vel expressum modum cōcipiendi eiusdem formalitatis, ita vt substantia supra rationem entis abstractam, & cōfusam non addat aliquam formalitatem, quæ non sit ens, sed eandem rationem magis determinatam, & expressam per aliud actum.

Quod amplius sic declaro; nam sicut in abstractione formali, quæ fit per rationem, formalitas abstracta, v.g. animalitas, etsi contineat totam realitatem alterius, rationalitatis, s nihilominus dicitur differre ab ipsa secundùm rationem; quia con-

conceptu omnino diuerso concipitur; sic eadem formalitas, & ratio obiectiua, licet propter suā simplicitatem in ratione obiecti non possit percipi cōceptibus omnino distinctis, adhuc potest confusè, & clarè percipi talis ratio obiectiua, ita vt lateant intellectum, quatenus confusè eam appræhendit, omnes eius differentiæ, & sic fiat ratio cōmunis, & quatenus clarè intelligit, innotescant, & illi rationes particulares, & eadem ratio, quæ antea, vt vna, & communis apparebat, cernatur postea, vt multiplex, & particularis.

Ex quo colligitur non omnem rationem communem cōmunem contrahi, & determinari per modum compositionis; quia vniuersaliter loquendo potentia contrahibilis, & actus contrahens, licet ratione differant, & admodum partium cōponentium considerentur, non semper sunt veræ partes metaphysicæ, quia non habent fundamentum in re, vt formaliter distinguantur, ac proinde vt compositionem efficiāt, & ideo prædicamenta dicuntur concep tus omnino simplices, quia sunt irresolubiles in conceptus formaliter diuersos, quidquid sit de distinctione illa minutissima in conceptus magis, & minus explicitos eiusdem formalitatis, substantiæ, v.g. in conceptum entis, & per se.

Secūdò principaliter obijcies: differentiæ, quæ limitant rationem entis, addunt aliquam perfectionem supra ens: nam esse per se aliquid amplius dicit, quam esse ens, aliàs esse per se, & esse in alio non distinguerentur, quia in ratione communi entis non distinguuntur: ergo aliquid addunt præter rationem communem entis, in qua differunt, ac per consequens ens non includitur in vltimis differentijs.

Confirmatur: quia substantia est idem quod accidēs in ratione entis; sed differentia substantiæ non est idem, sed diuersum: ergo differt ab accidente in aliquo, quod non est ens, atque adeo ens non includitur in vltimis differentijs substantiæ, & accidentis.

Respondetur negando, quod differentiæ entis addāt aliquam perfectionem formaliter diuersam supra ens, solùm enim addunt alium conceptum obiectiuum eiusdem entis magis determinatum, & expressum, vnde licet in ratione communi, & confusa entis non differant substantia, & accidens, differunt in rationibus determinatis, quæ formaliter sunt ens: vnde in eadem simplici formalitate entis diuersimodè concepta conueniunt, & differunt, s. vt consideratur confusè, vt entitas communis, & inclusa, est ratio conue-

conueniendi; & quatenus intel-ligitur sub ratione particularis de-terminans, & c. est ratio differen-di: Ex quo patet ad confir-mationem.

QVAESTIO. III.

An ratio communis entis analoga sit, vel vniuoca.

ARTIC. I.

RAtio dubitandi oritur ex dictis; quia si propter cō-fusionem cōceptus ratio entis concipitur vt vna, & com-munis, quia latent intellectum omnes rationes particulares, & differentiales, sequitur manifes-tè, quod qua ratione est commu-nis talis ratio obiectiua, implicet illi, quod sit analoga. Patet con-sequentia: quia ratio analoga de-bet includere differentiam si-mul cum conuenientia quod re-pugnat rationi communi.

Propter hoc prima sententia, quā præcipuè tenent Scotus, & eius discipuli, asserit huiusmodi rationem vniuocam esse. Quæ amplius declaratur: quia substan-tia, & accidens, Deus, & creatu-ra in ratione communi entis nō differunt, sed solùm ratione dif-ferentiarum contrahentium: er-go in ratione communi entis perfectè conueniunt, & habent vniuocatio-nem, & non analogiam nisi tan-tùm physicam. Maior quoad primam partem probatur: quia ratio communis entis, licet in-cludatur in differentijs, nullam differentiam includit in suo cō-ceptu præciso, imò ita confusè rationem entis exprimit, vt nul-la ratio particularis ibi appareat, vel inæqualitas; alioquin ratio communis non esset: ergo talis conceptus vniuocus est, quid-quid sit de differentijs, alijs cō-trahentibus illam.

Quoad secundam partem etiam probatur: quia tota diffe-rentia, & inæqualitas inter sub-stantiam, & accidens, Deum, & creaturas est, quod Deus est ens à se, & infinitum, creatura ens ab alio, substantia ens per se, ac-cidēs verò est in alio, à quo sub-stentatur; sed istæ sunt differen-tiæ contrahentes: ergo ab illis oritur, & non à ratione commu-ni entis talis differentia.

Confirmatur: quia quantum-uis ratio communis entis sit transcendens differentias, vni-co conceptu repræsentatur: ta-lis ratio vt est principium con-ueniendi absque omni diffe-rentia, & alijs diuersis apprehē-dit rationes differentiales sub-stantiæ, & accidentis: ergo pri-mus ille conceptus, de quo tan-tùm est sermo in præsenti est ra-tio omnino eadem, & conse-quenter vniuoca.

Aristo. 4. metaph. tex. 2. & lib. 7. tex. 4. D. Tho. 1. p. q. 13. ar. 5. & de pot. q. 7. ar. 7. & opusc. 42. c. 1. Caiet. c. 4. de ente & essentia. Soto. Zum. & Mas. & alij pra citati.

Secunda sententia probatur.

Secunda tamẽ sententia, quę communis est, asserit, hanc entis rationem verè analogam esse analogia proportionalitatis proprię. Docet S.Tho. & cum illo, tàm veteres, quàm iuniores Theologi. Tenet etiam Dionys. *de cœlesti Hierarch. cap.*1. *August.*1. *de Trin. c.*1. *& lib.*8. *c.*3. Hierony. & Chrysost. sup. *c.*23. Matthæi, & *ad Ephes.*3.

*Aristo.*4. *met.tex.*2 *& lib.* 7. *tex.*14. *D.Tho.*1. *p.q.*3. *ar.* 1. *de ente, & essentia, c.*1. *& q.*7. *de potẽtia ar.*7 *&* 1. *cõtra Gẽt.c.*34. *Caietan*⁹. *Soto, & M. Zum. & M.Cña & alij supra citat.*

Et probatur: quia ea ratio est analoga, quæ partim est eadem, & partim diuersa in suis inferioribus; sed sic se habet ratio communis entis: ergo. Minor probatur: quia Deus, & creatura, substantia, & accidens conueniunt in ratione entis, siquidem ea ratio est illis cõmunis, & differunt in eâdem ratione: nam differentiæ, per quas differunt, sunt formalissimè ens, & constituuntur intrinsecè per eandem entitatem inclusam diuersimodè conceptam: ergo talis ratio est analoga: quia est ratio conueniendi, & differendi, siquidem etiam differentias formaliter constituit.

Fundamentum sententiæ oppositæ dissoluitur.

Secundò probatur respõdendo ad fundamentum oppositæ sententiæ. Pro quo aduertendũ est prius nõ esse necessarium, vt ratio aliqua sit analoga, quod vnico, & eodem conceptu exprimatur simul conuenientia, & differentia, imo potius postulat ex natura sua plures conceptus, vt patet in analogia attributionis, & proportionalitatis metaphoricæ: solùm ergo requiritur, quod nomen sit commune, & ratio significata per nomen sit partim eadem, & partim diuersa, id est, quod conuenientia, & differentia exerceantur in eadem ratione formali significata per nomẽ, siuè vnico, siuè pluribus repræsentetur conceptibus.

Quo supposito, dico, quod licet substantia, & accidẽs, &c. in ratione cõfusa entis, velin cõceptu illo communissimo non differant: quia talis conceptus propter suã confusionem nullam differentiam exprimit, sed habet se sicut quilibet alius cõceptus vniuocus; differunt tamen in eadẽ ratione formalissima, prout repræsentata magis explicitè per alios conceptus, substantiæ, & accidentis; in quo differt ab vniuocis. Nã vt suppono, ratio entis non est distincta à ratione substantiæ, & accidentis, sed eadem prout confusè concepta, dicitur vna, & prout distinctè cõsiderata, est disconueniens; vnde conceptus entis in substãtia est dissimilis à se ipso, prout in accidente, ac proinde in eâdem ratione formali exercentur tàm conuenientia quàm differentia.

Nec satis est ad vniuocationẽ, quod in cõceptu abstracto nulla appa-

appareat inæqualitas, aut dissimilitudo, sed opus erat, vt illemet conceptus formalis in differentijs esset idem, & non dissimilis sibi, quod nō habet animal in homine, & bruto; quia est extra illorum differentias: secus verò ens in substantia, & accidente. Deo, & creatura: quia constituit intimè tales differentias, nec est extra illas: ex quo tādem sequitur, quod nō possit perfectè ab illis abstrahi, quin prout abstractum, non dicat ordinem ad illas, vt intrinsecum earum constitutiuum.

Ex quo patet ad confirmationem, similiter, & ad rationem dubitandi. Respondetur enim, quod quando ratio communis est intimè inclusa in differētijs, & illas formaliter constituit, optimè potest esse communis, & analoga: quia vt est abstracta ab illis, est ratio conueniendi, & vt dicit ordinem ad illas tamquā intrinsecum cōstitutiuum earū, est ratio differendi; distinguitur autem in hoc ratio transcendēs à non transcendente, quod ista tantùm est ratio conuenientiæ suorum inferiorum, illa verò est ratio conuenientiæ, & differentiæ ipsorum.

Dices: Implicat quod in eâdem ratione formali simplici aliqua duo conueniant, & differāt: ergo & quod differant substantia, & accidens in simplicissima ratione entis, in qua conueniūt.

Respondetur, nullum inconueniens esse, quod in eâdem formalitate inadęquatè sub diuersis rationibus considerata conueniant, & differant aliqua duo, & sic substantia, & accidens conueniunt inconfusissima, & inadęquata ratione entis, & differunt in ipsamet ratione prout explicità, & determinata alijs expressioribus conceptibus, vt iamdixi.

ARTIC. II.

Vtrum analogia entis explicata oriatur formaliter ex transcendētia, vel dependentia à principali analogato?

PRima sententia asserit, huiusmodi analogiam causari formaliter ex dependentia creaturæ à Deo, & accidentis à substantia. Tribuitur Arist. & S.Tho. *1.p.q.4.art.3.ad 3. & 1.2.q.62.art.1. & q.6.de potentia.* Vbi ait, *Ens idcirco analogicè dici de Deo, & creaturis, quia Deus est ens à se, & independens, creatura verò ab alio dependens*; eamquè rationem esse analogā, quæ per prius dicitur de vno, & per posterius de alio, quæ prioritas, & posterioritas, in quacumquè dependentia includitur.

Præte-

Prætereà ratione probatur: quia hæc dependentia facit, quod substantia & accidens, Deus & creatura in eadem ratione entis conueniant, & differant: ergo est ratio constitutiua analogiæ. Antecedens probatur: quia eo ipso quod creatura participet rationem entis à Deo, cui primariò talis ratio conuenit, & à quo tamquam à fonte, & origine deriuatur in omnes creaturas, sequitur euidenter, quod ambo conueniant in ratione entis: & ex hoc ipso quod talis ratio Deo conuenit independenter, & à se, & creaturæ dependenter, & per participationem à Deo, sequitur etiam, quod differant in ipsa ratione entis: ergo dependentia hæc est causa analogiæ. Idemquè est de dependétia, quàm habet accidens in ratione essendi à substantia.

Confirmatur, quia illa ratio, quæ per prius dicitur de vno, & per posterius de alio, est analoga; sed dependentia vnius ab alio hoc præstat, s. quod per posterius dicatur aliqua ratio de eo, quod pendet, & per prius de eo, à quo dependet: ergo.

Alijs argumentis vtitur hæc sententia ex impugnatione contrariæ, de quibus postea.

§ *Transcendentiam esse radicem analogiæ efficaciter probatur.*

Secunda sententia iam his præsertim temporibus maximè celebris, plausibilis, & [illegible] asserit, transcendentiam rationis communis inferioribus esse vnicam & adæquatam radicem huius analogiæ. Tenet Aristot. qui [illegible] ait, ens non esse genus propter transcendentiam, ex quo planè sequitur, quod intendit ista sententia: nam ideo transcendentia impedit rationem generis, quia impedit vniuocationem, & analogiam causat: nam si esset compatibilis cum perfecta vnitate ratio transcendens, nullum esset fundamétum ad excludendam illam à ratione vniuersalis & prædicabilis rigorose, & strictè sumpti, de cuius ratione est, quod sit perfectè vnum in multis. Docet S.Tho. & communiter iuniores. Quæ sententia facilè probatur fundamẽto posito præcedenti articulo, ad probandum rationem communem entis analogã esse, quod desumptum fuit ex transcendentia, quæ facit, quod differentiæ maximè diuersę conueniant in ratione entis in illis inclusá. Et vlterius, quia tales differentię secundùm suos vltimos conceptus constituuntur formaliter per rationem entis, & sine illa non possunt intelligi; eadem ratio entis est ratio differendi, ac subindè radix adæquata analogiæ. Confirmatur, quia ens facit quod Deus differat à creatura, & quod substantia excedat acci-

Aristote.

S.Tho. opusc. 48. de vniuersalib. c.1 & 1 p.q. 3.art.5. Soncin.4. metaphy. Ferrar.1. cõtra Gẽt. c.31. Fonsec. 3. metaphy. Masius hic c.6. Conimb. c.1. q.1. ar.2.ad 3. Nost. M. Oña. q.1. art.3. Vaz 1.p. dispu. 22. cap.5.

accidens: nam excedit Deus creaturam, & substantia accidés in ratione essendi, quæ in Deo nobilior est, quàm in creatura: ergo ratio entis intimè inclusa constituit formaliter differentias in ratione differendi, atquè adeò causat analogiam.

Præterea secundò probatur cóclusio, oppositam sententiam euertendo, & eius fundamentú: quia sola dependentia, quæcúq; sit, sine transcendentia nó est sufficiens causare analogiá, & sola transcendentia sine dependentia illam causat: ergo sola transcendentia est adæquata ratio formalis analogiæ. Consequétia patet, quia illa est ratio formalis, qua posita, ponitur effectus formalis, & qua ablata aufertur: ergo, &c. Antecedés quo ad primá parté probatur, vniuersali inductione in quacumq; dependentia effectus à sua causa siuè vniuoca, siuè æquiuoca, actus. s. vitalis à potentia vitali, &c. quæ non tollit perfectam vniuocationem: ergo ex alio capite oritur analogia, & impeditur vniuocatio.

Rursus dependentia, quá habent creaturæ à Deo, & accidens à substantia in ratione essendi, non tolleret vniuocationé, si ratio entis non transcenderet eorum differentias. Probatur: quia tota differentia, & inæqualitas, quæ est inter Deum, & creaturas, inter substantiá, & accidens, nó esset in ratione communi entis, sed tantùm ratione differentiarum: ergo in ratione communi esset perfecta vniuocatio. Patet cósequentia, quia talis ratio, eo ipso quod esset communis, esset vna, & abstracta ab omni differétia, & eo ipso quod non esset transcendens, neq; includeret, neq; includeretur in aliquibus differétijs: ergo esset ratio omnino eadé, & nullatenus differens, ac proinde perfectè vniuoca.

Quoad secundá parté antecedés probatur: quia ratio entis respectu Angeli, & cuiuslibet substátiæ spiritualis, & respectu accidétis corporis, albedinis, v.g. analogicè dicitur, cum vnú sit substátia, & aliud accidés, & tamé nulla est ibi depédétia. Similiter dicitur analogicè de corporea substantia & qualitate spirituali, & neutra ex alio pendet, vt patet: ergo depédentia nó est formalis ratio huius analogiæ. Præterea si per impossibile creatura nó penderet à Deo, ex hoc quod ratio inæqualiter participaretur à Deo, idest, infinito modo, & per essentiá & à creatura finitè, & limitatè, ratio entis esset analoga respectu vtriusq; impertinens ergo, & accidentaria est dependentia ad analogiam.

Ex quo patet solutio ad fundamentum oppositum. Vt autem melius satisfiat, dico secundò: dependentia præcisè sumpta solùm causat diuersitatem

& inæqualitatem in differentijs contrahentibus, quod autem ista diuersitas exerceatur in ipsa ratione communi, prouenit ex transcendentia talis rationis communis in ipsis differentijs. Itaq; dependentia quantùm est ex se, solū potest inferre analogiam physicam, quæ consistit in participatione inæquali alicuius rationis communis ratione differētiarū, per quas physicè contracta est. Si vero coniungatur transcendentiæ potest aliquando simul cū illa concurre re ad analogiam logicam, quatenùs arguit inęqualitatem, sicut quęuis alia differentia, si adiungatur transcendentia, exercebitur in ratione communi, & arguet, logicā analogiam. Vnde quāuis verum sit, quod sola trāscendetia sine dependentia sufficiat ad causandam differentiam, & analogiam in ratione communi, cæterùm non causabit tantam differentiam, quātam infert depēdētia illa, & inæqualitas inter Deū, & creaturas, & inter substantiam & accidens: & idē dico de quauis alia inæqualitate, quæ contingere potest sine dependētia, vt patet in vltima probatione conclusionis præcedentis. Si enim transcendentiæ adiungatur, simul cum illa analogiā causabit.

Vnde colligitur, rationē entis respectu Petri, & Pauli analogam esse, quamuis æqualiter, & æquè perfectè ab illis participetur, quia non est de ratione analogiæ vniuersaliter loquendo, quod ratio analoga inæqualiter participetur, sed tantùm quod sit ratio partim conueniens, & partim differens, quod habet quælibet ratio transcendens, vt probatum est; atquè ideò ratio accidentis etiam respectu quorumlibet prædicamentorum accidentium eandem analogiam habet quidquid sit de æquali, vel inęquali participatione; aliàs accidens esset genus respectu omnium, vel aliquorum prædicamentorum accidentium.

Vnde ad authoritatem S. Tho. respondetur ipsum non tā colligere analogiam inter Deū, & creaturas ex dependentia, quàm ex inæqualitate, vt patet ex eius verbis. Neque loquitur de qualibet inæqualitate, sed tātùm de illa, quę est in participatione rationis cōmunis, vt constat ex illis verbis: *Ens à se, vel per essentiam, & ens ab alio, &c.* Hęc igitur inæqualitas concurrit ad analogiam, & includit transcendentiam, vt dixi, & est signum magis euidens, & manifestū huius analogiæ, quā sola differentia in ratione ęqualiter participata & ideò illa vtitur semper ad explicandam huiusmodi analogiam: quando autem S. Thom. & cum eo communis sententia dicunt, illam rationem **S. Thom.**

tionem esse analogam, quæ prius dicitur de vno, & per posterius de alio; loquuntur de analogia attributionis, vel proportionalitatis impropriæ: neque ex his verbis colligitur dependentia, quia quamuis omnis dependentia prioritatem, & posterioritatem includat, non tamen omnis prioritas, & posterioritas arguit semper dependentiam.

Ad rationem autem iam responsum est solam dependentiam sine transcendentia non causare analogiam.

ARTIC. III.

Soluūtur nonnulla cōtra dicta.

SEd contradicta obijcies primò: sequeretur, quod aliqua prædicata vniuoca essent respectu Dei, & creaturę, & substantię, & accidenti, quod in schola pręsertim S. Tho. communiter negatur. Probatur sequela: quia sunt aliqua prędicata non transcendentia, communia Deo, & creaturis, vel substantię & accidenti. Substantia cōpleta, v.g. vel natura respectu Diuinę, & humanę Christi Domini. Scientia, vel amor respectu diuini, & creati. Ratio principij actiui respectu substantialis, & accidentalis. Forma etiam prout dicitur de substantiali, & accidentali: ergo si transcendentia est radix adęquata analogię, huiusmodi prædicata vniuoca erunt.

Ad hæc Petrus Hurtado *disp. 9. logicæ sect. 4. sub sect. 6.* absolutè concedit, vniuoca esse, excepto primò exemplo, & certè non improbabiliter, sed acutè vt solet: sed non audeo communem sententiam relinquere, quæ omnia huiusmodi prædicata analoga docet. Et ad exempla opposita facilè respondeo, quod omnia prædicata communia Deo, & creaturis, saltem ex parte Dei sunt transcendentia, quia in Deo, vt suppono nulla est distinctio formalis, sed omnimoda simplicitas, & ideò sola differentia Dei exercita in ratione communi sufficit tollere vniuocationem illius? *Petrus Hurt.*

Ad reliqua prædicata communia substantiæ & accidenti, & generaliter ad omnia etiam communia Deo, & creaturis. Respondeo, quod eo ipso, quod in ratione communissima entis sit tanta inæqualitas, & dissimilitudo, exercetur eadem in omnibus rationib⁹ inferioribus cōmunibus quatuor membris dictis, atq; adeò exercetur eadem differentia in rationibus ex transcendentia, sicut in rationibus superioribus; quapropter ratio principij actiui, vel causę dicitur analogicè de substātiali, & acci-

dentali, quia causa principalis, qualis est substantia, & instrumentalis qualis est accidens, etiā in ratione communi causæ efficientis differunt: principium similiter radicale & proximū, & potētia passiua materiæ primæ, & cuiuslibet accidētis respectu alterius; nā denominatio causæ simpliciter dicitur de principali, & illi absolutè tribuitur effectus, non instrumento: & ratio subiecti simpliciter dicitur de materia substātiali, quę in se stat, & est primū fundamentum, & basis cæterorum. Forma similiter substantialis est, cui simpliciter & absolutè ratio formæ tribuitur, & accidentali tātùm secundum quid: nam forma idem quod essentia, vel constitutiuum significat, quod accidenti propriè nō cōuenit, nisi tantùm secundùm quid in esse talis, &c.

Obijcies secundò: ex trāscendentia entis solū sequitur, quod inferiora illius mediatè differāt per ens, & immediatè per differentias, quæ includunt rationem entis: ergo in ratione entis inclusa omnino conueniunt.

Confirmatur: quia Petrus v.g. à Paulo per id solū, quod nō differt est in Paulo; sed ratio entis est in Paulo: ergo Petrus differt nō per ens, sed per Petreitatē: ergo ens non est ratio differendi.

Secundò cōfirmatur: quia per id quod est commune vtriq; implicat, quod vnū differat ab alio: ergo ratio entis, quæ ratione trāscendentiæ communis est pluribus, non potest esse immediata ratio differendi, qualis requiritur ad analogiam logicam.

Respondetur ad primū, negā do antecedēs, quia cū ratio entis cōstituat formaliter ipsas differētias, sicut ipsæ in quātū reales, sunt immediata ratio differēdi, ita & ens. Ad primā confirmationem negatur maior: nam Petrus differt à Paulo per suā differentiā, quæ essentialiter cōstituitur per rationē entis, quæ etiā est in Paulo, sicut enim hoc est propriū rationis cōmunis transcēdentis, quod in ea vltimæ differentiæ cōueniant, ita erit propriū illius, quod res cōstituta per tales differētias cōueniat cū altera per id, in quo differt: neque in hoc est vllū incōueniens, vt iā dixi loquendo de transcendentia, quia eadem simplicissima ratio secundùm conceptus diuersos magis, & minus confusos considerata, potest esse ratio cōueniēdi, & differendi: ex quo ad secundam patet confirmationem.

Obijcies tertiò: transcēdētia causat maiorem cōuenientiam, quā vniuocatio: ergo potius iuuat, quā impedit vniuocationē. Consequentia patet, quia vniuocatio in perfecta cōueniētia cōsistit, & analogia in conueniētia non ita perfecta. Et antecedens probatur, quia trāscendentia est causa sūmè possibilis cōueniētiæ: quia

quia est causa, quod conueniant inferiora non solùm in ratione communi, sed etiam in suis vltimis differentijs: ergo maiorem conuenientiam causat, quã vniuocatio, cuius inferiora in suis differentijs minimè conueniunt.

Respondetur, hanc maiorem conuenientiam rationis transcendentis solùm esse extensiuam: quia includitur in pluribus inferioribus, & conuenit illis pluribus titulis. Petro v.g. conuenit esse ens in quãtùm est substantia, in quantùm corpus, viuens, animal, homo, & Petrus cæterũ intensiuè maior, & perfectior est cõuenientia rationis, quæ nõ transcendit, quia est omnimoda conuenientia, nullam admixtam habens differẽtiam, cum nudetur ab illa; ratio autem transcendens taliter facit conuenire differentias, vt læda tur ab ipsis eius perfecta vnitas.

Quartò obijcies: ratio entis in suo conceptu essentiali nullam dicit diuersitatẽ; ergo nõ potest esse ratio differendi, sed solùm cõueniendi quantũ est ex vi sua. Patet cõsequẽtia; quia solũ potest esse causa formalis differendi per exhibitionem, illius, quod habet in se: ergo si in se nullam diuersitatem habet, non potest esse causa illius.

Respondetur distinctione: ratio entis in se, & in suo conceptu essentiali cõfuso nullã diuersitatẽ formalẽ dicit, cõcedo. Nullam virtualẽ, nego. Consistit autem hæc virtualis diuersitas in in hoc, quod ratio entis sit essentialiter ordinata ad constituendas vltimas rerum differentias in statu abstractionis, & in statu contractionis eas formaliter constituat, vt iam supra dictum est. Dixi etiam parum referre, quod in ratione, vt abstracta nulla sit differentia, dum tamen exerceatur in eãdem formalitate, vt contracta; quia vt supponitur, est eadem, & analogia non petit percipi adæquatè vnico conceptu.

Vltimò obijcies: natura diuina, & omnia prædicata illius dicuntur vniuocè de tribus personis, & tamen est maximè transcendens differentias personales, quia non solùm includitur in illis, sed includit formaliter illas, vt in materia de Trinitate defendetur vt probabile: ergo transcendentia non est ratio formalis analogiæ.

Respõdetur, supponẽdo duo genera prædicatorum diuinorum, quæ includuntur in diuinis personalitatibus; quædam sunt communia secundùm rationem, sicut ens, & quælibet alia ratio vniuersalis respectu suorum inferiorum, vt substantia, relatio, personalitas, &c. & hæc sunt verè prædicata analoga, absque vllo inconuenienti, quod ex eo sequatur; quia non

omnis analoga consistit in participatione inæquali rationis cōmunis, vt dixi de ente, quod analogicè dicitur de Petro, & Paulo, quamuis æqualiter participetur; satis enim est differentia in participatione, quamuis nulla sit inæqualitas.

11 Alia sunt prędicata cōmunia secundùm rem, & in se ipsis singularissima, & indiuisa; etiam in statu contractionis, qualia sunt natura diuina & eius attributa, quæ etiā vt terminata per tres personalitates diuinas, & illis summè identificata, vna numero manet, & hæc sicut non obstante transcendentia, non admittit vnitatem singularem propter suam infinitatem, ita neq; vniuocationem; nam maior vniuocatio, quæ potest excogitari, est singularis vnitas; transcendentia autem, quæ causat analogiā, est transcendentia rationis communis, non autem rei singularis, præsertim taliter infinitæ, quod impediat diuersitatem in ipsa ratione inclusa, vt contingit in natura diuina, quæ quantumuis includatur, vel includat differentias personales; ipsę differentiæ sunt extra lineam, & conceptū naturæ, ac proinde nullā analogiā causare possūt, quia in ratione naturæ nulla est differentia, sed cōuenientia omnimoda; & in ratione personali, aut relatiua nulla est conuenientia pręter eā, quę ad lineā naturę pertinet.

QVAESTIO IIII.

De diuisione entis in decem prædicamenta.

ARTIC. I.

VT autem iam veniamus ad prædicata vniuoca in particulari, ad eorumq; diuisiones, & lineas, ens reale cōmunissimè sumptum diuiditur in decem genera suprema, vel decem prædicamenta, substantiam, s. quantitatem, qualitatem &c. sub quibus omnia prædicabilia vniuoca continentur aliquo modo, siuè directè, siuè indirectè, vt postea dicam. Quę diuisio sufficiens, & adæquata est, vt constabit enumerando illa & declarando in particulari cuiuslibet prædicamenti naturā. Nunc autem sufficiat nobis illam expressè, & clarè tradidisse Arist. & S. Thom. & esse ita vnanimem omnium Scholasticorum sententiam, vt de illa dubitare nefas esse existiment Conimb. & Suarius temerarium in philosophia, & Fonseca de illa inquit non esse controuersiam in præsenti ætate. *Arist. 4. cap. & 5. ante prædicam. Conimb. q. 2. ar. 2. Sua. disp. 39. sect. 2. num. 12.*

Sic autem breuiter declarari potest; nam quodlibet ens reale completum & vniuocū spectat ad vnum ex his membris diuiden- *Fonseca. 5. met. c. 7. q. 2. sect. 3.*

uidentibus, & vnum non continetur sub alio, igitur diuisio adæquatè. Antecedens probatur quo ad primam partem: nã omne ens reale, vel est substantia, vel accidens. Si sit substãtia, pertinet ad primum substantiæ prædicamentum. Si sit accidẽs, nullum assignabitur, quod ad aliquid ex nouem prædicamentis non pertineat, vt constabit infra discurrendo per illa, vbi rationes, quæ contra hanc diuisionem obijci solent, ex peculiaribus cuiusquè generis difficultatibus sigillatim proponemus, & soluemus: & certè quamuis alia ratio non esset, sola authoritas dicta sufficeret, & significatio numeri denarij, qui vniuersitatem designat apud mathematicos, & apud scripturam, quæ propter hoc fortasse Regnum cælorum decem virginibus cõparat.

Dices, quomodo si ens, quod diuiditur, est analogum, diuidi potest in membra diuidentia, seu decem prædicamenta vniuoca? cum membra diuidentia debeant participare rationem diuisi?

Respõdetur, quod sicut æquiuocum diuiditur in plura vniuoca, ita analogum tàm attributionis, quàm proportionalitatis etiam propriæ, in quantùm est plures, vel ratio partim differens, in plura vniuoca distribuitur.

Secundò dico, quod quotiescumquè diuiditur totum vniuersale potentiale in suas partes, vniuersalitas, seu ratio totius non participatur ab inferioribus tam quàm id, quod communicatur, vel diuiditur, sed est ratio sub qua aliqua natura realis diuiditur, & communicatur suis inferioribus, genus v. g. animalis diuiditur in plures species, & non participatur ab ipsis genereitas, sed tantùm ratio animalis est, res, quæ communicatur, & genereitas ratio communicandi; sic etiam ens diuiditur vt quod in decem prædicamenta, & ratio totius analogi est tantùm ratio sub qua diuiditur.

Quid sit prædicamentum?

Ex dictis colligitur, prædicamentum esse quandam coordinationem prædicabilium, quæ sub eodem supremo capite, seu genere continentur, quod materialiter est ens reale, formaliter verò est ens rationis, & vnũ vnitate nõ physica, sed solius ordinis, quàm vnitatẽ optimè declarat Porphirius *c. de specie*, exemplo familiæ, in qua sunt proaui, aui, parentes, filij, nepotes, &c. Ex quibus omnibus vna integratur familia, sic etiã prædicata omnia à supremo genere, vsq; ad indiuiduum vnã prædicamentalẽ familiã, vel rempublicã vnitate ordinis, inferioritatis, & superioritatis constituunt. *Porphir.*

ARTIC. II.

Quomodo prædicamenta inter se distinguantur, an realiter, vel ratione tantùm?

DIcendum primò est, necessariam nō esse distinctionem realem inter prędicamenta; sed sufficere distinctionem solius rationis. Docent ita Aristot. & S Thom. & cum illis omnes expositores, quatenus actionem, & passionem enumerant vt duo prædicamenta ratione diuersa. Idem constat etiam ex illis de relatione, & suo fundamento, & de duratione, & re durante, & de actione & suo termino, quæ ratione tantùm differunt, vt suis locis dicetur, & ad diuersa prædicamenta pertinent.

Aristo. 3. phys. tex. 19. vbi S. Tho. & 1. p. q. 28. ar. 3. ad 1. & in 1. d. 8. q. 4. Soncin. 5. met. q. 13.

Præterea probatur; quia prædicamenta sunt decem genera prædicatorum, vel rerum, quæ prædicari possunt; sed ad pluralitatem prædicatorum sufficit distinctio rationis: ergo alia maior necessaria non est. Minor probatur: quia quælibet perfectio formaliter præcisa ab alia est enuntiabilis sine alia, à qua abstrahitur: humanitas, v.g. sine differentia indiuiduali, & animalitas sine rationalitate, & sicut res aliqua simpliciter potest virtualiter continere perfectiones formaliter diuersas pertinentes ad diuersas species vnius prædicamenti, poterit continere perfectiones, quæ ad diuersa prædicamenta pertineant: nulla enim ex hoc inferri potest repugnantiæ ratio.

Confirmatur: quia prædicata essentialia, & formæ metaphysicæ, in via S. Thomæ, ratione tātùm distinguntur à subiectis, de quibus enuntiantur; sed prædicamenta sunt quædam formæ metaphysicæ, & quædam prædicata essentialia enuntiabilia: optimè ergò poterit vnū ab alio ratione tātū distingui, pręsertim quando de illo prædicatur: de quo latius infra.

Sed vlteriùs dubitari potest, quo gradu distinctionis differāt prædicamenta, quæ solùm ratione distinguntur? ad quod.

Dico secundò: non sufficienter distingui ratione ratiocinante, sed debere ratione ratiocinata differre cum fundamento in re. Probatur: quia prædicamenta differunt penès diuersos modos essendi, quos intellectus in re animaduertit, suntquè coordinationes prædicabilium doctrinalium, quæ maximè ad sciētias necessariæ sunt: ergo non possunt differre per voluntariam intellectus nostri ratiocinationem, quæ absquè vllo fundamento est.

Dico

Dico tertio; hæc distinctio rationis ratiocinatæ est distinctio essentialis inter extrema ita formaliter diuersa, vt vnum non includatur intrinsecè in alio, neque è conuerso. Probatur: nam illa, quæ se mutuò, vel non mutuò includunt, absolutè pertinent ad eandem essentiam, & solùm dicuntur differre, vel secundùm explicitum, & implicitum modum concipiendi eiusdem formæ, vel vt pars, & totum eiusdem essentiæ; sed prædicamenta sunt decem modi diuersi essendi, vel decem genera rerum, quæ essentialiter differunt: ergo non possunt minori, quam essentiali distinctione differre.

Arist. 1. post. tex. 31 Confirmatur ex Aristotel. qui propter hoc prædicamenta impermixta, & primò diuersa dicit, & ex cõmuni sententia, quæ partes, & modos substantiæ reducit ad prædicamentum substantię, eo ipso quod ad ipsam intrinsecè pertinent: ergo quodcumquè prędicatum intrinsecè inclusum in aliquo prædicamento, pertinebit eo ipso ad lineam illius siuè directè, siuè indirectè, & nõ constituet aliud prædicamentũ diuersum.

Soluitur triplex obiectio.

Obijcies autem contra dicta primò: prędicamenta sunt entia realia, & decem modi essendi: ergo sunt entia physicè, & realiter diuersa. Secundò: sunt primò diuersa: ergo non possunt habere entitatem realem communem. Tertiò: res eiusdem prædicamenti ferè semper distinguntur realiter: ergo à fortiori diuersa prædicamenta.

Respondetur ad primum, quod quamuis prædicamenta sint entia realia, & physica, non sunt semper physicè, & realiter plura, sicut animal, & rationale sunt entia realia, sed non realiter distincta, quia vt satis suo loco dixi, potest intellectus ens reale simplex vt plura concipere.

Ad secundum respondetur, quod cũ ratio cõmunis entis sit transcendens differentias prædicamẽtorum, dici possunt primò diuersa, quia habent formalitates se totis differentes, & non conuenientes in aliqua ratione generica, siuè talis diuersitas sit realis, vel rationis.

Ad tertium respondetur, distantiam prędicamentorum semper attendi penès diuersitatem formalem, quidquid sit de diuersitate reali, & primo genere distinctionis semper differunt magis res pertinentes ad diuersa prædicamenta, quàm species vnius prædicamenti; cum quo optimè stare potest, quod ea, quæ nec essentialiter distinguntur, realiter differant, v.g. Petrus, & Paulus.

ARTIC. III.

Quænam conditiones seruare debeant res ponibiles in prędicamentis?

PRima conditio vt res aliqua sit ponibilis in prædicamento est, quod sit ens reale, quia solùm ens reale est, quod diuiditur in decē prædicamenta. Vnde negationes, vel entia rationis nec reductiuè pertinere possunt ad prædicamenta, si sermo sit de rebus, quæ in prędicamentis collocantur; nam si loquamur de modo sub quo constituuntur artificiose in recta linea, id est, de rationibus prędicabilitatis, vniuersalitatis, & subijcibilitatis: sub quibus inter se coordinantur; entia rationis sunt sine dubio, vt ex dictis supra constat.

Omitto nunc lineam prædicamentalem etiam confici posse ex entibus rationis ratiocinatæ, (sicut in ipsis inueniuntur vera prædicabilia, & subijcibilia, quæ inter se coordinari possunt, & lineam efficere) quia hîc est sermo de prædicamentis realibus, de quibus agit Aristot. & principaliter intenduntur à Logico; nam Logica solùm intendit res veras rectè intelligere, & enuntiare, quia sunt primarium intellectus obiectum; entia autem rationis solùm considerat vt modos, & rationes enuntiandi, vel vt instrumenta sciendi, non verò vt res enuntiabiles, aut directè scibiles: infra enim ostendam, nullam scientiam esse entis rationis propriam, & quæ illud primariò respiciat.

Nec inferas inde, saltem ex entibus rationis seorsim consideratis, fieri posse vndecimum prædicamentum, quia cum ens dicatur ferè æquiuocè de reali, & rationis, entia rationis non faciunt numerum cum entibus realibus, & ideò licet proprium prædicamentū constituant, non tamen vndecimum.

Secunda conditio est, quod res sit vniuoca, vt in prædicamento collocetur: propter hanc enim causam Aristotel. & omnes eius discipuli præmittunt in ante prædicamentis diuisionem inter vniuoca, æquiuoca, & analoga; vt s. his reiectis, solùm vniuoca in prædicamentis collocari doceant. Patetquè ex ipsa linea prædicamentali, quæ est series quædam generum, & specierum: hæc autem necessariò debent esse vniuoca, aliàs ens esset genus ad omnia prædicamenta, & vniuersitas rerum sub vna tantùm linea, aut supremo capite concluderetur.

Tertia

Tertia conditio est, vt sit ens per se: res ponibilis in prædicamento, in qua conueniunt ferè omnes Philosophi, præsertim interpretes Aristot. 5. *meth. phys. cap.* 7. in quo loco Aristote. non ens in communi, sed ens per se diuidit in decem prædicamenta. *Et lib.* 6. *tex.* 4. reijcit à consideratione metaphysicæ entia per accidens, non alia ratione, nisi quia hæc non sunt directè in prædicamentis, de quibus per se agit metaphysicus.

Aristotel.

Probatur præterea ex ratione vtriusquè: ens per se est ens vnius essentiæ, vel simplicis, vel compositæ ex partibus essentialiter ordinatis ad constituendum vnum tertium: ens verò per accidens est, quod coalescit ex pluribus entibus completis per accidens vnitis. Vt acervus lapidum, cuius vnitas est tantùm secundùm quid, atquè adeò non sufficiens constituere genus, vel speciem, quæ in prædicamento debent collocari.

Aliqua obijci possunt, quæ in prædicamentis ponuntur, & videntur entia per accidens, quæ suis in locis examinabuntur; pro nunc satis sit supponere, vel esse entia per se, vel non poni directè in linea.

Constituantur ne indiuidua directè in linea.

Quarta conditio asignari solet, quod ea, quæ ponuntur directè in linea, sint vniuersalia, & prædicabilia, ac proinde indiuiduum non nisi reductiuè ad lineam pertineat. Quod ostenditur ex ratione prædicamenti, quod est series quædam prædicatorum, vel prædicabilium coordinatio; indiuiduum autem prædicabile non est.

Rursus differentia constitutiua speciei athomæ dicitur infima in ratione substantiæ: ergo in specie terminatur vltimò linea. Præterea: prædicamenta instituta sunt ad certo numero comprehendenda obiecta scientiarum, & modi sciendi; ideòquè dicuntur obiectum per se Metaphysicè; sed indiuidua nec scientiarum, nec Metaphysicæ obiecta sunt, nec definibilia, aut demonstrabilia; ergo non pertinent per se ad lineam.

Sed nimis scrupulosus videtur hic modus loquendi, qua, propter nisi sit quæstio de vocibus, existimo indiuiduum, poni directè in linea tamquàm subiectum, fundamentú, & basim omnium prædicatorú eius, & tamquàm vltimum, & intrinsecum terminum, ad quem omnia prædicata superiora referantur, & terminentur. Tenuit Arist. quatenùs substantiam prædicamentalé diuisit in primam, id est singularé, & in secúdam, quæ sunt genera, & species, &

pri-

primam dicit maximè substantiam, quia per se primò substat, & secundas substare ratione illius: quia in ea sunt, & de illa dicuntur; vnde infert, quod ablatis primis substantijs, omnes secundas auferri necessum est: & in assignatione proprietatum substantiæ prædicamentalis ponit aliquas, quæ solis primis substantijs cōueniunt, qualis est illa, quam dicit substantiæ maximè propriam; quod s. vna numero manens sit susceptiua contrariorum; & vt significet hoc aliquid. Tenet etiam communis sententia, quæ semper arborem prædicamentalem delineans in indiuiduũ, vltima sede sub specie collocat.

Neque obstat, sed potiùs cōfirmat definitio prædicamenti; nam prædicabilium coordinatio essentialiter includit subijcibilia, sine quibus linea descendere nequit; priùs enim substantia dicitur de corpore, tamquàm de subiecto, & postea mediante illo concatenatur cum viuente; & sic vsquè ad indiuiduũ; de quo omnia prædicata lineæ dicuntur tamquàm de subiecto: ponitur ergò directè vt vltimum subiectum, sicut reliqua subiecta non vltima. Ex quo patet iam ad primum argumentum oppositum.

Ad secundum dico, quod licet differentia constitutiua speciei dicatur vltima in ratione formæ, & prædicabilis; nihilominus cadit eo ipso sub illa indiuiduum sub ratione subiecti, de quo talis differentia, & species per illam constituta prædicantur.

Ad tertium respondetur, indiuiduum vagè, & sub ratione communi considerantũ in quãtùm subijcibile, etiam esse obiectum metaphysicæ; quia cum sit correlatiuum speciei, non potest scientia attingere per se speciem sub ratione prædicabilis, nisi etiam per se indiuidua respiciat, de quibus prædicatur: neque solùm in obliquo, sed etiam in recto illa considerat, quantùm ad attributa necessaria: quia obiecta, quæ per se primò terminant metaphysicam, & alias scientias: non sunt secundę intẽtiones, sed naturę reales, quę in indiuiduis sunt expressiori, & perfectiori modo; ideoque primę substantię maximè, & propriè substantię dicuntur ab Aristotele. Secundę intentiones sunt conditiones, vel rationes sub quibus obiecta realia considerantur, & ideo, licet indiuiduũ secundò intentionaliter sit tantùm correlatuum speciei, tamen primò intentionaliter est fundamentum, & basis illius.

Neque obstat etiam, quod indiuiduum non sit definibile in eo rigore, quo species, etiam genus supremum hoc habet, & non propter hoc desinit directè

collo-

collocari in linea: solùm ergo indiuidua determinata, & in actu exercito quoad prędicata cõtingentia reijciuntur à scientijs, & prædicamentis: quia incerta contingentia, & infinita sunt, vt suo loco dicetur.

ARTIC. IIII.

An prędicata lineę debeant esse complexa?

Aris.c.2. ante prædicament.

ARistotel.subdiuidit prædicatum vniuocum in incomplexum, & complexum: quæ diuisio ex his, quæ supra in principio Logicæ dixi de signo complexo, & incomplexo facilè constabit, nam prædicatum complexum est obiectum vocis, vel signi complexi, quod.s. repræsentatur, & enuntiatur tamquàm compositum ex duplici ratione obiectiua coalescens, quarum quælibet seorsim, & vt distincta ab alia repræsentetur. Vnde homo, licet in re sit compositum ex duplici parte in genere rei diuersa, non est complexum: quia in ratione obiecti repręsentatur vt vnica simplex ratio obiectiua terminans vnicam simplicem repręsentationem: complexum ergo erit homo albus, vel animal rationale, quia licet in re animal rationale incomplexum sit, & simplex, tamen in ratione obiecti repręsentatur duplici conceptu & signo diuerso, quorum vn° exprimit animalitatem & rationalitatem alter. Vnde constat iam quid sit prædicatum incõplexum; illud.s. quod signum incomplexum terminat tamquàm obiectum illius.

Quidam asserunt complexa vniuoca esse prędicata ponibilia in recta linea prædicamentali, habereque omnes conditiones, & proprietates quas exigit Dialectica, Aristolemquè solùm exclusisse in hoc capite à prædicamentis complexa, quæ per affirmationem, vel negationem fiũt dicuntur, & ad secundam intellectus pertinent operationem; non verò illa, quæ ad primam reducuntur; quia sunt verè enuntiabilia, v.g. animal rationale propriè ac perfectè enuntiatur de homine, & de Petro, æquiualetquè in veritate huic prædicato homo ergo sicut homo est ponibilis in prædicamento, ita animal rationale.

Confirmatur, quia mens, & intentum Aristotel. & omnium Dialecticorum in institutione prædicamentorum fuit reducere omnes naturas prædicabiles ad decem lineas, vt in illis præbeatur, & præparetur materia omnibus prædicationibus perfectis, & regulatis; sed definitum, s.homo est ponibile in prędicamento: ergo etiam definitio

illius,

illius, quæ eandem formalitatem dicit, in prædicamento collocabitur. Patet consequentia: nam complexio, & definitio supra definitum incomplexum solùm addit maiorem claritatem eiusdem prædicati, & magis expressam repręsentationem illius, quod potius iuuat, quam impedit prędicationem.

Insuper, illa ponuntur per se in recta linea prędicamentali, quę essentialiter includunt prędicata superiora, & formaliter, & quidditatiuè de inferioribus prędicari possunt; sed definitio, animal rationale, v.g. eodem modo includit prędicata superiora, ac homo; & prędicatur de indiuiduis subse contentis, vt patet: ergo.

Porphir. c. de specie. Deniquè probatur hoc ex Porphirio: qui tradens methodum ordinandi prędicamētum, ponit in eo huiusmodi complexa, quę potius reijcere deberet à recta linea, si inepta essent, vt illam componerent.

In oppositum est communis sententia, s. incomplexa vniuoca solùm in prędicamento collocari: & est sine dubio Aristot. *Aris. c. 4. ante prædicament.* qui priùs ens diuidés in incóplexum, & complexum, postea in complexum solùm subdiuidit in decē prędicamenta, per quod excludit omnia complexa, siuè ad secundam, siuè ad primam operationem intellectus pertineant.

Pręterea declaratur, quia prędicamentum est recta quædam prędicabilium coordinatio, sed ex complexis non potest rectè fieri hęc ordinatio: ergo. Probatur minor: quia complexum hoc, v.g. animal rationale, licet sit prędicabile respectu inferiorum, non est subijcibile respectu prędicati proximi superioris: quia includit explicitè illud, & efficeretur propositio idētica; vt si dicas, animal rationale est animal, quę propositio inutilis est, quia prędicatum idem omnino significat, & eodem modo ac subiectum, saltem quantùm ad vnam partem. Sic similiter ascendendo superius, si loco animalis collocaretur viuens sensibile, nō posset de illo formaliter prędicari genus proximū, quod est viuens, esseṭquè in tota linea prędicamentali molesta quędā, & confusa repetitio generum, quod priùs seorsim collocarentur, & postea simul cum differentia, vt gererent vicem speciei.

Quę sententia sine dubio tenenda est, & incomplexio vt quarta conditio asignanda. Solùm addo, prędicata complexa, si aliàs nullum ex alijs requisitis desit, in ratione prędicabilis, & enuntiabilis esse ita perfecta, imo & perfectiora, ac incomplexa, vt optimè probant rationes primę sententię; excluduntur tamen à recta linea prę-

prædicamentali, de actu subijcibilitatis, & coordinabilitatis, quæ est per se necessaria, vt prędicabilia inter se connectantur, & vt genus immediatum formaliter, & perfectè prædicari posit.

Ex quo facilis est solutio ad argumenta in oppositum. Solùm ad tertium, dico, quod licet complexum à parte rei includat prædicata superiora, includit ea ita explicitè, vt non sit aptum subiectum respectu illorum, vt probatum est.

Ad vltimum de authoritate Porphirij, nullius momenti est; quia ibi non tàm attendit ad modum, construendi prædicamenta, quàm ad explicandas naturas prædicabilium. & quia complexa in ratione prædicabilis sunt perfectè enuntiabilia de pluribus differentibus numero, vel specie, idcirco ponit exemplum in illis.

ARTIC. V.

Vtrum debeat esse res completæ, quæ ponuntur in linea?

QVinta conditio, quæ communiter assignatur est, quod sit ens completum, qua ratione omnes partes, & entia incompleta excluduntur à recta linea. Pro cuius explicatione aduerto, ens dupliciter dici posse cópletum, vel incompletum, physicè, vel metaphysicè. Ens physicè completú est, ꝙ includit in se omnem perfectionem per se, & naturaliter requisitam in suo genere, vel clarius, est illud, quod suapte natura, & ex sua ratione formali non ordinatur ad constituẽdum vnum ens per se, siuè essentiale, siuè substantiale, siuè integrale sit. Vnde ens incompletum erit illud, quod ex natura sua ordinatur ad constituẽdum aliquod ens per se, vel completur per aliud in suo genere; itaquè quęlibet pars essentialis, vt materia, & forma, & quilibet modus substantialis, vt vnio, subsistentia, &c. sunt entia physicè incópleta.

Dices: Verbum Diuinum est ens completum, & tamen constituit cum humanitate Christi vnum ens per se: male ergo dicitur ens completum nó pertinere ad constitutionem entis per se.

Respondetur: quod licet Verbum Diuinum actu constituat vnum per se, non ordinatur ex natura sua ad constitutionem ipsius, vt postulat definitio, quẽadmodum è contra anima rationalis separata, licet actu non constituat vnum per se, quia tamen ex sua natura est ordinata ad constitutionem illius est ens incompletum.

Eædem

Eædem definitiones cum proportione applicari possunt enti metaphysico: videlicet, quod illud sit metaphysicè cõpletum, quod ex sua ratione formali non ordinatur ad componendam vnam essentiam per se metaphysicam, & illud sit incompletum, quod est inadæquatus conceptus essentiæ metaphysicæ, eamquè simul cum alio conceptu componens. Hęc autem est differentia inter partes physicas, & metaphysicas, quod dictinctio, & compositio harum est solius rationis, illarum verò realis, vt dixi.

Sed quæret aliquis, an sit de ratione entis completi, quod sit compositũ ex partibus, vel non? Ad quod breuiter respondeo, quod si de substantia sit sermo, quamuis de facto nulla sit substantia creata, quæ non sit composita, non postulat ratio substantiæ completæ vt sic compositionem aliquam, sed tantùm quod includat integritatem in ratione essendi sibi connaturaliter debitam, quæ integritas abstrahit à simplici, & composita: Deus enim est substantia physicè, & metaphysicè completa, quia per suam simplicem entitatem, & formalitatem includit intrinsecè omnem perfectionẽ sibi connaturaliter debitã; creatura verò propter suam limitationem dicit semper compositionem aliquam ex pluribus realitatibus imperfectis.

De accidenti verò certum est, semper cum substantia aliquod tertium componere, & sine inhęrentia ad illam ens completum simpliciter non esse intra suum genus; quia cum sit essentialiter entis ens, hoc est affectio, vel forma substantiæ, nõ est capax recipiendi complementum simpliciter in ratione entis: quia ratio formę, siuè substantialis, siuè accidentalis dicit essentialiter rationem partis; ac proinde excludit rationem totius completi; potest tamen sicut accidens dicitur ens secundùm quid, vel vt quo, ita suum complementum proportionatum habere in ratione formæ, & sic potest esse forma simplex, imo & ferè semper ita est.

Quodnam complementum habere debeant res possibiles in prædicamento?

Est igitur difficultas, de quo complemento sit sermo, an de physico, vel metaphysico? Nam de vtroquè videtur falsa doctrina posita; de primo enim, quia partes tàm essentiales, quàm integrales sunt entia physicè incompleta, & tamen videntur collocari posse in recta linea prędicamentali: nam anima rationalis quantumuis incompleta sit, intelligitur vt species quædam composita ex genere, & differentia,

rentia, ex anima. s. quæ communis est respectu vegetatiuæ, quæ inest plantis, & respectu sensitiuę bruti, & respectu rationalis: ergo est ponibilis in recta linea, quæ solùm in coordinatione cõsistit generum & specierum.

Præterea partes integrales, præsertim homogeneæ sunt eiusdem rationis cum toto, & omnino independentes in sua essentia ab illo, includuntquè formaliter, & essentialiter omnia prædicata superiora, non minus quàm totum ipsum; possuntquè naturaliter ab ipso separatæ conseruari: ergo & collocari, in recta linea, quamuis sint entia incompleta.

Vlterius substantia hominis sine brachijs, & manibus est physicè incompleta, quia petit ex natura sua compleri per partes integrales, & tamen ponitur in prædicamento, cum de illa in recto prædicari possint omnia prædicata superiora, scilicet quod sit animal rationale, &c. ergo non est necessaria talis conditio.

Deniquè, quod non requiratur vniuersaliter complementum metaphysicum, probatur: quia præter indiuiduum, & primam substantiam omnia genera, & species, quæ continentur in linea prædicamentali sunt entia metaphysicè incompleta: quodlibet enim genus dicit conceptum aptum ex natura sua ad componendam simul cum conceptu differentiæ vnam essentiam specificam, & quælibet species est forma dicens ordinem ad indiuiduum, tanquã ad totum metaphysicum, quod componit simul cum differentia indiuiduali: ergo sunt entia metaphysicè incompleta, sicut omnis substantia, quæ per se ordinatur ad physicum complementum, physicè incompleta dicitur

Statuitur conclusio.

Dicendum tamen est, primò per se, & immediatè, vel per locum intrinsecum solùm requiri, & sufficere complementum aliquod metaphysicum, vt res aliquæ ponantur in serie prædicamentali: quod statuo contra iuniores aliquos, qui propter argumentum factum, etiam hoc necessarium negant. Quod tale complementum sufficiat, probatur: quia prædicamentum quid metaphysicum est, ex entibus metaphysicis coalescens: solùm ergo in genere metaphysico complementum per se requirit. Quod verò hoc ad minus requiratur, probatur etiam: quia prædicamenta ex entibus saltem metaphysicè perfectis confici debent, ad hoc enim instituta sunt, vt omnes rerum essentias certo, & artificioso ordine contineãt, præ-

dicabilitatis. s. & subijcibilitatis; sed essentiæ in quantùm tales debent attingi secundùm se totæ, vel secundum nihil: quia in indiuisibili consistunt, & in quantùm vniuersales, seu prædicabiles sunt tota potentialia confusè, & indeterminatè continentia sua inferiora quoad integram perfectionem suam: ergo ex vtroquè capite entia metaphysicè perfecta esse debent, quæ ponuntur in linea.

Confirmatur totum hoc ex doctrina posita *prima sectione, quæst. secunda artic primo* de ratione totius potentialis, & prædicabilis, quod S. Thom. inquit *opusc. de ente, & essentia, cap.*3. *&* 4. debere esse idem re, & ratione cum subiecto, hoc est continere saltem confusè totum, quod est in subiecto, ac proinde esse completum, sicut illud: quo circa abstracta de abstractis, vel concretis prædicari negat, quia incompleta sunt in genere metaphysico: ergo cum prædicamenta ex prædicabilibus constent, consequenter ex entibus metaphysicè completis, ac perfectis componi debent.

Neque obstat, quod prædicata lineæ sunt partes actuales, nam vt citato loco explicui, optimè compatiuntur simul totum potentiale, & pars actualis; nam si sermo sit de re, quæ subest his conceptibus, eadem omnino est, quæ concipitur vt pars, & vt totum tàm actuale, quàm potentiale; si vero de illa reduplicatiuè vt concepta, potest optimè res, quæ clarè, & determinatè consideratur vt vna pars, confusè, & indeterminatè aliam continere, & consequenter rationem totius in sua ratione obiectiua: quia licet conceptus totum obiectum repræsentet, non totaliter exprimit, sed quantùm ad vnam perfectionem clarè, & quantùm ad alias obscurè.

Ex quo patet iam, compositionem metaphysicam, vel totum actuale ex rationibus obiectiuis explicitis, & determinatis coalescere, non excludere tamen etiam in genere obiecti rationes alias confusè, & indeterminatè, secundùm quas ens metaphysicè completum dici possit: quia talis identitas partis cum ratione totius non est solùm in genere rei, sed etiam in genere obiecti, quæ ad totum metaphysicum requirebatur.

Quem locum differentiæ obtineant in prædicamentis?

Sed contra obijcies: differentiæ sunt tota vniuersalia & potentialia, & tamen excluduntur à recta linea prædicamentali, non alia de causa, nisi quia sunt metaphysicè incompletę: ergo non satis est ad complemen-

mentum metaphysicū ratio totius potentialis.

Multi laborant ad exponendum discrimen inter genus, & differentias, asserentes solum genera completa esse, differentias autem minimè. Sed certè quantùm ad hoc nullum apparens discrimen assignari potest, vt ex dictis facilè constat.

Alij aiunt, differentias directè in linea constitui, quia & constituunt intrinsecè speciem, & prædicantur formaliter de illa, & de suis inferioribus, quod etiam docuit Ammonius. Hæc enim est directa, & formalis prædicatio: homo est rationalis: Petrus est rationalis: & non alterius prædicabilis quàm differentiæ, ac proinde sicut species ponitur directè, ita & differentia, quæ est pars formalis illius.

Sed eodem argumento probari posset, etiam complexa directè poni, nam viuens sensibile prædicatur de animali, & est formalissimè idem, quod animal, & animal rationale dicitur de homine, & indiuiduis eodem modo, & nihilominus animal, homo & Petrus directè sunt in linea, & non complexa, vt explicui. Sic igitur in præsenti respondeo, ideo reijci differentias à recta linea, quia sunt rationes oppositę, sui generis diuisiuæ, & minimè includunt prædicata superiora, nec quidditatiuè subijciuntur illis, vt dixi, tractando de differentia, & ratione huius non possunt lineam constituere, potius diuidere, & ideo licet aliàs cætera habeant requisita, sicut dixi de complexis, lineam coordinare non possunt.

Vnde ad argumenta respondetur, quod differentia prædicatur de specie tamquam æqualis de æquali, non autem tamquam superius, quod requirebatur vt lineam efficeret; & insuper, quod sub genere supremo contineretur tamquàm sub capite prædicamentalis familiæ: ponitur ergo ad latus: quia non potest directè id ad familiam pertinere, quod vel eius dominus non sit, vel domino subditum.

Requiratur ne aliquo modo complementum physicum?

An autem complementum physicum requiratur vt fundamentum ad metaphysicum? videtur maior difficultas. Respondeo tamen, vniuersaliter nō requiri complementum simpliciter in ratione entis, nam de accidentibus articulo sequenti constabit esse physicè incompleta in abstracto sumpta, & nihilominus metaphysicè tota quædam completa, & in prædicamentis ponibilia.

Secundò dico: solùm requiri complementum in ratione essentiæ, vel entis per se: nam prædicaméta sunt epilogus, seu cathalogus omnium essentiarum, complementum autem per se, vel in ratione essentiæ diuerso modo consideratur in substantijs, ac in accidétibus. Substátia enim nõ intelligitur completa in suo esse substantiali, nisi intelligatur principium cõpletum suarum operationum, & subsistens: quia vt suo loco dicam, est ens per se existens, & per se operans, ad quod subsistétia requiritur, quæ est complementum in ratione essendi per se. De accidentibus verò sequenti articulo dicam.

Infero nunc ex dictis, nullam substantiã essentialiter incompletam posse directè, sed reductiuè tantùm in linea collocari. Ita est communis Peripateticorum sententia, quam docent S. Tho. sæpè & alij plures.

S. Thom. 1.p.q.76. ar.32. sẽ. d. 3. q. 1. ar.1.q.27 de ver.ar. 1, ad 8. Caiet. à Sotus c. de subst. Scotus q. 15 prodic. Alber. Mag. Aegidius Soncinas. Toletus. Fonseca.

Ratione probatur: quia substantiæ incompletæ secundùm totum suum esse ordinantur ad constitutionem vnius per se cõpleti: ergo non possunt directè, & per se, sed reductiuè, & ratione totius in prædicamento substantiæ collocari. Probatur consequentia, quia vel constituerentur substátiæ incompletæ in eodẽ prædicamento substantiæ cõpletæ, vel in alio diuerso. Nõ primum, quia substátia completa, & incompleta nõ sunt species diuidentes aliquod genus, neq; vna de altera prædicatur vt superior, aut inferior. Nec secundum: quia omne imperfectum ad perfectum reduci potest, ac proinde supposito prædicamento substãtiæ perfectæ, superfluum omnino est aliud substantię imperfectę. Arist. autem, & communis sententia breui quadá diuisione amplecti volentes omnem latitudinem entis irrationabiliter ex entibus imperfectis, quæ intrinsecè includuntur in perfectis, prædicamenta formarent: solùm igitur naturas perfectas, & completas ad decem lineas reduxere.

Deniquè aduerto, ne in æquiuoco laboremus, quod poni directè, vel in recto in prędicamento potest dici illud, quod intrinsecè includitur in re, quæ directè ponitur: quia est conceptus partialis directus, & distinguitur contra id, quod in obliquo extrinsecè connotatur, & hoc modo non negamus etiã substantias physicè incompletas directè poni in linea prædicamentali: solùm enim eas excludimus accipiendo prædicatum directum, pro eo quod adęquatè per se, & ratione sui in hoc prędicamento ponitur, & in casu recto prędicatur.

Dixi substátiam essentialiter incompletam: nam stare potest, quod aliqua sit essentialiter com-

completa in sua specie, & nihilominus ei deficiat complementum integrale: homo v. g. sine pedibus, aut manibus, qui et si non totaliter perfectus sit, non propter hoc desinet in prædicamento directè collocari: nam talis homo est simpliciter homo, & animal, & consequenter reliqua prædicata superiora vsquè ad substantiam, quod satis est, vt simpliciter in prædicamēto ponatur. Secùs anima rationalis, quæ licet perfectè prædicetur de vegetatiua, & sensitiua, non est essentia completa, sed pars speciei humanæ, ac proinde reducitur ad illam, quia iam dixi, non omne prædicabile in prædicamentis constituitur.

De partibus integralibus tādem dicendum est, quod quatenùs actu sunt partes per vnionem, aut continuationem cum toto, sunt entia incompleta, & reductiuè tantùm in prædicamento; quatenus autem possunt sæparatæ conseruari, sunt tota physicè completa, & directè ponibilea in linea: nam eo ipso quod discontinuentur à toto, amittunt rationem partis, & terminum totius, & acquirunt terminum sibi proprium, à quo entia completa, & vltimo terminata dicuntur. Ex quo patet iam solutio ad omnia fundamenta supra posita.

ARTIC. VI.

Vtrum prædicamenta ex abstractis, vel concretis necessariò formanda sint?

IN hac re quod attinet ad prædicamentum substantiæ, communis omnium sententia est, solùm concreta poni directè in recta linea, abstracta verò minimè, sed reductiuè tātùm, quāuis authores, qui censent abstracta substantialia de abstractis prædicari, consequenter dicere possint, ex ipsis prædicamentum formari posse; quia non est aliud prædicamentum, quàm recta prædicabilium coordinatio: sed quo fundamento illud dixerint, ipsi videant. Vera namquè sententia, quam probaui est, huiusmodi abstracta de abstractis nullatenùs prædicari, quia sunt tàm physicè, quàm metaphysicè incompleta: Ex quo consequens est, quod nequè in prædicamento collocari possint.

Præterea etiam si demus abstracta de abstractis prædicari, excludenda sunt à prædicamētis, quia incompleta, vt dixi præcedenti articulo, reducuntur ad prędicamentum completorum.

Maior autē difficultas est de accidentibus, an in abstracto, vel in concreto sua prædicamenta constituant? Prima enim sententia est, abstracta accidentium ita debere excludi à prædicamētis, sicut abstracta substantiæ: quia tam physicè incompletum est accidens in abstracto, sicut substantia. Quod sic probatur, quia cum accidentis esse, sit in esse alteri, non nisi per inhærentiam completur physicè, sicut substantia non nisi per subsistentiam physicè completur: ergo sicut substantia sine subsistentia in prædicamento minimè collocatur, ita neq; accidens sine actuali inhærentia in subiecto, vnde solùm in concreto, in prędicamento collocari poterit. Ita docent aliqui iuniores. Et confirmatur ex Arist. 7. *metaphys.* dicente, accidentia in cōcreto esse magis entia, quàm in abstracto, & propter hoc constituit prædicamenta accidentium ex concretis.

Secunda sententia asserit solùm abstracta, concreta verò minimè in prædicamentis poni.

Tertia denique affirmat non solùm abstracta, verùm etiam concreta aliquo modo in prædicamentis constitui.

Pro cuius declaratione suppono, quod concretum accidentis dupliciter sumi potest. Vel denominatiuè, vel quidditatiuè. Si denominatiuè accipiatur, vel significat principaliter, & in recto subiectum, & formam accidentalem in obliquo, & de connotato, vt explicui supra tractando de concretis vniuersalium, & prædicabilium: sic igitur album, v.g. significat idē, quod habens albedinem, & eodem modo, s. subiectum in recto, & principaliter, & albedinem in obliquo. Vel significat è conuerso formam accidentalem primariò, & in recto, & subiectum secundariò, & in obliquo, album, v.g. albedinem prout in habente, quo pacto etiam huiusmodi nomina vsurpant Albertus, cum nonnullis alijs. Quidditatiuè autem accipitur concretū accidentis, quando principaliter, & primariò significat vtrumque, scilicet, & ipsam formam accidentalem, & subiectum.

Quo supposito dico primò: concreta accidentiū nec quidditatiuè, nec denominatiuè sumpta primo modo, ponuntur in prędicamento. Patet ex Arist. qui in anteprædicamentis denominatiua, & æquiuoca distinxit ab vniuocis, vt hæc collocaret in prædicamentis, illa verò reijceret. Idem *lib. 3. Topic loco. 3. & 4.* dicit, iustitiam esse in genere, non autem iustum, & *lib. 2. c. 2. loco. 1.* videtur dicere, coloratū non esse genus albi. Docent etiā idem S. Tho. *opusc. 42. c. 19.* & de ente & essentia 17. prope finem.

Albert. 5. metaphy. tract. 1. c. 11. Auer. ibidem. com. 14. Alens. & S. Thom. lect. 9. & 1. p. q. 3. ar. 3. Caiet. ibi & 3. p. q. 16. artic. 5. Gregor. Durand. Capreol. 1. sent. & alij.

nem. Auicena *lib. 3. suæ metaphys. c. 3.* Scot. *q. 5. vniversalium, & q. 12. prædicamẽtorũ.* Iauellus *5. metaphy. q. 16.* & alij.

Præterea ratione probatur, quia huiusmodi concreta principaliter importãt subiectũ, quod est de genere substantiæ, & naturæ extraneæ accidentibus, & sunt entia per accidens, quæ includunt res diuersorum prædicamentorum, vt docet Aristot. *7. metaphy. tex. 27.* ergo non possunt in recta linea collocari.

Dico secundò: concreta denominatiua secundo modo sumpta, prout significant formã accidentalem primariò, & in recto, & subiectum de connotato, optimè in prædicamento collocari possunt. Probatur, quia huiusmodi concreta in recto solùm important formam accidentalem completam, non solùm metaphysicè, sed etiã physicè per actualẽ inhærentiã, nec dicunt subiectũ primariò, sed extrinsecè, & de connotato: ergo optimè collocari possunt in prædicamento. Probatur consequentia, quia ad hoc quod aliquid directè in recta linea ponatur, satis est, ꝙ illud quod primariò, & directè in eo collocatur, sit ens per se, & habẽs cętera requisita, quidquid sit de eo, ꝙ reductiuè, & de connotato pertinet: hac enim de causa actus tàm immanẽtes, quàm transeuntes, relationes, &c. quamuis essentialiter connotent obiecta, & terminos extrinsecos, sunt entia per se, & directè posita in recta linea: ergo eàdem ratione huiusmodi concreta. Hac assertione soluuntur facilè argumẽta primæ sententiæ, sed nihilo minus.

Dico tertio: non solùm huiusmodi concreta, verum etiã abstracta physica accidentium intellecta sine subiecto, & actuali inhærentia, in prædicamentis di rectè collocari. Sine subiecto inquam, cui actu inhærent: quia sine subiecto, quod saltem aptitudine respiciant, intelligi non possunt accidentia; relatio enim duratio, potentia, actio, &c. necessariò subiectũ connotant, cuius sunt affectiones essentialiter. Probatur ex communi sententia, quæ semper prædicamenta accidentium ex abstractis format, & ex Aristot. citato, qui etiam ex abstractis prædicamenta composuit. Item ex S. Tho. opusc. de ente & essentia. c. 7.

Præterea ratione: quia huiusmodi abstracta sunt perfecta genera & species, suntquè tota potentialia perfectè definibilia, & prædicabilia & intra proprium genus non ordinantur ad componendam aliquam essentiam perfectam: ergo ex illis potest confici prædicamentum. Patet consequentia: nam prædicamentum nihil aliud est, quàm recta quædam prædicabilium coordinatio: ergo similis abs-

abstractis dantur perfecta prædicabilia, & subiicibilia superiora, & inferiora: non est vnde repugnet hæc prædicamentalis coordinatio.

Confirmatur, ex differentia quam assignaui inter abstracta accidentium, & substantiarum *sect.1. huius disp.q.* dixi enim ibi, abstracta accidentium quantùm ad considerationem metaphysicam æquiualere concretis substantiæ: ergo eâdem proprietate collocantur huiusmodi abstracta in recta linea, ac concreta substantiæ.

Dices: substãtię, eo ipso quod sunt physicè incompletæ, reductiuè pertinent ad prædicamentum completorum, etsi aliàs sint prædicabiles, vt dixi de anima rationali: ergo etiam accidentia in abstracto, quæ similiter incompleta sunt.

Respondetur, esse discrimen, quod substantię incõpletæ cõstituunt vnum per se intra genus substantiæ, & ideò reduci possunt ad genus substantiæ tamquam partes illius, accidentia verò non costituunt cum subiecto vnum per se intra proprium genus, sed intra illud habent totam perfectionem possibilem, secundùm quam in prædicamentis, sine substantia, quę extraneã est, collocari possunt. Vt docet S. Thomas *capite illo 70. de ente & essentia*, & inde infert accidentia in abstracto poni, quia in abstracto sunt entia per se.

Quod amplius sit declaro: nam prædicamenta ad hoc ordinata sunt; vt essentias vel entia per se ad certum numerum redigant, vt dixi articulo præcedenti; vnde entia per accidens meritò reijciuntur ab eis: quia non per intrinsecum, & proprium conceptum, sed per extraneum, & accidentarium talia dicuntur; & quia accidens respectu subiecti est forma extranea, vtpotè extra genus illius, & respectu sui est intrinsecus quidam, & quidditatiuus conceptus, hinc est, quod in se consideratus sit ens per se genericum, vel specificum, & respectu subiecti, constituat illud ens per accidens, & vt sic pertineat ad *4. vel 5. prædicabile.* Item cum sit extraneum subiecto, non potest nec reductiuè pertinere ad genus illius, quia non est eius pars, sed potius illud completũ supponit, neque è cõtra subiectum reducatur ad genus accidentis propter eandem rationem.

Præterea, accidens eo modo, quo est ens per se habet cõplementum sibi proprium, cum enim sit ens in alio, tantùm postulat complementum in ratione formæ adiacentis, vel accidẽtis: quia sicut non est ens simpliciter vt quod, per modum habentis esse (vt est substantia) sed vt quo, per modum formæ habitæ

ita

ita non habet complementum simpliciter in ratione entis, sed tantùm in ratione formæ, & sic est ens per se completum in suo genere, accidentis s. ac proinde per se ponibile in prædicamentis.

Ex quo patet iam ad fundamentũ pro opposita sententia. Ad confirmationem tamen respondetur, Aristotelem aliquando ex concretis formasse prædicamenta accidentium, sumendo illa denominatiuè, secundo modo, prout s. dicunt formam accidentalem principaliter, & in recto, & subiectum de connotato, & in obliquo.

Soluitur triplex obiectio contra dicta.

Sed adhuc obicies primò contra dicta: concreta accidentium, quomodocumquè sumantur, sunt perfectè definibilia, & prædicabilia: ergo ex illis prædicamentũ formari potest. Minor probatur ex S. Thom. afferente, accidens in concreto definiri, & in eius definitione subiectum poni debere loco generis, & formam loco differentiæ. Rursus secundò: hæ prædicationes sunt veræ; album est coloratum: est quale: &c. ergo habent quidquid requiritur ad rectam lineam.

Tertiò: concreta accidentiũ sunt entia per se: malè ergo excluduntur à prędicamento, quia sunt entia per accidens. Probatur antecedens: quia ens per se est illud, quod coalescit ex partibus per se vnitis; sed omne accidens vnitur per se subiecto, ad quod essentialem dicit inclinationem, & è contra omnis substantia naturaliter postulat suas proprietates accidentales, & sine illis esset maximè imperfecta in sua natura. v.g. anima rationalis maiori perfectate postulat intellectum, & voluntatem, quàm suum corpus: quia sine corpore potest separata exercere suas primarias, & principales operationes, quas essentialiter, vt proprium finem respicit, non tamen sine intellectu; per quem completur in ratione principij intelligendi, & ratiocinandi: ergo sicut efficit vnum per se cum corpore, ita & cum intellectu, & voluntate.

Nihilominus cum cõmuni, & probabiliori sententia respondeo ad primum, concretum accidentis esse deffinibile, sed non vnica simplici definitione, sed pluribus: quando enim album definitur, quod sit corpus disgregatiuum visus, solùm declaratur albedinis natura, non autem corporis, quod alia definitione indiget. Quando autem definitur album, est corpus habens albedinem, talis definitio potius est quid nominis, quã quid rei, & definitione tàm imperfecta nihil

nihil est, quod non possit definiri; aceruus enim definitur: quod sit plura entia cõpleta in vnum collecta, &c.

Ad secundum de prædicabilitate respondetur, non quodcũquè prædicabile poni in recta linea; analoga enim sunt prædicabilia, & complexa, & incompleta, & non ponuntur: & sic nilmirum, quod idem contingat in ente per accidens. Præterea secundò dico; illas prædicationes esse veras ratione formarum accidentalium, vt docet S. Tho. citatus, nõ verò ratione subiectorum, ideo namquè album est coloratum: quia albedo est color; subiectum enim in illis concomitanter, & omnino extrinsecè se habet, ex quo potius infertur conclusio nostra; quod si ponantur huiusmodi concreta in recto, quantùm ad formas, & in obliquo quantùm ad subiecta.

Ad tertium respondetur negando antecedens, & ad illius probationem dico, non satis esse ad ens per se, quod constet ex partibus per se, hoc est, naturaliter vnitis, vel connexis, sed requiritur, quod vniantur ad constituendum vnum in aliquo genere, hoc est, vnam essentiam, nam ens per se, vt dixi, est, quod per suam essentiam, & primariũ conceptum tale dicitur; & ens per accidens (vt nomen ipsum indicat) quod per aliquod accidens illud extrahens ad aliud genus, constituitur. Vnde in casu posito, proprietas cuiuslibet substantiæ, licet sit per se, & naturaliter debita substantiæ, non est tamen intra genus substantiæ, sed extra illud, & intrinsecè in genere qualitatis, vel alterius prædicamenti; nam duo prædicamenta possunt per se connecti inter se: ex quo patet iam discrimẽ inter intellectum, & corpus respectu animæ, quod corpus per se illi vnitur intra genus substantiæ, intellectus verò extra illud, extrahendo substantiam ad aliud genus.

Aiũt Gregor. in 1. d. 8. q. 3. ar. 2. Grabie. OKã. Pet. Hur. disput. 9. met sec. 2 & 4.

ARTIC. VLT.

Vtrum Deus ponatur in prædicamento.

Negãt D. Aug. de cognitio. vera. vit. c. 2. S Th. 1. p. q. 3. art. 5. S. Anselm. in mon. c. 26. Boet. 1. de Tri. c. 5. & 6. Sonci. & Fõs. 5. me. Vazq. 1 p. dis 22. c. 6 Epis. Algariẽ. M. Aquena, 1. to. in 1. p. q 3. art. 8 disp. 10. sect. 3. & Gae. Epis. Oña hic q. 3. art. 3.

Vltima cõclusio est, quod res possibilis in linea sit ens simpliciter finitum secundùm essentiam: quamuis eam Theologi nonnulli negent, asserentes Deum in prędicamẽto substantiæ collocari posse: opponuntur tamen communi Sãctorum Patrum, & Scholasticorum sententiæ, & etiam rationi. Primò enim D. Augustin. D. Thom. & D. Anselm. cum Boetio, & alijs Patribus expressè Deum à prædicamentis excludunt. Ratio Sancti Thomę, est, quia infinitum simpliciter, nequè

nequè vt genus, nequè vt species, vel indiuiduum constitui potest: nam genus, & species dicũt perfectionẽ determinatam, vlterius perfectibilem. Genus, s. per differentias specificas, & species per indiuiduales, Deus autem infinitus simpliciter est in omni genere, & nullatenus communicabilis inferioribus creatis, vel increatis specie, vel numero diuersis: ergo nõ potest collocari vt ratio communis generica, aut specifica.

Quod verò nequè vt indiuiduum, vel vt species subijcibilis incõmunicabilis, probatur: quia tale indiuiduum, aut species esset subijcibilis prædicatis superioribus substantiæ, ac per consequens vniuocè conueniret in illis cum cęteris entibus creatis; at Deus talem conuenientiã vniuocã cum creaturis non habet, imò maiorem distantiam; ab illis, quam substãtia ab accidente, propter quod compositio ex genere, & differentia communiter in Deo negatur: ergo, &c.

Deniquè argumentatur optimè S. Th. quia in Deo nulla est compositio superiorum, & inferiorum prædicatorum: nam omnia prædicata Diuina inuicem, & mutuò essentialiter se includunt: vt latius 1. p. demonstro, eo quod ens simpliciter infinitum, quale est Deus, omnem perfectionem possibilem in omni genere entis formaliter includit: ergo non potest ex genere, & differentia componi, neq; rebus prædicamentalibus subijci.

His quidam respondet, quod licet Deus in eodem prædicamento cum creaturis non constituatur, nõ est quarè in alio vndecimo prædicamento collocari non possit. Sed cõtra est, quod in substãtia increata non dantur genera, species, & indiuidua, quę possint vt superiora, & inferiora mutuò se respicere, ac proinde nec prędicamẽtum, quod ex illa possit constitui: quia substantia increata tantùm potest diuidi in varia attributa, vel conceptus inadęquatos eiusdẽ simplicissimæ, ac singularissimæ formalitatis.

Rogabis tandè, quid de Christo Domino? Respondeo absolutè poni in prædicamento, sicut alia naturæ humanæ indiuidua, quoniam vt communiter omnes docent cum D. Thoma, est eiusdem speciei cum reliquis hominibus, ab eisquè solo numero differt; & ratio est; quia licet suppositum sit infinitum, natura humana, ratione cuius ponitur, finita est, & vniuocè conueniens cum alijs hominibus: suppositũ autem se habet solùm vt materiale, vel vt conditio complens humanitatem, vel supplens defectum subsistentiæ creatæ,

& hæc satis sint de ante prædicamentis.

SECTIO IIII.

De prædicamento substantiæ.

QVAMVIS Prædicamentorum tractatus solùm prout est modus sciendi obiectibus, & secundis intentionibus substans, directè ad Logicum pertineat, nihilominùs etiam eorum essentias, & proprietates reales solet [illegible] Logicus ex Metaphysica mendicare: tùm vt possit facilè rerum definitiones, & quidditates inuestigare, nam reductis omnium rerum essentijs ad decem lineas, earumquè proprietatibus consideratis, facillimo negotio cuiuslibet rei genus proprium, & differentia inuenietur. Tùm etiam vt varia prædicatorum, & propositionum genera in promptu habeat, possitquè in qualibet materia proprietates ex subiecti definitionibus per demonstrationem colligere. Tùm deniquè, quia sine illis ita primò intētionaliter consideratis, nō possunt secundæ intentiones Logicæ omninò perfectè comprehendi, eo quod habent fundamentum in ipsa rei veritate, in quo ab entibus rationis ratiocinantis discerni, animaduerti suo loco: ideoquè ex ipsa rei veritate priùs inspecta maximè pendent, cum ex earum cognitione scientifica resultent; & hæc est potissima ratio propter quam ferè omnia, quæ de prædicamentis in Metaphysica tractantur, traduntur in Logica: quia experientia constat, tantò magis perfici scientiam modi sciendi, & secūdarum intentionum, quantò magis reales naturæ omnium generum percipiuntur.

QVÆSTIO I.

De substantia.

Aristote. PRiùs cum Aristotele, & omnibus Philosophis, est sermo de substantia: tùm quia est fundamentum accidentium (ipsi enim tāquàm subiecto accidentia inhærent) tùm quia substantia est perfectior illis: & rursus (vt docent Aristoteles, & D. Thomas) est prior natura, tempore, definitione, & cognitione accidentibus. Prior inquam natura: quia est causa

causa accidentium, quæ sunt in illa: causa enim prior est suo effectu. Est etiam prior tempore: quia quamuis aliqua accidẽtia sint ipsi congenita, innumera tamen accidentia illi adueniunt, postquam iam est producta, & licet possit dari substantia sine his, vel illis accidentibus, non tamen aliquod accidens sine substãtia. Est etiam prior definitione, & cognitione, quia accidentia definiuntur per ordinem ad subiectum, quod est substantia, & licet cognitione confusa, & à posteriori ex accidentibus veniamus in cognitionem substantiæ, teste Aristotele, tamen cognitione distincta, & à priori, substantia est ratio cognoscendi accidentia.

Aristote.

ARTIC. I.

Quænam sit ratio substantiæ prędicamẽtalis, & quomodo ab accidente differat?

SVbstantiæ nomen interdum latissimè vsurpari solet pro essentia, & quidditate cuiuslibet rei siuè substantialis, siuè accidentariæ, & sic eam sumpsit Aristo. in anteprędicamentis, dicens: *Vniuoca sunt quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ (id est, ratio essentialis) est eadem.* Secundò accipitur strictè pro illo ente, quod habet esse per se, & est fundamẽtum, & basis omnium accidentium: in qua significatione substantia est illa, quæ per se, & in se stat, alijsquè accidentibus substat.

Est tamen explicatu difficile, in quo consistat hæc res per se stans: nam videtur solùm cõpetere ratio substantiæ materiæ primę: forma enim substantialis est in materia vt subiecto, à quo substẽtatur; ergo non per se stat. Natura item substantialis est in supposito, & non in se, humanitas Christi. v.g. à Verbo Diuino fuit à sumpta, in eoquè nititur. Modi etiam substantiales, vnio v.g. existentia, subsistentia esse per se nequeunt etiam de potentia absoluta, sed petũt essentialiter inesse rei modificatæ: diminutè ergo explicatur ratio substantiæ, per hoc, quod sit ens per se existens, vel stans, alioquin sola materia substantia esset.

Responderi solet, non esse contra rationẽ substantiæ, quod sit in alio tamquàm in subiecto informationis, vel tamquàm in supposito, sed solùm, quod sit in alio per inhesionem. Sed contra est primò: quia negari non potest, omne accidens esse veram formam accidentalem, ac proinde esse in suo fundamento sicut

sicut in subiecto informationis; supposito ergo quod in hoc conueniat cum forma substantiali, restat explicare, quare forma substantialis non inhæreat subiecto, in quo est sicut accidens, vel in quo, ab eo differat.

Secundò, quia si sit sermo de vera inhærentia reali, non conuenit omni accidenti metaphysico, vt dicemus discurrendo per accidentium genera. Quædam enim sunt, quæ sola ratione à subiecto discernũtur, quędam verò quæ tantùm modaliter, ac proinde in modo essendi in alio non differunt à modis substantialibus; quinimò ratio accidentis prædicamentalis abstrahit à pluribus modis afficiendi subiectum, cui inest, insufficienter ergo discernitur à substantia per modum illum inhæsionis.

Tertiò, quamuis explicetur modus, quo forma substantialis est in subiecto non esse inhærentiam sicut accidentis, non potest saluari, quo pacto sit ens per se stans, nam per se excludit omnem modum essendi in alio; & dicit essentialiter in se anniti, & quasi proprijs pedibus sistere.

Exponitur iam quid sit ratio substantiæ.

S. Thm. opusc. de ente, & essentia, c. 1 & seq.

Pro explicatione animaduerto, ex S. Thoma substantiam semper significare essentiam rei, essentiam verò accipi posse, vel simpliciter, vel secundùm quid essentia namque cuiuslibet accidentis sicut non dat esse simpliciter, sed potiùs supponit rem essentialiter constitutam, ita nec est essentia simpliciter, & ideò nec substantia propriè dicitur, sed tantùm analogicè, quia licèt essentia accidentis alijs accidentibus, aut proprietatibus substare dicatur, simpliciter tamen non substat, quod enim nõ stat, non potest substare, vel quod idem est, sub alijs stare.

Ergo substantia simpliciter, & rigorose loquendo, est primus conceptus quidditatiuus alicuius rei, vel id, quod constituitur per primam essentiam, vel per primum esse, quod simpliciter tale dicitur. Quod sic declaro: nam ens formaliter dicitur ab esse, vt sepè repetit S. Thomas, quod esse est essentia rei, siuè consideretur, vt possibilis, siuè, vt existens: ergo quod est ens simpliciter, vel primum ens, quale est substantia respectu suorũ accidentium, constituetur formaliter per primam essentiam, seu per primum esse.

Quod autem substantia sit primum ens, constat ex eius diffinitionibus: diffinitur enim, vt constat ex D. Thoma, quod sit ens per se, vel in se innitens aut subsistens, & alijs substans. Quod autem in se, & non in alio innititur, & substat alijs tanquàm fundamentum, & basis cæterorum,

S. Tho. opusc. 48. tract. 2. de prædica. c. 1.

rum, eo ipso primum est, vt ex ipsis terminis constat: constituitur ergo substantia per primam esse, quod est essentia simpliciter.

Rursus: quod primum esse sit essentia simpliciter (vt nihil sine probatione maneat,) probatur: nam absolutè essentia est, quæ primò constituit, & distinguit, & est fundamentum, & radix omniū cæterorum, ideoquè quotiescumquè essentiam alicuius rei inuestigamus, primum conceptum quidditatiuū talis rei essentiā primò cōstitutiuā illius dicimus, cętera verò secundariò, & ex accidenti illi cōuenire: ergo primum esse, quod in rerum natura conuenit simpliciter alicui rei, erit essentia simpliciter, sicut est simpliciter primò constituens. Vnde quãuis respectu relationis, v.g. dicatur essentia ordo ad aliud, quia tamen relatio non est primum ens, sed entis ens supponens aliud, cuius est affectio, ideò essentia illius non est simpliciter essentia, sicut nec simpliciter primò constituens, sed tantùm secundùm quid.

Hinc infero primò, quod essentia, & substãtia in abstracto, nullatenus differunt etiam ratione, nisi tamquàm duo sinonoma. Patet: nam abstractum substantiæ est forma constituēs illā, vt abstracta ab habēte talē formam, sed hæc est essentia, vt dixi: ergo.

Ex quo rursus constat, quod substantia solùm in concretò potest differre ab essētia, in hoc, s. quod addit supra illam rationē habentis, quod non est aliud, quàm subsistentia, vt omnes docent, ac proinde omne illud, quod non includitur in essentia, nec in ratione subsistētiæ, aduenit illi simpliciter accidētaliter. Probatur hæc vltima consequētia: nam accidens simpliciter est illud, quod non solùm essentiā, sed subsistentiam simpliciter in actu completo supponit, vt omnes philosophi communiter admittunt, & constat ex dictis: ergo quidquid non pertinet intrinsecè ad essentiam simpliciter; neque ad subsistentiam illius, quæ est vltimus terminus, & complementum talis essentiæ, supponit conceptum adæquatum, & complementum rei, ac proinde tale esse illi aduenit per accidens.

Declaratur item accidentis natura.

Tota hæc doctrina maximè ellucidabitur, si declaremus, quid sit accidēs. Hoc enim duplex est. Aliud est simpliciter accidens, quod etiam prædicamentale, seu metaphysicum appellatur, & aliud secundùm quid, quod dicitur accidens tantùm prædicabile, seu Logicum. Sed quia accidens Logicum se exten-

extendit ad accidentia non solū simpliciter, sed etiam secūdùm quid, nam habent se accidēs prędicamentale, & prædicabile, vel metaphysicum, & logicum sicut inferius, & superius. Accidens tantùm secundùm quid est, quod in se quid substantiale, vel essentiale est, dicitur tamen accidens comparatione ad aliam substantiam, cui extrinsecè, & secundariò aduenit: corona v.g. denominat caput accidentaliter coronatum: & rationale accidētaliter dicitur de animali, licet in se substantia propriè sit.

Accidens verò simpliciter est illud, quod petit ex intrinseca natura sua in esse rei iam essentialiter constitutæ. Hinc enim commune illud exijt assertum: *Quidquid, aduenit enti completo, vel constituto in actu, aduenit per accidens*. Patetquè ex definitionibus, quas tribuunt illi Aristotelis, & cæteri Philosophi, s. *Est illud, quod cum in aliquo sit, & non sicut pars eius impossibile est esse sine eo in quo est. Id est*, quod aduenit subiecto, non vt constituens, sed vt constitutum supponens. Vel accidens est *quod potest adesse, & abesse sine illius corruptione*: id est, quod siuè adsit, siuè absit, subiectum inuariatum manet quantùm ad suam essentiam; quia præintelligitur independens ab illo.

Constat deniquè ex ethimologia vocis: accidens enim dicitur *ab accido*, vel *accedo*, vel *adiaceo*: quoniam rei iam constitutæ accedit, nihil enim adiacet, vel accedit Petro priùsquam sit, sed postquam iam est. Similiter vox *inhærere*, vel *adhærere* ex vi suæ rigorosæ significationis, rem cui aduenit, iam existētem, & constitutam supponit, ideoquè vnio accidentis inhærentia dicitur.

Soluitur iam ratio dubitandi.

Ex quo patet iam solutio ad difficultates propositas: forma enim substantialis non supponit essentiam simpliciter, sed constituit vt pars, quod de accidente verificari nequit. Rursus vnio accidentis dicitur inhærentia, vel adhærentia, quia est ad aliud ens completum, ideoquè dicitur esse in alio absolutè, forma verò substantialis non est in materia tamquàm in alio sed tamquàm incomparte, cum qua vnum, & idem absolutè constituit.

Præterea; non est necessariū, quod quælibet pars, aut modus substantiæ sit ens per se stans, sicut nec quælibet pars est essentia substantiæ simpliciter, sed pars illius: satis enim est quod forma substantialis sit forma entis per se, & quod modus sit essentialiter modus entis per se, alioquin si sola forma, vel modus per se existerent, essent subs-

substantiæ completæ. Quinimò hac de causa Sanctus Thomas, ait: nec materiã, nec formam contineri in genere substantiæ tamquam species, sed tamquam partes illius, quia non habent esse absolutum, vt ens per se dici possint.

S. Thom. in 2. dist. 3. q. 1. art. 6.

ARTIC. II.

Corolaria ex præcedenti doctrina, quibus magis declaratur.

EX dictis colligitur primò, quod licet accidẽtibus, existentibus miraculosè in Sacramento Eucharistiæ conueniret actualis, & positiuus modus existendi per se, nõ competeret illis essentia substantiæ, quæ consistit in radice, cui talis modus connaturaliter debetur: nam illa accidentia afficerentur illo modo tamquam supernaturali, & non debito, nec manante aliquo modo ex illis vt radice. Præterquam quod negandũ est, huiusmodi accidentia existere per se positiuè, idest, habere modũ positiuum existendi per se, qui modus soli substantiæ proprius est, sed existunt per se negatiuè, idest, mirabiliter sine inhærentia in aliquo subiecto conseruantur.

Colligitur secundò, quod sicut quælibet essentia simpliciter est radix proprietatũ, & operationũ rei, rationalitas, v.g. est radix ratiocinandi, ita substantia, quæ est generalissimũ huius prędicamẽti, cum sit ipsimet essentia in cõmuni, suã habeat quasi proprietatẽ, respectu cuius est radix, modũ, s. subsistẽdi, vel substandi, quo cõpletur in ratione essendi substãtialiter, & sic est integrũ subiectum, vel suppositum, cui cætera tribuũtur. Docet expressè Sanctus Thomas sæpè substantiam definiẽs, esse naturam, cui debetur modus per se existendi, vel subsistendi: & accidentis naturam, cui debetur esse in alio.

S. Thom. 1. p. q. 3. ar. 5. ad 2. & 3. p. q. 77. ar. 1. ad. 2.

Ex quo secundò infero, quod substãtia, vel potest sumi in abstracto, & sic significat naturam substantiæ, vt est radix modi integrè subsistendi (omitto nunc an subsistẽtia hęc sit composita ex duplici partiali, vel an sit simplex indiuisibiliter ex tota essentia resultans.) Vel secundò potest accipi in concreto: & sic significat cõcretũ ex natura, & modo subsistendi cõpositũ, quod & suppositũ, & subsistẽs, vel per se existens appellatur.

Sed cõtra obijcies: omnis proprietas comparatur vt accidens ad essentiam, & radicem cuius est, & consequenter supponit essentiam completam in ratione entis per se stantis & substantis illi: ergo subsistentia non potest esse proprietas substantiæ, & cõ-

plementum illius in ratione subs tantiæ. Consequentia patet: & antecedens facilè probatur: ex ratione proprij, quod est accidens quartum prædicabile, & ex ratione substantiæ, quæ non potest aliquo accidenti compleri: patetquè generali inductione, intellectus, & voluntas, v.g. quæ sunt proprietates naturæ rationalis, accidentia quædam sunt eam supponentes completam in ratione substantiæ.

Respondeo, propter hoc me dixisse, esse quasi proprietatem substantiæ, vt significarem aliquid habere proprietatis, nimirum, quod emanet à substantia tamquam à radice, & illi conueniat omni soli, & semper: & aliquid deficere illi s. rationem accidentis: nam hic modus, & substantialis est, & substantiæ complementum. Non est autem necessarium, quod substantia in communi, quæ est generalissimum huius prædicamenti habeat proprietates aliquas accidentales determinatas, sicut habent inferiora illius, quia cum sit ipsamet essentia in communi, tantùm est radix proprietatum in communi, & in confuso, solùmquè dicit determinatè, & explicitè esse radicem subsistentiæ, per quam complectur, vt dixi, in ratione subiecti, & suppositi, & per hanc rationem explicitam distinguitur formaliter à differẽtijs suorum inferiorum, per quas contrahitur metaphysicè, & in quibus non imbibitur vt transcendens.

Quod amplius declaro; aduertendo hoc esse discrimen inter genus supremum substantiæ, & cætera inferiora illius, quod substantia suprema est purum genus, & pura potentia in genere metaphysico, cætera verò sunt species subalternæ compositæ ex genere, & differentia, ac proinde constitutæ formaliter per differentias, tanquàm per actus informantes: vnde fit, quod generi supremo nulla debeatur operatio, & consequenter, nec proprietas accidentalis, qua mediante operetur, cæteris verò substantijs inferioribus debetur: quia forma est ratio agendi, & vnumquodquè agit, in quantùm est in actu per suam formam, vt sępè repetũt Aristoteles, & D. Thomas. Idcirco species immediatæ substantiæ, quæ sunt spiritus, & corpus, sunt radices suarum proprietatum. Corpus est radix corporeitatis quãtitatis, & Spiritus radix intellectualitatis, & sic patebit descendendo per cęteras species vsq; ad infimã. Dixi quod forma est ratio agendi, intellige hoc modo: quod forma substantialis est ratio agẽdi radicalis, & forma accidentalis ratio agendi proxima, & ideo ad hoc, vt proprietas substantiæ tribuitur.

Ex-

Exponitur an subsistentia ad essentiam pertineat?

Obijcies: subsistentia non est de essentia substantiæ : ergo nec est complementum illius intra rationem substantiæ : erit ergo proprietas accidẽtalis illius. Antecedens probatur : quia supponit naturam substantiæ, & ab ea tamquam à radice emanat.

Item: omnes vnanimes distingunt ex natura rei modum subsistendi à natura, vel essentia substantiæ: & Theologi discernunt essentiam Dei, & suppositi Diuini, solamquè essentiam aiunt absolutam, & toti Trinitati communẽ. Asserũt etiã verbum Diuinum assumpsisse totã essentiam hominis, quia fuit verus, & integer homo, & tamen non assumpsit subsistentiã, vel personalitatem (quæ in natura rationali idem sunt:) ergo non est de essentia substantiæ. Consequentia verò, quod nec pertineat ad complementũ substantiæ, videtur certa: quia ratio substantiæ est conceptus essentialis absolutus, & adęquatus rei, vt probaui, accidens vero id quod talem essentiam completam supponit, ergo eo ipso quod subsistentia non adueniat vt intrinsecum complementum essentiæ, non poterit nec complementum intrinsecum esse substantiæ, sed potius accidens illius esse manifestè comprobatur.

Multi asserunt, quædam esse de substantia alicuius rei, & non de essentia, & huiusmodi esse subsistentiam, existentiam, & differentiam indiuidualem; quia dici non potest existentia, siuè perseitas illius, vel singularitas esse de essentia creatæ substantię, cum soli Diuinę competat essentialiter existere; & extra essentiam speciei sit, quod sit Petrus vel Paulus, vt latè supra dixi : nec possunt huius modi vt accidentia intelligi: datur ergo aliud tertium, quod nec sit essentiale, nec accidentale, sed substantiale.

Sed doctrina supra adducta conuincit satis substantiam & essentiam idem esse, ac proinde quidquid non spectat ad essentiam, nec ad substantiam.

Quapropter aliter respondeo primò, essentiam rigorosè, & strictè significare abstractum, vel naturam, vel formam constitutiuam, & sic distinguitur à re, quæ per illam constituitur; & de illa in hac consideratiòne fertur illud promuntiatum commune: *Quod est constitutiuum est distinctiuum.* Sumitur item latè pro modo essentiæ, vel essentiali : pro materia etiam cum qua vnum per se constituit, & similiter pro eo, quod veluti materia essentialiter concurrit ad aliquod per se

 vnum,

vnum. Dicere enim solemus, animam rationalem absolutè esse formam, & essentiam hominis: & etiam humanitatem: & etiam animal rationale, vel compositum ex anima & corpore. Et reuera negari non potest, essentiam substantiæ sine subsistentia incompletam esse, quia sine illa non est absolutè ens per se, similiter constat, solam humanitatem non facere hominem, sed vlterius requiri personalitatem, vt sit essentialiter homo. Patetquè ex definitionibus essentialibus, quæ non solùm exprimunt naturas, sed etiam subsistentias, vel supposita, quod non fieret, si non pertinerent ad essentiam.

Quapropter ad argumentum factum distinguo antecedens de essentia illa pro forma seu natura, vel radice; quæ dicitur essentia vt *quo*, & sic subsistentia non est de essentia substantiæ. Vel de essentia vt *quod* prout extenditur ad id, quod concurrit vt materiale, vel vt complementum, aut suppositum, vel vt modus: & sic subsistentia est de essentia substantiæ completæ. Et ad probationem dico, tantùm conuincere primum membrum distinctionis, non secundum; contingit autem sæpè æquiuocatio in nomine substantiæ, quæ interdum sumitur in vi abstracti interdum autem in vi cõcreti.

Theologi etiam quando asserunt essentiam Dei communem toti Trinitati, vel intelligunt per essentiam solam naturam, vel Deitatem in abstracto: vel attendunt ad hoc quod Deus ipse etiam in concreto, idem est in tribus personis ratione subsistẽtiæ absolutæ communis, de quo latè in materia de Trinitate. Vel etiam quia personalitates relatiuæ in ratione præcisa subsistendi, aut complendi diuinam substantiam nõ differunt essentialiter, quamuis aliàs prout sunt origines personarum, & formæ relatiuæ, alia munera exerceãt valde diuersa.

Est item maximè aduertendum, quod quãuis substantia completa petat essentialiter modum subsistendi, non petit determinatè hunc, vel illum in indiuiduo, ac proinde licèt verbum assumpserit solam humanitatem, fuit integer homo ratione suæ subsistentiæ Diuinæ, qua defectum creatæ suppleuit. Et sic pariter tres personæ Diuinæ sunt vnus Deus, quia subsistentia vnius gerit vices alterius, terminatq; candẽ Deitatẽ in qualibet persona. Cũ enim denominatio simpliciter, & determinatio essentię tantũ sumatur à forma, licet varietur aliquis modus, vel materiale aliquid, si adueniat aliud supplẽs eiusdem rationis, manebit ipsa inuariata.

Infero

Infero ex dictis, quod aliud est esse modũ substantię, & aliud esse modum substantialem. Modus substantiæ potest esse intrinsecè accidens, & afficere substantiam extra genus illius, quãdo, s. eam completam, & integrè constitutam in ratione substantiæ supponit, vt duratio substantiæ actio, relatio, &c., vt infra magis declarabo. Modus verò substantialis ille dicitur, qui pertinet intrinsecè ad constitutionem substantiæ, qua ratione modus essentialis dicitur, qui pertinet intrinsecè ad essentiam, & sine quo essentia nequit esse completa, vt dixi de modo subsistantiæ, & dicitur etiam de modo vnionis materiæ cum forma, quæ essentialiter constituit compositum, imo est ratio formalis illius, sine illa enim non potest intelligi homo v.g. nam dissoluta vnione inter animam, & corpus, destruitur simpliciter essentia hominis.

ARTIC. III.

Quomodo se habeant inter se essentia, & existentia substantię?

Circa modum existentiæ breuiter dico, (omissis opinionibus, quæ latè in Metaphysica examinantur, non distingui realiter ab essentia: sed existentiam in actu exercito, esse ipsummet esse essentiæ, prout actu, positum extra causas, & existentiam possibilem esse ipsam essentiã, prout in potentia continetur suæ causæ, ac proinde hunc modum essentialem, & substantialem esse ipsimet essentiæ prout est realis simpliciter à parte rei.

Hanc assertionem existimo esse S. Thomæ, quamuis multi ex Thomistis oppositum illi tribuant, decepti æquiuocatione verborũ: & certè si æquiuocatio non esset, esset contradictio, vt patebit ex eius locis. *Prima* enim *parte, q. 5. art. 1. ad* 1. ait: *Nã cum ens dicat aliquid propriè esse in actu, actus verò propriè habeat ordinem ad potentiam, secũdùm hoc aliquid dicitur ens, secũdùm quod primò discernitur ab eo, quod est in potentia tantùm, hoc autem est esse substantiale rei vniuscuiusque, vnde per suum esse substantiale dicitur vnumquodque ens simpliciter.* Quę verba clarissima sunt: in illis enim continetur hæc demonstratio in *barbara*, omnis ratio, per quam, aliquod est ens simpliciter, est ratio per quam existit, sed essentia substantię est ratio per quam ipsa constituitur in esse entis simpliciter, ergo essentia substantiæ est idem, quod eius existentia. Maior, & minor continentur in

S. Thom.

verbis Sancti Thomæ, & consequentia est omnino certa. Maior enim habetur in illis verbis: *Secundùm hoc aliquid dicitur simpliciter ens, secundũ quòd discernitur ab ente in potentia*, Assertquè rationem: nam ens dicit aliquid propriè esse in actu, quia prout in potentia nullum habet verum esse, sed potest illud habere, alioquim cum ens in potentia, vel creaturæ, vt possibiles sint ab æterno veræ, essent suo Creatori coæternæ, si ab æterno verùm esse haberẽt, illudquè haberent independenter à voluntate Diuina, ac proin de omnimoda necessitate, quia sicut Deus necessariò est omnipotens, ita creaturæ per ordinem ad suam potentiam essent ab æterno, & necessariò possibiles; ergo vt tales sunt, non habent proprium, & verum esse, sed tantùm potentiam in Deo ad essendum, ac proinde solùm ens in actu est verè, & simpliciter ens. Minor etiam est eiusdẽ Sancti Thomæ ibidem: *Hoc autem est esse substantiale rei vniuscuiusquè, vnde per suum esse substantiale dicitur vnumquodquè ens simpliciter*, patetquè ex articulo primo, & secundo, vbi satis probata est.

Sed adhuc, quia duplici via negari potest ab aliquibus, vel asserendo nõ quamcunq; actualitatẽ esse existentiã, sed aliã esse actualitatẽ essentiæ, aliam verò existẽtiæ, quæ appellari potest vel subsistẽtia, vel alio nomine. Vel secũdò dici potest, essentiã actualitatẽ habere ab existẽtia, & prout illis subest; cæterùm ab existentia modaliter in re distincta, quæ illi per creationẽ tribuitur, sicut etiam subsistens dicitur à modo subsistẽtiæ ex natura rei illi superaddito, vterquè modus vt irrationabilis reijciendus est.

Ostenditur præter esse actuale essentiæ nullam aliam actualitatem esse, qua ipsa formaliter existat.

Primùm enim impugnatur quia eo ipso quòd essentia intelligatur ex sua propria, & intrinsecã entitate actualitatẽ habere à parte rei, intelligitur existens, & illi, vt sic conueniunt omnia attributa, quæ communiter existentiæ accommodari solet: ergo sine fundamento additur ei alia actualitas, per quàm formaliter existat. Antecedens probatur: quia si essentia semel admittatur ex se habere actualitatẽ, per quã discernatur ab ente in potẽtia, erit eo ipso extra causas à parte rei, verificabiturquè de illa hæc propositio de secundò adiacente: *essentia est*, quæ non absoluitur à tẽpore, sed significat actũ esse in rerum natura, quod omnes intelligunt ratione existentiæ.

Rur-

Rursus e tota ratio propter quàm authores oppositi negăt, essentiam per suam realitatem existere, est nè cogantur admittere, quod creaturæ essentialiter, & necessariò conueniat esse in rerũ natura; quod habeat esse æternum immutabile, & independens ex Dei voluntate, quæ & similia tribuuntur essentiæ, & negantur de existentia, sed si semel admittatur essentiam suá propriam, & indistinctam actualitatem in re habere, habebit esse contingens, temporale, & non æternum; erit pendens ex Dei voluntate; & actione; mutationi, & corruptioni obnoxium; actione causæ secundę communicatum; oppositum immediatè enti in potentia: ergo erit verè, & propriè existens, atquè ita impertinens, erit illi quæuis alia actualitas, si hæc omnia illi ex se competunt sine illa.

Dices: sine subsistẽtia nõ potest essentia actu esse in rerũ natura; ergo subsistentia est illi ratio existendi. Respondetur negando consequentiam, aliàs omnes modi requisiti, vt res aliqua in re sit, existentiæ dici possent, s. vnio materiæ, & formæ; inherentia accidentis cum subiecto, &c. quod nemo somniabit: stat enim benè, quod res aliqua de se actualis, & existens petat tanquam complementum modum subsistendi, vel inhærendi, sed ne sit quæstio de nomine, si per existentiam intelligatur subsistentia, vel inhærentia, conuenio libenter cum suis authoribus, quod sit modus ex natura rei distinctus ab essentia in abstracto sumpta, modo iam dicto, dum tamen illi mihi fateantur, essentiam ex se actualitatem habere per hoc solùm, quod extra causas ipsamet entitas essentiæ in reponatur.

Ostenditur essentiam constitui in actualitate existendi per identitatem cum illa.

Si autem alia secũda via procedatur, asserendo, quod essentia actualitatem habeat, cæterùm à modo existendi ex natura rei superaddito, etiam facilè impugnari potest, vrgendo discursum supra factum ex Sancto Thoma: quia ens dicitur ab illo esse actuali, per quod distinguitur ab ente in potentia, vel secundùm quid, sed potissimum esse, est esse substantiale, vel essentiale vniusquiusquè rei: ergo potissima actualitas conuenit essentię ratione suæ propię realitatis.

Confirmatur primò: quia essentia per suam propriam realitatem independenter à quauis alia superaddita, distinguitur à se ipsa, prout est in potentia,

 dis-

distinctione reali negatiuâ, sicut ens in actu, & simpliciter ab ente possibili, & secundùm quid: ergo per se ipsam actualitatem habet, secundùm quam per se ipsam discernitur ab ente in potentia.

Secundò: si essentia denominaretur actualis, & existens ab existentia realiter distincta tamquàm à forma, sicut denominatur subsistens à subsistentia; & sicut corpus denominatur albũ ab albedine, sequeretur, quod sicut album dicit albedinẽ tantùm pro formali, non autem in materiali prout distinguitur à forma, & sicut essentia dicitur subsistens per formam sibi vnitam, non per se ipsam, quia forma non communicat suum effectum materiæ nisi per se ipsam: vel dando se ipsam, sic essentia denominaretur actualis, & existens per existentiam superadditam, & non per suam realitatem, quæ subest vt fundamentum tali formæ; hoc autem est inintelligibile: ergo & illud, ex quo sequitur. Probatur minor: quia implicat ex ente in potentia, & in actu fieri vnum cõpositum, sicut implicat, quod ex duabus cõtradictorijs simul positis fiat vnum per se; sed si essentia denominaretur actualis solùm à forma superaddita; sequeretur, quod ipsa prout est pars materialis componens cum tali forma, esset ens in potentia, quod est implicatorium.

Declaraturque hoc amplius in quauis alia cõpositione, quæ fit ex actu, & potentia passiua, in qua potentia reduplicatiuè, etiã vt subest actui, non desinit in se ipsa, prout est altera pars compositi, esse potentia: quia cum forma non sit forma materiæ, sed compositi, nec destruat illam, sed simul cum illa aliud tertium efficiat, hinc est, quod denominatio actus informantis non conueniat ipsi prout distincta est ab alia parte, sed toti composito ratione solius formæ: ergo idem contingeret, si daretur vera, & realis compositio inter ens in potentia obiectiua, & actum existendi, quod implicat, nam potentia obiectiua opponitur contradictoriè suo actui.

Rursus: eo ipso quod essentia per suam realitatem independenter à forma superaddita est ens in potentia obiectiua, hoc est virtualiter in aliqua potentia actiua tamquàm obiectum, vel effectus illius, petit per suam propriam realitatem poni in actu extra causas per productionem ipsius: ergo independenter à forma superaddita potest ipsamet realitas essentiæ produci, & poni extra causas in actu. Quod docet expressè S. Thom. de potentia, his verbis: *Ex hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequã esse* S.Th.q.3. ar.5. ad 1.

esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creatis, vbi non est creatura sed creatrix essentia.

Denique, vt plures alias rationes omittamus, si existentia est modus superadditus, non potest emanare nisi ab essentia tamquàm à radice, sicut ab ea emanant subsistentia, & reliqui modi, ac proprietates: nam essentia est fundamentum, & basis cæterorum: ergò essentia præintelligitur in actu ad talem modum. Patet consequentia: tùm quia actu operari supponit actu esse: tùm quia causa actiua continet in actu suum effectum, aut proprietatem, ipsique tribuit actualitatem, quã in se præhabet, quia vnumquodquè in tantùm agit, in quantùm est in actu, vt sępè Aristoteles, & S. Thomas: ergo tantùm abest, quod possit actualitatem accipere à modo superaddito, quod potius illam tribuit ipsi.

ARTIC. IIII.

Soluuntur argumenta pro distinctione reali inter essentiam, & existentiam.

PRincipaliter obijciunt Authores oppositi, authoritatem S. Thom. multis locis sæpè asserentem, *Quod omne ens creatum, eo ipso quod habet esse per participationem, habet esse distinctum ab eius forma, vel essentia, & solus Deus quia est suũ esse, & ens per essentiam, non habet distinctionem inter vtrumquè.* Ex quibus verbis formatur, vel colligitur hæc ratio: si existentia in creatura nõ distingueretur ab eius essentia, sequeretur quod essentialiter, & necessariò haberet esse, ac proinde æternum, & inmateriale, quæ & similia soli essentiæ attribuuntur, negantur tamen existentiæ; ergo solùm in Deo possumus hanc identitatẽ ponere, & in creatura minimè.

S. Th. 1. p. q. 5. ar. 4. q. 4. ar. 1. ad 3. q. 44 ar. 1. q. 61 ar. 1. q. 75 ar. 5. ad 4 q. 104. ar. 1. 1. 2. q. 3. art. 7. 2. cõtr. Gẽt. cap. 15.

Omnia tamen testimonia Doctoris Sancti attentè, & diligenter euolui, nullumquè inueni, ex quo doctrina opposita colligatur; sed potius multa, quibus nostra confirmetur. Qui patienter non legerit omnia, sicut oppositum nostræ doctrinæ, ita & contradictionem in eius dictis notabit.

Est igitur obseruandum pro eius explicatione, in hoc distingui existentiam ab esse, quod existẽtia dicit ex communi vsu loquendi quamcumquè actualitatem siuè completam, siuè incompletam: dicimus enim totúm actuale constare ex partibus actualibus, quod idem est, ac dicere, quod actualitas totius cõponitur ex actualitatibus partium; at verò esse dicit integram actualitatem totius essentiæ,

tiæ, ideoquè includit modum subsistendi, qui est complementum in ratione essendi: vnde sicut essentia inindiuisibili cōsistit; ita, & esse illius.

Hinc infert Sanctus Thom. multis in locis, quod forma substantialis, siuè accidentalis, & multò minus materia non est, nec fit, nec creatur, nisi impropriè. Ideò etiam actiones dicuntur suppositorum, vel subsistentium tam ex parte principij, quā ex parte termini, quia per illas communicatur esse alicui rei, & esse completum non est nisi solius subsistentis. Hinc etiam docet Sanctus Doctor, materiam etiam de potentia absoluta esse, aut subsistere non posse sine forma, quia essentialiter est quid incompletum in ratione essendi, ac proinde non potest esse ens per se; vel subsistens: non negat tamen entitatem eius in completam Diuinitùs sine forma posse conseruari cum actualitate partiali ipsi proportionata quamuis sine subsistentia.

Exponitur iam mens Sancti Thomæ.

His positis respondeo, Sanctum Thomam in omnibus ferè locis, quibus ab authoribus citatur oppositis, loqui non de existentia quomodocumquè, sed de esse prout dicit integram rei actualitatem, & subsistendi rationem, & sic verum est distingui realiter ab essentia, quia subsistentia modus realiter illi superadditus est. Patet clarissimè hæc expositio: quia in multis locis vtitur nomine subsistentiæ, vt colligitur apertè ex contextu, præsertim vbi non obiter, sed ex professo de distinctione tractat inter essentiam, & esse, vt 2. contra Gentes cap. 54. ait: quod in substantijs in materialibus est vnica tantùm compositio ex substantia, & esse, in corporalibus autem duplex, s. ex materia, & forma, & ex substantia & esse: cum autē aliàs negari nō possit cōpositio ex natura, & supposito vel subsistentia, quam S. Thom. & omnis Schola cum illo consonāter docent, indicium euidens est per compositionem ex essentia, & esse intelligere eam, quę fit ex natura, & subsistentia. Pręterea quod S. Thomas non de sola subsistentia loquatur, sed etiam de actualitate ipsiusmet essentiæ, quatenùs per subsistentiam completur, & simul cum illa integrū efficit actum essendi, patet etiam ex alijs locis, vbi ait, quod omne esse prouenit à forma tamquàm à principio formali essendi; quod esse est nobilissimum, & perfectissimum, quod est in re; quod tantò aliquid habet magis de perfectione, quanto de actualitate: quod constituit, & distinguit substantiam

tiam: quod est vnicus, & proprius effectus Dei: quod ratione illius creatura denominetur ens simpliciter, ens participatum, & pendens à Deo: quod sit ratio communissima, quæ per determinationem, & contractionem ipsius descendit ad hanc, vel illam formam, & quantùm ad præcisam, & communem rationem essendi, vt sic, est effectus causæ primæ, & quantùm ad speciales, & determinatas rationes attingitur per causas secundas: hæc autem omnia, & alia huiusmodi de sola subsistentia, vel modo exisstendi ex natura rei distincto verificari nequeunt, sed inuoluunt etiam ipsam naturã: loquitur ergo de integra rei actualitate naturæ, s. & subsistentiæ, intelligitque per actualitatem naturæ non modũ physicum illi superadditum, sed modum logicum, qui etiam ipsius formę perfectionem inuoluit, & ex tota rei entitate coalescit. Patet: quia si esse tãtũ esset mod' physicus superadditus substantiæ actuali, non esset nobilius ipsamet natura, nec constitutiuum simpliciter, nec ratio terminandi actionem causæ primæ, vel secundę: quinimò natura dicitur semper formalis terminus, & primarius cuiuslibet actionis, & subsistẽtia secũdari'. Ad quod propositum mirabiliter faciunt verba illa citata *q. 3. de potent. art. 5. ad 2.* vbi sic ait: Sanctus Doctor: *Ex hoc ipso quod quidditati esse tribuitur non solùm esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatrix essentia.* S. Thom.

Ex his colligo, in duplici sensu verificari verba illa S. Thom. *Esse distinguitur realiter ab essentia*, vel similia. Primò, comparando illud ad essentiam actualem, & prout in re positam extra causas, & sic est vera propositio, quia satis est, quod modus subsistendi re differat, quod est complementum intrinsecum essendi, vt esse absolutè distingui dicatur. Vel secũdò, comparando esse ad essentiã, vt præcisam ab omni actualitate, & ab omni prædicato non essentiali, quo modo absolutè essentia dicitur, quia sic nudè consideratur quãtùm ad solam quidditatem, seu prędicata essentialia, secundùm quam rationem terminat definitionem essentialem; & sic existentia multo maiori ratione distinguitur ab essentia distinctione reali negatiua, sicut ens à non ente: quia essentia sic concepta est ens in potentia seu nihil, vt docet verba supra relata S. Tho. & supra ostensum est manifestè. In vtroq; ergo sensu doctrina ipsi' à nobis veneratur, & minimè cõtradicitur, quia cũ illa stat, q̃ actualitas correspõdẽs immedia-

tè

tè essentiæ actuali, & existentia possibilis comparata cū essentia, prout in potentia, minimè distinguantur nisi sola ratione.

Quin imò hinc possumus sumere non leue argumentum: nam essentia prout in potentia nihil aliud est, quàm res potens existere, vel existētia possibilis quod idem est; ergo essentia actualis non est aliud similiter, quàm ipsamet essentia, vt posita in actu, vel vt est extra causas.

Exponitur autem ampliùs, hanc esse mentem S. Thomæ, ratione, quam ipse sæpiùs inculcat. s. hoc esse discrimen inter Deum, & creaturas, quod Deus essentialiter, & necessariò habet esse, eo quod ipse est suum esse non habēs illud ab alio, ac proinde nec alterius causalitati, aut libertati subiectum, sed omninò independenter; ex quo oritur, quod summa necessitate existat, quia non habet, vnde suum esse amittat, at verò esse creaturæ cum non sit suū, sed Dei, cuius dominio, & libertati subditur, eo ipso quod ab eo illud accipit, habet quod non nececessariò existat, sed possit esse, & non esse, ac proinde quod non essentialiter, sed contingenter illi esse conueniat iuxta Dei beneplacitum.

Ex hoc igitur principio infert optimè S. Doctor, q̃ esse creaturæ sit aliud ab eius essentia; tum: quia cum tale esse sit prædicatum contingens, est extra conceptum quidditatiuum, & necessarium essentiæ, qui saluatur adæquatè in re sub esse possibili, & sine esse actuali. Tū etiam, quia omnis creatura eo ipso, quod non sit actus purus, debet constare ex actu, & potentia realiter distinctis; actus enim est eius esse; & potentia, vel est obiectiua, & sic comparatur ad totam rei actualitatem, sicut nō ens ad esse. Vel est receptiua, & sic cōparatur natura ad modum subsistendi, vel è contra secundùm diuersam considerationem forma substantialis ad subsistēs, vel suppositum.

Soluitur fundamentum sententiæ oppositæ.

Ex his patet iam solutio ad fundamentum positum initio articuli: ex hoc enim quod existentia identificetur cum essentia, meliùs inferrent Authores oppositi, quod essentia creaturæ sit contingens, & corruptibilis, sicut existentia, & non è contra, quod existentia sit necessaria, & æterna sicut essentia: nam etiam ipsi fatentur essentiam specificam non distingui in re à differentia indiuiduali Petri, & nihilominus non propter hoc coguntur dicere naturam essentialiter indiuiduam esse, sed tantū naturaliter, & accidentaliter, vt in sequenti articulo dicam, & latius

latiùs explicui tractando de vniuersalis distinctione à suis inferioribus: sicut ergo in hoc casu respondent, essentiam non significare rem prout est à parte rei, sed prout abstrahitur ab intellectu ab omni differentia indiuiduali, eo quod est extra defini tionem, & communem rationẽ illius, & ideò quiquid sit de idẽtitate reali, esse discrimen in ratione obiectiua, sic nos in præsenti, etsi identitatẽ realem inter existentiam, & essentiam admittamus, in rationibus obiectiuis vtramquè discernimus, & essentiam vocamus obiectum solùm deffinitionis essentialis, in quo solùm prędicata omnino necessaria comprehendimus, cætera autem contingentia, etsi identificentur, essentialia non sunt, sed realia.

Dices: quomodo quod est simpliciter contingens, potest identificari cum eo, quod simpliciter necessarium est, cum illud possit non esse. Respondeo, prædicata essentialia non habere necessitatem simpliciter in esse reali, sic enim tam contingentia sunt, sicut existentia, cum quà identificantur, quia sicut dicit D. Thomas in verbis citatis, ita creatur accidentaliter ipsa quidditas, sicut esse, quod illi tribuitur, quia antequam esse habeat, nihil est, nisi in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatrix essentia: dicuntur

S. Th. q. 3. de potent. ar. 5. ad 2.

ergo habere necessitatem, quando considerantur solùm in esse obiectiuo, vel possibili, quatenus in eis intelligitur inseparabilis connexio vnius cum alio ex suppositione, quod existant à parte rei, quæ est necessitas cõditionata, vel ex suppositione, quæ compatitur cum re simpliciter contingente. V. g. ex suppositione quod homo detur à parte rei, infallibiliter, & necessariò erit rationalis, & animal erit viuens, dum tamen non dantur, nihil habent nisi tãtùm in esse obiectiuo, & possibili.

Itaq; ex omnibus supra dictis concludo, quod si existentia cõparetur ad essentiam prout in potentia, distinguitur ab ea realiter negatiuè, sicut ens à nõ ente; si verò ad essentiam, prout abstrahit ab statu possibili, & actuali, conferatur, hoc est existentia actualis ad essentiam actualem, & existentia possibilis ad essentiam possbilem, sic identificatur cum ea realiter; sicut natura specifica cum differentijs indiuidualibus. Quamuis etiam si existentia sit completa, realiter differat propter modum subsistendi, quem superaddit, tamen existentia, seu actualitas, quæ soli essentiæ correspõdet, plusquam realiter identificatur: nam est modus essentialis, vel substantialis constituens essentiam in esse entis realis, & actualis, quomodo loquimur de

de conceptu substantiæ, quando asserimus esse essentiam simpliciter alicuius rei, vel constitutiuum simpliciter entis in qua explicatione, & conceptu inuolmus manifestè actualitatem, seu existentiam.

ARTIC. V.

An differentia indiuidualis sit etiam modus substantialis?

Ratio dubitandi est; quia communiter dicitur singularitas modus substantialis, vel pertinens ad substantiæ complementum, & ex alia parte negatur esse modum essentialem, quia humanitas non est essentialiter indiuidua, solū hoc admittitur in specieb⁹ Angelicis: ergo substantia, & essentia non conuertūntur.

Sed pro explicatione obseruandum est, indiuiduum substātię materialis, aliquid importare formaliter in recto, & aliquid connotare in obliquo naturæ substantiali specificę superadditum. Quantùm ergo ad id, quod connotat, & superaddit speciei, dico primò: esse accidēs simpliciter non solùm prout distinguitur contra essentiam, sed etiam prout distinguitur contra substantiam.

Quod facilè probo: quia est extra conceptum quidditatiuum essentiæ, & supponit vltimam differentiam constitutiuam illius in genere substantiæ, quæ propter hoc ab omnibus infima dicitur, quia aliam inferiorem sub se non habet, sed essentia simpliciter, & substantiā idem omninò sunt, vt probatū est artic. 1. & 2. ponunturquè in eādem linea prædicamentali: ergo supponit substantiam vltimò constitutam in suo esse substantiali, ac proinde est accidens simpliciter, quātùm ad id quod naturæ addit specificæ. Patet consequentia: nam si differentia indiuidualis aliquid substantiale adderet supra naturam specificam, iam ipsa diceretur infima differentia, & non rationale. v.g. quia infimum in ratione substantiæ non potest sub se inferius habere.

Dices: rationale esse differentiam infimam respectu speciei, non verò respectu indiuidui.

Sed cōtra: quia etiam possemus dicere, quod sensibile est differentia infima, quia respectu generis, quod est animal, est vltimum cōstitutiuum. hoc autem nemo dicit, sed vocat eā subalternam simpliciter, quia in genere substantiæ habet alias inferiores: ergo cum rationale dicatur ab omnibus philosophis differentia vltima, vel infima simpliciter in genere substantię, quia

quia in prædicamento substantiæ nulla alia vocatur infima, indeiium certùm est, quod differentia indiuidualis nihil substantiale addat supra speciem; nec distinguere philosophos inter essentiam, & substantiam, cũ primùm substantiæ prædicamentum solùm ex generibus, speciebus, & differentijs essentiarum intrinsecè constituũt, siquidem vltimam differentiam constitutiuam speciei vocant differentiam infimam substantiæ.

Dices secundò: ex hoc solùm conuinci, quod differentia indiuidualis non addat nouum gradum essendi per modum naturæ, & radicis aliquarum operationum, eo quod Petrus non est principium aliorum operum, quam naturę specificę; addit tamen modum, vel proprietatem naturæ substantialis, vt talis est, s. vnitatem, & distinctionem substantialem. Sed contra est: quod sicut substantia est idem quod essentia simpliciter, ita modus substantialis est idem quod modus essentialis, quod est consequenter dicendum: nam modus substantialis est, qui pertinet ad substantiæ constitutionem: ergo & ad cõstitutionem essentiæ, supposito quod idem sunt substantia, & essentia; ergo iam erit modus essentialis. Tùm sic: sed vnitas indiuidualis essentialis non est speciei materiali, alioquin, repugnaret illi multiplicitas indiuidualis: ergo nec est substantialis.

Dices tertiò: sicut existentia dicitur à nobis articulo præcedenti, modus substantialis naturæ, & nihilominùs naturæ non conuenit essentialiter existere, quia potest existere, & non existere, sic singularitas, etsi sit modus substantialis naturæ, potest essentialiter illi non competere. Respondetur: quod eo modo quo dicimus existentiam esse modum substantialem naturæ, explicuimus etiam modum essentialem esse, s. respectu naturę prout habet esse reale, & formale, à parte rei; quomodo non est indifferens ad existere, sed essentialiter existit, at singularitas nec comparata ad naturam secundùm prædicata essentialia necessaria, quæ illi conueniunt in statu abstractionis; nec comparata ad ipsam prout est à parte rei, est modus essentialis illius; quia à parte rei conuenit illi multiplicitas indiuidualis, repugnaret autem illi pluralitas, si vnitas essentialis esset.

Statuitur secunda conclusio.

Dices quartò: fundamentum nostrum solùm cõuincere, quod differentia indiuidualis sit accidens logicum, seu prædicabile, non verò metaphysicum, seu prædicamentale: nam rationale, & irrationale similiter accidunt

animali,

& incommunicabilem ipsam speciem, vt de vno tantùm dicatur.

Vnde colligitur, quod licet individuum formaliter, vt sub tali nomine significatur, dicat vnitatem individualem pro formali, & substantiam pro materiali, at si consideretur sub nomine primæ substantiæ, & vt vocatur Petrus, & Paulus, formaliter, & in recto dicit naturam substantialem, & in obliquo connotat vnitatem, & distinctionem vt proprietates extra conceptum substantiæ, & vltimam rationem lineæ, in qua vnitate exclusiuè terminatur substantia corporea, sicut in puncto terminatur linea, & in linea superficies, quod punctum constat, non esse partem lineæ, nec lineam partem superficiei, vt capite sequenti dicetur.

Consonat etiam hæc doctrina cum illo vulgato principio: *supremum infimi, est infimum supremi*: nam supremum quantitatis est infimum, quod ponitur in genere substantiæ modo dicto, & propter hoc for sam genus quantitatis subsequitur immediatè post substantiam in Logica, & Metaphysica.

Nec obstat, quod quantitas sit accidens, vt ad individuum, substantiæ comparetur vt proprietas, vel modus aut terminus essentialiter connotatus, quia omnes substantiæ proprietates accidentia sunt, potestquè res vnius prædicamenti essentialiter connotare, & connecti cum re alterius, vt dicemus, de relatione, actione, & alijs. Potest item substantia, vel qualitas absolutè considerata ad suũ proprium substantiæ, aut qualitatis genus pertinere, & prout connotat terminũ extrinsecum, cui assimilatur, vel opponitur aliquo discrimine, ad aliud prædicamentum reduci, nimirum relationis: sic ergo à fortiori licet natura specifica secundùm se considerata species tantùm sit, & vniuersale infimum prædicamenti substantiæ, cæterùm prout connotat modificationẽ quantitatis, & subest limitationi reali ipsius, fit individua in eâdem linea, sicut etiã prout informata ipsamet quantitate, iam concretum illud quantùm, collocatur in genere quantitatis.

Ex quo vrgentius confirmatur assertum nostrum: quia si sola connotatione alicuius extrinseci res vnius prædicamenti variatur plusquàm specie, siquidẽ transit ad aliud genus, albedo v.g. de genere qualitatis, prout connotat nigredinem, fit relatio, quid mirum, quod substantia connotatione quantitatis, ex specie fiat individuum?

Sed quia infra hæc doctrina amplius elucidabitur dicta pro nunc sufficiant.

QVAESTIO. II.

De diuisione substantiæ in primam, & secundam.

ARTIC. I.

Quid sit prima, & quid secunda substantia?

ARistoteles *cap.1.* de substantia, diuidit eam in primam & secundā. Primā sic definit: est illa, quæ nec in subiecto est, nec de subiecto dicitur, idest, quæ neque inhæret subiecto, nec de subiecto aliquo doctrinaliter prædicatur: vt Petrus, & quælibet substantia singularis, quæ ideo ponitur vltimo loco in linea prædicamentali: quia non habet sub se aliquid inferius, de quo prædicetur tam quam de subiecto, sed ipsa est subiectum, de quo verificantur omnia prædicata lineæ.

Amon. *Porphir.* *Aristot.* Hęc autem definitio essentialis non est, sed descriptiua, vt docent Amonius, Porphirius, & communiter Aristotelis expositores; & ratio est, quia res positiua sicut essentialiter non consistit in negatione, ita nec per negationes poterit essentialiter definiri, vt docet Aristoteles *6. Topic.* ergo cum hęc definitio solùm exprimat duas negationes substantię, non erit essentialis.

Sic igitur poterit quidditatiuè definiri: *est substantia completa specifica, prout subest differentiæ indiuiduali, & illā connotat*, si de illa primò intentionaliter sit sermo. Si verò secundò intentionaliter eam consideremus: *est primum subiectum de quo omnia prædicata tàm substantialia, quàm accidentalia dicuntur.*

Dubitari solet circa primam substantiam, quomodo illam definierit Aristoteles in prædicta definitione, an primò, vel secundò intentionaliter? Caietanus cap. de substātia in dubitatione propria de hac re ait: non solùm materiale definitum, sed etiam formale esse quid reale.s. essentia specifica, quatenus particulariter, vel incommunicabiliter subsistit, licet secunda inintentio rationis sit conditio, vel ratio, sub qua eius natura realis exprimitur: quem sequuntur aliqui iuniores.

Probaturquè primò ex Aristotele initio huius capitis, qui quidem primam substantiam, quam supra definierat, dixit, esse primò, & principaliter, & maximè substantiam, quæ tria videntur reales conditiones illius expri- *Aristot.*

primere: nam prima substantia prout subest secundæ rationis intentioni, non potest dici primò, & principaliter substantia.

S. Tho 1. p. q. 29. ar. 1. ad 1. Secundò colligitur ex Sancto Thoma dicente: *Quod licet hoc singulare, vel illud definiri non possit, illud tamen quod pertinet ad communẽ rationem singularitatis posse definiri, & sic Philosophus definiuit substantiam primam, & Boetius personam.* Quibus verbis indicat definiri substantiam primam, secundum quod realis est, soluẽs argumentum, quo probari posset, indiuiduum vt tale, non esse definibile.

Præterea probatur: quia hîc intendit Aristoteles definire substantiam prædicamentalem, quæ vt talis, realis est, aliàs prædicamentum substantiæ ab alijs non differret, nec essent decem prædicamenta, sed vnum tantùm, nam quoad secundas intentiones generum, specierum, & indiuiduorum omnes substantię, & accidentia cuiuscumque generis vniuocè conueniunt.

Deniquè probatur discurrendo per omnia alia attributa, & proprietates, quas Aristoteles vt tales tribuit substantiæ, s. quod non suscipiat magis, & minus, quod non habeacontrarium: specialiter primæ, quod subştet, & subsistat per se, & ratione sui, quæ omnia, sunt attributa realia illi primò intentionaliter sumptæ conuenientia.

Oppositum tamen docent Reuerendissimus noster Oña, & alij per multi dicentes definiri concretum ex prima, & secunda intentione quatenus vna est fundamentum alterius, & illi subest. Episcop. Oña q. 1. ar. 2. Sotus q. vni. ar. 1. ad 4.

Statuitur definitum vtriusquè definitionis secundò intentionaliter accipi.

Quæ sententia mihi longe probabilior videtur, primò: quia substare, vel subsistere primò, & secundò, esse primum subiectum, & prædicatum, in quo rationes primæ, & secundæ substantiæ consistunt, sunt attributa solius rationis, licèt cum fundamẽto in re ipsa, quia prima, & secunda substantia in re minimè distinguntur, ac proinde substare, vel subsistere primò, & ratione sui, vel secundò ratione alterius tantùm per intellectum illi attribui possunt. Præterea, substare pluribus prædicatis essentialibus in propositione, & consequenter etiam pluribus accidentibus, vt dicetur sequenti articulo, denominationes etiam rationes sunt.

Secundò constat à simili de alio membro. s. secunda substantia, quàm manifestè acci-

 pit

pit Aristoteles secundò intentionaliter describens eam esse, *omnia genera, & species, in quibus insunt primæ substantiæ*, quibus verbis præcipuè explicat secundam intentionem vniuersalis, & totius potentialis, respectu cuius prima substantia est pars potestatiua secundùm nostrum modum concipiendi. Nec opponitur sibi aliàs dicenti, secundas substantias inesse primis: quia secundæ insunt primis tamquam partes actuales in suo toto actuali, & primæ substantiæ in secundis, vt partes subiectiuæ in suo toto potentiali, quæ doctrina iam constat tractando de diuisione, & de toto potentiali.

Definitur item clarius, & magis exactè ab alijs secunda substantia: est *ens per se completum, & finitum vniuocè prædicabile de primis substantijs per modum per se stantis*, *vbi* per *finitum* excluditur substantia infinita, quæ in prædicamento non ponitur: particula *vniuocè* remouet prædicata analoga, & vltima particula excludit differentias à directa linea, quæ non per modum per se stantis, sed alteri adiacentis prædicãtur, Aristoteles verò hic definit, & diuidit substantiam directè ponibilem in linea: hæc ergo secunda definitio etiam explicitè secundam intentionem, vt obiectum quod declarat.

Præterea in definitione primæ substantiæ explicatur concretum ex prima, & secunda intentione: nam particula illa, *quæ neque in subiecto est*, declarat realitatem primæ substantiæ, & illa: *quæ neque de subiecto dicitur*, secundam intentionem illius, quia non sumitur pro negatione secundæ intẽtionis prædicabilitatis, quam habet prima substantia à parte rei: nam etiam habet negationem entis rationis in communi, & deberet explicari adæquatę hæc negatio, si de illa esset sermo: sumitur ergo illa particula pro negatione prædicabilitatis, quæ fundatur in secunda intentione primi subijcibilis, & ex illa tamquam ex radice oritur, per quam negationem voluit explicare philosophus rationem primi subiecti, sicut per primam negationem, *neque in subiecto est*, rationem positiuam entis per se.

Tertiò moueor principaliter ex fine logicę, cuius munus est, modum sciendi obiectiuum, & consequenter prędicamenta tradere, quatenus pro formali est ens rationis, & pro materiali ens reale, vt dixi tractando de subiecto logicę, atquè adeo agit de secundis intentionibus, quibus subsistunt naturę reales, non solùm tamquàm de rationibus, sub quibus obiecta realia considerentur, (sic

(sic enim illa attingit Metaphysica in ordine ad suum obiectum primarium,) sed tamquam de rationibus, quæ per se terminãt considerationem logicam: quapropter sicut logica de ente rationis, de vniuersalibus, & distinctionibus rationis tractat, sic in præsenti de coordinatione prædicamentalis lineæ, quæ artificiosa quædam series prædicabilium est ab intellectu excogitata.

Sed demus, quod nec per se huiusmodi intentiones rationis considerentur à logica, saltem secundariò, & peraccidẽs, quod negari non potest, considerantur, & ideo intentum Aristotelis, & expositorum illius in assignata diuisione substantiæ in primam, & secundam, & definitionibus vtriusquè est præmittere, quomodo prædicamentalis linea formanda sit, vt reales naturas sub illa contentas, & artificiosè dispositas considerent: quo facilè soluuntur omnia fundamenta primæ sententiæ, quæ ex discursu aliorum attributorum, & proprietatum realium, quæ de substantia demonstrantur, colligere volunt hanc diuisionem, & eius membra etiam primò intentionaliter debere intelligi.

* * *



Satisfit argumentis primæ sententiæ.

Præterea specialiter ad primum ex Aristotele, respondeo, ipsum per illa attributa realia optimè explicare fundamẽtum secundæ intentionis primæ substantiæ, & consequenter ipsam secundam intentionem: nã entia rationis logica non aliter intelligi, aut explicare valẽt, quàm ex suis fundamentis realibus, à quibus maximè pendent, & vnitatem, & rationem specificãm accipiunt. Secundò respondetur, illa prædicata etiam exponi secundò intentionaliter: nam excessus in ratione substandi, quẽ exponunt Aristoteles Sanctus Thomas, & eius expositores, cõmuniter est in hoc, quod prima substantia primò, & ratione sui, & secunda secundò substat ratione primæ. Præterea in hoc quod prima pluribus substat in propositione, tam prædicatis essentialibus, quàm accidẽtalibus, quod totum quid rationis est.

Ex quo ad secundùm patet Sanctũ Thomã minimè contrarium esse, quia cum in definitione primæ substantiæ explicetur vtraquè intentio prima. s. & secũda, optime docet, quo ad eius realitatem omnibus indiuiduis communem definiri.

Ad tertium, & quartum concedo grãtis, quod præcipuum

intentum Aristotelis sit in toto prædicamentorum tractatu eorum naturas reales, & proprietates exponere, ad hoc tamen vtitur saltem secundariò secundis intentionibus rationis, & præmittit modum, quo linea artificiosè per rationem formatur ex prædicabilibus, & subijcibilibus, vt dixi. In præsenti autem quæstione nō quæritur; an semper Aristoteles secundò intentionaliter explicet, & intelligat quidquid de hoc, & alijs prædicamentis tractat, sed solùm in particulari, de hac diuisione substantiæ in primam, & secundam procedit difficultas; quam potuit secundò intentionaliter tradere in ordine ad primas intentiones melius explicandas. Concessi tamen gratis: quia hic est modus procedēdi metaphysici; logicus enim secundas intentiones tandē per se, & vt finem saltem extrinsecum respicit, etiam in prædicamentorum tractatu, indiget tamen diffusa consideratione prædicatorum realiū, ad hoc quod perfectè se exerceat in illis, vt iam animaduerti.

Tandem inquires: an species infimæ Angelorum sint primæ, vel secundæ substātiæ? Breuiter dico: simpliciter esse primas, supponendo in via Sancti Thomæ; quod sunt indiuiduæ essentialiter, quando autem Aristoteles asserit secundas substantias esse genera, & species, addit: *in quibus insunt primæ substantiæ tanquam partes potestatiuæ*, quo satis ostēdit se loqui de speciebus vniuersalibus, quæ sunt tota potentialia respectu primarū substantiarum. Præterea, quod ratio primæ substantiæ sit esse primū subiectū de nullo inferiori prędicabile (vt cōstat ex illis verbis, *quæ neque in subiecto est, nec de subiecto dicitur*:) hoc conuenit proprijssimè his speciebus, quæ solū dicuntur subijcibiles, & minimè prædicabiles de aliquibus inferioribus, ac proindè sunt prima subiecta.

ARTIC. II.

Quomodo vna substātia sit magis substātia quam alia?

Respondet Aristoles citatus, primā substantiā esse magis principaliter quàm secundam, & inter secundas species magis, quàm genera, quod etiam docet Sanctus Thomas. Et declaratur: quia prima substantia includit totam perfectionem essentialem, & singularitatem, qua completur vltimò explicitè loquendo, in genere substantiæ, & ratione cuius habet subsistere, & substare accidentibus in actu exercito, primò, & ratione sui, secunda verò substantia non nisi ratione primæ: ergo

Aristot. S. Thom. opusc. 48. cap. 3.

ergo prima substantia est perfectior, & magis substantia, quàm secunda.

Secundò: illa est magis substantia, quæ pluribus prædicatis substat secundùm Aristotelem, sed prima substantia pluribus substat. s. ipsis secundis substantijs, & omnibus earum proprietatibus; quia omnia prædicata superiora, & eorum accidentia sunt in prima substantia; vt in subiecto, & non è contra: ergo prima substantia est magis substantia. Patet ex ethimologia vocis: substare enim idem significat, quod sub alijs stare, sed prima substantia, cum sit primum subiectum, stat sub omnibus, & sub ipsa nullũ: ideo enim definitur: *quod neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur*: ergo est maximè substantia.

Corolaria ex dictis.

Vnde infero, primam substantiam quadrupliciter secundam excedere. Primò, quia substat in actu exercito primò & ratione sui, secunda verò ratione alterius. Secũdò, quia subijcitur pluribus prædicatis essentialibus. Tertiò, quia pluribus substat accidentibus per se loquendo. Quartò, quia pluribus prædicatis subijcitur in propositione, eo quod primum omnium subiectum, & fundamẽtum est, secunda vero substantia vt talis, potius prædicatum, quàm subiectũ est, ac proinde potius significatur per modũ formæ existentis in alio, quàm per modum substãtiæ, de cuius ratione est quod per se, & in se, sub alijs sit.

Secundò hinc patet in quo sensu Aristoteles dicat, *primas substãtias significare hoc aliquid, secundas verò quale quid*; non est aliud misteriũ in his verbis, nisi quod prima substãtia est primũ subiectum subsistens, per se stãs, & omnibus alijs substans, & secundæ substantiæ sunt formæ quædam prædicabiles, & qualificantes subiectum, in quo nituntur, & insunt nostro modo concipiẽdi, quo intendit excludere sententiã Platonis dicentis secundas substantias, s. genera, & species esse naturas subsistentes per se primò, ac proinde primò, & ratione sui substare, sicut indiuidua, quod semper abhorret Peripatetica Doctrina, quæ tãtũ eas intelligit, vt formas abstractas à subiectis singularibus per rationem, & consequenter, vt qualificantes illa.

Vt tamẽ nõ existimẽtur verè qualitates de genere accidentis, addit Aristoteles, nõ significare simpliciter, quale sicut album, sed *quale quid*, idest, quidditatiuè, quod indicat formas substantiales, & quidditatiuas esse, quãuis imitentur qualitatis officiũ quantũ ad hoc quod est esse in subiecto, saltẽ modo nostro concipiendi cum fundamento in re ipsa, & ideo nõ ita substantiæ

sunt, id est, per se stātes, & subsistentes sicut primæ.

Consequenter etiam ad hoc, ait Philosophus, *Quod ablatis primis substantijs, impossibile est secundas manere, nec aliquid aliorum prædicatorum, quæ primis innitebantur*. Ratio enim est supra tacta: quia semel reiecta Platonica sententia, quod genera, & species non per se subsistunt separata à singularibus, sed in illis innituntur, vt formæ in suis fundamentis, consequens est, quod destructo fundamento, ruat edificium, & omnia, quę in illo substentabantur, pereant.

Dices: non valet consequentia a negatione inferioris ad negationem superioris, v.g. *Non est Petrus, ergo non est homo*: male ergo infert philosoph' ex destructione primarū substantiarū, dest uctionem secundarum.

Respondeo, modum illum arguendi non valere, quando assumimus vnum, vel alterum inferius, debent enim omnia inferiora assumi, & ex negatione omnium illorum infertur negatio, vel corruptio superiorū, quoad existentiam, non quoad essentiam, quæ incorruptibilis est, & æternæ veritatis, philosophus autem de corruptione loquitur, quæ solùm existentiam connotat, & cum omnis ratio vniuersalis non existat à parte rei, nisi in suis inferioribus, legitimè infert, quod destructis omnibus primis substantijs, omnes secundas destrui, necessarium sit.

Alia statuitur conclusio.

Dico secundò: inter primas substantias vna non est magis substātia, quā alia in ratione substādi accidētib': quia omnes substant primò, & ratione sui: & quamuis vna substantia pluribus substet accidentibus quàm alia, hoc solùm arguit maioritatem extensiuam accidentalē. Solùm enim loquendo de perfectione essentiali, vna prima substantia est perfectior, quàm alia, homo v.g. quàm equs.

Dico tertio: inter secundas substantias species est magis substantia quàm genus. Docet Aristoteles citatus, & Sanctus Thomas. Et probatur: quia species accedit magis ad primam substantiam in ratione substandi accidentibus, estquè illi propinquor, quia stat sub pluribus prædicatis tam essentialibus, quàm accidentalibus per se loquendo, ergo magis substat, magisquè substantia est. *Aristote.* *S. Thom.*

Proponuntur, & soluuntur aliqua.

Dices: Aristoteles text. 2. ait quod genera sunt magis substantiæ quàm species, ergo sibi contrariatur in hoc loco. Respondetur, quod non loquitur ibi ex propria sententia, sed tantùm asserit, *Aristote.*

aſſerit, quod illud ſequitur ex ſententia Platonis ponẽtis ideas ſeparatas, & per ſe ſubſiſtentes, quia exiſterẽt in actu exercito, ſine ſpeciebus, & tribuerent illis eſſe. Ita exponunt S. Thom. Alexander, & alij ſuper illum locum.

S. Thom. *Alexan.*

Ariſtot.

Secundò dices: Ariſtoteles aſsignat, vt proprietatem ſubſtantiæ: *Non ſuſcipere magis & minus*: contrariatur ergo ſibi in hac doctrina. Reſpondetur Ariſtotelem tantùm negare ſubſtantiæ magis, & minus ſecundum intenſionem, non verò ſecundùm perfectionem eſſentialem, vel accidentalem, qua vna ſpecies eſt altera perfectior in ratione ſubſtantiæ, & vnum indiuiduum alterum excedit eiuſdem ſpeciei in perfectione accidentali, de quo poſtea.

Tertiò obijcies contra primam concluſionem: ſecundæ ſubſtantiæ propriè, & ratione ſui ſubſtant ſuis proprijs paſsionibus, quæ ſunt illarum accidentia, quibus non ſubſtant primæ ſubſtantiæ ratione ſui, ſed ratione ſecundarum: ergo ratio primæ cõcluſionis nulla eſt. Antecedens probatur: nam ideo Petrus eſt riſibilis, quia homo eſt riſibilis, & non valet, è contra.

Quartò obijcies: illud, quod propter ſe intenditur à natura eſt perfectius, quàm illud quod intenditur propter aliud, ſed ſpecies propter ſe intenduntur à natura, indiuidua vero nõ propter ſe, ſed ratione ſpecierum: ergo ſpecies ſunt perfectiores ſecundùm ſuam entitatem.

Reſpondetur ad tertium, diſtinguo antecedens: ſecundæ ſubſtantiæ ſubſtant accidentibus proprijs ratione ſui, quoad connexionem neceſſariam, & eſſentialem, quam cum ipſis habent, concedo. Quoad actualem ſubſtentationem eorum, nego. Vnde licet radix eſsẽtialis riſibilitatis ſit humanitas, ſicut ratio formalis ſpecifica ignis eſt principium formale alterius ignis, nihilominus actualis emanatio, & ſubſtentatio in actu exercito prouenit à ſingularitate ſuo modo, id eſt, tãquàm à conditione, vel ſtatu requiſito, atquè adeò ſubſtentare in actu riſibilitatem prius conuenit Petro, quàm homini.

Ad quartum reſpondetur, quod indiuidua poſſunt conſiderari dupliciter. Primò præciſè ſecundùm ſingularitates, quas addunt ſupra ſecundas ſubſtantias. Secundò poſſunt conſiderari ſecundùm omnia, quæ per ſe includunt. Primo modo indiuidua non intendũtur propter ſe à natura, ſed propter naturam ſpecificam, ſi verò ſecundo modo conſiderentur, intenduntur propter ſe: quia includunt ipſam rationem ſpecificã, quæ propter ſe intenditur à natura,

tura, & in hac posteriori consideratione primæ substantiæ excedunt secundas; quinimò secũdæ substantiæ nunquam sunt in actu simpliciter, nisi quãdo sunt indiuiduæ, ideoquè non possunt intendi à natura nisi prout indiuiduæ.

ARTIC. III.

Qualis sit diuisio in primam, & secundam substantiam?

SVpponò primò, diuisum huius diuisionis esse substantiam prædicamentalem, & non transcendentalem, vt abstrahit à completa, & incõpleta, vt constat ex dictis; quoniã solũ substantia completa est prædicabilis in recto, & prędicamẽtalis: at partes, & modi nec sunt genera, & species, nec primæ substantiæ, cum hæc non sit nisi indiuidua completa, quibus primò subsistere, & substare conuenit.

Secundò certum est, diuisum non esse genus generalissimum prædicamenti substantiæ, quia generalissimum est solùm secũda substantia, & non potest esse prima; ergo non est diuisum in primam, & secundam, sed solùm vnum membrum diuidens. Et hinc sumitur ratio dubitandi: quia si diuisum non est substantia transcendentalis, sed prædicamentalis, & non est generalissimum prędicamẽti, sequitur, quod sit aliquid superius generalissimo, ex eo quod abstrahit à prima, & secũda substãtia, sub qua generalissimum vt inferius continetur, sed hoc implicat in terminis, nam supra summum non habet supra se aliud superius, ideoquè linea prædicamenti incipit à generalissimo tamquàm supremo, & finitur in prima substantia tamquàm in infimo.

Sed pro huius explicatione, aduerto, rationem primæ, & secundę substãtię posse cõsiderari primò, vel secũdò intentionaliter. Sub prima cõsideratione, sub qua ad metaphysicã expectat, est supra dicta diuisio analogi in in sua analogata. Ita docet S. Tho. & alij plures: quod intelligę quantùm ad diuersos illos modos substãdi, vel subsistendi, in quibus prima substantia excedit secundas, vt dictum est, & hunc sensum indicauit S. Tho. citatus, vt animaduerti artic. 1. ideoquè omissis alijs, quę inutiliter, & molestè hîc multiplicantur.

Resolutio difficultatis.

Respondeo breuiter, diuisionẽ hanc esse subiecti in accidentia rationis: itaquè diuisum est substantia prædicamentalis secundùm suam essentiam, & attributa

buta realia illi annexa cōsiderata, & vniuersalitas, & singularitas sunt quidam modi seu status rationis, sub quibus consideratur à logico: nam licet singularitas sit in re modus, & status realis naturæ, attingitur præcipuè vt est correlatiuum vniuersalis, & primum subiectum, de quo omnes secundæ substantiæ dicūtur. Vel dicatur diuisio subiecti in accidentia abstrahendo ab hoc, quod vnum sit reale, & alterum rationis, vel vtrumque.

Probatur iam ratione conclusio: nam illud est diuisum, quod abstrahit à substantia singulari, & vniuersali, & est indifferens ex se ad vtrumque, sed solùm natura secundùm se, id est, secundùm suam essentiā abstrahitur à singularitate, & vniuersalitate, & immediatè afficitur per vtramque istam rationem, vt dixi tractando de vniuersali in cōmuni: ergo ipsa est, quæ diuiditur per hæc duo membra. Tunc sic: sed hac ratione comparatur ad ipsa tamquàm subiectum ad accidentia, sicut homo ad albū, & nigrum, vt patet: ergo est diuisio subiecti in accidentia.

Ex quo patet iam ad rationē dubitandi, respōdeo enim, quod substantia, quæ abstrahit à prima, & secunda, & consequenter à generalissimo prædicamenti, est essentia substantiæ secundùm se, & primò intentionaliter sumpta, quæ nullam superioritatem logicam habet supra generalissimum, neque est totū potentiale, aut vniuersale, nec locum aliquem habens in linea, in qua solum ponuntur entia metaphysicè, & secundò intentionaliter sumpta. Solùm est subiectū, vt dixi, cui adueniunt secundæ intentiones vniuersalitatis, & singularitatis, diciturq; substātia prædicamentalis specificatiuè, quia est eadem essentia realis, quæ directè, & per se in prædicamentis collocatur, licèt ratio sub qua ponitur, s. ratio subijcibilis, aut prædicabilis generici, vel specifici, non consideretur ex parte diuisi, sed ex parte mēbrorum diuidentium, nam ex industria diuisum ita abstractè consideratur, vt per diuisionem eius sigillatim explicentur rationes, quibus in linea prædicamentali collocari potest.

QVAESTIO IIII.

De proprietatibus substantiæ.

ARTICVLVS I.

Generaliter substantiam vel nullas habere proprietates, vel omnia accidentia prædicamentorum esse proprietates illius, probari potest ex eo quod omnis proprietas ad ipso

ipso accidēs est respectu subiecti, pertinens ad quartum prædicabile, sed omne accidens eo ipso est extra genus substantiæ, habetquè suum proprium genus, sub quo directè constituatur: ergo ad aliquid ex nouem generibus pertinebit, & consequenter eius disputatio non est huius loci. Præterea omne accidens est proprietas substantię, vt talis est nam accidēs est entis ens, seu affectio rei subsistentis, in quo innititur tamquàm substentanti, vel substanti, illiquè soli, & semper propriè accidit, non autem alteri accidenti, nisi in alio sensu valde improprio seu analogo: ergo omnia accidentia sunt proprietates substantiæ, vel nullū erit illius proprietas.

Sed ad primum distinguo minorē: omnis proprietas, quæ entitas positiua est, habensquè conditiones, & requisita vt sit ponibilis in linea prædicamentali, constituit, vel constituitur directè sub aliquo genere proprio, sic vera est propositio: quia benè potest, quod est genus, vel species vnius prædicamenti, esse proprietas respectu alterius: intellectus, & voluntas sunt proprię passiones substantiæ spiritualis, & constituuntur directè sub genere qualitatis. At si proprietas sit negatio aliqua, vel denominatio extrinseca, nō habet requisita, vt in prædicamento aliquo collocetur, sed reductiuè pertinet ad gen' rei, cuius est proprietas, & quia proprietates substantiæ sunt huius secūdi generis (vt videbimus, & probaui etiam q. 1. art. 1. nullas habere proprietates rigorosas, & physicas in suo conceptu abstracto, eo quod est pura potentia in genere metaphysico, cui nulla correspondet operatio, nec potestas ad illam, nisi ratione formæ, quæ est differentia) hinc est, quod harum substantię proprietatum consideratio adhunc locum pertineat.

Ad secundum respondetur, ad summum probare, quod omne accidens sit proprietas alicuius substantiæ, cum qua habeat naturalem connexionem, non verò quod sit proprietas substantiæ vt sic, aliàs cuicumquè substantiæ omnia accidentia naturaliter deberentur, & sine illis esset læsa, quod nemo dicet, solùm accidens vt sic, & indeterminatè posset dici proprietas substantiæ simili confusione, & indeterminatione conceptę. His præsuppositis.

Sex proprietates assignat Aristoteles, & attribuit substantiæ. Prima est, non esse in subiecto. Quæ licet in negatione consistat, non est inconueniens, loquēdo non de passionibus physicis, sed de proprietatibus metaphysicis, vt cōstat in aliquibus proprietatibus entis, & aliorū prędicamētorū.

Solet

Solet obijci, quòd hæc negatio essendi in subiecto non conuenit formæ substantiali, ergo non est proprietas substantiæ. Sed respondetur Aristotelem hic loqui de substantia completa, & de subiecto inhæsionis, vnde quando non conueniret formæ, quæ non completa est, nō desineret proprietas esse substantiæ completę, & quamuis forma esset substantia completa, cōueniret illi talis proprietas, quia non est in subiecto per inhęsionem, sed per informationem, quę est modus longè diuersus.

Secunda proprietas est vniuocè prę3dicari, quę solùm conuenit secundis substantijs, vt ait Aristoteles, nam primę de nullo pręlicantur. Sed intelligendum est de nullo inferiori eiusdem lineę: nam si sermo sit de ęquali, optimè potest quęlibet pars inadęquata primę substātię de ipsa confusè concepta doctrinaliter pręsdicari, vt dixi tractando de indiuiduo: v.g. *Petrus est hoc animal*. Rursus intelligitur hęc proprietas de prędicatione vniuersali essentiali: nam quartum, & quintum prędicabile accidentis vniuocè accidentaliter possunt prędicari.

Sed dices adhuc: ratio primę substantię dicitur vniuocè de omnibus primis substantijs: ergo non est proprietas solius secundę vniuocè prędicari de inferioribus. Respondetur; quod prima substantia in actu exercito, de qua est sermo in pręsenti, nullatenùs prędicabilis est de inferioribus, secùs verò illa confusè, & in actu signato cōcepta, quopacto imitatur magis secundas substātias, sed quia analoga est, vt dixi, loquendo de indiuiduo in communi, & consequenter nec genus, nec species, idcirco nec secunda substātia est.

Tertio proprietas est, significare *hoc aliquid*, id est, significare rem singularem, quam dicit conuenire soli primæ substātiæ, quia secundæ non significant aliquid singulare, & determinatum. Sed dices: etiam accidentia significant rem singularem, vt hęc albedo: ergo non est proprius solius substantię. Respondetur Aristotelem per singularem intelligere rem singularem per se existentem, nam hoc sonat vox *hoc aliquid*: & ideo opponit eam contra quale quid, accidens verò singulare dicit hoc quale, vel hoc adiacens.

ARTIC. II.

Quomodo substantia dicatur non habere contrarium?

Quarta proprietas substātiæ est, nō habere contrarium. Contra quā obijci potest idem Aristoteles: *Aristote. artic. 1.*

vbi

vnum, in quo ipsę incompossibiles sint, sed diuiditur in illis, ita vt secundùm diuersas realitates ambę simul compatiantur cum eodem genere, & minimè adinuicem se expellant, & secundùm eandem realitatem nec successiuè, nequè vllo modo etiam de potentia absoluta potest vna alteram expellere.

Ad tertium dico, elementa non pugnare aut contrariari ratione sui, vel secundùm substantias suas, sed solùm secundùm qualitates, & dispositiones, quæ qualitates sunt, vnde solùm radicaliter, non formaliter contraria dici possunt, vt notat Episcopus noster Oña. *Episcop. Oña.*

Ad vltimum respondeo, formas substantiales non esse substantias prædicamentales, sed partes illius, vt dixi. Præterea: licet vna forma sit alteri incompossibilis, non propriè contraria, quia definitio contrariorum est, *Quod sub eodem genere maximè distent, & ab eodem subiecto mutuò se expellant*, formæ autem substantiales nec mutuò se expellunt, nam forma cadaueris expellit formam hominis, & forma hominis numquam cadaueris formam expellit, sed alia forma vermis, vel cineris. Nec maximè distant, sed possunt solo numero, vel genere proximo differre: nec sunt in eodem subiecto inhęsionis, de quo intelligitur ab omnibus definitio contrariorũ.

ARTIC. III.

Quomodo substantiæ conueniat non suscipere magis, & minus?

QVinta proprietas substantiæ est, non suscipere magis & minus: quæ etiam verissima est. Sed dicunt aliqui solùm esse veram, de maioritate accidentali, non de substantiali, vel essentiali: nam vna substantia est maior in perfectione essentiali, & maior in extẽsione entitatiua: & primá substantia dicitur magis substantia, quàm secunda, vt dictum est: solũ ergo exclusit philosophus magis, & minus accidentale, s. vel secundùm intensionem, vel remisionem, vel secundùm quantitatem.

Sed puerilis consuetudo est, tot exceptiones adhibere regulis generalibus, quot se offerunt argumenta contra illas: si enim magis, & minus in perfectione essentiali est simpliciter, imò proprissimè magis, & minus, & similiter in extensione entitatiua, & aliàs Aristoteles loqutus fuit vniuersaliter, & doctrinaliter, quo fundamento apparente possumus eius doctrinam tot exceptionibus limitare? Præsertim *Aristote.*

sertim cum ipse fuerit præcipuus inuentor, & Doctor modi loquēdi vniuersaliter, & asserat sola vna singulari contradici, & falsificari propositionem vniuersalem, & solùm æquiuocas distinguendas, eo quod vniuersales non sint, vniuocas verò absolutè negandas, si in vno singulari deficiant, minimè de eius mente dubitari potest, quod sicut vniuersaliter loquutus fuit, ita, & vniuersaliter senserit.

Prætetea eàdem ratione possemus absolutè dicere, quod qualitas non suscipit magis, & minus, quia secūdùm essentiam suam, & secudùm quantitatem non suscipit magis, & minus, licet secundùm latitudinem gradualem illud suscipiat: & de quantitate similiter eo quod non suscipit magis, & minus secundùm intensionem; sicut ergo satis est suscipere propriè magis, & minus in aliquo genere, vt absolutè tribuatur illi hæc proprietas, sic, & multo potiori iure substātiæ, quæ multis modis suscipit magis, & minus, & præcipuè in essentia, à qua sumitur vnitas, varietas, & inæqualitas, simpliciter alicuius rei.

Rursus, etiam conuenit substantiæ suscipere, magis, & minus accidentaliter: nam substantia corporea accipit magis, & minus in se ipsa, secundùm extensionem, & quantitatem, quæ quæ est passio illius: ergo nec de maioritate accidentali verificatur proprietas, quam tribuit illi Aristoteles, ac proinde inepta est illius expositio.

Item, magis & minus, substare, hoc est, pluribus, & paucioribus accidentibus, in quo ratio primæ, & secundæ substantiæ differunt, discrimen accidentale est: ergo non solùm essentialiter, sed etiam accidentaliter substantiæ cōuenit suscipere magis, & minus. Deniquè restat assignare rationem, quare substātia non suscipiat magis, & minus in eo sensu, quo hæc negatio illi tribuitur; ex ratione enim huius attributi magis cōstabit, in quo sensu intelligi debeat.

Resoluitur difficultas.

Dicendum ergo est, philosophū vniuersaliter loquutū fuisse, sicut eius verba sonant: & ratio illius asserti est manifesta: nam substantia formaliter vt talis, est conceptus quidditatiuus cuiuslibet rei; sed conceptus quidditatiuus non suscipit magis, & min⁹: quia omnis essētia cōsistit in indiuisibili: ergo nec substantia formaliter vt talis est. Maior probata est quæstione prima. Et roboratur: quia propter hoc solæ partes essentiales dicuntur substantiales, & solus modus essentialis substantialis dicitur: quia essentia, & substātia idem sunt.

Minor

Minor etiam principalis syllogismi confirmatur amplius: quia propter hoc essentiæ dicuntur sicut numeri, quia sicut variatur quilibet numerus quauis addita, l. sublata indiuisibili vnitate, eo quod in indiuisibili eius ratio consistat, ita essentia destruitur & variatur, quolibet essẽtiali sublato, vel addito, etiam si sit minutissimus modus, vel extrinsecum connotatũ; dummodo essentiale sit: ergo nullus cõceptus quidditatiuus potest suscipere magis, & minus, eo enim ipso erit iam alia essentia distincta similiter in indiuisibili consistens, & incapax suscipiẽdi magis, & minus.

Ex quo ad primam exceptionem de maioritate in perfectione essentiali facile respondetur, in ea esse principaliorem repugnantiam substantiæ ad suscipiendũ magis, & minus propter rationem dictam, quod autem vna species sit perfectior alia, nihil obstat: quia nulla eorum suscipit magis & minus, vtrunque enim conuenire debebat eidem substãtiæ, sicut magis, & minus secundùm intensionem conuenit eidem qualitati, & magis, & minus secundùm extensionem eidem quantitati, quæ augetur, & diminuitur: at in substantia, quæ perfectior est essentialiter, semper est magis, & quæ imperfectior est, semper est minus, ac proinde de nulla earũ verificatur, quod suscipiat magis, & minus, sed tantùm de collectione plurium, quod nihil interest, nam propositio illa vniuersalis non est vniuersalis collectiuè, sed distributiuè, sicut intelligitur semper quodlibet vniuersale logicum, v. g. quando dicitur homo est animal rationale: non satis esset, quod Petrus esset tantùm animal, & Paulus tantùm rationalis, sed totum illud prædicatum debet esse totum in omnibus, & in quolibet, sic ergo in præsenti.

Ad secundam exceptionem respondeo, substantiam nullas habere partes præter essentiales nisi ratione quantitatis, vt est indubitata Philosophi sententia, & Sancti Thomæ, & sequenti conclusione de quantitate probabitur; nam omne magis & minus, eo ipso quod essentiale non sit, neque substantiale dici potest, ac proinde erit extra conceptum substantiæ. *S. Thom.*

Ad tertium respondetur, quod substare magis, & minus non conuenit eidem substantiæ adæquatè à parte rei, sed vel diuersis, vel eidem prout adæquatè, vel inadæquatè conceptæ: nam genera, & species, quæ dicuntur secundæ substantiæ, sunt conceptus inadæquati primarum,

Soluitur obiectio.

Dices : non suscipere magis, & minus secundùm essentiam, etiam nulli accidenti conuenit: ergo non est proprium solius substantiæ. Probo antecedens; quia omnis essentia cuiuslibet rei siuè substantialis, siuè accidentalis in indiuisibili consistit, ac proinde non suscipit magis, & minus. Præterea accidentaliter aduenit qualitati suscipere magis, & minus, supposito quod est proprietas illius, sed hoc modo etiam substantia potest suscipere magis, & minus ratione accidentis: nullum ergo discrimen est quantùm ad hoc inter substantiam, & accidentia, quæ suscipiunt magis, & minus.

Respondetur ad primū, quod non suscipere magis aut minus eo modo, quo substantiæ, nulli accidenti conuenit: hæc enim est differentia inter substātiam, & accidentia, quod explicitus conceptus substantiæ significat essentiam simpliciter, vel conceptum absolutè primū alicuius rei, & quilibet alius conceptus, eo ipso quod essentialis non sit, neque est substantialis, sed accidens illius, ideoquè nulla est latitudo in substantia, aut diuisibilitas præter essentialē, ac proinde nec maius aut minus secundùm extensionem, nec magis aut minus secūdùm intēsionē: at quantitas vel qualitas non dicuntur explicitè : nec propriè essentiæ, sed tantùm analogicè, explicitè verò, & simpliciter sunt accidentia, quia non sunt conceptus absolutè primi alicuius rei, sed tantùm secundi, ideoquè præter diuisibilitatem essentialem, quæ illis competit, quatenus essentiæ quędam sunt saltem secundùm quid, non repugnat illis diuisibilitas alia seu latitudo extensiua, à qua tales formæ denominantur suscipere magis, & minus aliquo modo.

Hinc enim fit, quod quantitas, vel extensio posit esse maior, & minor, & album magis, & minus album, ita vt ipsamet forma albedinis, quæ prout abstracta ab hoc, vel illo gradu dicitur secundùm quid essentia, modificet subiectum magis, & minus, & sit indiferens ad diuersos gradus eiusdem essentiæ, at substantia minimè, nec dicitur magis, & minus, nec maior aut minor, nisi varietur essentialiter, & tunc iam non erit magis, & minus eiusdem essentiæ, sed diuersarum essentiarum, vt dictum est.

Ex quo ad secundum obiectū respondetur, quod licet quantitas accidentaliter dicatur tanta, vel tanta, & albedo magis, & minus dealbīs, nihilominus, sunt modi ita intrinseci, quod ipsam for-

formam denominent, & faciant suscipere magis, & minus, vt patet in dictis propositionibus: in substãtia verò minimè cõtingit, propriè loquendo magis, & minus substantiam dici eã, quæ intensiorẽ qualitatem, vel extensiorem quantitatem habet, nisi tantùm abusiuè.

Dices adhuc: plura sunt accidentia, quibus nõ minus repugnat suscipere magis & minus, ac substantię: vt figura quãtitatis, triangulus, quadrangulus, situs: & in spiritualibus naturales potẽtię, v.g. intellect', & volũtas, &c. ergo ruit discrimen assignatum inter substantiam, & cætera accidentia.

Responderi posset propter hoc, nõ esse propriũ quarto modo respectu substãtiæ, hoc quod est non suscipere magis, & minus. Sed melius iuxta dicta respondeo, quod negatio suscipiendi magis, & minus est propria solius substãtiæ, si attẽdatur modus specialis, quo illi conuenit: cum illi enim competat, quia est formaliter, & explicitè essentia simpliciter rei, excludit per se, & ratione sui omnem latitudinem, & diuisibilitatem præter essentialem. s. tàm extensiuam, quàm intensiuam; accidens verò, cum non sit essentia simpliciter, sed respectu conceptus prioris dicatur accidens, & respectu posterioris essentia, ac proinde sit conceptus abstrahens aliquo modo ab vtraq; ratione, nõ dicit indiuisibilitatẽ vt sic in omni genere, sed tantùm in aliqua speciali ratione, & ideo nõ excludit omnem diuisibilitatem eiusdem essentiæ, sed tantùm aliquam specialem oppositam illi, quam essentialiter importat. V.g. triãgulus, & quæuis alia figura, quamuis excludat quartum angulum, vel partes & hetærogeneas, non excludit maiorem, & minorem extensionem homogeneam eiusdẽ figuræ, & quantitas quamuis non suscipiat magis, & minus secundùm intensionem, suscipit magis, & minus secundùm extensionem.

Intellectus item, & voluntas, vel habent latitudinem gradualem, vt aliqui dicunt, vel si eam non habent, non est, quia illis repugnet ratione sui, sicut repugnat substantiæ, sed quia radix substantiæ, ex qua physicè emanant, semper operatur suas proprietates secundùm vltimum suæ potentiæ, & sicut ipsa nõ suscipit magis, & minus, ita neque proprietates illius, non repugnat tamen lumen naturale intellectus intendi, & remitti, sicut nec lumini super naturali repugnat, in quo est eadem ratio.

ARTIC. IIII.

Quomodo substantiæ conueniat esse susceptiuam contrariorum?

SExtam,& vltimam proprietatem substantiæ Aristoteles asignat his verbis: *Maximè verò proprium substantiæ videtur, cum vnum, & idem numero sit contrariorum susceptiuum esse.* Circa quam est prima difficultas, quod Aristoteles assignare videtur hanc, vt proprietatem quarto modo respectu substantiæ, cum dicat hoc esse maximè proprium substantiæ, & tamen nequè omni, nec soli substantiæ conuenit. Primò enim non conuenit omni, quia non conuenit secundis substantijs, quæ non substant nisi ratione primarum, & verba ipsa Aristotelis indicant solis primis substantijs conuenire: ait enim esse maximè proprium substantiæ, quod vna numero manens, sit contrariorum susceptiua, esse autem eădem numero, est esse primam substantiam.

Præterea nequè cōpetit omnibus primis substantijs: nam cæli, intelligentiæ, & aliæ huiusmodi sunt veræ, & propriæ substantiæ prædicamentales, & tamen non possunt suscipere contraria.

Rursus, quod nequè soli substantiæ conueniat, patet: quia quantitas, est subiectum immediatum accidentium contrariorum, & in Sacramento Eucharistiæ est primum, & vltimum subiectum illorum, ea in se recipiens absquè iuuamine, & consortio substantiæ. Intellectus similiter, & voluntas recipiunt suos actus, in quibus sæpè accidit contrarietas.s. assensus, & dissensus scientiæ, & erroris, amoris & odij, &c. Tandem quod non semper substantia cōtraria recipiat, manifestum est; non est ergo hoc maximè propriū substantiæ siquidē nec omni, nec soli, nec semper de illa verificatur, quæ tria requiruntur, vt aliqua sit proprietas quarto modo.

Nihilominus omisis varijs dicendi modis, sententia Aristotelis vera est, nullumquè ex asignatis argumentis conuincit oppositum. Ad primum enim respondeo, quod tàm secundæ, quàm primæ substantiæ cōuenit suscipere cōtraria, sicut & recipere accidentia, substare enim accidentibus, etiam secundis substantijs conuenit verè, & propriè, sicut & subsistere.

Quinimo, vt benè notant Albertus, Antonius, Andreas, & alij, primæ substantiæ habent recipere accidētia, & cōsequenter con-

contraria virtute secundarum, ex eo quod virtus tàm productiua, quàm receptiua conuenit primæ non ratione vnitatis indiuidualis, sed ratione naturæ substantialis, indiuiduatio autem est status, vel conditio, sine qua non poterit secunda substantia actu substentare accidentia: vtriquè ergo substantiæ cōuenit substare, & consequenter contrarijs accidentibus subijci, sed vni ratione alterius, & è cōtra in diuerso genere causæ. s. secundæ vt causæ directè substentanti, sine qua prima non poterit accidentia recipere: & primæ, vt conditioni requisitæ, sine qua secunda in actu exercito suàm causalitatem exercere nequibit.

Nec verba illa Aristotelis, *eadem numero manens*, ponuntur ad excludendam secūdam substantiam, sed ad significandum, contrarietatem debere attendi respectu eiusdem numero subiecti, ac proinde requiri indiuiduationem, vt conditionem requisitam, sine qua non illa recipiet, supponit tamen primam substātiam includere secundas, quia indiuiduum, vt omnes docent, naturam specificam, & genericam vsquè ad rationem supremam includit.

Ad tertiū respondetur, quod si sermo sit de contrarijs in tota sua latitudine pro his, quæ sub eodem genere posita maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt, omnis substantia est susceptiua contrariorum, non quod quælibet substantia possit recipere omnia cōtraria, sed solū aliqua. Quod dico propter substantias incorruptibiles: (de quib⁹ est difficultas) cæli enim possunt recipere motus contrarios ab ortu in occasum, & ab occasu in ortum, non solùm, qui sunt super diuersos polos, vt de facto contingit, sed etiam supra eos polos, quos non habent actu, possent tamen habere per aliquam potentiā absquè præiudicio suæ naturæ: recipiunt etiam diuersa vbi secundum partes, recipiunt etiam lumen, & priuationem illius. Intelligentiæ verò quāuis non recipiant contraria materialia, quia non nisi spiritualia accidētia ipsis proportionata recipiūt cōsequenter cōtrarijs spiritualibus substant successiuè; scientię, s. & errori in intellectu, amori, & odio in voluntate, virtutū, & vitiorū habitibus, &c.

Ad quartum respondetur, quantitatem, & cætera accidentia esse solùm subiectum *quo* respectu accidentiū, & contrariorū: esse autē subiectū *quod* soli substātiæ cōuenit, & vt sic est proprietas illius quarto modo.

Ad vltimum respondetur, proprietatem substantiæ non esse, quod sit actu contraria recipiens, sed quod sit contra-

riorũ susceptiua, quinimò cum contraria non possint simul esse in eodem subiecto, esset implicatio in terminis, quod essent contraria, & actu illa reciperet: solùm ergo est illorum sucesiuè receptiua, & sic semper conuenit substantiæ.

SECTIO V.

De quantitate.

INTER cætera prędicamenta accidentium primum locum tribuit Aristoteles quantitati, tam in libro prędicamentorum, quàm in quinto metaphysicę, & alijs locis (in quibus decem genera, seu prædicamenta numerat) non quia cæteris nobilior sit, aut perfectior: præstantior enim est qualitas, sed quia ordine naturæ prior est, & substantiæ propinquior, fundamentumque aliquo modo respectu aliorum accidentium, quatenùs est ratio, qua mediante substantia illa recipit. In quo est sermo de materialibus: nam spiritualia accidentia nullam dependentiam, aut connexionem habent cũ quantitate. Et quãuis obijci posset, qualitates propinquiores esse spiritualibus substantijs, ex quibus etiam præcipuè constat primũ substantiæ genus. Respondetur Aristotelem, & eius expositores magis attendisse ad res materiales nobis notiores, & nostro modo intelligendi accommodatiores, ideoquè ex rebus corporeis formamus semper substantiæ prædicamentum, eisquè semper frequentiùs in disputationibus vtimur.

QVÆSTIO I.

De quantitate quoad suam essentiam.

ARTIC. I.

Vbi exponitur textus Aristotelis de quantitate?

PRiùs tamen ad ea, quæ dicenda sunt, textũ Arist. de quantitate præmittere oportet. Egit enim in cap. 2. prędicam. de diuisionib⁹, & proprietatib⁹ quãtitatis, quãtũ satis est, vt hoc prædicamentum à cæteris, *Aristote.* logicè

logicè discernatur, reliqua, quæ de illius essentia, & natura desiderari poterant, omittens vsque ad Metaphysicam.

Primò igitur diuidit quantum, aliud esse continuum, aliud esse discretum. Continuum, inquit, est illud: *Cuius partes copulantur termino communi*, qua ratione partes lineæ copulantur punctis, & partes superficiei copulantur lineis, & partes corporis superficiebus. Dicitur autem *terminus communis*: quia terminat, & afficit vtramquè partem, & est vtriusquè communicatio. Quantum discretum est illud, cuius partes non copulantur termino communi. Cuius sunt duę species. Numerus, s. & oratio: nam partes numeri ternarij, v.g. hominum, nullo termino ipsis communi copulantur.

Aducit item quinque species quātitatis continuæ. Lineam, superficiem, corpus, tempus, & locum. Linea est extensio solùm secundùm longitudinem. Superficies extensio secundùm longitudinem, & latitudinem. Corpus verò secundùm longitudinem latitudinem, & profunditatem. Tempus est *Extensio quædam successiua, cuius partes copulantur instantibus*. Et locus *Extensio quædam commensurata, & correspondens quantitati corporis locati*.

Aristote. Diuidit secundò Aristoteles quantitatem. Quantum *aliud constat partibus habentibus positionē in cōtinuo. Aliud verò constat partibus non habentibus positionem in continuo.* Habere partes positionem in continuo, nihil aliud est, quàm quod habeāt inter se dispositionē; quę dupliciter intelligi potest, vt notat S. Thomas, alia est enim dispositio partium in loco, & hæc est vnum de decem prędicamentis, qui dicitur situs. Alia est dispositio partium in toto, seu in ordine ad se, & sic est ratio intrinsecè imbibita in ipsa extensione continua permanente quātitatis, eo ipso quod habet partes copulatas termino communi: nam debet certo ordine eas habere, s. vnam post aliam. Hac ratione caput est super collum, & collum super pectus, & cæteræ partes similiter seruant inter se certum quendam ordinem, & dispositionem. Contraria autem ratione numerus, oratio, & tempus non habent positionem in continuo: nam partes numeri non habent certum ordinem in loco, & similiter partes temporis, quia non sunt permanentes, sed successiuæ; nec possunt simul existere, atquè aliquem situm inter se habere.

S. Thom. opusc. 48. cap. 4. de quantitat.

Tertiò diuidit Aristoteles quantū aliud per se, & aliud per accidens. Per accidens dicitur quodlibet aliud corpus, quod denominatur à quantitate, substātia, v.g. albedo, &c. Quantum per se

se est ipsamet quantitas: quę hoc peculiare habet, quod etiam denominetur quanta, quatenus ex se, & in abstracto sumpta est compositum quoddã ex partibus: seu quod habens partes extra partes, & propter hanc peculiarem rationem fortasse vtitur semper Aristoteles, tàm in diuisionibus, quàm in definitionibus quantitatis, nomine *quantum* in concreto.

De proprietatibus quantitatis.

Prima est, quod quãtitati nihil sit cõtrarium. Contra quam obijcit Aristoteles: magnum, & paruum, multũ & paucum sunt quantitates, & inter se contrariæ: ergo. Secundò, locus sursum contrariatur loco deorsum, & tamen est species quantitatis. Tertiò obijcit Xuares: augmentatio, & diminutio sunt motus contrarij, ergo tendunt ad contrarios terminos, quia contrarietas motuum ex contrarietate sumitur terminorum, sed hi motus non terminantur ad relationes, quoniam ad ipsas non datur per se motus, vt dicemus, ergo ad quãtitates, s. ad corpus maius, & minus: poterit ergo quantitas habere contrarium.

Xuares. disp. 41. metha. sect. 2. nu. 2.

Respondet ad primum Philosophus, magnum & paruũ esse de genere relationis, & opposita solũ relatiuè, nõ autem propria contrarietate: nã magnum dicitur tale in ordine ad paruũ, vnde contingere potest, quod idẽ respectu diuersorũ dicatur magnũ. Homo. s. respectu formicę, & paruũ, si cõparetur ad mõtẽ.

Patet rursus: quia relatiua sunt talis naturæ, quod vnũ sine alio considerari non possit, quod non accidit in contrarijs: possumus enim cõsiderare albũ sine nigro, non tamen paruum nisi per ordinẽ ad magnũ: ergo. Item contrariè opposita pugnant respectu eiusdem subiecti, sed quantitas magna, & parua non possunt esse in eodem subiecto, etiam successiuè, quia eo ipso quod augeatur quantitas, augetur subiectũ, vt suo loco dicetur: ergo nulla illis accidit cõtrarietas. Idem dici potest de loco sursum, & deorsum: aer enim respectu cæli est deorsum, & respectu terrę, est sursum. Vel secũdò, si est aliqua cõtrarietas, est in ratione. Vbi, non in ratione quantitatis. Vbi enim potest habere contrarium.

Ad tertium omisis alijs, respõdetur, quod augmẽtatio, aut diminutio non opponuntur contrariè, neque propriè sunt motus cõtrarij, sed opponũtur priuatiuè eo modo, quo opponuntur generatio, & corruptio: quia diminutio tendit in minorẽ quãtitatẽ, in quantũ dicit priuationẽ, & corruptionẽ maioris, quomodo fiat, dicitur libris de Generatione, quoniam alienum valde

valde est à præsenti instituto.

Secunda proprietas est, non suscipere magis, & minus. Quidam dicunt limitaté intelligendã esse. s. secundũ intensionem: nã secudùm extensioné certum est, quantitaté magis, & minus recipere. Sed propriè loquendo, licet detur maius, & minus in quantitate, nõ tamen magis, & minus: vna enim quãtitas dicitur maior altera, v.g. albedo triũ palmorũ dicitur maior, quã albedo duorũ, non tamen magis de albans subiectũ. Vt notat optimè Sanctus Thomas, dicés, magis, & minus solũ prouenire à modo intésionis, & remissionis qualitatis in eodem subiecto, & parte subiecti, non autem ab extensione, cuius partes diuersæ sunt in diuersis partibus subiecti, atquè adeò non reddunt illud magis, sed maius.

S. Thom. opusc. 48 tract. de substantia cap. 4.

Tertia proprietas est, quod secudũ eã res dicantur æquales, vel inæquales: Contrà quã obijci solet: æquale & inæquale esse relatiua: ergo nõ passiones quãtitatis. Respõdent aliqui æqualitaté, & inæqualitaté, si fundamétaliter sumãtur, pertinere ad quãtitaté, si verò formaliter, ad relationé. Sed facilius, & melius respondeo, nullũ esse inconueniens, quod relatio sit passio alicuius absoluti, sicut accidens est passio substantiæ: & relatio ad creatoré est passio cuiuslibet creaturæ, & infra alia huius veritatis adducemus exempla.

Aliæ proprietates ex doctrina eiusdé Aristotelis colligũtur ab expositoribus, de quibus infra, nunc autem illas omisit Philosophus, quia quantitatis exactã doctrinã non tradebat, prædicta tamquã principia certa in hoc articulo ex Aristotele collecta sunt, vt ex illis essentiam quantitatis, & distinctionem illius à cæteris predicamétis (quę sanè difficilis est) deducere possimus.

ARTIC. II.

Proponitur definitio Aristotelis de quãtitate.

PRimò enim distinguenda est cum communi sententia duplex significatio huius nominis *quantitas*. Alia namquè dicitur quantitas virtutis, quæ significat extensionem, aut latitudinem perfectionis siuè essentialis, siuè accidentalis, qua ratione Deus dicitur magnus, & infinitus in omni genere entis, & perfectio vnius speciei maior, vel minor altera, de hac non est sermo in præsenti cum vagetur per alia prædicamenta. Alia est quantitas molis, quæ consistit in extensione, & latitudine partium integralium,

lium, eamquè tribuit, formaliter subiecto, cui inest, cuius distinctio à cæteris prædicamentis minimè percipietur à logico, si eius rationem formalem priùs non inuestigare conetur.

Hæc autem ex definitione, quàm tribuit illi Aristoteles, deducenda est, inquit enim. *Quantum est diuisibile in ea, quæ in sunt quorum vtrumquè, vel vnum quoquè, vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse*. Dicitur *in ea quæ insunt*, id est, in ea quę in ipso quanto realiter, ac formaliter sunt, ad excludenda ea, quæ tantùm virtute in aliquo continentur, vt elementa in mixto.

Aristote. 5. met.

Additur deinde has partes tales esse, vt non solùm omnes simul, sed etiam earum singulæ vnum quid, & hoc aliquid esse posśint, id est, per se vt vnum quoddam totum ab alijs separatum manere; quantùm est ex parte ipsius quantitatis, ad excludenda omnia alia composita, quę licet diuidi, & resolui possint in ea, quę insunt, non tamen ita, vt vnaquęquè pars apta sit esse vnum quid, & hoc aliquid, vt sunt partes essentiales, quæ post diuisionem non habent rationem totius. Etiam anima rationalis, licet separata posśit existere, semper retinet partis rationem, & inclinationem naturalem ad totum, ac proinde nõ vt totum, vel hoc aliquid, sed vt aliquid alterius existit. Reijciũtur similiter gradus qualitatis, quorũ quilibet ab alio separatus manere nequit, eo enim ipso destruitur, quia qua ratione ab alio disiungitur amouetur à subiecto, in quo vterquè erat, & consequenter perijt.

Dices: partes hetereogeneæ sunt quantitatiuæ, & post diuisionem non possunt manere, vt hoc aliquid: manus enim hominis, vel caput non est homo, sed semper retinet rationem partis respectu hominis; solùm ergo quantis homogeneis videtur definitio competere, in quibus pars aquæ, v.g. est aqua absolutè, & pars aeris aer, &c. igitur definitio non quadrat quantitati in communi.

Respondetur ex doctrina S. Thomæ postea explicanda, & Aristotelis, quod diuisibilitas propria quantitatis est solùm in partes eiusdem rationis, quando autem est in illis diuersa ratio, prouenit ex formis essentialiter diuersis aliorum generum, & ita partes hetereogeneæ in ratione corporis quanti eiusdem rationis sunt, differunt verò, vel ratione materiæ quantæ, quæ essentialiter diuersa sit in sanguine, v.g. ossibus, & carne, vel ratione diuersarum dispositionum aut figuræ situalis.

S. Thom. Aristote.

Sed licet definitio illa essentialis dici posśit absolutè, non tamen est omnino exacta, & rigoro-

rigorosa, quia definitur in ea quantum in concreto, quod simpliciter est ens per accidens. Sed dicunt aliqui ideo id fecisse Aristotel. quia hoc est proprium quantitatis, quod non solùm denominet res alias extensas, sed etiam se ipsam: quia ipsamet extensio quantumuis abstractè sumatur, habet partes extra partes, ac proinde est per se quanta. Sed huic expositioni obstat particula illa, *vnum quid & hoc aliquid*, quod potest esse quælibet pars quanta post separationem, vt continet definitio, & verificari nequit de quauis parte quantitatis in abstracto, imò nec de partibus cuiuslibet rei quantæ, nisi solùm substantiæ: nam ei solùm competit esse hoc aliquid.

Nihilominus potest etiã generaliter definitio intelligi de omni quanto, abstrahẽdo à quanto per se, & per accidens, & intelligẽdo *vnum quid, & hoc aliquid* non solũ in toto rigore, sed sicut accidens in abstracto dici solet ens per se, etsi analogicè; sic vnum quid, & hoc aliquid. Et sic sensus definitionis est, quod quantum est diuisibile in partes eiusdem rationis cũ toto, quia in qualibet saluatur tota quantitatis essentia cum sit diuisibilis in semper diuisibilia: quod intellige formaliter, vt quantum est, vt explicui, quidquid sit de ratione materiali.

Arguitur contra definitionem positam.

Obijci solet cõmuniter: quod cælum, & minimum naturale quanta sunt, & diuidi possunt. Cui aliqui respondent, saltem supernaturaliter per se diuidi. Alij verò, quod radicaliter, licet non proximè propter specialem conditionẽ subiecti. Sed neutra solutio est sufficiens: quia essentia naturaliter, & proximè debet reduci ad suas operationes siuè per se, siuè per instrumenta sibi cõnaturaliter debita, alioquim erit naturaliter læsa, & imperfecta, & non potest dici, quod cælum, vel eius quantitas sint imperfecta, & quod illis deficiat aliquid per se pertinens ad eius quantitatem, vel vt essentia, vel vt proprietas, qualis est diuisibilitas proxima, vt ipsi fatentur.

Nec satis est respondere, cælum per se esse diuisibile ratione quantitatis, per accidens autem ex speciali conditione subiecti diuidi non posse. Contra hoc enim est, quod incorruptibilitas, ratione cuius cælo repugnat naturaliter diuidi, non est conditio per accidens, sed omninò per se illi conueniens, & hæc licet sit compatibilis cum diuisibilitate radicali, quam tribuit arguens quantitati, ceterum destruit per se diuisibilitatem proximam, siquidem reddit illud naturaliter impo-

impotens, vt diuidatur. Preterea substantia sine quantitate iuxta oppositam sententiam potest à Deo, & ab Angelis diuidi; possetque illi acommodari triplex solutio data, quod s. esset supernaturaliter, vel radicaliter, vel per se diuisibilis, sed non esset quam, vt suponitur; malè ergo definitur quantitas per diuisibilitatem.

Propter hæc quidam ex iunioribus irridet definitionem dicens non esse alicuius œcumenici concilij, vt nos tantoperè solicitet eius defensio. Sed certè quando autoritas solius philosophi non penitùs moueat, authoritas Sancti Thomæ, & totius Scholæ illi adiuncta, quæ hanc, & aliàs definitiones recipit, & illis tamquàm primis principijs vtitur ad cæteras difficultates, quæ sequuntur, diluendas nos cogit, vt eas amplectamur, & verum ac legitimum earum sensum inquiramus, aliàs etiam cũ nulla alia definitio in Philosophia, aut Metaphysica sit œcumenici concilij, omnes contemni liceret, sicque nihil certum ex ipsis possemus deducere.

Satisfit obiectis.

Suppono ergo pro solutione, quod sicut diuisio potest dupliciter intelligi, vel actiuè, quatenus actio est, vel scisio alicuius diuidentis extrinseci, vel passiuè pro negatione vnionis inter aliquas partes, vel separatione, & distantia, quam inter se habent, transacta actione, quæ illas diuisit, vel diuisas produxit, sic proportionabiliter duplex diuisibilitas consideranda est. Vna actiua, quæ est denominatio extrinseca prouenjens quantitati ab agente, à quo eius partes diuidi aut separari possunt, quemadmodum res dicitur extrinsecè creabilis, aut intelligibilis à potentia extrinseca, quæ illam creare potest, aut intelligere. Alia est diuisibilitas passiua, & intrinseca rei quantæ, & hæc non est aliud, quàm habere partes distinctas, vel extensas, in quas diuidi, aut secari possit ab aliquo agente, & denominat intrinsecè, & absolutè diuisibilem abstrahendo ab hoc, quod ab isto, vel illo agente scindi possit: nam sicut Angelus dicitur absolutè possibilis, ex eo quod quantùm est ex parte sua, non repugnat illi esse, ac produci in rerum natura, licet non à quouis agente, imò à solo Deo possit creari, Et sicut Deus dicitur naturaliter, & absolutè intelligibilis, licet tantùm à se ipso, & à virtute supernaturali valeat intelligi, quia quantùm est ex se, habet entitatem repræsentabilem potentiæ cognoscitiuæ. Sic corpus habens partes extra partes quantùm est ex parte sua scindibile est absolutè, & diuisibile non

tantùm

tantùm remotè ac radicaliter, sed etiam proximè quantum est ex parte sua, quidquid sit de hoc an à solo Deo, vel Angelis, vel alijs corporibus quantis scindi posit: in hoc enim potest esse magna varietas iuxta actiuitatem extrinsecam agentium, & dispositionem rei quantæ, quæ omnia per accidens sunt respectu quantitatis.

Hoc ergo supposito, definitio assignata loquitur de diuisibilitate passiua, & intrinseca quantitati, sicquè euanescunt omnia argumenta posita, quia nullum est corpus quantum, quod non sit proximè diuisibile quantùm est ex parte sua indiuisibilitas autem actiua huius, vel illius agentis parii illi obest: quia non defectu sui, sed ex alijs capitibus extrinsecis, & accidentarijs ipsi quantitatis rationi, prouenit.

Dubium appendix.

Rogabis, an prædicta definitio essentialis sit, & omnino rigorosa, an tantùm descriptiua? Quidam aiunt descriptiuam, & accidentalem esse, quia diuisibilitas est proprietas quantitatis, nam est aptitudo proxima, quã habet res aliqua, vt diuidatur, quæ supponit extensionem partium; vt primarium cõceptum: ideo enim res diuidi potest, quia habet partes in quas diuidatur, & non è conuerso: ergo in extensione quidditas quantitatis, & in diuisibilitate proprietas ei⁹ consistit, ac proinde definitio illa essentialis non est, sed descriptiua.

Respondetur tamen, definitionem illam essentialem esse: nam diuisibilitas passiua, & intrinseca, quę exprimitur in quãtitatis definitione, est idẽ quod extensio, & latitudo partium, quæ (vt dicemus) est primarius, & quidditatiu⁹ cõceptus, aptitudo autem actiua est extrinseca denominatio ab extrinseco diuidente proueniens, quæ dici potest proprietas consequens, sed de illa non meminit definitio.

Hanc sententiam tenent graues Authores. Patetquè ex communi modo loquendi, quo omnes, eo ipso quod animaduertũt, rem aliquam distinctas habere partes, diuisibilem concipiunt, & punctum, eo ipso quod latitudine caret partium, indiuisibile affirmant: ergo absolutẽ distintio partium est diuisibilitas, & omnis indistintio indiuisibilitas, & quia non omnis distinctio partium est quantitatiua, vt patet in distinctione essentialium, ita neque omnis diuisibilitas.

Capreol. 1. d. 3 q. 5. ad 11. & d. 11. q. 1. ad 2. Soncin. 5. met. q. 12. Iau. q. 29.

(✠)

✠✠✠✠✠✠✠✠
✠✠✠✠✠✠
✠

A R-

ARTIC. III.

Consistat nè quantitatis essentia in ratione mensuræ, vel extensionis localis, aut in ordine ad se?

Capreol. 1.d.3.q.1. ad 11. *Iandu. 5. met. q. 2.* *S. Thom,*

QVidam dixerunt, formalẽ rationem quantitatis positam esse in ratione mensuræ tribuitur S.Tho. *opusc. 22. de nat. loci*, vbi ait: *Dicendum est quod propria ratio quãtitatis, quæ competit quantitati, vt quantitas est ratio mensuræ.* Tribuitur etiam Aristoteli, qui ponit species distinctas quantitatis ex diuersa ratione mensuræ. Et 5. *met. tex.* 18. explicãs duas primas species subalternas quãtitatis.s. magnitudinem, & multitudinẽ inquit: *Multitudo igitur quantum quid est, si numerabilis est, magnitudo verò si mensurabilis,* & 10. *met.* ait: *Esse autem mensuram cuiuscumquè generis primã, est maximè propriũ quanti, hinc enim, & ad alia aduenit.* Et ne dicas; ecce, maximè proprium, sed non essentiale, subdit: *Mensura enim est id, quo quãtũ cognoscitur, cognoscitur autem quantum vt tale, aut vno, aut numero*, hoc est cognoscitur applicatione, aut repetitione eiusdem quantitatis, aut vnitatis, quod est esse mensuram: ergo.

10. meta. textu. 2. quod est nitiũ c. 2.

Sed hæc sententia certè est improbabilis, inmeritoquè imponitur Aristoteli, aut S.Tho. nam vterquè quantitatis definitiones, & diuisiones assignant, non per rationem mensuræ, sed diuisibilitatis, aut extensionis cuius partes termino copulentur communi, vt visum est, & constat ex alijs locis vbi ex professò tractat Sanctus Doctor de hâc re.

Arist. 5. & S. Th. lec. 15. & 1. d. 19. q. 1. ar. 1. ad 1. & opusc. 42. c. 20.

Ad verba autem citata in oppositum respondetur, quod tam Aristoteles, quàm Sanctus Thomas solùm per rationem mensuræ intelligunt proprietatem quantitatis, non primarium cõceptum illius, & quia in logica posuerunt locum inter species quantitatis, quia vt infra dicemus, locuti fuerunt, de illa solùm iuxta vulgarem modũ sentiendi antiquorum, nihil ex propria sententia resoluentes vsque ad Metaphysicam, sed quãtùm satis fuit logico instituto, decẽ prædicamenta discernẽtes, ideo explicant locũ, & superficiẽ differre per diuersas rationes mẽsurandi, intrinsecè.s. & extrinsecè: in Metaphysica autem locũ excluserunt ab speciebus quantitatis, & solùm indiuisibilitate quantitatis rationem constituunt. Verba autem Aristotelis ex Metaphysica nihil nisi tantùm proprietatem exprimũt quan-

quando rationem mensuræ significaret.

Quod autem quantitatis essentia in mensurabilitate siuè passiua, siuè actiua nō posit cōsistere, id est, in aptitudine, vt mensuretur per aliam quantitatem, vel vt mensuret aliam. Probatur: quia esse mēsuram actiuam, vel pasiuam, præterquàmquod est quid valde accidentarium, & extrinsecum quantitati, &c. Necessariò supponit extēsionē, quę mensuret, vel mensurari posit, imò & impenetrabilitatē, & extensionem localē: ideo quantitas apta est, vt mensuret aliam, vel mensuretur, quia est tantę, vel tantæ extensionis tam in se, quā in ordine ad locum: ergo mensurabilitas non est prima radix, & essentia quantitatis, sed quid consequens illius essentiam.

Dices: saltem mensuram aptitudinalem esse essentiam quātitatis. Contra; quia etiam sine tali aptitudine intelligitur completè quantitatis essentia, per hoc quod sit extensio partium, vt dicetur; alioquin possemus dicere, quod aptitudo ad verberandam aliam quantitatem esset essentia illius, ex eo quod vna quantitas potest aliam verberare, hoc autem est planè falsum: ergo.

Præterea contra vtramquè sententiam, s. de diuisibilitate, & mensurabilitate, efficax argumentum sumi potest ex mirabili Sacramento Eucharistiæ, in quo est verè corpus Christi affectum sua naturali quantitate, vt sentiunt communiter Theologi, ita vt opposita sententia si non est erronea, vt aliqui asserunt, saltem sit temeraria, sed Christi quantitas existens sub speciebus panis, neque est diuisibilis, nec mensurabilis, cum totum corpus Christi sit sub tota hostia, & totum in qualibet parte, & indiuisibili illius, vt fides docet; ergo. Vide fusiorem huius sentētiæ impugnationem apud Xuarez. *Xua.d.40 met.sec.3.*

Quid de extensione locali, & impenetrabilitate?

Circa secundam partem articuli colligitur iam ex dictis, contra Durandum, Sotum, & alios, essentiam quantitatis non consistere in extensione partium in ordine ad locum, id est, in hoc quod habeat partes correspondentes diuersis locis, ita vt vna sit extra locum alterius. Probatur ex eodem mysterio Sacramenti Eucharistiæ: habet enim ibi corpus Christi suam quantitatem, & non extensionem in ordine ad locū, supposito quod totum corpus est in qualibet parte quantumuis minima hostiæ, & consequenter caput in loco vbi est manus, pes, &c. ergo extensio localis non est essentia quantitatis. Patet consequentia; quia nulla res nec naturaliter, nec


nec supernaturaliter potest esse sine sua essentia.

Præterea ratione philosophica: quia extensio localis est realiter distincta à quantitate: ergo non potest esse eius essentia. Probatur antecedens: quia manente inuariata quantitate, potest variari extensio illius in ordine ad locum. Aqua v.g. eiusdẽ quantitatis per condensationem occupat minorẽ locũ, & si rarefiat, maiorẽ, ergo hęc extẽsio realiter à quantitate differt. Colligitur idem de impenetrabilitate, id est, de incompossibilitate, quam habent partes, vt sint in eodem loco, & vna occupet spatium alterius, in ea, s. non consistere primariam rationem quantitatis: quia partes corporis Christi sunt adinuicem inter se penetratæ in Sacramento Eucharistiæ, & etiam cum quantitate panis, & aliorum accidentium, & tamen habent ibi suam naturalem quantitatem, vt dictum est, ergo impenetrabilitas non est quantitatis essentia.

Vera igitur, & cõmunis sententia est, essentialẽ quãtitatis rationem esse extensionem partium in ordine ad se, cui connaturaliter debentur, vt proprietates, impenetrabilitas, mensurabilitas, extensio localis, & diuisibilitas. Per extensionem in ordine ad se intelligitur, hoc quod est habere vnam partem extra essentiam, & entitatem alterius, huncque ordinem inter se seruare, quod caput immediatè vniatur collo, collum autem humeris, & mediantibus illis brachijs, & cæteris membris corporis, quidquid sit de extensione, quam tales partes habeant in ordine ad locum, id est, siuè in vno existant, siuè in diuersis locis.

Sic igitur explicata hæc sententia, facilè ex impugnatione aliarum probatur: nam illud est essentia alicuius rei, per quam primò constituitur in suo esse & distinguitur à quolibet alio, & est radix omnium aliorum attributorum, quæ dicuntur de tali re, sed sic se habet huismodi extensio: nihil enim imaginari potest, quod ad illam supponatur vt priùs, & cuius illa non sit radix, vel fundamentum, præter substantiam, aut rem quantam: ergo.

Restat tamẽ non parũ controuersa difficultas, quænam sit huiusmodi extensio, quæ est ratio formalis quantitatis, an sit extensio cuiuslibet rei siuè substantialis, siuè accidentalis, an verò specialis quędam extensio à cæteris diuersa.



A R-

ARTIC. IIII.

An omnis extensio, cuiuslibet rei sit quantitas?

Tenet Scotus in 2. dist. 12. q. 2. Herri. de Gād. 1. no quodli. 1. q. 4. Mars. in 4. q. 9 ar. 2. Maior. d. 12. q. 1. & 2. Basolis Paulus Venetus, Sotus, Fonseca. Suarez. Connimb.

PRima sententia satis celebris, & plausibilis in scholis est, quod non omnis extensio partium integralium etiā in ordine ad se proueniat formaliter à quantitate, & sit ratio essentialis illius, sed tantùm specialis quædam extensio, quæ est radix impenetrabilitatis, diuisibilitatis, extensionis localis, & mensurabilitatis.

Ita tenent grauissimi Doctores, quorum fundamentum est. Quia substantia materialis ablata quantitate, habet partes substantiales extra partes, quæ substant partibus quantitatis, ergo præter extensionem quantitatiuā prędicamentalem alia entitatiua, & transcendentalis concedenda est propria cuiuslibet corporis. Antecedēs probatur primò, quia substātia corporea in hoc ab incorporea distinguitur, quod hæc propter indiuisibilitatem, quam in se habet, est incapax recipiendi extensionem quantitatis, & aliorum accidentium materialium, illa vero, quia ex se diuisibilis, est proportionatum subiectum ad recipiendum partes quantitatis, ergo præter extensionem accidentalem quantitatiuā alia substantialis ex parte subiecti requiritur, in qua recipiatur accidentalis.

Secundò: quia quando diuiditur aliquod corpus, v. g. lignum non solùm diuiditur quantitas, sed etiam substantia, albedo, & reliqua accidentia corporea, ergo non solùm quantitas, sed etiam substantia, & reliqua accidentia habent partes inter se distinctas. Consequentia patet: quia post diuisionem ligni manent duæ partes, quæ intrinsecè sunt substantiæ, duæ albedines, &c. ergo non proueniunt formaliter à quantitate, quia quantitas nullum esse substantiale tribuere potest, &c.

Tertiò, quia duæ aquæ discontinuatæ possunt diuina virtute conseruari in re sine suis quantitatibus, sed tunc aqua vna est distincta, & separata ab alia per entitatem propriā substātialem, quæ sicut per se ipsam est ens ablata quantitate, ita per se ipsam est vna, & distincta ab alia, ergo talis distinctio conuenit illis, siuè sint continuatæ, siuè disiunctæ independenter à quantitate. Maior patet: quia si Deus in Sacramento Eucharistiæ potest separare quantitātem à substantia panis, & separatam conseruare, ita & è contra potiori iure quālibet substantiam po-

terit sine quantitate conseruare; quia multò magis pendet in suo esse quantitas à substãtia, quàm substantia à quantitate.

Exponitur Sancti Thomæ sententia.

S. Thom. in 2. d. 30 q. 2. ar. 1. & 1. p. q 50. ar. 2. q. 76. ar. 8 & 4. cõtr. 1 gentes, cap. Caiet. 1. par. q. 52. ar. 1. Capreo. 2. d. 18. Dur. 1. c. 34. q. 1. Alber. Mag. physic. tract. 2. c. 4. & Toletus q. 7. & Ferrara q. 18. cõsi. 5. met. q. 19. 21. & alij plures ex Thomistis antiquis.

Secunda sententia docet omnem extensionem partium prouenire formaliter à quantitate, nullamquè substantiã, vel corpus habere partes extra partes seclusa quantitate. Hæc est sine dubio vera, expressaquè Sancti Thomæ doctrina 1. *p. q.* 30. *art.* 3. *& q.* 5. *art.* 2. dicit, quod omnis distinctio, aut multitudo, quæ essentialis non sit, prouenient à diuersis formis, est accidentalis orta ex quantitate, & q. 50. *ar.* 2. sic scribit: *Materiam autem diuidi in partes, non conuenit nisi secundùm quod intelligitur sub quantitate, qua remota, remanet substantia indiuisibilis*; vt dicitur *phis. text.* 15. in quo loco Aristoteles eandem sententiam docet. Item *art.* 4. & alijs locis infert distinctionm numeralem in eàdem specie causari semper ex quantitate, ideoquè Angelos incapaces illius non posse intra eandem speciem multiplicari: citatquè nõ semel pro se Aristotelé 1. phisicorũ *cap.* 2. *textu* 15. & 5. *meta. cap.* 13. *textu* 17.

Preterea 4. *contra gentes cap.* 65. *in fine ait: quod remota quãtitate substantia omnis indiuisibilis est*, citatquè Philosophum pro hac sententia in 1. physicorum. Item *opusc.* 42. *de nat. gen. cap.* 6. *ait: ad hoc quod forma vniatur materiæ, in qua est aptitudo ad multas, & diuersas formas, oportet statim in materia partem, & partem ponere, sed non est pars, & pars nisi per quantitatem, quæ est proprium accidens corporalis substantiæ.*

Et 3. *par. q.* 75. *art.* 70. & 76. *art.* 3. & 8. *præsertim art.* 3. Ponderanda est ratio, qua probat corpus Christi indiuisibiliter, & totaliter esse non solùm in tota Hostia, sed sub qualibet minima illius parte: *Quia s. est sub Hostia eo modo, quo antea erat substantia panis, substantia autem panis, & quæuis alia, quæ continetur sub quantitate, & accidentibus suis, est indiuisibiliter tota sub omnibus & sub qualibet parte ipsorum.* Qui discursus verus non esset; si substantia haberet ex se partes entitatiuas distinctas, vt præintelligitur quantitati, nam ad hoc illas constituunt authores oppositi, vt per eas substantia ita quãtitati commensuretur, vt per quamlibet sui partem cuilibet parti quantitatis diuisibiliter correspõdeat, & non sit tota sub omnibus.

Nec valet, quod exponit Suarez super illum articulum, ibi loqui de essentia substantiæ, vt præcedit non solùm quantitaté, sed etiam extensionem entitatiuam ipsius met substantiæ, quo-

modo est tota in qualibet sui parte quantùm ad essentiam, licèt non quoad entitatem.

Contra hoc enim est, quod sic ineptus esset Sancti Thomę discursus: nā infert corpus Christi esse indiuisibiliter totū sub qualibet parte quantitatis Hostiæ, quia sic erat sub eâdem quantitate substantia panis, cuius vices gerit corpus Christi: quæ consequentia vt teneat, vel vtráquè substantiá tàm Christi, quàm panis comparat ad eandem quantitatē, vel probat corpus Christi solùm quoad rationem essentiæ, & substantiæ vt sic, & non prout indiuiduum, & constans suis partibus singularibus esse totū sub qualibet parte Hostię, quod est cōtra id quod intendit Sanctus Doctor.

Constat prætereà ex vulgari modo loquendi omnium, qui quamcumque extensionem, aut magnitudinē in quauis materia sit, communiter quantitatem vocant, non excipiendo hanc, vel illam.

Rursus probari potest non leuiter ex communi sententia omnium cum Aristotele, & Sācto Thoma diuidētibus quātitatem in tota sua latitudine, prout abstrahit à propria, & impropria, in quantitatem virtutis, & quantitatem molis, vt propria discernatur quantitas ab impropria, sed extensio partium integralium substantiæ non pertinet ad quantitatē virtutis, ergo intelligitur ab ipsis sub quātitate molis. Consequentia patet: nam si quantitas virtutis excluditur tanto studio à ratione veræ quantitatis, ne confundatur cum illa extensio entitatiua, quæ longè similior est, & sub controuersia, multò potiori ratione excluderetur à quantitate molis, si ab ea censeretur distincta, vel diuideretur quantitas in communi in quantitatem molis, virtutis, & entitatiuam, seu transcendentalem, & non ita diminutè.

Nec potest dici, extensionem entitatiuam reduci ad quantitatē virtutis: consentiunt enim vnanimiter omnes, eò res habere maiorem quantitatem virtutis, quò minorem habent extensionem partium entitatiuam. Et è conuerso cælum, elementa, & multa animalia bruta excedunt homines, & Angelos in entitatiua extensione, superantur tamen ab ipsis in quantitate virtutis, & in eâdem Angelus nullas habens partes excedit hominem, & Deus Angelis indiuisibilior, eos infinitè superat, quinimo talis extensio entitatis limitationem arguit virtutis: est ergo vtriusquè valde diuersa ratio.

Ratione stabilitur vera sententia.

Ratione item ostenditur assertio

sertio polita: quia omnes definitiones, attributa, & proprietates, quas Aristoteles, S Tho. & antiqui omnes Philosophi tribuerunt quantitati, conueniunt cuilibet extensioni partium integralium: ergo omnis extensio est propriè quantitas. Probatur antecedens discurrendo per omnes. Definitur enim primò quantitas continua, *cuius partes copulantur termino communi, & cuius partes habent positionem in continuo*. Et discreta *cuius partes non sic copulantur nec talem positionem habent*: quæ manifestè conueniunt cuilibet extensioni: nam partes substantiales, & entitatiuæ (vt loquuntur authores oppositi) quas homo v.g. habet, termino copulantur communi, & certa quadam dispositione continuantur, & ordine, ita vt caput non vniatur immediatè nisi collo, & medio collo pectori, & illo mediante, cæteris membris.

Rursus, extensio cuiuslibet rei, vel est secundùm longitudinem, & sic erit linea. Vel secundùm longitudinem, & latitudinem, & erit superficies. Vel secundùm longitudinem latitudinem, & profunditatem, & erit corpus, sed tres istæ sunt definiones, quibus explicantur tres species quantitatis molis: ergo.

Præterea definitio alia celebris, *quantum est indiuisibile in ea quæ insunt*, &c. quoad omnes particulas verificatur de qualibet extensione: nam quælibet pars integralis substantiæ, est diuisibilis ab altera, & apta vt sit hoc aliquid post diuisionem: ergo est propriè quantitas molis.

Respondent authores oppositi, substantiam sine speciali extensione, quæ est radix impenetrabilitatis, non esse diuisibilem naturaliter, & actione physica, ac proinde nec quantam, prout describitur illa definitione. Sed contra: quia non est de ratione quantitatis talis diuisibilitas physica, cum multa sint corpora quanta, quæ naturaliter diuidi nequeunt, vt cælum, & minimum naturale: satis est, vt dixi, diuisibilitas, quæ importat partes verè designabiles, imo & separabiles quantùm est ex parte ipsarum, abstrahendo à virtute naturali, vel supernaturali eas diuidente, alioquin cælum quantum non esset.

Quod si dicant, indiuisibilitatem cæli prouenire non ex defectu quantitatis, sed ex speciali natura subiecti, quæ extra essentiam quantitatis est; Idem ego respondeo in præsenti, quod. s. partes substantiæ impenetrabilitate priuatas non

nō posse diuidi naturaliter prouenit illis non ex defectu propriæ extensionis, sed ex defectu impenetrabilitatis, quæ conditio quędā est sine qua non, & nō formalis ratio diuisibilitatis, aut quid intrinsecè pertinens ad quantitatem, cum sit proprietas consequens, vt ipsi fatentur.

Præterea: non est necessariū, quod essentia immediatè per se exerceat sua munera, satis est, si hoc suis medijs præstet proprietatibus: anima, v.g. rationalis non per se, sed medio intellectu formaliter discurrit, sed impenetrabilitas est proprietas emanans à substantia corporea, partibusquè ipsis entitatiuis huius substantiæ connaturaliter debita, ergo satis est, quod media illa possint actu diuidi, vt ipsamet extensio entitatiua impenetrabilis, & quantitatiua dicatur, præsertim cū nō sit formalis ratio diuisibilitatis, sed conditio. Patet consequentia: nam si substantia in se habet extensionem partium, quæ diuidi possint, & aliàs est radix impenetrabilitatis requisitæ ad actualem diuisionem, nihil deest illius extensioni ad rationem veræ quantitatis.

Quod verò substantia radix sit impenetrabilitatis, etiam ipsi Doctores, contra quos disputamus, admittunt, quatenus quātitatem impenetrabilem esse proprietatem materiæ primæ, vel substantiæ corporeæ dicunt, sed tunc sic argumentor: formalis impenetrabilitas non est essentia quantitatis, sed extensio partium, quæ est radix illius, & eam connaturaliter postulat, sed substantia corporea, & extensa est radix illius, vt patet: ergo. Nec requiritur, quod sit proprietas immediata extensioni substantiæ, cum in qualibet alia essentia plures sint passiones inter se subordinatæ, priores & posteriores, seu mediatiores, vt est omnibus notum.

Secundò principaliter argumentatur: quia si discurramus per reliquas proprietates, omnis substantia, eo ipso quod habet partes extra partes, naturaliter postulat eas extensas in ordine ad locum cum tali dispositione, termino, & figura, præsertim partes substantiales, quæ ex natura sua organa, & instrumenta sunt, ad diuersas operationes ordinata, quæ munera sua exercere non possent, si inuicem conuolutæ essent, ac confusæ. Essent similiter dictæ partes æquales, vel inæquales, mensurabiles, & ad mensurandum aptę: ergo cuilibet extensioni conuenit quidquid de quantitate potest desiderari.

Excluditur quorundam euasio.

Respōdent similiter authores

oppositi omnia enumerata conuenire etiam extensioni cuiuslibet rei, non tamen quamlibet quantitatẽ esse, sed eam solam, quæ fixas, & impenetrabiles habet partes tàm in se, quàm in diuersis locis. Sed mirum est quod Aristoteles, & Sanctus Thomas tam ex professo quantitatem definientes in logica, & metaphysica, & tam diffusè eius proprietates declarantes, neque vllum verbum posuerint tàm ipsi, quàm cęteri expositores antiqui, quo hanc specialem extensionem indicarent, & alias excluderent, sed semper nomine generico extensionis vtuntur prout distinguitur à quantitate virtutis: verba enim in definitionibus præsertim quando sunt vniuoca, & doctrinalia, & quando aliàs ratio specifica suos terminos proprios habet, non possunt extendi pro libito, aut limitari, nec solùm possunt rationem genericam exprimere definiti, alioquin nihil certum aut firmum haberemus in philosophia: ergo si extensio entitatiua est vera extensio partium integralium, quæ copulantur termino communi secundum longitudinẽ, latitudinem &c. quo fundamento, possumus eam excludere à definitionibus, in quibus hæc verba ita clara, & propria continentur?

Confirmatur: quia supposito quod sententia opposita non est primum principium, sed tantum conclusio deducta ex aliquibus principijs, principia à priori sunt definitiones, & à posteriori proprietates, sed ex illis deducitur omnem extensionem absque limitatione aliqua quantitatem esse: ergo.

Confirmatur secundò: quia propter hoc Aristoteles præcipuus Dialecticæ inuentor, has regulas vniuersales tradit, scilicet, omnes propositiones æquiuocas distinguendas, & omnes vniuersales falsificari, & contradici solùm per hoc, quod in vno singulari deficiant. Definitionẽ similiter esse diminutã, si omnibus significatis per illam vniuersaliter non conueniat, vt scilicet vitetur omnis confusio in definitionibus, quia cum sint prima omnium principia, in quibus omnis alia certitudo, & discursus debet inniti, certissima esse oportet, & notiora, ac proinde omnis ambiguitas eis debet auferri.

Præterea vrgentius sic arguitur: quoniam ipsamet extensio partium substantiæ, per se petit hanc impenetrabilitatem, vt dixi, ac proinde naturaliter postulat habere partes fixas, & impenetrabiles.

Si dicas: hoc habere ratione formæ superadditæ. Quid mirum si impenetrabilitas non est essentia, sed proprietas quantitatis: quod sit forma super-

natura-

naturaliter addita, satis est, quod sine illa partes substantiæ sint contra suam naturam, sicut anima est sine intellectu, & sicut homo sine manibus, & pedibus.

Declaratur hoc amplius: quia vel impenetrabilitas dicitur proprietas, ex eo quod forma sit effectiuè prouenientes à quantitate tamquam à radicè, & hoc non: quia quantitas nullo modo est effectiua, solùmquè habet distinguere, aut extendere partes, non tamen aliquid producere per emanationem physicam, solùm enim substátia corporea, vt dixi, potest esse radix huius formæ, quæ dicitur crassitudo, seu moles, ex qua formaliter prouenit impotentia naturalis ad penetrationem. Vel ergo dicitur talis impenetrabilitas proprietas quantitatis, quatenus est modus, vel forma ipsi connaturaliter, aut per se debita, vt illius partes non confundantur, & vt possint sua munera exercere, &c. & sic omnis extensio entitatiua habet hanc proprietatem, vt probatum est: ergo est vera quantitas.

Confirmatur denique: quia proprietas saltem metaphysica nó opportet quod physicè positiuè emanet à sua radice, potest enim esse negatio, vel denominatio extrinseca, vt patet discurrendo per prædicamenta, & in speciebus Angelicis, quæ ab eorum substantia non profluunt, & in accidentibus præsertim hæc doctrina est certissima, quia non sunt propriæ radices, nisi per analogiam ad substantiam.

ARTIC. V.

Excluditur distinctio quædã quantitatis trãscendentalis, & prædicamentalis?

Aliquando præter quantitatem virtutis, quantitatem transcendentalem & prædicamentalem solebam distinguere, & extensionem entitatiuam substantiæ, & cuiuslibet rei transcendentalem dicebam, & intrinsecam cuilibet, propter fundamenta sententiæ oppositæ relata in principio pręcedentis articuli, solùmquè specialem extensionem, quę cófert crassitudinem, & molem corporibus, quantitatem prædicamentalem esse, & quamuis vtramquè maximè inter se similem aduerterem, exemplo substantiæ, & relationis transcendentalis, & prædicamentalis, quæ valde inter se conueniunt, & nó facilè discernuntur, aliquantulũ quiescebam.

Verum neque in hac explica-

tione potui multum persistere. Primò: quia in his exemplis, facilè assignamus differentiam ex definitionibus essentialibus, nam substantia prædicamentalis est ens per se, vel subsistens, quod non habet substantia incompleta, seu transcendens, sed est pars entis per se, vt explicui capite de substãtia; relatio etiam definitur, quod sit accidens referens vnum ad aliud, sed relatio transcendens fere semper includitur essentialiter in suo fundamento, ideoquè non est accidens respectu illius, & si aliquando concipitur vt accidens, non habet terminum actu existentem; at in præsenti nulla differentia assignatur in definitionibus, aut speciebus, aut proprietatibus vtriusquè quantitatis, vt iam visum est.

Secundò, (& hæc sit ratio à priori.) quidquid est extra essentiam substantiæ, comparatur ad illam tamquàm accidens, & pertinet ad aliquod ex nouem generibus accidentium, sed extensio partium integralium, quæcumquè sit, est extra essentiam substantiæ: ergo est accidens respectu illius, ac proinde de genere quantitatis, quia non est aliud genus, ad quod pertineat. Maior Probatur: quia ipsa propositio, vt iacet, est generalis regula discernendi prædicamenta: non habemus enim aliud indicium, quo nouem accidentium genera à substantia distinguamus, nisi quia tantùm inuenimus nouem genera prædicatorum, quæ substantiam in suo esse completo supponunt, ideoquè illa accidere substantiæ dicimus: duratio, v.g. ipsius substantiæ, relatio, & actio substantialis, modi accidentales dicuntur, etsi substantiam immediatè modificent, imo etsi realiter ab ea non differant, quia sunt extra conceptum quidditatiuum & adæquatum illius: è contrario, ideò substantia, existentia, vnio substantialis materiæ cum forma, modi substantiales sunt, quia pertinent ad intrinsecam substantiæ constitutionem, & sine illis substantia completa non intelligitur: ergo. Minor probatur: nam quælibet substantia etiam corporea (de hac enim est difficultas) sufficiētèr, & completè intelligitur in sua specie sine his, vel illis partibus, vt patet, si auferantur partes aquę, vel aeris, vel si homo sit in magna, aut parua quantitate, non enim propter id, aliquid detrahitur de essentia hominis, dum non auferatur illi forma, vel materia: ergo talis partium latitudo illi essentialis non est.

Cõfirmatur: quia alioquin hæ partes dicerentur essentiales, vel substãtiales, quod nemo philosophorum dicit, sed solam materiam, & formam partes essentiales, & has integrales, seu quantitatiuas asserunt.

Pro-

Proponitur, & impugnatur responsio aduersariæ partis.

Respondet opposita opinio, distinguens inter partes substantiales, & essentiales, & inter substantiam, & essentiam, nam subsistentia (aiunt) & existentia sunt extra essentiam, non verò extra substantiam, cum intrinsecè ad adæquatam illius constitutionem pertineant, & sic huiusmodi partes entitatiuas substantiales esse, licet non essentiales.

Quod amplius sic probatur secundo: licet homo sine hac vel illa parte nõ priuetur sua essentia, at priuatur totalitate suæ substantiæ, quam antea habebant, nam pars abscisa non solùm esse accidentale, sed etiam substantiale ex materia, & forma compositum in se ipsa habebat, & consequẽter vnitatem, & distinctionẽ ab alijs partibus, quę sicut sunt passiones entis in communi; ita & substantiæ intra genus suum, & independenter ab alijs accidentium generibus.

Præterea tertio: quia non omne, quod accidit alicui substantię, est simpliciter accidens, nam aliud est accidẽs simpliciter, seu prædicamentale, quod inhærentiam saltem aptitudinalem ad substantiam dicit, & aliud est secundùm quid, seu prędicabile, quod simpliciter in se substantia est: vt rationale dicitur accidens respectu animalis, corona respectu capitis, hæ enim prædicationes sunt quinti prædicabilis: *Animal est rationale*; *caput est coronatum, &c.* ergo eâdem ratione extensio entitatiua substantiæ, licet aliquomodo accidentalis dicatur, non simpliciter, sed secundùm quid illi conueniet.

Denique si priuetur homo omnibus suis partibus principalibus, non solùm substantiam, sed etiam essentiam amittet. Quis enim animam rationalem puncto indiuisibili vnitam, hominem dicet? ergo aliqua partium latitudo, & membrorum organizatio est de essentia hominis, qui ex carne, & spiritu intrinsecè constat, ac proinde caro in puncto subsistere nequit: ergo, &c.

Sed ex dictis patet iam solutio ad omnes fere rationes responsionis oppositæ sententiæ: constat enim efficaciter, quod quidquid non pertinet intrinsecè ad essentiam, vel subsistentiam, est extra conceptum substantiæ, atquè adeò accidens simpliciter, vt clare S. Thomas docet *opusc. de ente, & essentia à cap. 1.* vbi alias partes substantiales nõ agnoscit præter materiam & formam, genus & differentiam, nec aliquid præter essentiale, quod ad substantiam **S. Thom.** per-

pertineat: ergo cum extẽsio entitatiua non sit de essentia substantiæ, vt fatetur opposita sententia, neque sit subsistentia, vt ipsi etiam admittent, relinquitur quod sit accidens simpliciter.

Quod efficaciter confirmatur à simili de duratione substantiæ, quæ, vt dixi, licet immediatè substantiam modificet, imo licet non distinguatur ab ea realiter, vt multi ex Doctoribus oppositis docent, dicitur simpliciter accidens, quia substantiam integrè constitutam supponit: idemquè asserunt de actione, relatione, passione, & alijs modis, qui immediatè fundantur in substantia: ergo cum sit eadem ratio de extensione. vt probatum est, erit sine dubio de genere accidentium.

Præsertim est optimũ simile ad huius declarationem, de intensione qualitatis, quæ in omnibus æquiparatur ab opposita sententia extensioni entitatiuæ substantiæ, & tamen Aristoteles, & omnes antiqui asserunt, esse proprietatem qualitatis, quæ illi simpliciter accidit: ergo idem est dicendum de extensione substantiæ.

Ex quo ad secundùm respondeo: quod licet quælibet pars substantiæ integralis sit substantia, & ponibilis secundùm se in prædicamento substantiæ, extensio tamen illarum, eas modificans, est accidens de genere quantitatis, quemadmodũ, etsi quilibet gradus qualitatis sit qualitas, distinctio, & latitudo gradualis est proprietas accidens qualitati: vnde extensio hæc intrinsecè, & in recto est modus quidam, & extrinsecè, & in obliquo connotat substantiam, vel rem, quam extendit.

Quando rursus obijcis: quælibet pars per se ipsam est substantia: ergo per se ipsam est vna, & distincta à qualibet alia. Distinguo: est vna, & distincta vnitate, & distinctione essentiali, quæ attenditur respectu aliarum essentiarum specie differentium, & sunt proprietates essentiæ, concedo. Est vna vnitate, & distinctione integrali, quæ dicit habitudinẽ ad alias partes, vel indiuidua eiusdem speciei, sic nego: cum enim dictum sit, solam essentiam constituere substantiam, ita & sola vnitas, & distinctio essentialis vt proprietates illi consequenter assignari debent, nam quod substantia sit pars, vel totum indiuiduale, seu integrale, ei accidit ratione quantitatis.

Ad tertium patet discrimen inter modum extensionis respectu substantiæ, & rationale respectu animalis, vel coronam respectu capitis: rationale enim, & corona ideò dicuntur substantiæ accidere secundùm

dùm quid, quia in se ipsis sunt directè substantiæ, & essentiæ simpliciter per se existentes, & solùm per habitudinem ad aliquod extrinsecum, dicuntur analogicè accidentia; at modus extensionis, sicut & durationis, & aliorum similium in se ipsis, nec subsistunt, cum sint quidam modi, nec sunt de essentia substantię cuius sunt, vt iam est probatum.

Nec satis est, vt dicantur in se ipsis modi substantiales, quod immediatè substantiam modificent, nam relatio, duratio, vbi, & passio, immediatè modificant substantiam in sententia authorum, cum quibus disputamus, & nihilominus non sunt modi substantiales, non alia de causa, nisi quia non pertinent ad intrinsecam substantiæ constitutionem, & ideo substantiam extra genus substantiæ modificant.

Ad vltimum, quod difficilius est, respondetur: quod omnis substantia corporea naturaliter postulat vt proprietatem, extensionem, seu quantitaté sine qua nec agere, nec pati posset, nequè ab ea emanarent suæ proprietates, sine quibus ipsa omninò monstruosa, & imperfecta esset, sicut esset anima sine intellectu, & voluntate, si miraculose suspenderetur à Deo emanatio harum potentiarum, & tamen hoc discrimen est inter substantias homogeneas, & hetereogeneas, quod in illis quamuis naturaliter postuletur quantitas ad exercitium suarum operationum, & emanationem suarum proprietatum, non tamen petitur essentialiter, sed sicut anima, separatis ab ea potentijs, maneret quoad totam essentiam, quamuis monstruosa, & incapax ratiocinandi, aut operandi, aliquomodo, ita indiuisibile substantiale aquæ, vel ignis (in sententia, quæ illud admittit, quam postea magis declarabo,) si à Deo miraculosè separatum conseruaretur, maneret quoad totam suam essentiam ratione compositi ex materia, & forma determinata, & subsistentia, quamuis defectu quantitatis non haberet suas partes ad operationes, & propter hoc ignis, vel aqua omnino imperfecta, in indiuisibili essent. At in hetereogeneis, possumus dicere, quod eorum forma connotat essentialiter materiam taliter quantitate dispositam, ac proinde quod aliqua extensio sit essentialiter petita, cæterum non in recto sed in obliquo, ac proinde talis extensio non debet esse substantialis, quia accidens potest extrinsecè, & de cõnotato ad substantiam pertinere.

Est præterea aduertenda alia limitatio, quod forma heterogenea non connotat quantitatem determinatam essentialiter, sed in quacũq; minori; & minori eius essentia potest subsistere, imo, & suas operationes exercere, potuit enim Deus (& si præter naturaliter) homines efficere minores digito pueri, & ita, vt alios generare possent, discurrere, velle, &c. Vt experimur in alijs minutissimis animalibus, atque adeò, licet vagè, aliqua connotetur quantitas, non tamẽ hæc vel illa. Præterea instari potest in qualitate, quæ naturaliter esse nequit, absquè aliqua latitudine graduali, & tamen illi accidit, vt omnes admitunt.

Sed tandem insurgunt Authores oppositi: quod eo ipso quod substantia corporea radix, & fundamentum quantitatis est, debet præintelligi, vt entitatiuè extensa, & diuisibilis, alioquin in capacitatem habebit ad formam quãtitatiuam in se recipiendam, sicut spiritus, cum materia, & forma præsertim corporea, debeant ad inuicem commensurari.

Exponitur alia fundamentalis ratio, contrariæ sententiæ, & quid illi responderi soleat.

Ad hoc argumentum multi ex Thomistis respondere solent, substantiam in illo priori naturæ, quo quantitatem præcedit, non habere partes actu distinctas; quia talis distinctio prouenit formaliter à quantitate, sicut esse album ab albedine, haberet tamẽ partes virtualiter, & in potentia, quatenus talis substantia ex propria sua natura est capax diuisibilitatis, & apta nata extendi per quantitatem: vnde in casu quod Deus auferret quantitatem à Petro, manerent, (vt aiunt) omnes partes illius, potentialiter in substantia, vel quoad materiam earum, quæ est substantia, quia manet compositum substantiale, cui debetur distinctio partium non verò manerent actu distinctæ, quia est priuata quantitate à qua formaliter prouenit.

Sed doctrina hæc, quamuis verum aliquem sensum habere possit (vt postea dicam,) tamen supponendo quod quantitas est res omnino, rigorosè à substẽtia diuersa, imo & separabilis, est meo iudicio intellectu dificillima, ideoquè multi iuniores propter hoc ad fugiẽdas ei⁹ difficultates à via regia S. Thomæ discedere compulsi sunt, & duplicem extensionem entitatiuã, scilicet, & quantitatiuam asserere. Quid autem ego verius existimem in sequentibus dico.

QVAES-

QVAESTIO. II.

Quomodo distinguatur quantitas à re quanta?

IN hac re multi ex authoribus nobiscũ consentientibus omnem extensionem cuiuslibet quantitatem esse, defendunt adhuc talem extensioně, & rem, quæ per illam formaliter extenditur, realiter rigorosè differre sicut rem, & rem, vnicam tamen in quolibet composito extensionem esse, per quam formaliter quantificantur, & extenduntur omnes realitates illius tam substantiales, quàm accidentales: quę sententia sic cõmuniter explicata, est prorsus meo iudicio inintelligibilis.

Quapropter primò dicendum est: quod quantitas in communi, & in toto rigore sumpta, non est res diuersa omnino à re quãta, ac proinde quantitas immediatè extendens partes substantiæ, non distinguitur ab ea tamquàm res à re. Hanc statuo contra plures Thomistas, existimoque eam esse S. Thomæ, euidenterquè ex eius doctrina colligi. S. Thom.

Primò enim si substãtia esset res diuersa ab eius quantitate, posset in re sine illa conseruari, aut è contra, sed in doctrina S. Thomæ hoc est impossibile: ergo quia non distinguitur realiter. Maior, & consequentia patent ex communi metaphysicorum doctrina. Et minor probatur primò: nam opusc. 29. de principio indiuiduationis prope finem, docet quod materia determinata per quantitatem est principium indiuiduationis: & rursus, quod indiuiduum, quod est primum in genere substantiæ, impossibile est reperiri sine quantitate, & præterea subdit, *Quod quantitas determinata dicitur principium indiuiduationis: non quia causet subiectum suum, quod est prima substantia, sed quia comitatur eam inseparabiliter, & determinat ad hic, & nunc*: sentit ergo S. Thomas substantiam sine quantitate in re esse non posse. Patet consequentia: tunc ex illis particulis, *impossibile; & inseparabiliter*, tum etiam, quia si substãtia materialis indiuiduatur ratione quantitatis, sicut implicat substantiam in re separari à differentia indiuiduali, ita & ab eius quantitate. S. Thom.

Præterea, omnibus alijs locis citatis sæpe repetit, substantiã, vel materiam nõ fieri diuiduam aut indiuiduam, nisi ratione quantitatis. Præsertim prima p. q. 30. art. 3. & alibi sępè ait: *Quod omnis pluralitas consequitur aliquam diuisionem: est autem duplex diuisio. Vna materialis, quæ fit secundum diuisionem continui, &*

& hanc consequitur numerus, qui est species quantitatis, vnde talis numerus non est nisi in rebus materialibus habentibus quantitatē. Alia est diuisio formalis, quæ fit per oppositas, vel diuersas formas, & hanc sequitur multitudo, quæ non est in aliquo genere; sed est de transcendentibus, secundum quod ens in vnum, & multa diuiditur: ex quibus verbis satis clarè constat, duas tantùm vnitates, & distinctiones agnoscere. Vnam formalem transcendentalem, & aliam quantitatiuam seu numeralem, quæ est de genere quantitatis, sed sub hac posteriori comprehēdit semper indiuidualem, quæ propter hoc tam ab ipso, quam ab omnibus appellatur differentia numeralis, & indiuidualis, quam metaphysicè distinguit à transcendentali: ergo sicut substantia sine differentia indiuiduali esse non potest, ita nec sine quātitate.

Nequè audeo propter hoc dicere, quod differentia indiuidualis substantiæ sit formaliter ipsa quantitas, sed ipsamet substantia prout essentialiter, & inseparabiliter quantitatē connotat vt modum extra genus illius, ab eaquè limitatur, aut signatur, vt latius explico in materia de Angelis, & infra etiam. Estquè optimum simile de qualitate, quæ modificatur per gradum vt vnum, vel duos, & nihilominus ita inseparabilis est essentia caloris, v. g. à gradu vt vnum, quo limitatur, vt nec de potentia absoluta sine illo esse posit.

Deniquè, vt plura alia omittam, est iterum ponderanda ratio, quam affert Sanctus Thom. in hoc articulo; s. ideò corpus Christi esse totum sub qualibet parte specierum, quia cōtinetur in illis per modum substantiæ, de cuius ratione est, quod sit tota indiuisibiliter sub qualibet parte specierum, sed substantia materialis prout indiuidua est à parte rei, & determinata per quantitatem, non potest replicari, & tota sub qualibet parte existere, hoc enim proprium solius substantiæ spiritualis est, vt postea magis demonstro: ergo nomine substantiæ intelligit S. Thomas essentiā precisam à differentia indiuiduali, & consequenter, & à quantitate, sine qua substantia indiuidua non est: ergo substantia à quantitate separabilis non est, & consequenter nec res omnino distincta. Patet hæc vltima consequentia: quia non potest conseruari à parte rei nisi prout indiuidua, cum non detur vniuersale à parte rei, nec natura secundùm suam essentiam sit ex natura rei distincta ab eius differentijs indiuidualibus in via S. Thomæ.

3. p. q. 70. art. 3.

Item nec potest prout indiuidua reperiri secundum se tota,

in

in quauis parte alicuius loci, sed sic est necessariò determinata ad vnum, cum conmensuratione totius ad totum, & partis àd partem loci: ergo non potest sine quantitate conseruari, quia ratione illius hęc illi conueniunt in via S.Thomæ.

Ratione item intentum conuincitur.

Item probatur ratione, & suppono, quod Deus quantitatem separet à substantia, & vtramque seorsim in re conseruet, vt fatentur Authores oppositi. Tunc interrogo: partes substantiæ, quæ antea erant diuisæ sub quantitate, vel manent distinctæ realiter etiam ablata quãtitate, vel non, sed sunt eadem entitas indiuisibilis realiter positiuè, & in indiuiduo. Si dicatur primũ, incidunt in opinionem, quæ præter quantitatem, extensionem entitatiuam in partibus substantiæ asserit, quam ipsi totis viribus fugiunt. Si verò secundum affirmetur: contra, quia impossibile est, res semel distinctas à parte rei, identificari realiter, vel è contra, rem quæ est idem realiter, diuidi per quantitatem, imo nec per diuinam potentiam fieri realiter plures, vt latè in metaphysica demonstratur: alioquin enim punctum indiuisibile, vel spiritus realiter diuidi possent, vel è contra: ergo si partes substantiæ antea distinctæ erant sub quantitate, non poterunt illa ablata, idem realiter esse, & manere diuisibiles in potentia; nam quod est realiter idem, nulla potentia diuisibile est.

Responsio quorũdam proponitur, & impugnatur.

Respondent aliqui, substantiam illam manere indiuisibilem non positiuè, sed negatiuè, quatenus, s. ex propria ratione sua non habet, per quod distinguatur in partes integrãtes, nisi tantum per accidens, ratione quantitatis; hunc autem indiuisibilem modum dicunt constituere illam totam in toto, & totam in qualibet parte spacij diuisibilis, sicut est Angelus in loco, & sicut est corpus Christi in Eucharistia: nã sicut anima (aiunt) in duplici statu diuerso, duplicẽ habet modum intelligendi sibi connaturalem, s. prout corpori vnita, intelligit dependenter à phantasmate corporeo, & prout ab eo separata, per species infusas Angelicis consimiles, sic substãtia materialis prout subest quantitati, modo diuisibili, & corporeo existit, indiuisibiliter vero, & ad modũ spiritus prout ab ea separata.

Sed hæc doctrina solùm de substantia, vel essentia abstractè, & vniuersaliter cõcepta, vera esse

esse potest: natura enim vniuersalis dicitur, prout obiectiuè existit tota in omnibus suis inferioribus, & tota in quolibet: diciturquè in illis negatiuè vna, quia ex propria ratione, & conceptu quidditatiuo ipsius, non petit esse plures, quo etiam modo ingenerabilis, & incorruptibilis negatiuè asseritur, quia cõsideratur in illo esse obiectiuo, vniuersali conceptu, ab omni mutatione, & corruptione abstracta: cæterum si sermo sit de substantia prout in indiuiduo in rerum natura conseruata, est planè inintelligibilis meo iudicio, nã implicat quod res singularis, non sit positiuè vna, vel plures, eadem, vel distincta: quod si semel eadem sit, in illo statu distincta esse nõ potest, nec è cõtra de potentia absoluta: nam sicut idem separari, aut distingui à se ipso, contradictionem inuoluit, ita & quod res in vno statu sit eadem, & in alio distincta.

Declaratur primum antecedens huius discursus: nam vnitas, vel identitas positiua est entitas realiter indistincta, vt cõstat ex eius definitione supra declarata disputatione prima, vnitas verò negatiua eo ipso non est simpliciter, & propriè vnitas, sed analogicè sic dicitur, absolutè tamen est in re plures, nam vox, *negatiua*, est additum diminuens, & quantùm tollit de vnitate, includit de pluralitate: vt constat in vnitate negatiua, quã tribuũt omnes naturę humanæ in suis singularibus à parte rei, quæ tantùm est vna secundùm quid, plures verò simpliciter. Et similiter in vnitate, & incorruptibilitate negatiua, quam habet per intellectum, quæ tantùm analogicè, & secundùm quid talis dicitur, oppositum verò simpliciter. Tunc sic, vel substantia in casu, quod separatur à quantitate, est realiter in sua entitate indistincta, & sic erit positiuè incapáx admittendi quãcumquè realẽ distinctionẽ, sicut Angelus. Vel est tantùm negatiuè eadem, & sic erit simpliciter plures à parte rei, quod intendimus.

Dices: licet sit indistincta realiter, quantùm est ex se non petit talem indistinctionẽ, & ideo in potentia est plures, in quo distinguitur à substantia Angelica, cui repugnat ab intrinseco talis pluralitas. Contra ex hac doctrina sequitur manifestè, quod substantia materialis distincta, & separabilis sit à sua singularitate, quod Thomistæ abhorrent; oppositumquè contra Scotum acriter, & constanter defendunt. Probatur sequela: quia eãdem ratione vtitur Scotus ab probandam suam distinctionem, ex natura rei, s. quod natura ex se, & ex propria ratione sua non est ab intrinseco singularis, sed accidit illi

illi, quod sit Petrus, vel Paulus, verè ergo hoc argumentū conuincit distinctionem realem naturæ specificæ à singularitate: vel non probat, ex eo quod natura non sit ab intrinseco, & ex propria ratione eadē, quod possit esse plures, sed sicut ipsi Thomistæ Scoticis respondēt, quod licet natura secundùm suam essentiam non sit hoc, vel illud singulare, sed indifferens, tamē realiter prout est in re, est singularis, & incapax quod singularitate priuetur, (vt supra disp. 1. sectione 2. vidimus) sic poterimus ipsis satisfacere: quod licet essentialiter, & ab intrinseco ei hæc identitas, vel indistinctio non conueniat, satis est quod realiter.

Præterea, vrgentius secundò probo sequelam, vel euidenter meam sententiam: quia vel substantia hæc in casu separationis à quantitate, maneret eadem numerò, & distincta à qualibet alia eiusdem speciei, sicut antea erat sub quantitate, vel esset alia numero diuersa. Si dicatur hoc secundum, sequitur iam distinctio realis, & separabilitas dicta naturæ specificæ à singularitate: Si verò primum, est contra S. Thomā planè asserentem, quod omnis diuisio tàm in partes continuas, quàm in partes discretas, quæ formalis non sit, à quantitate eo ipso proueniat, vt dictum est.

Quod si respondeant, quod maneret substantia illa indiuidua propter habitudinem, quam dicit ad propriam quantitatem, licet actu illam nō habeat, sicut accidens dicitur indiuiduari per habitudinem ad subiectum, licet ab eo separatum existat; hoc ego expectabam: nam contra hoc est: quod eādem ratione affirmare debent, quod propter eandem habitudinem ad quantitatem, maneant omnes partes substantiæ actu distinctæ, in casu quod separata existat à quantitate, quod ipsi nolunt admittere, ne incidant in sententiam oppositam, extensionem entitatiuam præter quantitatiuam asserentem: ergo nec hoc asserere consequenter possunt: Paritas antecedentis probatur: nam eandem habitudinem dicit tota substantia ad totam quantitatem, ac quælibet pars substantiæ ad quamlibet partem quantitatis, sub qua antea erat, & eadem est diuisio vnius totius ab alio, ac vnius partis ab alia eiusdem suppositi: solùm est discrimen, quod vna est diuisio in partes discretas, & alia in partes continuas, quarum vtraquè sub genere quātitatis continetur: ergo eodem modo in vtroquè casu philosophandum est, ac proinde vel admittenda est in substantia distinctio, & extensio partium quantitatem præcedens: vel di-

cenda est quantitas indistincta rigorosè à substantia.

Ex dictis patet iam, exempla adducta non esse ad propositum, nam vterquè ille modus intelligendi animæ separatæ, & vnitæ est in se possibilis, & ex natura rei diuersus, & aliàs connaturaliter debitus ex suppositione status, quia cum omni substantiæ connatu aliter debeatur virtus, & operatio, quibus possit tendere in suum naturalem finem: eo ipso quod anima separatur à corpore, & consequenter priuatur speciebus à corpore deriuatis, debentur illi aliæ infusæ ab authore naturæ prouideri; nihil autem horum accidit in casu præsenti, quia nequè est intelligibile, quod res semel eadem, fieri possit diuersa, nec data possibilitate, posset esse connaturalis modus ille existendi indiuisibiliter, nã in corpore Christi, eo modo quo est possibile, est supernaturalis ab intrinseco, & quoad substantiam (vt sanior, & cõmunior pars Theologorum tenet) quomodo ergo connaturalis alijs substantijs erit? nequè admittitur in Christo talis modus, nisi retenta omnium suàrum partium distinctione, & quantitate, solùm ergo aufertur illi aptitudo vt diuidatur: identitas autem positiua, vel negatiua, vt incompossibilis reijcitur.

His tandem conuicti grauissimi iuniores Thomistæ familiæ Dominicæ, fateri coguntur in substantia præter quantitatem hanc, entitatiuam extensionem partium: ne tamen deserere videantur Sancti Thomæ doctrinam, dicunt talem extensionem substantiæ conuenire propter quantitatem, & ratione illius. Hæc tamen expositio nec menti S. Thomæ congruere potest, vt patebit discurrenti per testimonia eius citata, & eorum contextum legenti, quæ vniuersaliter & formaliter omnẽ extensionẽ quantitati tribuunt. Prętere nec veritati quadrat, quia extensio illa substantiæ propria, non potest pendere à quantitatiua re distincta, tamquam à radice, vel fine, cum potius è contra substantia corporea radix, & finis sit omnium accidentium, & proprietatum, quæ illam consequuntur. Solùm pendere posset extensio partium substantiæ à quantitatiua realiter diuersa, quantùm ad hoc quod est habere partes firmiter, & impenetrabiliter dispositas in ordine ad locum, sed hoc non esset habere distinctionem partium dependenter à quantitate, sed earum impenetrabilitatem dumtaxat: ergo distinctio tribuitur substantiæ independenter à quantitate, quod est expresè contra Sanctum Thomam. Sed euiden-

dentius hoc sequenti artiulo roborabitur.

ARTIC. II.

Declaratur quantitatē solùm modaliter à re quanta discerni.

VRgentius distinctio realis rigorosa, è medio tolletur, si modalem tantùm interuenire inter quantitatem, & rem quæ immediatè per illam extenditur, declaremus. Quod primò sic probo: nam extensio solùm est modus quidam alicuius rei, sed quantitas præsertim in via Sancti Thomæ, nihil est aliud quam extensio cuiuslibet rei: ergo solùm modaliter à re quanta distinguitur. Minor, & consequentia patent, & maior probatur: nam extensio partium formaliter sumpta, non aliter definitur, nisi *est distinctio inter partes copulatas termino communi*; quomodo Aristoteles quātitatem continuam describit, vel *quarum vna est extra aliam*, vt etiam comprehendatur discreta, sed distinctio, diuisibilitas, coniunctio, seu copulatio, in termino communi, separatio, &c. quibus terminis vtuntur definitiones quantitatis, & extensionis, sunt tantùm quidam modi, vt omnes fatentur: ergo quantitas, & extensio tantùm est modus quidam superadditus rei extensæ.

Confirmatur: quia quantitas in via Sancti Thomæ non tribuit partibus substantiæ, vel qualitatis entitatem, nam quælibet pars substantiæ entitatiuè substantia est, & similiter quælibet pars qualitatis qualitas est: solùm ergo tribuit, vel addit supra partes distinctionem, vel diuisibilitatem, & vnionem in aliquo termino communi; sed hi sunt tantùm modi superadditi extremis distinctis, & vnitis: ergo.

Secundò declaratur ex communi indicio, quo metaphysici discernere solent modum à re, cuius est, modus enim non solùm non potest à re, quam modificat, separatus existere etiam virtute diuina, imo nec mente concipi sine ipsa, potest tamen è contra res sine suo modo existere; sed sic se habet extensio, quæ sine re aliqua cuius sit, non solùm separata existere, verùm nequè intelligi potest, quo pacto enim mente concipi extensio, magnitudo, aut paruitas potest, sine re aliqua, cuius partes extendant? sicut nequè vnio, aut distinctio sine extremis, quę distinguat, vel vniat.

Item confirmatur à simili de intensione qualitatis, quæ est latitudo graduum illius, & de quantitate virtutis, de duratione, & similibus, quæ modi quidam sunt, & assimilantur quantitati.

Præterea contra Doctores, qui distingunt extensionem entitatiuam à quantitatiua, specialiter arguitur: si quantitas esset entitas realiter rigorose à substantia distincta, cæterisquè rebus quantis, sequeretur, quod prima ratio illius non consisteret in extensione, sed in re, quæ immediatè per illam extenditur, hoc est planè falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Probatur sequela: quia ita se habet extensio quantitatiua ad rem, quam extendit, sicut extensio entitatiua ad rem per illam extensam, solùm ergo differunt, (vt fatentur authores oppositi) quod vna est ex se impenetrabilis, & fixa, alia vero non, sed extensio entitatiua est tantùm quidam modus superadditus ei, (vt ipsi admittunt:) ergo etiam extensio quantitatiua est modus respectu rei, quam immediatè extendit. Tunc sic: vel quantitas consistit in modo præciso extensionis, & sic habetur intentum, quod.s. distinguatur modaliter saltem à re immediatè extensa, quidquid sit de rebus alijs, quas mediatè quantificat. Vel consistit in re illa, quæ immediatè afficitur tali extensione, & tunc in ea, & non in modo extẽsionis saluabitur quãtitatis essentia, quod etiam falsum est: nam quantitas extensio ab omnib' dicitur, hocq; vt nomen maximè propriũ & substãtiale illi semper accõmodatur.

Sed hæc omnia clariora fient, si extensionis naturam magis explicemus: ad quem suppono, quod extensio, vt nomen ipsum indicat, consistit non in sola partium distinctione, nam inter materiam, & formam, & inter naturam, & suppositum, est distinctio, & non extensio, quia taliter est materia immediatè, & adæquatè vnita formæ, & è contra, vt vna non sit extra aliam, nec in ordine ad locum, nec in ordine ad se, quinimo vna est tota intra aliam, non solùm quantùm ad locum mutua videlicet, & intima præsentia in eodem spacio, verùm quantùm ad esse, nimirùm, reali vnione, in quantùm esse materiæ taliter includitur intra esse formæ, vt substantiali nexu illi adæquatè copuletur.

Explicatur radicitus extensionis natura.

Est igitur extẽsio saltẽ inesse perfecto, *modus habendi partes ex-*

extra partes, hoc est, *extrapositio, vel extraneitas vnius partis respectu alterius.* Dupliciter autem vna pars potest esse extra aliam. Primò, quia accidentaliter sit ab alia distincta, & sic constituit extensionem discretam. Accidentaliter inquam, nã si separatio sit essentialis, qualis est inter duos Angelos, vel inter hominem, & brutum, pertinet ad distinctionem transcendentalem formalem, & non ad quantitatiuam, vt docet Sanctus Thomas 1.par.*q*. 30.citata.

St Thom.

Secundò, vna pars dicitur extra aliam, non quia sit ab ea penitus separata, sed quia vnitur cum illa, non immediatè quoad totam suam entitatem, sed inadæquatè, & mediatè quoad extremitatẽ, vel terminũ vtriquè parti communem: sic enim vniuntur partes quantitatis continuæ, caput v. g. non vnitur immediatè, quoad totã suam realitatem collo; sed mediàte extremitate sua illi vnitur, & collum similiter pectori, vnde licet quoad extremitatẽ nullapars sit intra aliam, quoad reliquam sui entitatem est extra eam.

Constat satis hoc ex definitione, quam tribuit Aristoteles quantitati continuæ, *cuius partes copulãtur termino communi*, idest, non quoad totas realitates, sicut copulantur materia & forma, & gradus qualitatis, sed quoad aliquem terminũ communem, in quo vtraquè finitur. In hac doctrina sic intellecta nititur verissimum illud principium, *indiuisibile additum alteri, non facit maius extensiuè*, & consequenter quod quantitas non possit constare ex solis indiuisibilibus, quia cum indiuisibile debeat aliud tangere secundùm totum, vel secundùm nihil non potest alteri vniri nisi immediatè, & adæquatè, ac proinde non poterit vnum indiuisibile extraponi alteri, & cum eo continuari.

Ex qua etiam doctrina colligitur iam extensionem, quomodocumq; consideretur, siuè vt distinctio, siuè vt extrapositio, aut coniunctio inadæquata partiũ, esse tantũ modum quendam alicuius rei, partes vero, & terminos earũ connotare in obliquo, atquèadeò extensionẽ v.g. substantiæ, nõ tribuere partibus entitatẽ, sed extensionẽ, & talẽ modũ. Vnde quælibet pars integralis, aut indiuisibile substantiæ entitatiuè substantia est, quod autem sit pars alteri continuata, seu extraposita, vel totũ omnino disiunctum, accidit illi ratione quantitatis, sicut enim eadẽ massa lutea indifferens est, vt ex ea fiant diuersa genera vasorũ, vel partes diuersæ eiusdẽ, iuxta dispositionem artificis, ita iuxta diuersas actiones agentis naturalis, vel authoris naturæ,

ex eadem materia, aut substantia specifica corporea fiunt diuersa tota, aut partes, ideo quodcumquè horum, substantiæ accidit, de quo latius alibi. Patetquè etiam hoc à simili, de intensione qualitatis, quia illi accidit, quod sit vt duo, vel vt quatuor, licet esse qualitatem cuilibet gradui essentialiter competat.

ARTIC. III.

Corolaria ex dictis, & obiectiones contra illa.

EX dictis colligitur propriè, & in rigore de quantitate loquendo, tot esse quantitates, & extensiones in quolibet composito, quot sunt entitates realiter diuersæ, & coextensę cum illo, & quantùm ad hoc rectè procedere Nominales, qui hanc sententiam docēt. s. Aureolus apud Capreolũ, Albertus de Saxonia, Adamus, Gabriel, Ocham, & alij, quamuis in alijs eis non assentior.

Aureol. Capreol. Albertus de Saxon. Adamus, Gabriel, Ocham.

Probatur primò: quia omnis distinctio, quæ modificat extrema essentialiter diuersa, essentialis est, & solùm quantitatiua dicitur ea, quæ extrema respicit eiusdem rationis: ergo ab eodem modo distinctionis quãtitatiuæ modificari nequeunt entitates substantię, qualitatum, & aliorum generum, quæ extenduntur in eodem composito.

Confirmatur ex generali ratione modi, quem existimo eundem in pluribus subiectis immediatè esse non posse per intrinsecam inhæsionem etiam de potentia absoluta, & ita in quolibet composito tot multiplicari actualitates, vel existentias partiales, durationes. Vbi, relationes, &c. quot sunt entitates, ex quibus realiter componitur. Et ratio huius est: quia modus non habet propriam entitatem præter rei modificatæ, ideoquè illi implicat esse, imo & intelligi sine illa, quia ex ipsamet entitate indiuidua, quam modificat, formatur modus illius: ergo implicat, quod res multiplicetur realiter, & non modus illius. Patetquè discurrendo per illos, quàm implicatorium intellectui appareat, quod idem indiuisibilis modus in pluribus insit subiectis. Quomodo enim intelligi potest, quod eadem figura rotunda, vel quadrata diuersas modificet entitates, auri v. g. argenti, & stamnij? Et quod diuersæ res non habeant diuersas durationes, cum vna posit destrui, manente alia? quod similiter non habeant diuersas relationes dictinctionis similitudinis? &c.

Dices:

Dices: ex multis rebus formari potest idem modus essentialiter plura connotans, sicut vnio, subsistentia, & alij similes, quare non & quantitas, quæ vnio quædam est, & distinctio plurium? Respondeo nunc (abstrahendo ab his quæstionibus: an subsistentia sit modus simplex, vel compositus? & an vnio substantialis sit modus physicè distinctus à suis partibus, vel non? de quibus fuse in suis locis:) quod quoties modus pluribus rebus inest intrinsecè, eo ipso diuisibilis est in plures partiales: nam implicat, quod entitatem sumat ex rebus diuersis, & quod modificatio earum non sit diuisibilis in partes diuersas, & sic quantitas modus diuisibilis est, ex pluribus partibus coalescens, etiam in abstracto considerata, ideoquè quantitas dicitur quanta, quia non solùm extendit, & distinguit partes subiecti, sed etiam partes suas.

Deniquè probatur ex speciali modo quãtitatis, quæ duo essentialiter includit, vt postea dicam: & modum distinctionis, & vnitatis indiuidualis partium: & modũ extensionis, vel extrapositionis vnius partis respectu alterius. Quantũ ad primum nõ distinguitur realiter à re quãta, sed formaliter tãtum: ergo quot sunt res quantificatæ, tot sunt distinctiones partiũ ipsarum, & consequenter extensiones. Nec sequitur ex hoc, plura accidentia solo numero diuersa, esse in eodem subiecto: nam huiusmodi quantitates, sicut modificant diuersas realitates, ita & sunt in diuersis subiectis proximis.

Obijciuntur aliqua.

Sed contra dicta objicies: vnio, distinctio, & separatio, si formaliter sumantur, sunt de genere relationis, & si fundamentaliter, potius in negatione identitatis duo posteriores consistunt: ergo non potest quantitas, quæ quid absolutum, vel positiuum est, per illos constitui. Item: vnio partium in termino communi fit medio indiuisibili, quod in substantijs est substantia, & in qualitatibus qualitas, &c. ergo vnio hæc est de genere substantiæ, vel qualitatis, non vero ratio formalis quantitatis. Rursus: si modus distinctionis, & extrapositionis, & vnionis quantitatem constituerent, sequeretur quod esset ens per accidens, seu aggregatũ ex pluribus.

Respondetur ad primum, vnionem esse relationem, transcendentalem tamen, quæ compatitur cum entibus absolutis, & per aliqua vagatur prædicamenta: distinctionem autem, & separationem non pertinere ad essentiam quãtitatis formaliter, vt relationes prædicamentales

sunt, nec quantùm ad negationem solam identitatis, quā important, sed quātùm ad modum positionis vnius partis extra aliā, & quantùm ad vnitates, in quibus fundatur, qui sunt conceptus positiui, vt supra dixi.

Ad secundum resp. rationem quantitatis continuæ non consistere in indiuisibili terminatiuo, siuè continuatiuo substantiæ, sed vtrumque dicere essentialiter in obliquo, sicut & partes, quas extendit, cōsistit ergo in modo coniunctionis, quo partes inadæquatè vniuntur cum illo indiuisibili, qui modus coniunctionis distinguitur ab illo indiuisibili, & à partibus; nam potest destrui manente indiuisibili, & partes Diuinitus conseruatis, & disiunctis.

Ad tertium respondetur, in omni opinione soluendum: dico tamen plures esse modos essentialiter includentes alios: relatio enim includit distinctionem inter fundamētum, & terminum, dissimilitudinem, & alios modos, vt dicam, & vnio includit essentialiter distinctionem inter extrema vnita, & tamen non sunt entia per accidens, quia est omnimoda inclusio per se.

Quarto obijcies: si materia haberet suam propriam quantitatem independenter ab accidente rigorosè distincto, sequeretur, quod in ea essent indiuisibilia continuatiua, & terminatiua, quę per diuisionem destruerentur, & per continuationem producerentur, hoc autem est falsum: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur minor: quia materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis, sed huiusmodi indiuisibilia, præsertim si sunt lineæ, & superficies, sunt verè materia prima, & substantiæ, vt ex dictis patet: ergo.

Sed hoc argumentum etiam solui debet ab Authoribus, qui admittunt in substantia, extensionem entitatiuam, quam dicunt continuari, & terminari per indiuisibilia, solùmquè habet vim pro sententia, quæ negat substantiam sine quantitate vllas partes, aut indiuisibilia habere, sed hæc sententia, vt dixi, mihi probabilis non est, quare respondeo: materiam primam dici ingenerabilem, & incorruptibilem, quantùm ad partes profunditatis, ex quibus tantũ componitur, non verò quoad indiuisibilia punctorum, linearum, aut superficierum, quę non sunt partes illius, sed vniones, vel termini illarum.

Sed tandem hìc obijcies: si tot dantur quantitates, & extensiones, quot sunt entitates accidentales, vel substantiales in aliqua re, sequæretur, quod extensio localis, non esset proprietas quantitatis, sed prima ratio cuiusdam speciei illius, hoc autem falsum est, & contra communē senten-

sententiam: ergo, & illud ex quo sequitur. Probatur sequela: nam extensio Vbi, seu præsentiæ localis circūscriptiuæ est in ordine ad locū, & esset primariò quantitas illius modi præsentiæ, seu Vbi: ergo non proprietas, ac proinde nullius quantitatis erit proprietas, cum de ratione proprietatis sit, quod conueniat omni, soli, & semper.

Respondetur: distinguendo duplicem extensionem in ordine ad locum. Vnā determinatā, qua partes actu constituuntur in aliquo indiuiduo, ac determinato loco circūscriptiuo, & hæc est quantitas Vbi, seu præsentiæ localis, vt probat argumentum. Aliam verò esse extēsionem localem indeterminatam, quæ constituit partes inter se distantes penes ordinem ad diuersa loca, non determinando eas ad hunc locum in indiuiduo, sed in specie, id est, ad locum tantæ magnitudinis, & talis circunscriptionis in cōmuni abstrahendo à pluribus numero diuersis, & hæc extensio est proprietas consequens quantitatis essentiā, & valde diuersa à prima; nam prima variatur per motum localē, quo sicut deperditur Vbi, ita & illius extensio, seu quantitas: at secunda extensio nunquam amittitur, quantumuis realiter moueatur quantitas, sed immobiliter illi competit, habere partes taliter inter se distinctas, penes ordinem ad diuersa loca vagè sumpta.

ARTIC. IIII.

Quomodo quantitas panis maneat in Euchariſtia sine substantia, si est tantùm modus illius?

EST tamen contra dicta difficilè argumentum: quia Sanctus Thomas quæst. 77. artcul. 2. & simul cum illo communis Theologorum sententia, asserunt in Sacramento Eucharistiæ manere quantitatem panis, & vini, & solùm destrui substantias illorum, sed hoc non esset verum, si tantùm modaliter quantitas à substantia differret: ergo dicēdum est, plus quam modaliter distingui, secundùm communem sententiā. Minor probatur: quia modus etiam de potentia absoluta sine re cuius est modus, conseruari nequit: ergo nec quantitas sine substantia.

Fateor difficultatem huius argumenti, sed respectu eorum, quæ contra oppositam opinionem militant, facilius habet explicatum. Suppono igitur pro solutione, eandem difficultatem proportionabiliter tractari, de quantitate successiua, in capite

de

titatem. Aut potest abstractè considerari in tota sua latitudine, prout describitur in definitionibus essentialibus supra relatis, & sic omnis extẽsio cuiuslibet rei est quantitas, vt probatum est. Aut enim secũdò strictè accipitur, & vulgariter pro communi quadam mensura, seu extensione speciali cuiusdam formæ, quæ est subiectum *quo* respectu aliorum accidẽtium, & partibus substantiæ crassitudinem, & molem tribuit corpoream, ratione cuius impenetrabiles fiunt, per ordinem ad locũ tam inter se, quàm cũ alijs corporibus, & consequẽter possunt actu diuidi, mensurari, &c.

Hęc igitur vulgariter, & quasi per antonomasiã dicitur quãtitas, quia est extensio firma, & stabilis propter naturam rei, quã immediatè modificat, quæ est crassitudo, & impenetrabilitas, ob idquè sensibilior, & aptior est ad mensurandas, & notificãdas quantitates substantiæ, & aliorum accidentium, quæ sine hac perceptibiles non essent.

Et hinc constat, quare Sanct⁹ Thomas hanc semper quantitatem dimensiuam appellet, eãquè explicet per rationem mensuræ, non quia existimauerit quantitatis essentiam consistere in ratione mẽsurę (in quo Thomistæ quidam decepti fuerunt,) sed quia loquitur specialiter de hac vulgari quantitate, quæ est communis aliarum mensura. Eo ipso quod dimensiuam appellat, supponit esse specialem, & esse alias quantitates non dimẽsiuas actiuè, sed mensurabiles passiuè: quod expressius declarauit in commentarijs Aristotelis, & alijs locis, vbi definitiones, & diuisiones quantitatis declarat, quæ omni extensioni communes sunt, vt supra demonstraui: quapropter nos etiam hanc quantitatem semper dimensiuam dicemus, vt per hoc eam à cæteris quantitatibus intrinsecis discernamus.

Ex quo tandem constat solutio ad argumentum initio positum, scilicet quãtitates panis, & vini, quas dicunt manere in Eucharistia omnes Theologi, non esse illas, quæ immediatè afficiunt substantias; hæ enim simul cum substantijs illis in trãnssubstantiatione perierunt, sed solùm mansit hæc quantitas dimensiua, vt in eo loco eam vocat Sanctus Thomas: quæ specialiter dicitur quantitas substantiæ corporeæ, quia est proprietas illius, ab eaquè physicè dimanans, sicut risibilitas ab homine, & eam cõplens in ratione subiecti substantis alijs accidentibus.




A R-

ARTIC. V.

Soluuntur aliquot argumenta contra dicta.

OBijciesprimò: quod quātitas in communi, vt distinguitur à quātitate virtutis, dicitur quantitas molis: ergo solùm ea extensio, quę crassitudinem, & impenetrabilitatem dicit, quantitas appellatur. Respondetur: nego consequentiam, sed ratio quare omnis extensio vocatur quantitas molis, est, quia crassitudo, & impenetrabilitas ęst proprietas connaturalis cuilibet extensioni, licet non sit essentia, nam quelibet essentia etiam à proprietatibus potest denominationem accipere. Proprietas inquam, non quia emanet per veram efficientiam à quantitate, quia non est de ratione proprietatis metaphysicę, & latè sumptæ, vt supra dixi, quod emanet physicè à sua radice; quia quantitas, cum solùm sit pura extensio, non est effectiua, sed satis est, quòd sit conuertibilis cum ea, ita vt omni, & soli, & semper conueniat, vt patet in speciebus Angelicis, quæ non emanant à substantia Angeli: & in Fide, Spe, & Charitate, quę nec subiectantur in gratia, neque emanant ab ea, & nihilominus dicuntur proprietates. Sic discurrendo per cętera prædicamenta, multæ assignantur passiones, quæ solùm in negatione, vel denominatione extrinseca consistunt: si ergo in pręsenti impenetrabilitas solùm dicitur proprietas, quatenus est connaturaliter dabita cuilibet extensioni tam substantiali, quā accidentali, vt eius partes firmiter sint extēsæ, tā in se ipsis, quā in ordine ad locum: vt vitetur earum confusio: vt quælibet, suum proprium munus obire possit: vt illis vti possit agens naturale, vel artificiale ad suos fines, diuidendo, mēsurādo, &c. de quo latiùs in Metapysica.

Secunda obiectio principalis.

Secundò principaliter obijcies: quia si quantitas est modus ex natura rei diuersus à substantia, poterit separari virtute Diuina ab hac numero substantia, & hæc sine quantitate separata conseruari, vt communis tenet sententia, sed tūc manerent omnes partes integrales illius, caput, pectus, manus, &c. & non realiter cędē, ergo distinctæ, & extēsæ, esset ergo extēsio entitatiua sine quātitate. Minor quoad 1. partem probatur: quia in eo casu maneret totum id, quod intrinsecè est substantia, sed caput, manus, &c. sunt entitatiuè substantiæ: manerent ergo quoad talem

lem entitatem substantialem. Secunda pars minoris etiam facilè probatur, quia substantia illa nõ reduceretur ad punctum indiuisibile: nam eadem numero substantia, non potest nunc diuisibilis, nunc indiuisibilis fieri, sicut neque, ea quæ distinguntur realiter, etiam Diuina virtute possunt idem realiter fieri, vt contra oppositos Authores probaui.

Ad hoc posset quis respondere, in eo casu partes substantiæ manere realiter distinctas, non verò extensas, quia extensio supra distinctionem addit modũ illum vnionis inadæquatè, s. in termino, cuius vna pars est extra aliam, vt art. 2. declaratũ est. Dupliciter verò intelligi potest, hoc fieri, vel discontinuando omnes partes talis extensionis quantitatiuæ, & eas in minutissimum puluerem reducendo, ad modum quo terra, quando penitus rara fit: vel eas immediatè, & adæquatè vniendo quoad totas suas realitates, sicut sunt gradus qualitatis, vel sicut sunt materia, & forma, quomodo, etsi maneret distinctio illarum, tolleretur earum extensio, quia vna esset verè intra aliam non tantùm localiter, sed etiam entitatiuè ratione vnionis realis. Vnde licet in eo casu non maneret manus, pedes, &c. defectu extẽsionis, & ordinis vel dispositionis, quam tales partes requirunt, maneret tamen tota substantia, & distinctio harum partium, quæ esset talis substantiæ proprietas intrinseca, & non accidens quintum prædicabile.

Contra hanc tamen doctrinam est, quod etiam militant contra illam authoritas S. Tho. & aliquæ rationes supra factæ contra extẽsionem entitatiuam: testimonia enim S. Thom. non solùm asserunt substantiam extensionem habere à quantitate, sed etiam distinctionẽ partium tam continuam, quàm discretam, & infert deinde S. Doctor, omnem distinctionem realem, vel esse formalem secundũ diuersas formas, vel esse numericam, aut materialem ratione quantitatis. Secundò colligit omnem distinctionem indiuidualem fieri ratione quantitatis, ideoquè numeralem dicit, quia numerus est species quantitatis: ideoquè Angelos non esse multiplicabiles sub eadem specie, quia sunt substantię quantitatis expertes: ergo non solùm de extensione, sed de distinctione loquitur, quando eam quantitati attribuit.

Præterea ratio à priori, qua ostendimus extensionem entitatiuam, quæ immediatè modificat quamcumquę rem, ad quãtitatem pertinere, est, quia est extra essentiam, & conceptum adæquatum substantię, & quidquid hoc modo illi aduenit est, verè

verè accidens prædicamentale, sed talis distinctio, & vnio illa adæquata, vel separatio, aut pulverizatio partium sunt extra essentiam substantiæ eodem modo, & eisdem rationibus ac extensio: ergo sunt extra lineam substantiæ, & intra lineam alicuius accidentis, præsertim modi illi vnionis adæquatè, aut pulverizationis partium non solùm sunt extra essentiã, verùm sunt præternaturales, & monstruosi: ergo.

Quomodo substantia maneret à quantitate disiuncta?

Qua propter aliter primò, dicendum est, quod si sermo sit de quantitate illa dimẽsiua, quæ immediatè modificat crassitudinem, & molem corpoream, & vulgariter, & antonomaticè quantitas dicitur, facilè intelligitur, quod sine ea partes substantiæ maneant non solùm distinctæ, sed etiam quantitatiuè extensæ saltem in ordine ad se, solùm deficiet illis impenetrabilitas connaturalis, & resistentia respectu cuiuslibet alterius quãtitatis ad occupandum eundem locum, ratione cuius confundi poterunt eius partes in eodem loco, tam inter se, quam cũ alia quantitate ad modũ, quo partes corporis Christi sunt in Eucharistia excepta repetitione earundem in pluribus locis, quia non esset substantia illa in casu præsenti tota in qualibet parte, sicut est corpus Christi, vel anima, sed tantùm tota in vna parte, vel puncto alicuius spacij: de hac ergo quantitate intelligendi sunt communiter Authores asserentes à substantia separari, & è contra. Similiter quando aiunt, quod sine hac, substantia maneret indiuisibilis, loquuntur, de indiuisibilitate naturali, qua ab extrinseco agẽte naturali scindibilis erat ratione huius impenetrabilitatis, vel crassitudinis, quæ ad diuisionem physicam, est saltem necessaria vt cõditio, non excludunt tamen diuisibilitatem intrinsecam, quæ conuertitur cum qualibet extensione, vel distinctione partium. Rursus si loquamur de quantitate immediata substantiæ, vel cuiuslibet alterius rei in tota sua communitate, & latitudine.

Dico secundò: quod licet quantùm ad suum esse perfectum, & consumatum possit etiã separari à substantia, vt sine illa in re substantia Diuinitus conseruetur, cæterum quoad essentiam incompletam, vel quoad esse simpliciter, etsi imperfectè, & sine integritate naturaliter debita consideratum minimè substantia corporea sine sua immediata quantitate existere potest. Explico hãc assertionem: nam quantitas, seu extensio duplicem modũ naturalem petit, &

& modum distinctionis realis partium eiusdem essentiæ, quarum quælibet separata apta est esse vnum quid, & hoc aliquid iuxta definitionem illam: *quantum est diuisibile*, &c. Et rursus modum extraneitatis vnius partis respectu alterius, id est, quod vna sit extra aliam: qui secundus modus vel essentialiter, & indiuisibiliter quantitatem constituit, vel saltem prior se habebit vt essentia quantitatis simpliciter, & posterior vt integritas illi connaturalis, sicut intellectus est de integritate animæ rationalis, de quo latius alibi.

Hoc ergo supposito, licet quoad modum extensionis realis substantia à sua quantitate separari valeat, tamen quoad modum distinctionis, & vnitatis partium suarum minimè, vt argumentum factum probat.

QVAESTIO III.

An distinctio indiuidualis ex quantitate proueniat?

ARTIC. I.

Difficultas hæc maximè in hoc loco est necessaria; tùm in confirmationem eorum, quæ dicta sunt; tùm vt soluamus obiectiones, quarum occasione doctrina posita de quantitate apud quam plures malè audit. Suppono igitur indiuiduum supra naturam specificam addere aliquid positiuũ metaphysica ratione distinctũ, quod dicitur differentia contractiua speciei, & constitutiua, ac distinctiua indiuiduorum, quæ verè & propriè solo numero differre dicuntur.

Quod addat aliquid super speciem, colligitur ex S.Thom. Estquè communis sententia, & probatur: quia natura specifica de se est communicabilis multis; in humana v.g. Petrus, & Paulus conueniunt: indiuiduum autem vt talè, est incommunicabile, quod de vno tantùm dicitur, vnde forma constitutiua illius facit differre Petrum à Paulo: ergo aliquod positiuum addit naturæ communi, in quo talis incommunicabilitas realis fundatur. Quod autem talis additio sit rationis, licet res addita realis sit, patet ex his, quæ disp.1. diximus de vniuersalibus.

S. Thom. 1.p.q.40. ar.2.& 1. cõt. Gent. c. 42. ratione 7.

Est ergo nunc controuersia non facilis, quodnam sit positiuum hoc speciei superadditum, ratione cuius vnum indiuiduum alteri incommunicabile dicitur? vel ex qua radice talis eorum proueniat distinctio? In hac re sententia indubitata Aristotelis & S. Thomæ est, principium indiuiduationis in substantijs mate-

materialibus esse materiam vt quantitate signatam, aut diuisam, quam variè, & prolixè defendunt eius discipuli, Caietanus præcipuè, Capreolus, Soncinas, Ferrara, & alij, vnde inferunt consequenter in substantijs spiritualibus materia, & quantitate carentibus non esse possibilem distinctionem numericam plurium sub eadem specie, sed in illis vnitatem specificam essentialiter indiuiduam esse.

Aristote. S.Th.1.p. q.3. ar.3. q.30.ar.3 q.50.ar.4 q.54.art. 3. ad 2. & q. 56. ar.1.ad 2. q.75. art. 4.& 7.q. 85. art.1. ad 2. 3.p. q.77.art. 2.quæstiũ. 2.opus.29 de ente& c.2 vsque ad 7. vbi Caietan°. Soncinas. Ferrara.

Quod enim sit Aristotelis, constat ex multis eius locis 5. met.c.6. text.42. dicit: *Ea esse essentia à vnum numero, quorum est materia vna, & lib.7.c.8,tex.28.* ait: *formam ex his carnibus, atquè ossibus esse Socratem, & Calliã;* & c.10.tex.25. *Singulare*, inquit, *ex vltima materia iam Socrates est.* Et ex hoc principio infert li.12.met c.8.tex.49. *Primũ motorem non posse esse nisi vnum numero, quia est expers materiæ,* Existimans necessarium, vt quę conueniunt specie, & differunt numero, materiam habeant, & per materiam differant. Item 1. *de cælo c.9.* probat non posse esse alium mundum, quia hic mũdus totam materiam rerum naturalium complectitur, qui discursus materiam necessariam supponit ad distinguendum plura indiuidua sub eadem specie.

Rursus, quod etiam quantitatem requirat: constat 3. *met. c.3.tex.11.* vbi distinctionem specificam docet fieri per formam, numericam verò per quantitatem. Et *lib.10. c.3.tex.4.* duos tantùm ponit diuisionis modos, s. per formam, & per quantitatem. Et 15. *met.c.13.* quantitati generaliter tribuit, quod sit principium diuisionis, vnde *quantum esse*, ait, *quod diuidi post in ea, quorum vnumquodquè hoc aliquid natum est esse & alibi sæpè.*

Sed clarius adhuc loquutus fuit S. Thom. locis præcipuè in margine notatis, quæ nullam apparentem admittunt explicationem pro sententia opposita, ideoquè in adducẽdis eius verbis, immorari non licet.

Hanc sentẽtiam Xuarez aliàs deuotissimus S. Thomæ multis impugnat, eamquè ait, solùm authoritatibus niti, nullis tamẽ rationibus, sed potius contra se validissima habere argumenta, ratione quorum tam ipse, quàm multi ex iunioribus eam deserunt, concluduntquè omnem substantiam singularem se ipsa per entitatem suam indiuiduam esse, neque alio indigere indiuiduationis principio.

Summa rationum eorum est, quod non potest differentia indiuidualis substantiæ, cum sit entitatiuè substantia, ab aliquo prouenire accidente, quale est quantitas, nec potest, cum sit realiter indistincta à natura specifica, summi à materia, quæ re distin-

distinguitur ab ea tamquā pars à toto. Nec potest materia, cū sit pura potentia, tribuere vltimum actum, qualis est differentia indiuidualis, & cum sit ratio generica omnium substantiarum materialium, in qua tamquam in cōmmuni subiecto omnes conueniunt, esse rationem vltimò differendi; nam actus est qui distinguit, non potentia, præsertim materiæ primæ, quæ ideo pura potentia nuncupatur, quia omnem prorsus excludit actum.

Propter hæc enim, & similia huic 2. opinioni aliquando subscripsi, arcebat me tamen authoritas S. Thom. ne publicè eam defenderem, eiusquè doctrinæ me opponerem, nunc autem re profundius considerata, doctrinam thomisticam, vt veram, ac peripateticam veneror, breuiterquè eam sequenti articulo demōstro, reliqua ad materiam de Angelis, vel Metaphysicam remittens.

ARTIC. II.

Sentētia Doctoris Angelici exponitur, & probatur.

SVppono ergo pro huius intelligentia, quod omnis distinctio oritur ab aliquo potiori tamquàm à radice, cuius est proprietas, sicut & vnitas; propter hoc enim communiter dicitur, quod *constitutiuum est distinctiuum*, & quod *actus est qui distinguit*; quia distinctio comparatur vt proprietas alicuius radicis, ex qua vt causa oritur, ideoquè cum sermo est de distinctione indiuiduali, aliqua radix preintelligenda est, saltem nostra consideratione, ad quam sequatur, & cum qua conuertibiliter se habeat.

Declaraturquè amplius hoc principium: quia quod non est in re prima radix, debet oriri ex aliquo priori tamquàm ex radice, & idcircò solùm essentię nulla ratio quæritur, quia est primū principium & radix, nullū aliud vt prius supponens, definitiones etiam propter hoc dicuntur prima principia, quia per ipsas explicatur essentia, quæ est prima omnium in vnaquaquè re, sed differentia indiuidualis non est primùm, sed postremum, quod in re aliqua à nobis consideratur, est enim vltimùm quod ponitur in linea prædicamentali: ergo debet quæri, & assignari illi aliqua causa determinata, ex qua proueniat.

Vnde irrationabiliter opposita sententia asserit, naturam ex se absquè aliquo prærequisito vt causa, indiuiduā esse, quia si sermo sit de natura specifica, vel generica formaliter vt

talis est, directè opponitur veritati, cùm ratio generica & specifica præsertim in materialibus sit numericè multiplicata, si autem ex se esset indiuidua, repugnaret illi indiuidualis distinctio, nam indiuiduum est, quod de vno tantùm dicitur. Si ergo respŏdeant, quod talis natura ex se, primaria, & formali ratione indiuidua non est, sed vt talis entitas est in re, debent assignare causam determinatam, ex qua oriatur talis distinctio indiuidualis, nam quod secundariũ est, ex aliquo primario debet ortum habere, & de hoc est controuersia præsens, vt patet ex eius titulo.

Præterea, dicere, quod prout talis entitas est, est indiuidua, est probare idem per idem, nam entitas vt talis est, iam singularis consideratur, cum species nŏ fiat talis, aut talis, nisi per differentias indiuiduales, debet ergo explicari, vnde proueniat entitati, quod talis sit, & indiuidua, quod non faciunt authores oppositi.

Ratio fundamentalis.

Probat optimè & efficaciter S. Thomas vbi supra, ex cuius doctrina hæc ratio fundamentalis formari potest. Distinctio indiuidualis debet ex aliquo capite, seu radice prouenire, sed non ex forma, nec ex sola materia: ergo ex materia prout quantitate signata. Maior patet ex dictis, minor quoad primam partem probatur: quia omnis distinctio, quæ prouenit à forma, eo ipso est distinctio formalis: ergo non indiuidualis tantùm, quæ est distinctio rei intra eandem formam. Probo antecedens, tùm quia forma, cum consistat in indiuisibili, & constituatur in suo esse per ordinem ad certam, & determinatam operationem, seu finem, non potest esse radix, nisi distinctionis ab alia forma essentialiter differente. Tùm quia distinctio indiuidualis accidit cuilibet formæ, omnes enim considerantes naturam secundùm sua prædicata essentialia, dicunt nullam singularitatem includere in suo formali conceptu, aliàs non posset abstrahi ab illis, (vt dixi tractando de vniuersali in communi.)

Quinimo nec accidit vt proprietas orta aliquo modo ab essentia, vel conuertibilis cum illa, sicut risibilitas se habet respectu hominis, quia differentia indiuidualis communissima est, abstrahens non solùm ab omnibus substantijs, verum etiam ab accidentibus, ergo tantùm abest, quod possit esse prædicatum essentiale alicuius formæ, quod nec vt proprietas illi connexa sit.

Rursus, quod nec à sola materia talis distinctio proueniat, quod erat pars secunda mino-

minoris, probant latè, & efficaciter Authores oppositi, quia materia est communis non solùm multis indiuiduis, sed speciebus, & generibus, distinctio autem non potest prouenire ab aliquo communi, quod potius est ratio conueniendi, quàm differendi.

Præterea: materia est pura potentia, distinctio autem debet prouenire ab aliquo actu constituente aliquo modo, vel essentialiter, si distinctio essentialis sit: vel accidentaliter, si distinctio sit accidentaria. Ex quo patet iam consequentia sillogismi principalis, à sufficienti partium enumeratione: quia si est necessariò aliqua causa huius distinctionis indiuidualis, & non forma, nec materia tantùm: ergo est quantitas prout diuidens, & determinãs materiam, & materia prout coarctans formam, (vt quantitate signata.)

Quod amplius sic declaro: nam in primis sola quantitas est, quæ diuidit partes substantiæ, tàm continuas, quàm discretas, & quæ facit substantiam indiuiduam, vel diuisam, vt hactenus probatum est, sed distinctio indiuidualis non est aliud quam distinctio inter partes discretas alicuius speciei: ergo ex quantitate vt radice prouenit signatio, vel distinctio indiuidualis materiæ, & consequenter totius substantiæ.

Minor probatur: quia sicut se habet quantitas cõtinua ad suas partes, quas extendit & continuat, ita distinctio indiuidualis ad extrema quæ diuidit, cum hoc solo discrimine, quod partes quantitatis continuæ copulantur termino communi, non verò extrema distinctionis indiuiduorum, sed in hoc consistit ratio quantitatis discretæ, ergo ipsi quantitati talis distinctio tribuitur.

Maior cuius discursus explicatur: nam quantitas continua, eo ipso quod substantiam realiter ac determinatè diuidit in partes, tribuit illis vnitates indiuiduales partiales: nam partes illæ sola vnione quæ propria continuæ quantitatis est, impediuntur, ne sint indiuidua totalia; & eo ipso quod diuisio hæc est in partes eiusdem rationis, dicitur extensio & quantitas: nam vt supra animaduerti, extensio præcisè vt talis, est latitudo alicuius vnius rationis, differtquè ab omni intensione, & graduali aut essentiali variatione; sed distinctio indiuiduorum solum hoc habet, s. diuidere substantiam specificam realiter ac determinatè; tribuere vnitates indiuiduales extremis diuisis: & extendere; quia diuisio hæc est in partes eiusdem

rationis specificæ: solùmquè est differentia, quod hæ partes non copulantur termino communi, in quo quantitas discreta à continua discernitur: reducitur ergo huiusmodi indiuiduorum differentia solùm ad quantitatem discretam: vel si distinctio indiuidualis in communi magis abstractè sumatur, prout abstrahit à totali, & partiali, ad quantitatem in communi pertinet: solemus enim absolutè solùm de completo loqui, quia est verè diuisum à quouis alio, partiale verò solùm distinctum. Et partes quantitatis discretæ licèt in genere quantitatis discretæ partes dicantur in genere substantiæ tota quædam sunt.

ARTIC. III.

proponitur triplex obiectio, & soluitur.

Dices primò: si quantitas constituit substantiam diuiduam, vel diuisam, quo modo indiuiduam, vel indiuisam? Secundò, si distinctio indiuidualis est idem quod quátitas discreta, sequitur quod anima rationalis, quæ multiplicationem suscipit indiuidualem, sit formaliter quanta, quod nemo concedit. Tertiò si quantitas numericè diuidit, ad quid est necessaria materia?

Resp. ad primùm, quod omnis distinctio, vel diuisio debet fundari in vnitatibus, vnitas autem est indistinctio in se, & distinctio à quolibet alio, ac proinde non potest quantitas substantiam in partes diuidere, quin ipsis simul vnitatem, & indistinctionem tribuat, & eo ipso quod substantiæ accidit diuisio partium integralium siuè continua, siuè discreta, accidit pariter vnitas, & indistinctio cuiuslibet in se.

Quinimò nec mente, aut verbis explicare possumus diuisionem inter partes, quin illis vnitatem tribuamus, dicentes vnam non esse aliam, & distinctionem definientes, quod sit non identitas vnius, & alterius.

Ad secundùm respondeo, quod in substantijs corporeis multitudo indiuidualis prouenit à quantitate discreta tamquàm à forma, modo postea declarando, in animabus autem, cùm sint spirituales, prouenit ab ea, tamquàm à termino extrinseco & mediato, cui anima vnitur mediante materia; nam per habitudinem ad diuersas materias quantitate affectas numericè animæ discernuntur, non quia for-

formaliter corporeæ sint, & quantæ, sed quia virtualiter, & eminenter id habent, quatenus corpora informant. Dicetur ergo extēsio illa in animabus entitatiua, & trāscendētalis intrinsecè & in recto, quantitatiua autē extrinsecè, & in obliquo, quatenus essentialiter materiam & quantitatem connotat, & in ordine ad illam diuiditur. Ad 3. resp. sequēti §. nam dixi supra, sed nondum probaui, materiam ad indiuiduationem concurrere, nunc ergo.

Statuitur, & probatur materiam esse indiuiduationis principium.

Primò ex communi modo loquendi tàm antiquorum, quā recentiorum Philosophorū, qui differentias indiuiduales numericas, & materiales dicunt; cuius non potest esse alia ratio, nisi quia sumuntur à materia prout quantitate affecta. Est item communis doctrina distinguens inter accidentia propria & communia, quod propria accidunt subiecto ratione formæ, à qua emanant, accidentia verò communia ratione materiæ, & hæc posteriora dicūtur proprietates indiuiduales, priora autem speciei proprietates, cuius non est alia ratio, nisi quia differentia specifica sumitur à forma & differentia indiuidualis à materia. Præterea probatur ex definitione, quam assignant Aristoteles & omnis peripatetica schola, primæ substātiæ, quæ idem est, quod indiuidua substantia. s. est illa, *quæ neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur*, sed non esse in subiecto conuenit substantiæ ratione materiæ, quæ est primum subiectum, & non dici de subiecto, idest, de inferiori, ratione quantitatis, quę illam diuidit ab omni alio indiuiduo: ergo à materia, & quantitate sumitur ratio adæquata indiuidui.

Nec valet respondere, naturā completā indiuidui sufficienter saluari in hoc, quod de vno tantùm dicatur; sic enim indiuiduum definiri solet, ac proinde satis illi est, quod non sit in alio vt in subiecto prædicationis, quidquid sit de subiecto inhæsionis. Fateor namq; sufficere indiuiduo cōpleto, si de vno tantùm dicatur, hoc tamen non adæquatè explicatur, nisi per duas illas negationes, quod nec sit in subiecto inhæsionis, nec prædicationis; nā indiuiduū cōpletum substantiæ (de quo loquimur) debet esse omnibus modis alteri incōmunicabile siue tāquam subiecto, vel supposito, siuè tamquam inferiori: sic enim perfectè de vno tantū dicetur, si alijs nullo modo cōmunicari possit. Nec refert q̄ eadem forma indiuidua possit pluribus communicari materijs, vel supposi- tis, quia propter hoc natura non

est indiuiduum completum, sed suppositum vel subsistens.

Ratione præterea principaliter probatur: quia sicut quantitas coarctat, & determinat materiã, quatenus eam limitat diuidens ab omni alia; ita materia coarctat formã: ergo sicut ratione huius limitationis quantitas dicitur principiũ indiuiduãs, sic & materia. Probatur antecedẽs primò ex communi Philosophorũ sententia & modo loquẽdi, qui communiter materiæ tribuit coarctare & limitare formã, & propter hoc sæpe repetit S. Tho. quod si esset albedo ex se, & ex natura sua separata à subiecto, esset vna non solũ formaliter, sed numericè; quia nõ haberet vnde limitaretur: non à forma vt patet, nec à materia; quia illam non habet.

Secũdò quod forma coarctetur per materiã, & consequẽter quod diuidatur in plura numero & eiusdem rationis, colligitur ex eius operationibus & proprietatibus, quæ similiter limitantur per ipsam: calor enim in aqua non ita calefacit, sicut in ferro, aut in aere, nec in ligno, aut papiro, sicut in aqua, cuius diuersitatis nõ est alia ratio, nisi materia magis, vel minus coarctans. Sic etiã in formis substãtialibus, cũ educãtur ex potentia materiæ sic dispositæ, pendeantq; ab illa in esse fieri, & operari, est certissima hæc limitatio: videre enim, audire, olfacere, &c. diuersimodè participatur à diuersis animalib⁹, & nõ ratione formæ animalis, quæ eadẽ est, vt supponitur: ergo ratione materiæ.

Item in anima rationali, non obstante, quod independentior sit, cernitur limitari eius operatio à materia corporea: nam ex se est capax intelligendi res spirituales per proprias species, vt in se sunt, & nihilominus ratione corporis, in quo immergitur, limitatur eius intelligere, vt nõ possit res etiam spirituales attingere nisi ad modum corporis. Hincque experimur diuersos modos & penè infinitos discurrendi, iudicandi, & volendi intra eandem speciem, quot sunt humanæ naturæ indiuidua: ergo à fortiori in alijs formis corporeis magis materiæ immersis, magisquè ab illa cõprehensis, maior erit coarctatio, & limitatio ab ipsa. Eo autem ipso quod species coarctetur, iam diuidtur in plura numero sub eâdem forma.

Dices primò: sicut materia coarctat formã, ita forma coarctat materiã tam per se, quã per suas dispositiones: siquidẽ illã alias cõmunissimã limitat, vt nõ possit alias formas recipere, alijsque cõpositis cõmunicari vt pars

Secundò, hæc coarctatio formæ explicata non tam prouenit ex præcisa indiuiduatione, aut quãtitate materiæ, quã ex varia

qualitatũ temperie & cõbinatione: neque arguit diuersitatem indiuidualem formæ, nam eidem numero indiuiduo pro diuersis temporibus conueniunt variæ complexiones qualitatum, & modi operandi, vt patet non solùm in diuersis ætatibus, sed in eâdem, in qua quis solet amittere Memoriam, vel Intellectum, aut salutem, & sic differre magis à se ipso in proprietatibus, aut modo operandi, ac differt vnum indiuiduum ab alio.

Tertiò: cum indiuiduum nõ pendeat ex aliquibus proprietatibus determinatis: quia nulla est in vno, quæ non possit in alio esse, nõn est aliqua causa secunda, cui possit attribui eius determinatio: ergo solùm ad Deum pertinet vt Authorem naturę, sicut ad eum similiter spectat, omnes actus intellectus, aut voluntatis nostræ quoad indiuiduationem determinare, vt communitér dicitur à Theologis. Et re vera negari non potest: quia cum voluntas, positis omnibus requisitis, sit indifferẽs ad plures actus tam specie, quã numero diuersos, & aliàs ipsa differentiàs ignoret indiuiduales, non potest hunc actum in indiuiduo exercere, nisi à Deo ad illum determinetur, & applicetur, nam ipsa in obiectum, vel actum non potest ferri, nisi præcognitum.

Quartò: in anima rationali, cum pẽdeat in fieri, à solo Deo, negari non potest etiam determinationem indiuidualem ab eo tãtùm accipere: nam si priùs creatur à Deo, quàm materiæ vniatur, iam supponitur ante vnionem ad ipsam, & independenter ab eius dispositionibus, indiuidua, & indifferens quantùm est ex se, vt cuilibet corpori vniatur tam viri, quam fœminæ.

Satisfit obiectis.

Sed ad primum fateor materiã coarctari per formam; cęterùm ad talem, vel talem speciem; nam vnitas & distinctio specifica prouenit à forma, è contra verò materia formam ipsam limitat ad tale indiuiduum, vt sæpè repetit S. Thomas.

Ad secundùm quidquid sit de capacitate remota materiæ, de qua postea, concedo, quod sicut forma non recipitur in materia nuda, sed prout quantitate dimensiua, cæterisquè accidentibus disposita (quæ dicitur capacitas proxima) sic non coarctatur ab ea nudè sumpta, nisi modo dicto; huiusmodi autem accidentia sunt in duplici genere; quędam sunt propria formę, & hæc quantùm est ex parte sua, minimè illam coarctant, sed potius augent capacitatem materiæ ad eam recipiendam: quædam verò communia, quæ se tenent ex parte materiæ, & quan-

titatis ipsius, & hæc coarctant tàm formam, quàm propriàs eius dispositiones, & operationes: materia enim quantitate affecta diuersimodè, ac multipliciter alteratur, extrinsecùsque afficitur impressionibus, ac temperamentis, quibus, dispositionibus resistit formæ aduenientis, easquè limitat & diuidit, & cõsequenter formam; ideoquè talis coarctatio, materiæ, & illius quantitati, quæ est eius passio, appropriatur; quia præter accidentia propria, quæ tribuuntur formę, & determinant ad spetiẽ, cętera alia communia nullam habẽt certam ac determinatam causam præter materiam; & ideò sunt quasi proprietates illius, non ab ea fluentes, sed in ea receptę, & medijs illis tamquàm dispositionibus competit materiæ formam recipere, ac limitare.

Præterea dico secũdò: quamuis ex limitatione operationis, & proprietatis formæ colligatur in generali, quomodo per ipsam forma coarctari possit, & consequenter diuidi in plura numero, non ex hoc inferre volumus, quod quæuis coarctatio proprietatis, vel operationis arguat mutationẽ substãtię indiuiduæ, quemadmodum licet eius facies, vel figura resultet ex certa quadam qualitatum tẽperie, seu combinatione, non quæuis mutatio variat figuram illius, nisi tanta sit, qualis ex ætate, vel graui infirmitate causatur. Ratio huius est, quia indiuiduum non habet certas aliquas, aut determinatas proprietates, à quibus pendeat, sed tantùm collectionem quandam plurium accidentium, quæ nobis semper incerta est, ac omninò contingens, ideòquè de illo scientia non datur.

Nequè valet dicere huiusmodi varietatem materiæ tantùm determinare agens ad hoc, quod producat tale, vel tale indiuiduum, atquè adeò solùm concurrere vt causam, vel occasionem extrinsecam, non verò vt radicem per se ad indiuiduationem. Respõdetur enim, vtrũquè simul præstare. s. & disponere ad talem formam, & coarctare, seu diuidere illam, vt probatum est, & amplius postea constabit.

Ad tertium in primis respondeo, parùm philosophicum esse, recurrere ad Deum, quoties intra ordinem naturæ causa aliqua secunda inueniri potest: quia natura numquam deficit in necessarijs, magisquè relucet sapientia supremi Artificis, si naturæ omnes causas necessarias prouideat intra limites suos, quàm quod per se ipsum suppleat, quod causæ secundæ operari deberent. Vnde sicut varietas figuræ, & membrorum dispositio in omnibus hominibus est sem-

semper aliquomodo diuersa, & non reducitur ad solam Dei causalitatem, sed ad variam materię dispositionem, ex qua resultat, sic in cæteris differentijs indiuidualibus: etenim si mira & infinita est indiuiduorum diuersitas, eadem cernitur in multiplici qualitatum temperatura, quę ex cælorum mutatione continua, & ex Aeris, Terræ, elementorum, alimentorum, aliorumquè circunstantium congressu redundat, & ideò nil mirum quod ex hoc pendeat, & causetur illa, sibiquè inuicem correspondeant: & licet in multis indiuidua cõueniant, collectio tamen omniũ proprietatum, & affectionum numquam eadem in alio est, vt patet ex communi indiuidui definitione, quæ eisdem ferè terminis a Porphirio traditur, ab omnibusquè recipitur.

Instantia autẽ de determinatione libertatis non est ad propositum: nam in eodem argumẽto adducitur ratio disparitatis. s. quod homo intra limites suæ naturæ non potest cognoscere differentias indiuiduales, cum de illis non habeat scientiam, nec potest ad illas applicari ab aliqua causa necessaria, alioquin lęderetur eius libertas, ideò ergo soli primæ causæ hæc determinatio necessariò reseruanda est, nihil autem horum vrget in nostra causa.

Quod si adhuc velis formam quamtumuis singularem non pendere determinatè ab hac numero materia, nequè quoad capacitatem remotam, ac nudam, nequè quoad proximam, hoc est, quatenus taliter signatam, aut proximè dispositam: quia quomodocumquè cõsideretur, possunt plures numero formæ in ea recipi.

Respondeo secundò, quod licèt indiuiduatio formæ non pendeat determinatè ab hac, vel illa materia, pẽdet à materia vagè sumpta: nam eo ipso quod coarctato modo recipienda est ab hac, vel illa iuxta superius dicta limitatur, & diuiditur eius latitudo specifica, & ita poterit eadem forma indiuidua pluribus materijs numero distinctis vniri, dum tamen ab illis æqualiter coarctetur.

Ex quo patet iam ad quartum, in quo hæc doctrina certior apparet, ex eo quod anima rationalis non pendet in suo fieri à materia, sed supponitur per creationem facta, & indiuidua antequam ipsi actu vniatur, & nihilominus respondetur, quod constituitur essentialiter in suo esse per ordinem ad materiam, vt dictum est, & eo ipso quod materia est numero multiplex, debet anima per ordinem ad ipsam numericè multiplicari: non quod hæc anima determinatè huic corpori correspondeat, & non alteri, sed vagè, & disiunctiuè

tiuè huic, vel illi iuxta beneplacitum Authoris naturæ.

Ex distinctione enim numerica corporis, vel materiæ sic consideratæ colligitur satis animarum distinctio: nam eo ipso quod est possibilis potentia in aliquo ordine, est possibilis actus, & si potentia est multiplex, ita & actus cum eâdem proportione illi correspondere debet saltem vagè.

Quod autem colligatur potius distinctio numerica rationalis animæ ex distinctione materiæ, & non è contra, est ratio; quia materia cum sit corporea, signatur, & diuiditur formaliter per quantitatem, anima verò ex se non habet, vnde numericè differat, nec ab aliqua forma illam quantificante, sed tantùm à termino cui vnitur, hoc est, per ordinem ad materiam quantitate signatam.

ARTIC. IIII.

Statuitur Angelos in multiplicabiles esse sub eâdem specie.

EX dictis colligitur iá, quomodo in Angelis sit impossibilis indiuidualis pluralitas intra eandem speciem, quam sententiam infert ex præcedéti doctrina Angelicus Doctor, iure hoc nomine nuncupatus, quia Angelorum naturas præ cæteris caluit. Eam igitur firmiter amplector, & probo: quia non alia ratione species Angelica est apud omnes essentialiter indiuisibilis secundùm partes continuas, nisi quia incapax quantitatis est, & omnis diuisibilitas à quantitate prouenit, sed eadem est ratio de distinctione inter partes discretas, seu indiuidua eiusdem rationis specificæ: ergo qua ratione Authores oppositi impossibilem supponunt extensionem Angeli secundùm partes continuas, ita secundùm partes discretas, seu indiuidua intra eandem speciem, quod idẽ est. Minor prabata est iam, & in sententia, quæ tenet, omnem extensionem, & substantiæ distinctionem quantitati tribui, necessariò admitti debet.

Soluitur quorundam respõsio.

Sed quia possunt adhuc reclamare Authores, qui extensionem etiam continuam in quantitatiuam, & entitatiuam diuidunt, & sic consequenter distinctionem indiuidualem extensioni entitatiuæ, discretæ tribuere, non quantitatiuæ: eorum doctrina gratis concessa, illis intra limites suæ sententiæ obijci potest proportionabiliter argumẽtum factum. Nam sicut se habent inter se quantitas cõtinua, & discreta, ita extẽsio entitatiua conti-

continua, & discreta; hoc enim à nemine negatur, sed repugnat Angelo extensio secundùm partes continuas non solùm quantitatiua, sed entitatiua, vt opposita sententia supponit: ergo etiã extẽsio entitatiua discreta, qualis est indiuidualis. Vel si hęc non repugnat, nec illa. Probatur consequentia: quia distinctio indiuidualis solùm est latitudo eiusdem speciei in diuersas numero entitates diuisæ, sed hoc etiam habet extensio entitatiua continua; tantùmquè est disparitas in hoc, quod extrema vnius sunt indiuidua totalia, & separata, alterius verò partialia, & vnita, vnio autem, vel separatio præcisè non ostendunt impossibilitatem, si semel supponatur possibilis distinctio: ergo vel vtraquè extensio, vel neutra repugnat.

Confirmatur: quia si aliquod esset in Angelis discrimen inter extensionem continuam, & discretam, potius admittenda esset extensio continua, quã discreta: nam extensio continua, quam habet Angelus in specie diuisibili, & vnio, quam habet anima rationalis cum corpore extenso, satis extensionem continuã saltem entitatiuam indicant: satisquè inintelligibilis videtur nostræ rationi indistinctio substantiæ Angelicæ in se, & quod sit tota in toto, & tota in qualibet parte: qua ergo ratione his difficultatibus non obstantibus, cogitur indiuisibilitatem Angeli secundùm partes continuas admittere, & non candẽ admittet secundùm partes discretas, vbi certè non apparet tanta difficultas?

Præsertim potest vrgeri hæc ratio, quod Authores oppositi non alio fundamento probant plures Angelos possibiles sub eâdẽ specie, nisi quia in eis nulla apparet repugnantiæ ratio, nec discriminis quantũ ad hoc à corporibus; & quia distinctio indiuidualis non prouenit à quantitate, sed quæuis entitas se ipsa sit indiuidua: sed idem dici potest de extensione entitatiua continua Ange[illegible], quod non à quantitate pro[illegible]at, sed quælibet pars Ang[illegible] per suam entitatem sit vna & distincta; quia vnitas, & distinctio (vt ipsi aiũt) sunt proprietates entis, & maximè substantiæ. Item, quod nulla appareat discriminis, aut repugnantiæ ratio, nec ab eis assignatur; ergo vtramquè, vel neutram debent admittere.

Dices, etiam in sententia nostra soluendum esse hoc argumẽtum; nam concedimus animam rationalem numericè multiplicari secundùm diuersa indiuidua, & partes discretas eiusdem speciei, & negamus possibilem illius extensionem secundùm partes continuas, & in ea verisimilius posset admitti, cum

sit

sit forma virtualiter, & eminenter corporea.

Respondeo: quod vtriusquè assignat discrimen S.Thom. in diuersis locis, quod Authores oppositi Angelis accommodare non possunt, cum enim anima sit essentialiter actus, & forma corporis, ad minus coarctari debet per diuersa corpora, vt numericè multiplicetur in ordine ad illa; & cum sit longè nobilior cæteris formis, maximèquè accedens ad substantias Angelicas, tamquàm supremum infimi attingit infimum supremi, atq; adeò non ita coarctatur, vt pendeat à materia tam quoad esse, quàm quoad operari, sicut reliquæ formæ; nam sicut optimè *1.p.q.76. art.1.* aduertit S. Doctor, quantò forma est nobilior, tantò magis dominatur materiæ corporali, minusquè ei immergitur, minusq; ab illa coarctatur, vel comprehēditur, ideoquè anima potest subsistere, & operari independenter à materia, quod aliæ formæ non habent.

Declaratur amplius hoc discrimen ex modo operandi ipsius animæ; nam vt etiam aduer *1.p.q.76. art.1.corpore, & 2.ad 3.& alibi.* tit Angelicus Doctor, natura vnius cuiusquè ex eius operatione ostenditur, quia modus operandi est secundùm modum essendi (quod intelligè de operatione primaria, & principali, quidquid sit de secundaria, & minus precipua,) tunc sic: sed propria, & principalis animæ operatio, quæ est intelligere, solùm petit, & infert indiuidualē multiplicationē intra eandē speciē, nō verò pluralitatē partium integraliū in eadē forma indiuidua; ergo. Probatur minor; quoad primā partē: quia nostrū intelligere est pendens naturaliter à phantasia, quæ in omnibus corporibus specificè eadem est, numero autem, & materialiter multiplex, ergo intellectio, quæ propter dependentiam, ab hac facultate corporea coarctatur, erit similiter specificè vna, & numericè multiplex, & consequenter forma rationalis, ex qua prouenit tamquàm ex radicè, eandem vnitatem, & distinctionem obtinebit.

Item secunda pars minoris probatur: quia hæc eadem intellectio, licet pendeat à corpore modo dicto, non est ita pendēs, vt ab omnibus eius partibus integralibus talis operatio causetur, nisi tantùm valde remotè, in quantum ab illis phantasia pendet in esse, & operari, quinimo, nec ab ipsa phantasia pendet vt principali causa, sed vt instrumentali dumtaxat, ergo talis dependentia nullam infert diuisibilitatem partium in ipsa anima, nec commensurationem ipsius, aut coextensionem cum corpore, cui vnitur, ideoquè eminenter, & non formaliter corporea dicitur.

Deni-

Deniquè in nostra sententia facilè ab hac expedimur difficultate, dicentes, quod sicut anima non est formaliter corporea, ita nec formaliter extésa, & quanta, & quia eminenter id habet, ideò per ordinem ad corpus, & quantitatem, numericam, & indiuidualem multiplicationem admittit.

ARTIC. V.

Soluũtur arguméta pręcipua aduersariæ partis.

REstant adhuc soluenda præcipua alia aduersariorum argumenta, quibus euidenter suo iudicio, in sententiam inuehunt S. Tho. primum est, quod indiuiduum substantiæ ponitur vltimo loco in genere substantiæ: non ergo prouenit à quantitate, quæ accidens secundi generis est.

Secundum: quia differentia indiuidualis indistincta realiter est à substantia, præsertim in Thomistica schola, vt satis dixi tractando de vniuersalibus, sed quantitas non solùm re distincta, sed separabilis est, vt patet in Sacramento Eucharistiæ: ergo non potest indiuiduatio substantiæ ex ipsa quantitate prodire.

Tertium: materia prius natura recipit formam substãtialem, ac quantitatem, cęteraquè accidentia: ergo supponitur indiuidua ante quantitatem, patet cõsequentia: quia non recipit hanc numero formam, nisi materia prout indiuidua. Et antecedens probatur præsertim in via Thomistarum; quia omne esse primarium, & simpliciter ad secundarium supponitur, sed materia à forma substantiali accipit esse simpliciter, à quantitate verò tantùm esse secundum quid, & secundarium.

Quartũ: eadem numero materia successiuè habet plures numero quantitates secundùm doctrinam Præceptoris Angelici; nam in quauis generatione substantiali corrumpuntur omnia accidentia simul cum quantitate, fitquè resolutio vsquè ad materiam primam: ergo indiuiduatio materiæ non prouenit à quantitate, alioquin non maneret eadem numero materia sub diuersis gencrerationibus, sed anihilaretur ad corruptionem compositi.

Supponuntur aliqua ad pleniorem solutionem.

Ad hæc Caietanus, & Ferrara vbi supra optimè aduertũt, quod materia, aut substantia corporea, vel potest considerari formaliter vt quanta est; vel prout quantitati subest; hoc enim secundo modo sæpè loquitur S. Tho- *q.3. de ente & essẽtia, & 1. par. q.29 art.1.*

S. Thom. Thomas, cum dicit materiam quãtitate signatã esse indiuiduationis principium: dicit namq; *cap. illo de ente. & essentia*, & alibi sæpè, non materiam cum certis dimensionibus, sed sub certis dimensionibus; ita vt quantitas non sit forma intrinsecè indiuiduans substantiam, sed terminus extrinsecè cõnotatus, eam coartans, & idem dico de materia, concurrere. s. ad indiuiduationẽ, non vt intrinsecã, formã, sed vt causam extrinsecè limitatem, & coarctantem substantiam.

Vnde loquendo de esse intrinseco, & in recto, verùm est, quod dicit opposita opinio, quod quęlibet per suam entitatem est indiuidua: quod etiam expressè *Q. illa 29 ar. 1. & q. 9. de potẽtia ar. 1.* affirmat S. Doctor dicens, quod substantia indiuiduatur per se ipsam, & omnis eius schola vnanimis contra Scotũ supponit, & probat differentias indiuiduales ab specie entitatiuè non discerni, nisi sola ratione.

Solũ ergo peccat opposita sententia non assignans radicem, aut quasi principium, ex quo proueniat speciei indiuiduam, & talem numero esse, cum de se indifferens sit: de hoc enim posteriori est controuersia pręsens, nam aliud punctum de identitate iam satis disputatione prima tractatum est.

Difficillimè tamen soluit Caietanus vbi supra, argumenta posita, dicẽs, materiam indiuiduari, quatenus dicit potentiam ad hanc quantitatem determinatã, & non ad illam, vel vt loquitur 1. p. q. 29. ar. 1. quatenus est fundamentum, & radix præhabens hanc numero quantitatem, supponens quantitatem ipsam materiæ realiter rigorosè ab ipsa distingui.

Contra illum arguitur satis efficaciter; quod eadem numero materia, vel substantia potest recipere, & efficere diuersas numero quantitates: nam sicut eadem numero materia est receptiua plurium formarum tàm substantialium, quàm accidentalium, & eadem causa potest attingere plures numero effectus, ita eadem substantia indiuidua vt materia poterit plures quantitates recipere, & vt radix, aut causa plures poterit quantitates efficere, præsertim in sententia, quam ipse Caietanus defendit, quod in qualibet corruptione pereunt omnia accidentia simul cũ quantitate, & fit resolutio vsquè ad materiam primam, & quod in quauis generatione, sicut aduenit noua forma substantialis, sic & noua quantitas virtute illius.

Pręterea: quãtitas dimensiua cum sit corporis proprietas, solũ emanat à forma corporea tamquã à radicè, & principio actiuo, ad materiam verò comparatur vt ad potentiam receptiuam habentem ex se indifferentiam,

&

& priuationem huius, sicut cæterarum formarum, ergo potius forma, prout radix quantitatis est, erit indiuiduans, & non materia. Patet consequentia, nam radix, vel causa actiua, in hoc distinguitur à passiua, quod illa intrinsecè continet inuisceribus suis effectum, vel proprietatem, non vero ista: ergo forma corporea, magis de quantitate habet, per quam possit indiuiduare se, & compositum, quàm materia. Hæc & similia vrgēt contra Caietanum Authores oppositi, quę ommitto breuitatis gratia; videri tamen possunt apud Xuarez, & alios.

Fundamentum oppositum iuxta mentem Authoris conuellitur.

Sed in mea sententia, quam in præcedentibus satis explicatam reliqui, hæc & similia argumenta, alijs insolubilia facilè euanescunt: supposita namquè distinctione, inter quantitatem intrinsecam, & extrinsecam, seu dimēsiuam, quam supra explicui, & quod quantitas intrinseca realiter substantiæ identificatur, saltem quātùm admodum distinctionis, licet in modo formalis extensionis ab ea differat, nullum ex assignatis argumentis, præter primum, militāt contra doctrinam positam S. Thom. quia solùm probant de quantitate dimensiua, quod. s. ante illam intelligatur substantia indiuidua, quod fateor; sed cū apud me ipsamet distinctio, & extensio, quàm Authores oppositi entitatiuam dicunt, sit vera & propria quantitas; sicut ipsi talem extensionem, & distinctionem indiuidualem vocant, inseparabilemquè fatentur à substātia corporea, sic ego talem quātitatem indiuiduationis principium appello: quia omnis diuisibilitas in partes eiusdem rationis siuè continuas, siuè discretas, propria quantitatis est.

Solùm ergo primum argumentum videtur vrgere, nimirum quod indiuiduum substantiæ non per quantitatem, sed per aliquid generis substantiæ possit in esse talis constitui. Sed ad hoc *q. 1. de substantia artic. 5.* Respondi, indiuiduum intrinsecè, & in recto naturam substantialem specificam dicere, quantitatem verò eam diuidentem, & determinantem in obliquo, & de connotato. Itaquè substantia non reduplicatiuè vt quanta, sed prout quantitati subest, eamquè essentialiter connotans, indiuiduum substantiæ dicitur.

Nec inde inferas solam speciem communem à me indiuiduum vocari, sed speciem prout quanritatem connotat, & prout sub illa est. Sic enim consideratur iam vt impedita, ne alijs possit communicari, & licet vt sic

non

non intelligatur formaliter vna & diuisa nisi per quantitatem, nihilominus ipsamet entitas positiua substantiæ prout tali vnitati, & quantitati, vt fundamentum subest, intelligitur eo ipso incommunicabilis, & fundamẽtaliter saltem vna, & diuisa ratione quantitatis quam connotat.

Sic enim facilè expediuntur omnes difficultates, explicaturquè optimè quomodo indiuiduũ posit sub specie in substantiæ prædicamento collocari, quatenus. s. quantitate terminatur, & limitatur, vt non possit pluribus alijs communicari. Intelligitur etiam quomodo quantitas licet sit accidens, hoc munus præstare possit, extrinsecè videlicet, & in obliquo: quia in ea exclusiuè genus substantiæ corporeæ terminatur. Explicatur etiam quomodo speciei accidat, quod sit hoc, vel illud indiuiduum, quod omnes communiter docent: accidit enim quantùm ad id quod connotat, est tamen substantia quantùm ad suum intrinsecum conceptum. Quod presertim fit manifestũ supposita doctrina iam declarata, quia differentia indiuidualis non addit nouum aliquem gradum essendi, aut radicem distinctarum operationum ab specie, sed solùm præcisum indistintionis, & diuisionis modum, quem connotat vt proprietatem substantiæ corporeæ, atquè adeò huiusmodi vnitas, & numeralis diuisio illi accidunt sicut quantitas, coarctantquè indiuiduant substantiam ipsam, in qua fundantur.

Tota hæc Doctrina expressè tradditur à S.Thom. *opusc. 32. de dimẽsionibus interminatis c. 3.* ait. *Ex hac materia, & ex hac forma fieri indiuiduum substantiæ non tamen esse hic & nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis, & ideò* (inquit) *dicitur materia sub certis dimensionibus causa indiuiduationis, nõ quod dimensiones causent indiuiduum, cum accidens non causet suum subiectum, sed quia per dimensiones certas demonstratur indiuiduum hic, & nunc sicut per signum proprium indiuidui, & inseparabile*. Et idem indicat *opusc. 29. de principio indiuiduationis.*

Nec inferas ex posterioribus verbis, solùm velle S. Thomam, quod quantitas sit tantùm signum indiuiduationis quoad nostram cognitionem, non verò ratio illius quoad esse. Hoc enim ipse Xuarez fatetur friuolum esse tùm quia verba illa: *signum proprium indiuidui, & inseparabile*, apertè significant ideò esse signum, quia proprium, & inseparabile quoad esse, tùm etiam ex innumeris alijs locis citatis ex quibꝰ cõstat soli quãtitati, & nõ alteri hoc munꝰ indiuiduãdi tribuere,

tribuere, indeq; inferre tam ipsum, quam Aristotelem Angelos sub eâdem specie multiplicari non posse, quia quantitate carent.

Solùm ergo declarare intendit, quomodo ipse intelligendus sit, quoties substantiam asserit indiuiduari per quantitatem: loquitur enim de ratione formali extrinsecè connotata, quæ tanquam notior deseruit, vt signũ & regula ad indiuiduationem intrinsecam cognoscendam. Sicut communiter dicimus potentias, habitus, actus, & relationes specificari per terminos, vel obiecta, & tamen non designamus formam specificatiuam intrinsecam, sed extrinsecè connotatam, ex qua intrinseca specificatio nobis ignota manifestatur: sic etiam accidit in indiuiduatione. Quinimo addo, quod quia etiam quantitas intrinseca, & immediata substantiæ ex se est occulta & insensibilis, & nondum in suo cõpleto, & connaturali statu, nisi per quantitatem dimensiuam, & impenetrabilem, vtramq; explicat per modum vnius, sicut quando intelligitur homo non concipitur sola quidditas, sed totum suppositum cum suis potentijs & proprietatibus.

Dices tandem: indiuiduũ, vt ex eius nomine, & definitione constat, formaliter in recto indiuisioné in se significat, & diuisioné à quolibet alio, & substantiam potius in obliquo, vel vt fundamentum: falso ergo oppositum assertum est. Respondetur negando antecedens: nam sæpe aliud est, à quo nomen imponitur, & aliud quod directè significat, & nomina indiuiduorum propria sunt Petrus, Paulus, Franciscus, &c. quæ principalius substantiam specificã denotant, licet coarctatam & limitatam: & quia talis coarctatio, vel indiuiduatio non addit aliquid intrinsecum supra speciẽ, sed tantùm connotationem diuisionis, & vnitatis numeralis quantitatis, ideo nomen indiuidui in communi ab hoc extrinseco connotato desumptum est.

QVAESTIO. IIII.

Quid sit impenetrabilitas, & qualiter ad quantitatem pertineat?

ARTIC. I.

Haec difficultas tandẽ exigitur ad cõplementũ doctrinæ, quapropter obseruandum est, quod impenetrabilitas est quædam naturalis repugnantia, seu incomposibilitas quam habet partes quanti-

 tatis,

tatis, vt sint in eodē spacio, ratione cuius vna expellit alterā à proprio loco, & vnum quantū similiter aliud modo postea declarando. Hæc enim licet per modum negationis explicetur, & formaliter sit negatio, seu repugnātia, fundamētaliter est forma quędā positiua, quæ dicitur crassitudo seu moles corporea, ex qua tamquā ex radice oritur, quod partes cuiuslibet quantitatis habeant incapacitatem ad essendum in eodē loco, ita vt nullum sit agens naturale, quod vnam possit simul locare in spatio alterius. Huic impenetrabilitati, quę significatur per modum potentiæ, correspondet actualis impenetratio, tamquā proprius actus, quæ negatio quædā est penetrabilitatis cum alio corpore, resultans ex formali repugnantia immediatè, quasi ex virtute proxima (sicut negatio actus oriri solet à negatione potentiæ,) & ex crassitudine seu mole positiua, tamquam ex radice.

Ex quo infero primò, non omnem impenetrationē esse effectum huius crassitudinis, seu molis corporeæ, nam si duas substantias, vel partes eiusdem Deus priuaret suis quātitatibus, & omni mole corporea, & in diuersis detineret locis, impenetratæ essent, non tamen impenetrabiles. Animæ etiam existētes in diuersis coporibus, non solū impenetratę, verū etiam aliquo modo impenetrabiles naturaliter sunt, nā eo ipso quod sunt incompossibiles in eodē subiecto, habent cōsequenter naturalem repugnantiam ad essendum in eodē loco, impenetrabilitas autē quæ est proprietas quantitatis, & effectus molis corporeæ, est tantū illa, quæ prouenit principaliter ex diuersa occupatione loci naturaliter petita, nam crassitudo, seu moles est ratio occupandi locum, & consequenter ratio expellendi quodcumquè aliud corpus ab eo: animæ, verò rationales nō occupant locū, sed ex se ipsis penetrabiles sunt: ergo earū incompossibilitas longè alterius rationis est. Primario, enim est incompossibilitas in eodem subiecto, & per accidens in eodem loco.

Infero secundò, quod licet impenetrabilitas aptitudinalis, & actualis impenetratio naturaliter se inuicem comitentur, miraculosè separari possunt, vt constat in mysterio Eucharistiæ, in quo Christi humanitas non fuit priuata sua naturali quantitate, nec crassitudine corporea, vt fatentur communiter omnes, & tamen est de fide partes eius inuicē penetrari, ita vt totus Christus in tota Hostia, & totus in qualibet parte illius sit quantumuis minima.

ARTIC. II.

Quod impenetrabilitas sit proprietas quantitatis.

DIco secundo: impenetrabilitas tam aptitudinalis, quàm actualis, saltē negatiua est proprietas quātitatis, nō quia emanet per veram efficientiam ab ipsa, sed solùm quia est illi connaturaliter debita, vt partes illius perfectè, ac firmiter sint extensæ, tam in se ipsis, quā in ordine ad locum: vt vitetur earum confusio: vt quęlibet suū proprium munus obire possit: vt illis vti possit agens naturale ad suos fines, diuidendo, mensurando, &c. Tota hæc assertio communis est omnibus Metaphysicis, solum potest esse difficultas in modo, quo talis proprietas quantitati conueniat: nam Authores contra quos disputamus in tota hąc quęstione, asserunt solùm eam extensionem quantitatem esse, quæ est radix per modum principij effectiui respectu impenetrabilitatis.

Quod dupliciter potest intelligi. Primò, vt impenetrabilitas tam positiua, quàm negatiua sit proprietas quantitatis physicè emanans ab ipsa, sicut risibilitas ab homine, & sic est omnino falsa: quia quantitas nō est effectiua, sicut nec vnio, nec distinctio, sed tantùm extensiua partium, & dispositio materiæ ad recipiendas formas, & dispositio formæ vt materiæ commensuretur, &c.

Secundò potest ita intelligi, quod quantitas sit ipsa impenetrabilitas positiua, seu moles corporea, quatenus extensio quædam est, & quod impenetrabilitas negatiua tam aptitudinalis, quàm actualis, sit proprietas metaphysicè emanās, seu resultans ex illa tamquam ex radice, quomodo magis consequenter loquuntur. Mihi tamen non probatur, nā sequeretur, quod quātitatis essentia posita esset primario in crassitudine, seu radice impenetrabilitatis & nō in extēsione. Probatur: nā extensio, alicuius rei est extensio, quia supponit rem, quam extendit, & modificat, sicut distinctio, & vnio, in quibus fundatur, supponunt res distinctas, & vnitas: ergo si quātitas formaliter posita est in forma positiua, quæ est radix impenetrabilitatis, sicut ista pręintelligitur essentialiter ante modum suæ propriæ extensionis, ita & quantitas erit quid prius extensione, quod est planè falsum, vt ex supradictis facilè constat.

Si ergo in præcisa ratione

extensionis quantitatis essentia ponenda est, omnis extensio cuiuscumquè alterius rei quantitas erit, nam omnis extensio quidquid sit de materiali, quod modificatur, eiusdem rationis est. Est igitur pro cõstāti habendum, impetrabilitatem negatiuam tam actualem, quam aptitudinalem esse proprietatem quantitatis, nõ positiuam. Prima pars probatur: tùm ex communi sententia, id ad minus asserente: tùm quia est attributum conueniens naturaliter omni extensioni, & soli, & semper, vt vitetur partium confusio, tam in se, quam in ordine ad locum, & operationes earum exerceat, vt dixi.

Secunda pars etiam probatur: quia impenetrabilitas, seu crassitudo positiua est vna in quolibet composito, & non conuertitur cum omni quantitate, nec comparatur vt forma, nisi solum ad substantiam: respectu enim accidentium præsertim modalium, qualis est quātitas, non solùm non potest esse forma hæc crassitudo, seu moles, verùm est subiectũ *quo* immediatè illa recipiens: ergo minimè vt proprietas comparatur ad illa: nunquam enim subiectũ dicitur proprietas respectu formæ, sed è contra forma respectu subiecti.

Vnde infero: etiam in sententia opposita, quæ vnicā tantùm quantitatem in quolibet constituit cõposito, cõsequēter dici debet, hanc crassitudinem, aut impenetrabilitem positiuā proprietatem non esse, sed vel essentiam quantitatis, vel fundamētum, seu rem immediatè modificatam per illam: nam explicant quantitatẽ consistere in illa speciali extensione, quæ est impenetrabilis, tribuitquè similẽ crassitudinẽ alijs accidentibus, quæ non potest esse alia, nisi talis forma positiua prout extensa, vel extẽsio illius. Dices: impenetrabilitas negatiua solùm oritur ex hac forma positiua, quæ tribuit formaliter crassitudinem, & molem nouem alijs accidentibus, aut extensionibus eorum: ergo solùm comparatur, vt proprietas ad hāc molem positiuam, & extensionem, secus verò ad alias.

Sed iam respondi: quod proprietas metaphisica non petit vniuersaliter loquendo, quod emanet à re cuius est; sat enim, quod sit forma siuè positiua, siuè negatiua, illi connaturaliter debita omni, soli, & semper: vt patet in speciebus Angelicis, quæ non emanāt ab eorũ substantia, & in habitibus Fidei, & Spei, qui physicè non profluũt à gratia, vt latè 1. 2. demonstro, & nihilominꝰ proprietates dicũtur potiori titulo, quā impenetrabilitas. Hęc autẽ crassitudo formalis, seu moles positiua, vna

Vna cum sit, est sufficiẽs tribuere hanc impenetrabilitatem negatiuam dictã partibus non solius substantiæ, sed omniũ accidẽtium, quę illi coextendũtur, quãuis aliter & aliter. Partibus substantiæ confert, vt forma in illis recepta: partibus accidẽtiũ, vt subiectũ *quo* illis immediatè vnitũ. In sententia quæ tenet accidentia subiectari in sola materia, & partibus formæ substantialis, illabitur tanquam dispositio illis intimè admixta, & in materia talis formæ recepta: vnde per hoc quod omnes alię quantitates coextendantur, & vniantur cum hac forma, participant illius crassitudinem, & molem, & habent occupare locum, diuidi, posse mẽsurari, &c.

Præterea: si multiplicarentur impenetrabilitates positiuę in eodem composito iuxta pluralitatem rerũ, seu partium illius, sequeretur, quod forma substantialis vniri non posset materiæ, sicut nequè esse in eodẽ loco cum illa: similiter nequè accidentia cũ subiecto, quod est absurdum. Et probatur sequela: quia effectus huius impenetrabilitatis est reddere rem, quam afficit incompossibilem cũ alia similem impenetrabilitatẽ habente: ergo si quælibet res extensa, & diuersa etiam eiusdem compositi suam distinctam, & propriam importaret impenetrabilitatem positiuam, mutuo se expellerent ab codẽ subiecto & loco, & consequenter vniri inter se non possent.

Neque est eadẽ ratio de impenetrabilitate negatiua, hæc enim repugnantia resultat in alijs accidentibus ex vnione cum tali forma positiua: cum ergo omnes realitates eiusdem compositi prius vniantur cum tali forma, & consequenter inter se, hinc est quod non sint incõpossibiles vel impenetrabiles inter se, sed cum alijs rebus similem impenetrabilitatem habentibus.

Vnde constat, quomodo quãtitates eiusdem compositi sint impenetrabiles cum alijs, & quomodo inter se inuicem penetrari possint. Natura enim taliter impenetrabilitatem instituit, vt confusionem vitaret diuersorum corporum, & vnionem partium, & affectionum eiusdem non impediret, cum autem impenetrabilitas positiua non conferat suum effectum alijs rebus quantis nisi per illapsum, & vnionẽ realem cum ipsis, necesse est omnes realitates cum eadem impenetrabilitatę vnitas mutuo se se penetrare tã cum ipsa, quam inter se, & ratione illius impenetrabiles fieri omnibus alijs corporibus diuersam impenetrabilitatem habentibus.

Tandem colligitur ex dictis hanc crassitudinem, seu molem

esse qualitatem, & proprietatẽ physicam substantiæ corporeę, quoniam ab ea effectiuè dimanat, vt talis est, & non ab eius quantitate: quia quantitas non est effectiua, nec per modum radicis, vt supra dixi. Munus huius qualitatis est ipsã vt extẽsam esse subiectum *quo* respectu cæterorum accidentium, & rationem occupãdi locum, seu expellendi quoduis aliud corpus ab eodem loco. Quapropter extensio talis qualitatis dicitur quantitas vulgaris, seu dimensiua, quia propter naturalẽ firmitatem, quam immediatius participat à re modificata, est mẽsura omniũ aliarum, vtpote notior, sensibilior, ac magis vniformis. Neque propter hoc dicenda est hæc quantitas essentialiter perfectior alijs in ratione quantitatis.

ARTIC. III.

Obijciuntur non nulla.

Sed contra obijcies primo communis sententia, & modus loquendi omniũ quantitati, & non qualitati tribuit esse subiectum *quo* respectu aliorum accidentium, idcirco quãtitatem aiunt, immediatius afficere substantiam, quia mediante illa, subitat cæteris accidentibus, ideoq; immediatam passionem corporis esse, vel materiæ primæ, quia est quasi materia proximè receptiua, qua mediãte cætera subijci possunt in materia: nam sicut substantia non immediatè agit, nisi medijs virtutib^9 proximis accidẽtarijs, ita neque immediatè recipit nisi media quantitate. Respondetur, quod communis modus loquendi semper debet abstrahere ab opinionibus, & ideo in vtraque sententia verificantur, quæ continentur in argumento.

Quod enim attinet ad nostrã, respondeo, de vtraque quantitate verificari aliquo modo, quod sit immediata substantiæ, & subiectum *quo*: quantitas enim intrinseca, seu immediatè extendens substantiam est primum, quod absolutè intelligitur aduenire illi extra genus substantiæ, vt constat: & dicitur subiectum *quo* respectu aliorum, non quia illa recipiat immediatius quàm substantia, sed quia est dispositio, qua mediante substantia recipit, admodum quo diaphaneitas dicitur subiectum *quo* respectu luminis. Præterea de altera quantitate dimensiua dicitur, quod sit primum omnium accidentium, quæ realiter rigorosè à substantia differunt, realiterque physicè accidere dicuntur in comparatione eorum, quę ratione

tione tantùm, vel modaliter à substantia distinguuntur. Dicitur etiam quod sit subiectum *quo* & immediatius receptiuum in sensu, quo loquitur argumentum, sumpta non solùm quoad modum præcisum extensionis, quem importat in recto, sed etiā quoad partes molis, & crassitudinis, quas connotat essentialiter in obliquo: completa enim essentia quantitatis vtrumque importat: & receptiuum adæquatum cæterorum accidentium similiter: nam crassitudo illa, seu moles nō nisi reduplicatiuè prout extensa potest alia accidentia recipere; sic enim impenetrabilitatem confert, & est ratio occupandi locum prout habet partes extra partes: ideoq; absolutè ei tribuitur talis receptio, quia licet non exerceat eam sine re quanta, connotatur essentialiter ab ea, & est aliquid illius, vel in recto secundum vnam sententiam, vel in obliquo secundùm alteram, à quibus duabus abstrahit communis modus loquēdi, vt vtriq; locum det.

Secundò obijcies: duæ animæ rationales, quamuis sint vnitæ diuersis corporibus crassis, non dicuntur impenetrabiles, sed incompossibiles in eodem subiecto, & secundariò; & per accidens in eodem loco, vt supra aduerti, ergo eadem ratione, licet duæ formæ substantiales, vel accidentales in diuersis subiectis repugnēt in eodē loco, nō sunt verè impenetrabiles, sed incompossibiles, quia talis repugnantia non oritur primario ex diuersa occupatione loci, sed ex vnione reali ad diuersas materias impenetrabiles; vel ad diuersas moles.

Respondetur hoc argumentum ab omnibus solui debere, & facilius à nobis: est enim apertum discrimen, nam formæ substantiales, vel accidentales, cum sint ex se quantæ, & non ex sola vnione ad subiectum, etiam postulant ratione sui impenetrabilitatem, quæ est quantitatis proprietas, hoc est, habere partes explicitas, firmiter extensas, & fixas, diuisibiles, mensurabiles, &c. etsi in executione illam non habeant nisi media vnione cū subiecto, in quo talis impenetrabilitas inuenitur, si tamen formæ substātiales materiā non haberent, vt probabile est de cælestibus, illis deberetur naturaliter impenetrabilitas alio modo: anima vero rationalis, cum sit ex se indiuisibilis, & non possit coextendi, nec partes extra partes habere, non potest crassitudinem hanc, vel impenetrabilitatem induere aliquo modo, aut ab ea modificari.

Tertio obijcies, Vbi est ratio existendi in loco, & Vbi exten-

ſum eſt ratio eſſendi in loco extenſo, ergo craſsitudo, ſeu impenetrabilitas poſitiua non eſt ratio occupandi locum, ſed tantùm ratio tribuens impenetrabilitatem partibus quantitatis, ex quo vlterius ſequitur, falſo dici impenetrabilitatem eſſe incompoſsibilitatem, quæ primariò reſultet ex diuerſa occupatione loci, nam ſi Deus à ſubſtantijs loco diſtantibus auferret impenetrabilitates, occuparent diuerſa loca per propria ſua Vbi, & non ideò impenetrabiles eſſent.

Reſpondetur, aliud eſt eſſe in loco occupando illum, & aliud eſſe in eo per ſolam applicationem, vel coexiſtentiam cum illo: hoc ſecundum præſtat Vbi, & primum tribuit moles, ſeu craſsitudo, vt dictum eſt: nam Angelus v.g. & anima verè ſunt in loco, & non occupant illum: occupare enim eſt totam loci explere capacitatem, vt non poſſit aliud corpus ſimile cōtinere. Idcirco occupare, Hiſpano ſermone, idem ſignificat, quod *embaraçar* empidiendo, vel reſiſtēdo cuicumque alteri corpori ſimiliter occupanti, nam res, quæ non occupat, eſt in loco, ac ſi nō eſſet.

Hinc decepti fuerunt aliqui Thomiſtæ exiſtimantes Angelum non eſſe in loco ſaltem definitiuè per ſuā ſubſtantiā ex eo quod S. Tho. aſſeruerit ſecundū illam nō occupare locum: aliud eſt enim eſſe in loco definitiuè, & aliud circunſcriptiuè, & aliud occupando illum, & aliud per ſolam applicationem ad illum.

QVAESTIO. V.

Quotuplex ſit quantitas?

ARTIC. I.

Diuiditur primò quātitas in communi in continuā, & diſcretam. Quæ diuiſio, an ſit generis in veras ſpecies? poſtea declarabitur. Rurſus quantitas continua diuiditur in permanentem, & ſucceſsiuam. Permanens eſt: *cuius partes poſſunt ſimul exiſtere, & permanere cum vnione in aliquo termino communi.* Succeſsiua eſt, *cuius partes ſucceſsiuè tranſeunt, & exiſtunt, quia ſunt præteritæ, & futuræ, & vniuntur inſtantibus, tamquàm termino communi.* De qua etiam an ſit vera, & propria quantitas? adhuc ſub lite eſt; nō nihil circa hoc dicam ſtatim, reliqua metaphyſicis omittens, ſed prius de quantitate permanente, quæ notior ac certior omnibus eſt. Pro cuius intelligentia notāda ſunt ex S. Thos opuſculo 36. & alibi. Capreolo, *S. Thom.* *Capreol.*

in

in 2. dist. 1. q. 3. & d. 18. q. 1. ar. 13. *Caietan.* Caietano 3. *p. q. 4.* duo genera positiua indiuisibilium, quę sunt de essentia illius saltem in obliquo. Quædam sunt continuatiua quibus partes huius quantitatis inter se connectuntur, vt constat ex illius, definitione. s. *cuius partes copulantur, &c.*

Quædam verò sunt terminatiua, quibus partes vltimo finiũtur, & hæc non sunt de essentia quantitatis, sed tantùm integritas, aut complementum illius ad modum, quo subsistentia dici solet complementum substantiæ, & non essentiale constitutiuum illius. Ex quo sequitur huiusmodi indiuisibilia differre plusquam numero, quia efficiunt effectus formales diuersos; nam priora ex natura sua solùm habent copulare, & vnire partes; posteriora solùm finire, nec cum alijs partibus coniungãtur, qui effectus diuersi sunt: sicut modus vnionis, quo partes substantiæ copulantur, differt à modo subsistentiæ, quo ipsa substantia vltimo terminatur. Possunt etiam considerari alia puncta, vel indiuisibilia, quæ simul continuatiua, sint, & terminatiua quale est punctum piramidis, & omnes lineæ angulares, &c.

Quo supposito, omnes communiter diuidunt tres species quantitatis continuæ permanentis:-lineam: superficiem: & corpus. Colligitur primò ex eo quod tres tantùm dantur modi indiuisibilium continuantium, & terminantium extensionem aliquam: scilicet pũcta: lineæ, & superficies. Motus puncti describit lineam, quæ est extensio secundùm longitudinem. Motus lineæ si sit versus antea, aut retro, solùm efficit extensionem lineæ maiorem: si verò sit versus latera, efficit, vel explicat extensionem superficiei. Deniquè superficies mota versus sursum, aut deorsum, format extensionem corporis nostro modo concipiendi.

Neq; est possibilis alius modª extensionis. Nam ductus superficiei versus ante, & retro, aut versus latera, solùm efficit maiorem longitudinem, aut latitudinem illius, non verò arguit aliam speciem extensionis præter assignatas. Declarantur autẽ sufficienter ab omnibus mathematicis tres istę extensiones secundùm locum, quia extensio localis est proprietas notior quantitatis supponẽs extensionem earundem partium in se ipsis, ergo nulla alia species præter istas assignari potest, nec video argumentum alicuius momenti, quod aliam ostendat.

Solùm obijci potest, Aristotelem locum enumerare inter species quantitatis permanentis, *Aristote.*

mentis. Sed facilè respondetur nō esse speciem distinctam à superficie, vt docet Aristoteles 4. *physicor. c.4.* vbi definit locum per rationem superficiei, ipse tamen in Logica, in qua solùm est sermo de naturis rerum, prout substant secundis intentionibus, non multum curauit examinare veras species reales, sed eas enumerauit, quæ in aliorum ore vulgariter tunc temporis circumferebātur: *in 5. tamen metaphisicæ, cap. 13.* proprias tradit quantitatis species, & locum omittit.

Aristot.

Maior autem difficultas est, an superficies includat essentialiter non solùm latitudinem, sed etiam extensionem versus longitudinem? & eadem est de corpore, an includat non solùm profunditatem, sed etiam latitudinem formalem, & lōgitudinem? Quidam affirmant? quidam verò negant: & fortasse non dissentiunt.

Breuiter dico primo: negari non potest, superficiem præter latitudinem importare extensionem longam tamquàm terminatiuum, & continuatiuum suarum partium: & corpus similiter præter profunditatem, importare latitudinem superficiei, & longitudinem lineæ; vt terminos, & continuatiua suarum partium. Patet ex communi doctrina de terminatiuis, & continuatiuis; omnes enim admittunt partes lineæ continuari, & terminari punctis: partes superficiei lineis: & partes corporis superficiebus, quantitatis autem proprium est, habere partes copulatas termino aliquo communi.

Resoluitur directè difficultas.

Dico secūdo, præter longitudinē terminatiuā, aut continuatiuam nulla alia datur longitudo, vel extēsio in superficie aliquo modo ex natura rei diuersa ab eius latitudine: hoc est, superficies non componitur ex duplici extensione, quarum vna sit longitudo, & latitudo altera, sed per latitudinem adæquatè; & indiuisibiliter constituitur in ratione superficiei. Idemquè proportionabiliter de corpore dicendū, quod eius extensio non cōponitur ex longitudine, latitudine; & profunditate, sed profunditas est simpliciter quędam extensio à latitudine superficiei, & longitudine lineæ essentialiter diuersa, tertiamquè quantitatis speciem adæquatè constituens.

Probatur primò: quia si consideremus superficiem, non est maior ratio, quare extensio quā dicit versus ante, & retrò, dicatur longitudo, & extensio quam dicit versus latera, dicatur latitudo,

latitudo, vel è contra: nam ante, & retro, dextrum, vel sinistrum, sursum, & deorsum sunt denominationes quædam valde extrinsecę, & accidētarię ipsi quātitati: potest enim eadem superficies inuariata manens localiter moueri, & partes, quas habebat versus ante & retro, locari versus latera, & quæ correspondebant lateribus constitui versus ante, & retro. Potest similiter moueri corpus quantitatiuum, ita vt extensio, quæ ante respiciebat sursum, & deorsum correspōdeat sinistrę, vel dextrę, vel ante, & retro: ergo cū quantitas in se immutabilis maneat, non est maior ratio, quare extensio versus illum terminum dicatur longitudo, & extensio versus hunc latitudo, vel profunditas.

Declaratur hoc, si constituamus lineam separatam, quæ quidem potest locari omnibus modis, nimirum ita, vt suis punctis terminatiuis respiciat sursum, & deorsum, vel dextrum, & sinistrum: & non propter hoc dicetur latitudo, vel profunditas. Si autem dicas, extensionem maiorem esse longitudinem, & extensionem minorem latitudinem. Præterquamquod ex hoc nō assignatur differentia profunditatis à latitudine, & longitudine, facilè impugnatur in superficie omnino quadrata, quæ est eiusdem speciei cum cæteris, & nihilominus æquè extenditur versus omnes terminos, vnde ergo discernemus longitudinem à latitudine? Idemquè est de corpore, si tres dimensiones illius sint omnino æquales, & eiusdem rationis.

Præterea etiam si superficies sit magis protensa versus ante, & retro, quàm versus latera, si terminatur quatuor lineis; quarum quælibet est propriè longitudo, siuè sit maior, siuè minor, quia linea non petit esse tanta, vel tanta, nulla potest assignari ratio, quare extensio versus illam lineam dicatur longitudo, & extensio versus aliam lineam dicatur latitudo, imò necessariò dicendum est extēsionem illam versus omnem partem esse latitudinem. Probatur, quia longitudo lineæ non potest terminari per aliam lineam, sed tantum per punctum, nec latitudo per aliam, sed tantùm per lineā; nec profunditas potest terminari per aliam profunditatem, sed tantùm per latitudinem, ergo si extēsio superficiei versus quamcumquè partem consideretur, terminetur lineis, erit latitudo, & non longitudo præcisè, quia terminus quantitatis non est quātitas, quam terminat, sed terminus illius.

Denique efficaciter probatur, quia longitudo, latitudo, & profunditas, prout sunt in corpore, vel sunt extensiones eiusdem rationis,

rationis, vel diuersæ. Primum dici non potest, si præstãt denominationes diuersas, scilicet longum, latum, & profundum, vt Authores oppositi aiũt. Si vero secundũ dicatur, explicari nequit, in quo cõsistat hæc diuersitas, quia non potest esse alia, nisi quod latitudo includit longitudinẽ, & superaddit aliquid proprium. Sed tunc interrogo: quid realiter addit latitudo supra longitudinẽ, aut quo modo vocatur? Si dicas, ꝙ latitudo est extẽsio addita. Ergo iam saluatur ratio latitudinis sine longitudine intrinsecè clausa, quod ipsi negãt. Si est alia lõgitudo. Cõtra: quia quãtitas nõ potest cõponi, ex indiuisibilib*, nec superficies ex lineis, sed tantũ ex latitudinibus, nec corpus potest ex multiplici latitudine consurgere, sed tantũ ex profunditatibus propter rationem supra tactam *articulo 6*. quacumque enim parte consideretur superficies, est lata, & quacunquè quantumuis minima accipiatur corpus, est profundũ: ergo. Bene verum est, quod ad dimetiẽdam, & explicandam quantitatẽ aliquã, vulgariter dicimus eã longã, qua parte magis extẽditur, & latã, qua parte minus, vel per ordinẽ ad latera; & profundã qua parte minimũ, vel per ordinem ad sursum, & deorsum: accommodamus autem ad libitum nostrũ has voces, non quia putemus eas in se diuersas, sed potius quia sunt omnino eiusdẽ rationis, & non possunt habere propria nomina, accõmodamus illis ista, quibus nos explicemus, fingendo eas quasi rationes diuersas, sicut Astrologi, & Mathematici varios modos, aut figuras imaginatione fingunt, vt se intelligant, scilicet Torridam Zonã in cęlo, & duodecim signa, quę verè illic non extant.

Rursus ductum puncti, dicunt efficere lineam: motum lineæ superficiem: & motum superficiei profunditatem quę, & similia figmenta sunt, sed necessaria ad nostrum modum intelligendi, sicut cætera entia rationis, quæ tradi solent ad rẽ aliquam melius percipiendam, aut explicandam.

Dico tertio: negari nõ potest corpus includere in suo conceptu adæquato tres extensiones, & superficiem duas, cæterum non sunt nisi tantùm ratione ratiocinata diuersæ, ita vt profunditas emiminẽter formaliter includat longitudinem, & latitudinem, & superaddat ratione aliam extensionem, & latitudo includat longitudinem tantùm, & addat aliquid amplius ratione cuius constituitur in sua ratione quasi specifica. Prima pars est expressa Sancti Thomæ, & Aristotelis, & omnium Mathematicorum assentientium, quod linea sit vna sim-

simplex dimensio: superficies duplex, vel extensio longa, & lata: & corpus triplex, vel extensio longa lata, & profunda. Aristoteles etiam 5. *met. cap.*13. dicit lineam esse magnitudinem ad vnum, superficiem ad duo, & corpus ad tria. Quod verò ratione tantùm distinguantur, patet ex secunda conclusione, quæ tantùm probat, has tres dimensiones non posse in corpore, vel superficie ex natura rei distingui, quia quacumquè parte cōsideretur superficies, est lata, & corpus profundum.

Præterea docet S. Thom. 1.*p.q.*18 *art.*2. vbi dicit tres dimensiones includi in essentia corporis, & rationem specificam illius perfici per profunditatem, sicut in homine includitur viuens sensitiuum, licet vltimò perficiatur per rationale, sed huius inclusio, & distinctio in homine est rationis tantum in doctrina ipsius: similiter constitutio cuiuslibet speciei: ergo si docet corpus constitui specificè per profunditatem, & alias rationes includere, sicut homo rationem viuentis, & sensitiui: manifestè supponit identitatem realem, & distinctionem solius rationis. Deniquè constat conclusio ex simili Sancti Thomæ, quod est aptissimum ad illam declarandam, & fere in omnibus tenet: quod sicut vegetatiuum includitur in anima sensitiua, & emminenter sensitiuū in anima rationali, & non vt vna realitas in alia realitate, sed vt vna perfectio in alia emminētiori, cum qua identificātur, ita negari non potest, quod ratio longitudinis includatur in latitudine, & ratio latitudinis emminenter in profunditate.

Probatur, quia in linea, & est considerare extensionem, quam habet ad vnum, & indiuisibilitatem, quam habet versus latera, ratione cuius restringitur extensio illa ad speciē lineę. Quod præcisam rationem extensionis non est dubium, quin formaliter includatur in latitudine, supposito, quod possumus aliqua linea metiri adæquatè extensionem superficiei, & corporis versus vnam partem, ita vt vna extensio adæquet alteram. Similiter in latitudine consideramus extensionem, quam habet ad duo, & indiuisibilitatem, quam importat versus profunditatem, ratione cuius coarctatur hæc extensio ad speciem superficiei: & quātum ad primum includitur in corpore tamquàm in specie emminentiori: quoad secundum verò non, sed constituit diuersam speciem, & hæc est ratio, quare licet includatur latitudo in corpore, non includitur ratio superficiei, quia superficies dicit vtrumquè, & latitudinem, vt genus, & indiuisibilitatem

tatem illam vt differentiam limitantem, idemquè est de longitudine respectu latitudinis, quemadmodum: licet vegetatiuum includatur in anima sensitiua, & sensitiuum in anima rationali, non per hoc dicimus vnam speciem animæ in alia contineri.

Ex quo tandè cõstat, quomodo vtraq; sententia opposita cõciliari posit, sententia affirmans in sensu tertiæ conclusionis est vera, & etiam sententia negans in sensu secundę, & sic non sunt contrariæ sententiæ nec conclusio tertia secundæ aduersatur. Restat tamẽ difficultas, an tres istæ species: linea, superficies, & corpus, sint species completæ, vel incompletæ? cuius resolutio sequenti constabit articulo.

ARTIC. II.

An linea, superficies, & corpus sint complepletæ quantitatis species?

ALiqui iuniores negant, probantquè non leuiter primò, quia linea, & superficies per se, & ex natura sua ordinantur ad complementum corporis terminando, & continuando partes illius, ergo sunt entia simpliciter incompleta, ac proinde non species completæ. Patet cõsequentia ex definitione entis incompleti supra declarata.

Nec valet respondere, lineam, & superficiem cõponere corpus tantũ prout indiuisibiles sunt, quia implicat intelligere terminũ, aut cõtinuationem partiũ latitudinis, vel profunditatis, & quod formaliter, vt tales, nõ sint diuisibiles: ergo cum partes latitudinis, aut profunditatis vniãtur non tantũ in aliquo termino communi indiuisibili, sicut partes lineæ, sed etiam in termino communi diuisibili, necessum est, quod etiam vnio illarum sit diuisibilis, & idem est de termino earum.

Secundò probatur, nam linea, & superficies secundùm indiuisibilitatẽ, quam dicunt, non sunt species quantitatis, sed potius dicunt negationem extensionis, vel complementi in ratione illius, ad quod per se ordinãtur, sed non possunt concipi sine tali indiuisibilitate, ergo nec, vt species completæ. Minor probatur, quia sola longitudo cum sit essentialiter communis superficiei, & corpori, non potest peculiariter lineam constituere, nec similiter sola latitudo superficiem, cum inueniatur in corpore, ergo non potest intelligi sine carentia extensionis secundùm latitudinem, nec superficies sine indiuisibilitatę secũdũ profundi-

funditatem. Deniquè aliqui probant, quia indiuisibilia lineæ, & superficiei essẽtialiter nihil aliud sunt, quàm vniones partium quantitatis, vel terminus earũ, sed vnio, vel terminus essentialiter sunt quid incompletum, reductiuèquè pertinent ad illud cuius sunt: ergo sic lineæ, & superficies.

Contraria tamen sententia affirmans multo probabilior, & communior est, quæ sine dubio est Aristot. *cap. de quantitate* S. Tho. & omnium antiquorũ cõmuniter asserentium esse, tres species quãtitatis: lineamquè, & superficiem constitui in recta linea prædicamentali, ait Aristot. citatus. Nequè potest dici loqui in sensu mathematici, quia prædicamẽta tradit, vt metaphysicus, & vt præcipuam metaphysicæ partem, non vt mathematicus.

Aristote.
S. Thom.

Ratio à priori illius est, quia omnes definitiones quantitatis adæquatè conueniunt lineæ, & superficiei independenter à corpore: similiter & omnes proprietates, & attributa, ex quibus à posteriori etiam quantitas deduci potest, ergo sunt species completæ quantitatis. Probatur antecedens, nam quantitas in communi non petit habere partes extensas secundùm profunditatem; hoc enim tantùm est proprium cuiusdã peculiaris quantitatis: ratio enim communis abstractior est, s. habere partes extra partes copulatas termino cõmuni, diuisibiles, mensurabiles, &c. Sed hæc omnia competunt lineæ, & superficiei ratione sui, & absq; vlla dependentia à corpore: ergo in ratione quantitatis non complentur à corpore. Minor patet, quia linea ex se est extensio secundùm longitudinẽ, & eius partes copulantur punctis, & superficies est extensio secũdùm latitudinem, & eius partes lineis copulantur: suntquè mẽsurabiles diuisibiles, &c. ergo.

Confirmatur: quia illud est ens simpliciter incompletum in aliquo genere, quod ex natura sua ita constituit, vel componit aliud, vt ratione illius participet rationem sui generalissimi: ideo enim materia, & forma substantiæ, entia incompleta dicuntur, quia vtraquè ordinatur ad totum, ita vt ratione totius participet rationem substantiæ perfectæ, sed linea, & superficies non ordinantur ad corpus, vt ratione illius participent rationem generalissimi quantitatis, quod est: habere partes extra partes, imo potius, quia supponuntur in se ipsis cum tali extensione partium, aptæ sunt componere, & constituere non rationem quantitatis incommuni, sed speciem quandam illius, quæ est corpus: ergo independenter ab illo participant quantitatis rationem. Ex quo patet ad primum fundamentum sententiæ oppositæ,

si

si sermo sit de ente simpliciter, & physicè incompleto, non solùm linea, & superficies, sed corpus, & quælibet forma accidẽtalis in abstracto sumpta sunt simpliciter entia incompleta, vt dixi supra suo loco: ceterum, sicut accidens est ens secundùm quid, ita est secundùm quid, vel in suo genere metaphysicè completũ, & in hoc sensu linea, & superficies tam completæ species sunt, sicut corpus: quia licet prout ordinantur ad constitutionem corporis, sint aliquid incompletum in ratione corporis, in ratione quantitatis completę sunt, quia non participant illam ratione corporis, nequè ordinantur ad componendum cum illo, vt sint quantitates, sed vt sint corpus. Ad rationẽ autem entis incõpleti vt sic requiritur, quod essentialiter postulet compleri per aliud in ea ratione, in qua incompletum dicitur, quod debitum essentiale oritur ex eo, quod non habet in se rationem completam illius generis: cum ergo linea, & superficies in se ipsis, & independenter à corpore veram quantitatis rationem participent, in eo genere completæ sunt.

Nequè est nouum rem incõpletam in vno genere, in alio cõpletam esse, præsertim in accidẽtibus, quorum complementum est secundùm quid, nam actio, quatenus est terminus in fieri, dicitur ens incompletum, seu via ad terminũ, at in genere actionis est quid cõpletum. Inter relationes similiter numerantur vt species completæ distinctio, & similitudo, & nihilominus quatenus etiam includuntur essentialiter in conceptu cuiuscũquè alterius relationis (quia omnis relatio debet esse inter extrema distincta, & etiam similia saltem in communi genere relationis) sunt formalitates quædam partiales transcendentes essentialiter omnes alias species.

Præterea in quantitate ipsa, manifestè experimur, quod pars cuiuslibet continui, aquæ v.g. si separetur ab alijs partibus, amittit rationẽ partis, & acquirit rationem totius, dum est in statu separationis: ergo longitudo lineæ, & latitudo superficiei saltem si considerentur vt distinctæ à corpore, erunt species completæ in ratione quãtitatis, sed potuerunt creari à Deo separatæ à corpore, supposito quod ab eo realiter discernuntur, vt suppono: ergo etiam saltem in hoc casu essent entia cõpleta secundùm suas essentias præcisè consideratas, ac proinde species completæ.

Ad secundum fundamẽtum respondeo, quod licet præcisus conceptus longitudinis sit ratio generica tribus speciebus communis, contrahitur tamen ad lineam per modum quendam positi-

positiuum, seu differentiam limitantem, in qua fundatur indiuisibilitas secundum latitudinē: & latitudo ad superficiem per differentiam limitantem, ex qua pullulat indiuisibilitas, seu carētia profunditatis. Ad corpus vero vtraq; tam latitudo, quā longitudo per differentiam extrahentem determinatur, & eleuatur ad alium modū extensionis emminentiorē, qui est profunditas. Similiter lōgitudo per differētiam superficiei extrahitur ad extensionem latitudinis, quamuis ipsa latitudo coarctetur, ne tendat ad profunditatem.

Ad tertiū negatur lineas, & superficies esse ipsas formales vniones, si sit sermo de indiuisibilibus rei, quæ extenditur, quia hæc, vt dixi, sunt res vnibiles, & separabiles saltem virtute Dei à partibus, atq; adeo indigent vniri per aliquod mediū, vel nexū, qui realiter deperditur, si separetur. At si sermo sit de ipsamet formali extensione continua, cū ipsa consistat in vnione illa inadæquata partium, nō solū sua indiuisibilia, sed etiā suæ partes intrinsecę erunt formales vniones partiū, quæ per illam extenduntur, sed ex hoc non sequitur, quod pertineat reductiuè ad genus partium vnitarū, quia sicut actio, relatio, & quilibet alius modus pertinet non tantùm reductiuè ad gen⁹ rei modificatę, sed etiam constituitur directè in aliquo genere, ita & modus vnionis, si sit accidentalis, poterit extra genus rei modificatæ in alio directè constitui. Vnio materiæ, & formę, cum sit substantialis, & intrinsecè pertinens ad rationē substantiæ, non potest in aliquo genere accidētis cōstitui.

ARTIC. III.

Vtrùm tempus, & motus sint species quātitatis per se?

De natura motus, & temporis latè differitur 3. & 4. Physicorū. Nunc breuiter suppono, hìc motum strictè sumi pro actione, vel passione continua, & successiua, vt excludā mutationē, quæ in instanti fit, & diuisibilis nō est. De illo ergo in hoc sensu, quidam asserunt esse quantum per se, & ratione sui, quia essentialiter includit partes priores, & posteriores simul incompatibiles.

Quidā vero, inter quos est Fōseca, aiunt, quod licet motus nō sit essentialiter quantitas, aut quantus, sed habeat extensionem accidentariam, sicut albedo, & cætera accidentia, cæterùm talis extensio constituit peculiarem quandam speciem quantitatis distinctam à tribus enumeratis: nā motus est quantitas successiua, tres vero species dictæ sunt quantitates per- *Fonseca. 3. metb. c. 13. q. 68*

manẽtes. Rursus secundo dicũt distingui à tẽpore, quia continuitas motus solet esse magna, cũ temporis est parua, & è contra: experimur namq; motus inæquales æquali tempore durare, & è conuerso ergo.

Deniquè plures alij asserũt motum non esse quantũ per se, sed ratione temporis, cui per se competit successio partium secundùm prius, & posterius: definitur enim tempus, *quod sit numerus partium motus secundùm prius, & posterius*, ergo tempus est ratio quare motus habeat partes extra partes distantes secundũ durationem, ac proinde tempori conuenit talis extensio per se primo, & motui non nisi ratione temporis. Probatur etiã ex Aristotelẽ capite de quantitate, vbi numerans actionem, & motũ inter quãta per accidens, rationẽ reddit, quia fiunt quanta per tempus. Breuiter dico primo, nec motus est essentialiter sua quãtitas, nec quantitas illius est essẽtialiter diuersa à trib' enumeratis. Est manifesta Aristotelis sententia, qui tam in Dialectica, quã Metaphysica motum dicit esse quantũ per accidens, & ita cõmuniter illũ intelligunt eius expositores præsertim Sanctus Thomas, Prima pars constat, quia siue motus consistat in actione, siuè in passione (de quo in physicis) diuerso cõceptu cõsiderãtur eius ratio, & eius extensio, sicut in qualibet alia re, ergo vna est extra aliam: aliud enim est calefactio, v.g. & aliud extensio. Sed magis patebit probatione secundæ partis, ad quã suppono motũ, vel posse cõparari ad mobile, in quo subiectatur, vel ad terminum cum quo identificatur, & in quacumq; consideratione nõ potest habere alium modum extensionis præter illum, quem habent subiectũ, vel terminus: ergo cum subiectũ, vel terminus aliam extensionem non habeãt diuersam à tribus enumeratis, ità nec motus. Antecedens declaratur, quia motus, si consideretur prout in mobili, quantificatur à sola quantitate illius, vt multi dicunt communiter, vel si habet suam propriã quantitatem, coextenditur cum quãtitate subiecti, quod mouetur, ita vt habeat eandem extensionem localem, diuisibilitatẽ, mensurabilitatem, &c. ergo est eiusdem rationis cum illo, alioquin cum eo commensurari nõ posset. Si vero comparetur ad terminum, candẽ diuisibilitatẽ, & distinctionẽ habebit, quã ille, supposito, quod ab eo realiter non distinguitur. Vnde quando terminus est qualitas intensibilis, vt in alteratione, sicut latitudo gradualis qualitatis non est vera quantitas, ita nec latitudo, quã habet motus prout est idẽ cũ illa, quãtitas erit, sed intẽsio.

S. Thom. 5. metaphisica. Suarez 1. pars. to. 2. met. sect. 6.

Dices,

Dices: extēsio motus, prout successiuè fit in subiecto, habet aliam latitudinem successiuā diuersi generis ab ea, quæ permanens est, nam illa constat ex præterito, & futuro tanquā ex partibus, & ex instantibus tanquā ex continuatiuis, aut terminatiuis, hæc vero non ita: ergo.

Sed contra: successio non addit ratione sui nouam aliquā partium extensionē, sed tantùm dicit ordinem prioris, & posterioris inter partes quas supponit: ergo nec addit ratione sui quantitatem aliquā. Antecedēs patet: quia successio tantùm consistit in hoc quod vna pars sit prior, quam alia: ergo tantū est quidā modus rei habētis partes, easq; non formaliter extendit, sed supponit extēsas, & certo quodam ordine disponit.

Confirmatur: quādo successio est in gradibus intēsionis, vt patet in motu alterationis, nulla est quantitas, quia sicut latitudo gradualis extēsio nō est, ita nec ordo prioris, & posterioris talium graduū potest extēsionē formare, nam quod vna pars existat prius quā alia, nō immutat earū compositionē, aut vnionē, aut distinctionē, cum eiusdē rationis sit qualitas intensa successiuè, & simul producta: ergo eadem species quantitatis est, quæ simul, & quæ successiuè producitur, ac proinde permanentia, & successio non sunt differentiæ essentiales quantitatis, sicut nec intensionis qualitatis.

Dico ergo secundo: nec tempus est species aliqua quātitatis per se distinctę à tribus enumeratis. Docēt Aristoteles, & Sāctus Thomas citati, & Suarez. vbi supra. Nec obstat q; Aristoteles in Dialectica oppositum docuerit, nam illud emmēdauit in Metaphisica, neq; in Dialectica voluit exactè rerū naturas inuestigare, sed loqui iuxta vulgarē modū, considerando quantitatem solùm sub ratione mēsuræ: quomodo etiā locū inter species quātitatis cōstituit. Ratione probatur: quia si in motu nulla est propria quātitas distincta à tribus enumeratis, etiā neq; in tēpore: & probatur ex definitione temporis tradita ab Aristotele, 4. physicorū, est *numerus partiū motus secundū prius, & posterius*, vbi *numerus* nō propriè sumitur pro quātitate discreta: & est sensus illius, quod sit duratio successiua partiū motus, vt omnes vnanimiter sentiunt, sed nec duratio, nec successio afferunt secū aliquā propriā partium extensionem, sed illam supponunt. Minor probatur, quia de successione iam dixi solū addere ordinem prioris, & posterioris quantū ad existētiā inter partes, quas supponit extēsas. De duratione etiā tēporis cōstat, quia non distinguitur realiter à successione, quā habēt partes inexistēdo, &

S. Thom. *Aristot.* *Suarez. 5. methaphisice.*

dato quod esset modus realiter superadditus, supponeret partes motus non solùm extensas, sed etiam successiuè existentes: solùmquè illis conferret permanentiam in essendo suo modo successiuo, ergo nullam extensionẽ illis tribuit ex sua propria ratione. Patet cõsequentia, nam duratio cuiuslibet rei supponit illã in re, & solũ tribuit illi, quod permaneat in suo esse: ergo duratio quantitatis supponit ipsam.

Confirmatur: quia potius tẽpus habet extẽsionẽ à motu, ergo est quantum per accidens, & non ratione sui. Antecedens docet primò Aristoteles, vbi concludit motũ & tẽpus esse quanta per accidens, quia motus est quantus ratione magnitudinis, & tẽpus ratione motus. Et ratio est clara, quia duratio quatenus potest esse successiua, est diuisibilis, quatenus, est modus entis successiui, & diuisibilis, ideoquẽ duratio Angeli indiuisibilis est, & simultanea, quia substantia Angelica ita se habet, ergo ratio quare tẽpus partes successiuas habet, est, quia duratio motus est. Et si dicatur ipsa formalis successio motus, non contẽdemus, quia nec talis successio propria quantitas est, vt probaui.

5. *Metaphysicæ cap. 13.*

Denique probatur, quia tẽpus est differentia per se diuisiua durationis in communi, & species directè cõstituta in prædicamẽto *quando*: ergo non potest directè cõstitui in linea quãtitatis. Antecedens cõceditur ab omnibus, & ibi clarè demonstratur. Probatur consequentia ex communi illa regula Aristot. in antepredicamentis ab omnibus admissa: *diuersorum generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species, & differentiæ* quã explicui supra: & est certa, quia si prædicamẽta sunt primò diuersa, & se totis differunt, quomodo possũt cõuenire, & habere easdẽ differẽtias cõstituẽtes?

Satisfit argumentis oppositis.

Ex dictis patet iam responsum ad fundamẽta supra posita. Ad primum iam dixi, successionem solùm addere dispositionẽ quãdam, seu ordinem inter partes quantitatis.

Ad secundũ respondetur, q̃ sicut eadẽ omnino quantitas, si rarefiat, potest occupare maiorẽ locũ, & si partes illius cõdensentur, minorẽ locum, vt quotidiano experimẽto cernitur, ita & eadẽ quantitas motus potest maiori, vel minori tẽpore durare, si partes illius comprimũtur, aut dilatẽtur: quod intellige de coexistentia ad tẽpus extrinsecũ, & cõmune, quod est mẽsura aliarũ durationũ, nã præter hoc tempus extrinsecũ est etiã considerare durationẽ intrinsecã cuiuslibet motus, & hęc si absolutè cõsideretur secundũ suã realẽ entitatem, & partium suarũ cõpositionem, aut vnionem,

fal-

falsum est, minus temporis esse in motu celeri eiusdẽ mobilis per idem spacium, quam in motu tardo, quia re vera tot sũt partes durationis in vno, quot in alio: & æqualem latitudinem, vterquè habet, quãuis per coexistentiam, & extensionem ad tempus extrinsecum inæquales dicantur, sicut Angelus qui tantum duraret per vnũ annum, esset æqualis durationis quantum ad entitatem intrinsecam, cum eo qui existeret per totam æternitatẽ, & quantùm ad coexistentiam ad tempus extrinsecũ inæquales dicerentur, sed quidquid de hoc sit, solũ cõuincitur ex hac distinctione, quod successio, vel duratio sit modus ex natura rei diuersus à quãtitate, & pertinẽs ad prędicamẽtũ quãdo.

Ad tertiũ respondetur, quod quando tempus definitur, *quod sit numerus partium motus*, additur *secundùm prius, & posterius*, vt denotetur tẽpus non conferre absolutè motui extẽsionem, aut numerum, sed tantùm ordinem earum secundùm prius, & posterius, & fortasse illa est definitio non cuiuslibet tẽporis, sed tantùm illius, quod est communis mensura, qua numerãtur partes cuiuslibet motus. Addo insuper distantiam, & incompossibilitatẽ, quã habẽt partes motus, vt simul existãt, aut durent, nõ prouenire illis ex ipsa formali duratione tẽporis, sed potius è contra, ideo durationes taliũ partium simul cõpati non possunt, quia simul produci nequeunt à suis causis: motus localis, v.g. ex distãtia spacij, quod non potest simul pertransiri: alteratio ex resistentia contrarij, & ex imbecillitate agẽtis, quod non potest illud statim penitus vincere: si tamẽ absit cõtrariũ, & adsit sufficiens virtus, partes, tam alterationis, quam qualitatis, quæ illam terminant, erunt simul, & consequenter durationes earum: duratio enim nullam incompossibilitatem ex se affert.

QVAESTIO. IIII.

Vtrùm quãtitas discreta sit vera, & propria species quantitatis?

ARTIC. I.

EXaminatis iam speciebus quãtitatis cõtinuæ, nũc ad quãtitatẽ discretã veniamus: circa quã est nõ parua difficultas, an sit propria species quãtitatis? Prima sententia, quã præcipuè defendunt modo aliqui iuniores, negat quantitatem discretã esse aliquã speciẽ per se vnã quantitatis, sed esse ens vnũ per accidẽs, & aggregationem multorũ, atq; adeo nõ pertinere ratione sui ad aliquod genus. Fundamentum...

damentũ illius est: quia illud est ens per accidens, quod cõponitur ex pluribus entibus cõpletis non vnitis, nec naturaliter ordinatis ad cõponendum aliquod tertium, sed quantitas discreta, v.g. ternarius hominum cõponitur ex tribus hominibus, qui entia cõpleta sunt, & minimè ordinata ad aliquod tertiũ constituendum, quin imo valde per accidens illis est, quod ex illis fiat numerus ternarius, vel quaternarius, ergo talis quantitas est vna per accidens, & solùm aggregatione.

Secũdò probatur: quia quod est per se vnũ per aliquã vnionẽ, vel vnitatem debet formaliter cõstitui in ratione vnius sed numerus consistit in tribus vnitatibus minimè vnitis, sed potius discretis, ergo nõ est per se vnũ, sed aggregatũ pluriũ vnitatum.

Neque valet respõdere, quod licet tres homines sint diuisi, & completi in ratione hominis, in ratione numeri ternarij sunt indiuisi, & tria entia incompleta respectu illius. Hoc inquã facilè impugnari potest, quia numerus ternarius, in quo sunt vnũ tres illi homines, nihil est aliud, quã plura entia cõpleta, & nõ vnita, ideoque Latinè, & Hispanè vocatur tres, idest, tres entitates, & non vna, ergo in aliquo ente per accidens, vno dicuntur vnum tres illi homines, ac proinde vnitas, quam habent in numero ternario est solùm vnitas aggregationis, & alia maior vnitas incõposibilitatem dicit cũ numero ternario.

Confirmatur: quia aliàs nullum esset ens per accidens, nam cumulus lapidum, qui frequentius adduci solet, vt manifestissimum ens per accidens, defendi posset, hoc modo esse vnũ per se, asserendo, quod licet lapides secundùm se, sint entia completa, in ratione cumuli sunt vnum, & indiuisum: cui argumẽto quid quid respondeatur, applicari cõtra illos potest.

Tertiò, quia ex substãtia, qualitate, quantitate, &c. potest cõponi numerus ternarius, quod si ille esset ens per se, pertineret ad aliquod prædicamentũ, & non est maior ratio, cur ad vnũ pertineat, quam ad aliud. Sequeretur similiter, quod in Angelis, & in tribus diuinis personis, in qui bus est propriè numerus, esset propriè quantitas discreta pertinẽs ad hoc prædicamẽtũ, quæ & similia planè falsa sũt, ergo, &c.

Denique probatur ex Arist. 3. *Physicorũ textu* 3. *&* 8. *&* 10. *Metaphysicæ textu* 4. Dicente numerum esse plura vna, ergo non est per se vnum, & Auerroes inquit numerum esse aceruum vnitatum.

Sanè hæc sententia valde probabilis est facileque defenditur, sed habet sine dubio Aristotelẽ, & Sanctum Thomam sibi contrarios, quinimò, & commu-

nem

nem Thomistarū scholam quātitatem in communi diuidentem in continuam, & discretam tanquam genus in veras quantitatis species. Quam sententiā fatentur Suarez, & aliqui ex Authoribus oppositis communē esse, quamuis cōuicti oppositis argumentis illam deserant.

Probatur primò: ex tota doctrina Aristotelis præsertim in 5. metaphysicè, vbi ex professo, & ex propria sententia rationem quantitatis, verasquè illius species protulit, ibi enim præmittit descriptionem quantitatis in communi, sentitquè æquè conuenire continuę, & discretę. Patetquè ex ratione extēsionis supra explicata, nā habere partes extra partes, diuisibiles, impenetrabiles, extēsas in ordine ad locū æquales, vel inæquales &c. vniuocè cōuenit vtriq; quātitati, tam continuæ, quam discretæ: ergo tam propria est vna, sicut altera. Minor patet discurrendo per omnia, quæ tā facilè accōmodari possunt quantitati discretæ, sicut cōtinuę, nā sicut partes quātitatis continuæ habent, quod vna sit extra aliā, ita à fortiori vnitates, ex quibus coalescit quātitas discreta: & sicut in continua eo ipso, quod vna pars est extra aliam, postulat diuersum locum, esse diuisibilem mensurabilē, &c. ita & in quantitate discreta: ergo &c.

Secundò illud est ens per se, quod habet essentiam vnā in aliquo genere, estq; radix proprietatum prouenientiū ab vna tantùm radice, sed hoc totū habet quantitas discreta, ergo est per se vna, Minor probatur, aduertendo prius, quod sicut in quantitate continua, & est considerare illud, quod intrinsecè, & in recto importat, modum. s. extensionis, seu extraneitatis, quam habet vna pars respectu alteri⁹, & est considerare illud, quod extrinsecè, & in obliquo dicit, partes. s. substantiæ, vel qualitatis, &c. quæ pertinēt ad aliud prædicamentū: ita in quantitate discreta, & potest considerari præcisus modus extensionis, qui ad illam intrinsecè, & in recto pertinet, & possunt cōsiderari plures vnitates, quas solùm in obliquo importat tanquā rē extensam, & quantificat, i. quo supposito. Probatur minor, quia licet vnitates, quas importat quātitas discreta, secūdariò, & in obliquo sint simpliciter plura in genere substātiæ, vel quouis alio genere, vt rectè probant argumenta primæ sententiæ, modus tamen extensionis precisè expectatus, qui primariò, & in recto talem quantitatē constituit vnicā, tantū habet essentiā in genere quantitatis, vnica definitione essentiali definibilem, ex vtroquè genere, & differentia cōpositam. nā in definitione illa: *quātum est diuisibile in ea quæ insunt*, &c. vel quan-

quantũ est illud, *quod habet partes extra partes*, exprimitur quãtitas, vt est genus ad cõtinuam, & discretam. Et in illa: quãtitas discreta est, *cuius partes non copulantur termino communi*, explicatur ratio differentialis: ergo est vnum totum metaphysicũ compositum per se ex genere, & differentia.

Confirmatur: quia pluralitas illius, quod connotatur in obliquo, non tollit vnitatem essentiæ intrinsecè alicuius rei: vt patet in actione, quæ connotat in obliquo agens, & terminum, & in relatione, quæ fundamentum essentialiter, & terminum, &c. ergo neque vnitas quantitatis discretæ aufertur per plures vnitates completas, quas in obliquo dicit.

Dices: numerus ternarius intrinsecè, & in recto dicit, & significat tres vnitates, vt patet in voce *tres*, qua significatur, tam Latinè quam Hispanè: falso ergo asseritur solũ in obliquo eas connotare. Respondetur, numerum posse sumi, & in abstracto, & in concreto. In abstracto significat pręcisum modum extensionis in recto, & partes, seu vnitates in obliquo, significaturque per has voces *dualitas*, *trinitas*, *quaternitas*, *&c.* in cõcreto verò significat intrinsecè vnitates, sed non loquimur in præsenti, de illo hoc modo, quia sic est ens per accidés, sicut quodlibet aliud accidens in cõcreto sumptum, & in hoc decipitur sententia opposita, quæ semper numerum concretè sumit.

Tertio probatur ista sentẽtia, quia de ente per accidens nulla datur scientia, sed de quantitate discreta tamquam de proprio obiecto agit sciẽtia Arithmetica varias proprietates numerorũ demonstrans: ergo quantitas discreta est ens per se vnum. Solet responderi, regulam illam solũ esse intelligendam de ente per accidés, quod idem significat ac casuale, & fortuitum, non verò de ente per accidens necessariò.

Sed re vera hæc euasio est: nã quoties enumerantur proprietates, quas debet habere obiectum cuiuslibet scientiæ, tãquàm diuersæ regulæ asignari solent. Vna: quod de cõtingentibus nõ potest esse sciẽtia. Et altera, quod nec de ente per accidens. Et pro ratione primæ regulæ asignatur, quod obiectum scientiæ infallibilis debet esse necessarium, & infallibile. Et pro ratione secũdæ: quod obiectum scientię debet esse definibile, & demõstrabile, & quod non est per se vnũ, non potest habere vnam essentiam definibilem, nec proprietates dimanãtes ab eadem radicè, sed plures essentias, & proprietates demonstrabiles à diuersis, quales habet ens per accidens: ergo malè confunditur vna regula cum altera, falsoq; asseritur

ens

ens per accidens cõtinens agregationem, & confusionem plurium, quantumuis necessarium sit, posse obiectum propriũ esse alicuius determinatæ scientiæ.

Pręterea: demus gratis aduersarijs nostris de tali ente per accidens sciẽtiam dari posse, quia habet essentiam necessariam, licet nõ simpliciter vnam, eo ipso fateri tenentur, huiusmodi ens quamuis non simpliciter vnum posse poni in linea prædicamentali, & esse propriam speciem alicuius generis: quod manifestè patet, nam quod habet sufficiẽtem vnitatem, vt sit perfectè definibile, & demonstrabile per aliquam scientiam, habet etiam sufficientem vnitatẽ, vt sit ponibile in linea prædicamentali, quę ad hoc solùm instituta fuit, vt in ea collocẽtur res omnes definibiles, prædicabiles, & demõstrabiles, quæ sunt scientiarum obiecta.

Rursus: sicut illis licet explicare illam generalem regulam *de ente per accidens non datur scientia*: quod intelligatur solũ de ente casuali, ita quando excluditur ens per accidens à prædicamentis intelligi poterit solũ excludi ab illis ens fortuitum, & casuale, vel explicent, quare maior vnitas ad prædicamenta, quam ad scientias sit exigenda.

Resolutio difficultatis.

Propter has rationes, & pręcipuè propter authoritatem S. Tho. qui sepissimè illam clarè docet, hęc opinio vt probabilior est alteri præferenda. Pro cuius maioris explicatione supponendum est cõmune illud axioma; *quod plura in vno genere sunt vnum in alio*, id est, frequenter euenire quod ea, quæ sunt simpliciter plura in genere v. g. naturæ, sint vnum in genere moris, vel artis, & sic similiter contingere, quod ea, quæ sunt plura in esse physico, sint vnum per se in esse metaphysico. Collectio v.g. indiuiduorum naturæ humanæ physicè est aggregatũ multorum, sed metaphysicè quatenus plura illa indiuidua sub vnam definitionem, & scientiam cadunt, sunt vnum per se definibile, & prædicabile, & consequenter ponibile in prædicamento: quia nihil a[illegible]lius requiritur ad hoc, quod res aliqua sit ponibilis in prædicamento, si aliàs transcendentia nõ obstet, quam quod sit ens per se, & metaphysicę vnũ. Similiter cõtingere solet, quod ea, quæ in vno genere completa sunt, in alio præsertim accidentis sint incompleta: actio v.g. in genere actionis, & linea, & superficies in suis proprijs rationibus entia completa sunt, & tamen actio prout est via, & fieri sui termini, & linea, & superficies prout componunt, vel terminãt corpus, entia incõpleta sunt, vt vidimus.

Quo supposito, dicẽdum est, quod

quod licet quãtitas discreta physicè, & in re considerata sit ens quoddam per accidẽs in genere substantiæ, vel qualitatis, &c. metaphysicè est vnum per se sufficiens poni in prædicamento quantitatis vt propria species illius. Probatur prior pars.s.quod physicè sit quoddã ens per accidens argumentis primæ sententiæ: & posterior, quod.s.metaphysicè sit vnũ per se, argumentis secundæ: quia videlicet habet vnam essentiam, & definitionem, sicut quantitas continua; datur de illa scientia: &c. ergo est vnũ per se metaphysicũ, quod satis est, vt sit species prædicamentalis, præsertim in genere accidentis, quod sicut non est ens simpliciter, ita non postulat ita rigorosam vnitatem, sicut substantia.

Confirmaturquè ex notabili posito: quia indiuidua naturæ humanæ non alia ratione dicuntur vnum metaphysicè, nisi quia cadunt sub vna definitione, sed sic se habet quantitas discreta: ergo, &c.

Dices, ratio propter quã homo est vnum per se, nõ est, quia habet vnam definitionem, sed quia concipitur, & definitur id, quod in eo est vnum, & non id, quod est plures, sed quãtitas discreta includit pluralitatẽ in suo conceptu, & definitione, nã definitur per partes non copulatas termino communi: ergo parũ refert, quod habeat vnam definitionem, si in ea pluralitas essentialiter includitur, quę tollit vnitatem per se: hoc enim modo etiã quodvis aliud ens per accidens, aceruus v.g. posset vnã habere definitionem.

Sed cõtra hoc est, quod in homine nulla est vnitas in re, sed ea, quã habent omnia indiuidua in natura humana, est vnitas quędam purè obiectiua, & solius rationis, quatenus omnia cadunt sub vna definitione essentiali, & considerantur illic sub ratione vnius, ergo si semel admittatur quantitatem discretam habere vnam essentiam, & vnam definitionem, manifestum relinquitur, quod habet sufficientem vnitatem metaphysicã, vt sit propria species ponibilis in prędicamento quantitatis.

Benè verum est, vnitatẽ metaphysicam non consistere in indiuisibili, sed recipere magis, & minus. si enim vera esset opinio Scoti vnitatem formalem dari à parte rei, maior esset in re vnitas numerica, quã specifica, & specifica maior esset, quã generica. Prima nullã pluralitatẽ admitteret: secũda esset per se, & formaliter vna, & realiter plures: & tertia taliter esset per se vna genere, quod non solùm realiter, sed etiã formaliter specificè plures esset. Sic etiam proportionabiliter in nostra sententia vnitas metaphysica, quæ solùm cõsideratur per

ordi-

ordinem ad conceptus nostros cum fundamento in re, maior est in specie, quam in genere, & maior in genere, quam in rationibus transcendentibus, nam ratio transcendens abstrahitur à rationibus essentialiter, & vltimatè, diuersis illasq; constituit formaliter diuersas in re, & nihilominus quatenus tales vltimę differentiæ cōcipiuntur vnico conceptu per modum vnius, & definiuntur vnica definitione, efficiunt vnum per se metaphysicum, & non per accidēs: vt patet in ratione entis, & in ratione indiuidui, vel personæ, quæ posteriores, licet essentialiter in actu exercito oppositionem, & incōmunicabilitatem dicant. s. vna singularitas, vel persona respectu alterius, nihilominus quatenus omnia singularia, vel personæ definiuntur vnica definitione, habent vnitatem quamdam metaphysicam, & in actu signato.

Ex quo iam ad minorem argumenti positi respondeo, quod quantitas discreta solùm in obliquo importat plures vnitates nō copulatas termino communi, quæ pluralitas nihil derogat vnitati simpliciter, vt supra vidim⁹, in recto autem concipitur, & definitur vna extēsio, & vnus modus existens in pluribus vnitatibus, & illas essentialiter connotans: & licet hic modus in re sit physicè, & in actu exercito plures, prout definitur, est vna essentia metaphysicè, & in actu signato, quę peculiariter in diuisibilitate cōsistit, nam hæc est propria ratio quantitatis, sicut rationalitas est propria ratio hominis: & idcirco physica vnitas nō est quęrēda in diuisibilitate physica, sed satis est vnitas methaphysica; nec tanta vnitas sicut in alijs rationibus, minus enim fundamentū habent negationes, & priuationes, vt dicantur species, cum physicè sint negationes specierum, & nihilominus quatenus considerantur, & definiuntur per ordinē ad subiectum aptum: & non aptū, & ad positiuum debitum, & non debitum, dicuntur species metaphysicæ, speciequè diferre sub eodem genere carētiæ vt sic, &c.

Ex quo iam ad primum argumentum primę sententiæ, respōdetur, concedendo, quod vnitates cuiuslibet numeri efficiant vnū per accidens secundū se cōsideratæ, prout sunt in alijs generibus entia completa, ceterū, prout sunt partes intrinsecè, aut extrinsecè, & in obliquo pertinentes ad quantitatem discretā, efficiunt vnum per se, & sunt incompleta, ad quod satis est vnio obiectiua, quam habent respectu definitionis essentialis, qua definiuntur, vt dixi.

Ex quo patet ad secundum: & ad eius confirmationē fateor, quod nullum sit ens per accidēs

secun-

secundùm vnam considerationem, quod secundùm aliam non sit ens per se: ex collectione enim plurium lapidū, si abstrahatur ratio lapidis in cõmuni, erit vnum per se, & talis vnitas, quãuis sit soli⁹ rationis, est sufficiēs vnitas metaphysica. Effectus similiter casualis respectu causæ proximę, dicitur necessarius respectu collectionis omnium causarum: sic ergo in pręsenti quod est ens per accidens in vno genere, & coacervatio pluriū completorum, in alio potest esse vnum per se.

Ad tertium, quod ad numerum attinet, quidam asserunt etiam in Angelis veram quantitatem discretam reperiri, fauentquè illis Augustin⁹, & Damascenus asserentes numerum propriè in omnib⁹ entibus reperiri. Et probatur ratione, quia ex tribus Angelis, ita componitur numerus ternarius, sicut ex tribus hominibus: eædemquè species, proprietates, vnitas saltem metaphysica, & cęterę affectiones, quæ de numeris, demonstrantur etiam de numero Angelorum, ergo, &c. Contraria tamen sententia communis est, & in schola S.Th. receptissima, vt docet ipse 1.p. Estq; sine dubio Aristotelis, qui vbicumquè agit de quantitate discreta, solis rebus materialibus eam attribuit, ideoquè 3. *physic.c.6.* & 7. dicit numerū consurgere ex diuisione quanti continui, & 2. *de anima*, *c.6.* inter sensibilia cõmunia numerum ponit, & vbicumq; agit de sciētijs mathematicis, docet quātitatem esse obiectum earum.

Augusti. *Damasc.* *Aristote.*

Præterea ratione probatur primò, quia in Angelis non reperitur extensio accidentalis, sed transcendentalis essentialiter inclusa in suis differentijs specificis, ergo pertinet ad genus substantiæ, ad quod reducuntur differētiæ specificè, & proprietates substantię: nõ ergo ad quantitatem, quæ est genus accidentis. Secundo probatur: quia in Angelis non reperitur extensio, cui connaturaliter debeantur impenetrabilitas, mensurabilitas, extensio in ordine ad locum, quæ assignantur ab omnibus, vt proprietates quantitatis in communi. In numero autem trium personarum diuinarum, nec imperfecta etiam extensio reperitur: nam taliter vna persona distinguitur realiter ab alia, quod sit intimè idētificata cum illa, ita vt nullatenus pater sit extra filiū, vel è conuerso, qua propter.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, solùm numerum transcendentalem in alijs rebus inueniri. s. in substantia, quantitate, & qualitate fundatum in suis differentijs essentialibus, & tantùm numerus, qui accidentaliter supperadditur tā substantiæ, & reliquis generibus, quā eius proprietatibus, est

qui resultat ex diuisione cõtinui, pertinet ad hoc prędicamentũ.

Fateor tamen in multis conuenire numerum prædicamentaliter, & trãscendẽtaliter sumptum, sicut in multis conueniunt substantia prædicamentalis, & transcendentalis: & similiter relatio prædicamentalis, & transcendentalis, vt quæstione sequẽti dicetur: deficit tamen perfecta ratio extensionis, vt probatum est in ratione secundæ sententiæ. Augustinus autem, & Damascen⁹ solũ loquuntur de numero trãscendentaliter sumpto.

Ad authoritatem Aristotelis adductam pro sententia opposita respondetur, ipsum loqui de numero in concreto, quãdo asserit esse plura vna, sicut frequenter in concreto dicere solemus tres, quatuor, &c. hîc autem solùm est sermo de modo extensionis abstractè sumpto.

ARTIC. VLT9.

Vtrum quantitas discreta sit species infima, vel subalterna?

DIuidi solet quantitas discreta primò in numerũ, & orationem. Secundò numerus subdiuiditur in varias numerorũ species: atquè ita videtur quod sit species subalterna. Nam in primis quod attinet ad orationem, non est propria species quãtitatis, sed solùm per accidens quanta dicitur, sicut motus, & locus. Quod vt explicem, aduerto, orationem hîc sumi non solùm pro voce complexa, sed etiam pro quacumq; dictione, siuè sit significatiua, siuè non, quia parum refert significatio ad rationem quantitatis. Secundò aduerto, quod in hac oratione multa considerari possunt. Reperitur enim aer verberatus exprolatione, quæ fit mediante percusione linguæ cum palato, qui aer, cum sit substantia, ad prædicamentum substantiæ pertinet. Secundò est sonus quidam resultãs, ex tali verberatione, qui pertinet ad prædicamentum qualitatis. Tertiò ipsę prolationes, seu percusiones linguæ, quibus verberatur aer.

Quartò denique quędam durationes, seu tempora intercisa, vel discreta, quæ consumuntur in proferenda oratione, quæ tẽpora, quia parua sunt, dicuntur morulæ, suntquè discontinuatę, quia inter vnã, & aliam mediat aliquod aliud tempus, in quo nihil profertur, & compositum ex his morulis discretis appellatur oratio. Eademq; ratio est de quocumq; alio motu discreto, cuius sint multæ partes discontinuæ, vt quando aliquis citarizat, tuba canit, saltat, &c.

Quo supposito, facilè probatur

tur conclusio: quia in oratione nihil peculiare reperitur, quod ad prædicamentum quantitatis pertineat: nam sonus, qui producitur ex contactu labiorum, pertinet ad qualitatem, vt dixi. Motus quo mediante fit sonus, non pertinet per se ad quantitatem, sed solùm per accidens. Tempus pertinet ad orationem, & multitudo illarum morularum ad numerum siuè prędicamentalé, siuè transcendentalem: non ergo est species quantitatis à cæteris distincta. Nequè obstat, quod Aristoteles hìc illam numerauit inter species quantitatis. Nam etiam numerauit tempus, & locum, quia non loquutus fuit ex propria sententia: sicut tamen in 5. *metaphisicè* (vbi ex professo veras species declarauit) omisit locum, & tempus, omisit etiam orationem.

Deniq; quod attinet ad numerum, difficultas est potius metaphysica, quam huius loci, an omnes numeri specie differant, an verò solũ accidétaliter? Breuiter tamen dico, non differre specie essentiali, sed solùm accidétali, binariũ.s.ternarium, quaternarium, &c. Ratio est: quia vnus numerus formaliter in ratione numeri consideratus non addit super alium nisi maiorem extensionem eiusdem rationis, & plures partes talis extẽsionis, sicut quantitas continua maior supra minorem solùm addit plures partes, & maiorem extensionem, sed hic excessus solùm est secundùm magis, & minus intra eandem speciem in quantitate continua, vt omnes fatentur: ergo etiam erit in quátitate discreta. Pręterea: omnes vnitates numerorũ sunt eiusdé speciei, & eiusdé rationis, tres argétei v.g. cũ ergo omnes sint eiusdem rationis, non est quare vna habeat rationem formæ, & alia rationem materiæ.

Sed obijcies Aristotelem, & S. Thomam asserentes species esse sicut numeros: & species se excedere in perfectione essentiali, sicut se excedunt numeri: ergo numeri essentialiter differunt, sicut species.

Secundò: Sanctus Thomas sæpè repetit vltimam vnitatem esse formam numeri: tribuereq; illi speciem, ternatiumquè differre à quaternario, quod vltima vnitas illius est tertia, & vltima huius est quarta.

Tertiò: de numeris demonstrantur diuersæ proprietates.s. paritas, & imparitas: quod numerus impar non sit diuisibilis nisi tantum in partes inæquales, & par sit diuisibilis in partes æquales: ergo sunt diuersi speciе.

Respondetur ad 1. Aristot. & S. Tho. solùm velle, quod sicut vnus numerus per additionem alterius vnitatis sit maior, & alteri inequalis, ita vna species addat *Aristote. S. Thom.*

addat maiorem perfectionem supra aliam, & sit illi inæqualis non tamen quod vtraquè inæqualitas, vel excessus sit in perfectione essentiali, nequè exemplum debet in omnibus tenere.

Ad secundum S. Thom. respondetur solùm loqui de specie accidentali, & mathematica, nõ vero de essentiali, & metaphysica: quia cum vnitates non pertineant in recto, sed in obliquo tantùm ad rationem numeri, non potuit sumi forma numeri ab vltima vnitate, sed à modo extensionis. Loquitur ergo de forma accidentali, & extrinseca, ad modum quo terminus dicitur forma tribuens speciem essentialem actui, vel accidentalem: nam vltima vnitas terminus talis quantitatis est, sicut linea est terminus superficiei, & superficies terminus corporis. Vnde sicut quãdo termini sunt diuersæ rationis, vt patet in linea, & superficie, quantitates terminatæ sunt diuersæ speciei, vt dixi de linea, superficie, & corpore, ita quando sunt eiusdem rationis, quantitates terminatæ per illos erunt eiusdem rationis specificæ, & sic contingit in quantitate discreta: binarium, per hoc quod addatur illi alia vnitas eiusdem rationis, fit ternarium, & sic de cæteris: ergo sine fundamento fingitur vltima vnitas diuersæ rationis, si sufficit eiusdem rationis.

Præterea si consideretur numerus prout est à parte rei, & independenter ab actu intellectus numerantis, nulla est in eo vnitas, quæ verè possit dici vltima; quia non est maior ratio de vna quàm de altera: omnes enim possunt esse eiusdem rationis, eiusdem dignitatis, temporis, loci, situs, &c. nec potest alia ratione aliqua dici vltima, nisi quia voluntariè vltimo loco ab intellectu numeratur, forma autem non debet esse voluntaria, & incerta, nec ex sola extrinseca denominatione pendens, nec eiusdem rationis cum materia: debebat item informare partes materiales, & esse in eodem loco, & situ cum illis, nihil autem horum habet hæc vltima vnitas numeri.

Ex quo patet ad tertium, illas proprietates oriri solùm ex diuersitate accidentali, & minimè causare diuersitatem specificam, vt ex dictis patet: alioquin linea trium palmorum haberet diuersas proprietates essẽtialiter à linea quatuor palmorum, quia illa esset resolubilis in palmos impares, hęc verò in palmos pares, &c.

SEC-

SECTIO VI.

De relatione.

QVÆSTIO I.

An sit, & quid sit relatio?

ARTIC. I.

Vtrùm dentur relationes reales?

Relatiua, inquit Aristoteles cap. de relatione, sunt illa, *Quorum totum suum eſſe eſt eſſe ad aliud quodam modo se habere*, vt Pater, & Filius. Vnde infert vnum cognosci non posse sine alio, quia licet totum esse vnius relatiui sit ad aliud se habere, ita & tota intelligibilitas illius est per ordinem, & cum respectu ad aliud. Est igitur prima difficultas, an talis relatio sit aliquid reale, vel solius rationis cum fundamento in re? Et ratio dubitandi est primò, quia relatio, vt dicit ordinem ad aliud, nihil reale ponere videtur, nequè in fundamento, quod refert, nequè in termino, quem respicit; ergo si est aliquod genus speciale distinctum ab entibus absolutis, erit aliquid rationis. Antecedens probatur quoad primam partem) nam quoad secundam per se notum experientia est) quia relatio, vt dicit esse *ad*, precindit abesse *in*: quoniam duplicem habitudinem essentialiter dicit, & ad subiectum cui inest, & sic dicit esse *In*, & ad terminum, quem respicit, & sic dicit esse *ad*, sed solùm quatenus dicit esse *in*, ponit aliquid in subiecto: ergo quatenus dicit *ad*, nihil ponit, ac proinde quantùm ad esse *ad*, in quo propria relationis natura consistit, nihil reale est.

Secundò, quia relatio præter duo extrema absoluta solùm addere potest comparationem vnius cum alio, quæ tantùm existit in intellectu; ergo in re non est aliquod genus distinctum à cæteris, sed tantùm prout obiectiuè existit in intellectu.

Confirmatur ex Aristotele 3. *physicorum textu* 10. asserente relationem aduenire sine rei mutatione: ergo ex mente Aristotelis relatio nihil reale ponit in re quam denominat. Patet consequẽtia: quia si aliquid reale poneret de nouo, mutaret illam de non esse ad illud esse.

Propter

propter hæc argumenta multi veteres (vt referunt Auerroes, Auicena, & alij) negarunt relationes reales, vel nouũ aliquod genus entis constituere à cæteris distinctũ, inter quos est Aureolus apud Capreolum, Durandus, & nouissimè aliqui iuniores, nec mirũ cum relatio sit ita debilis, & minutæ entitatis, quod intellectui non ita perspicaci euanescat.

Auerr. 12 met. com. 19. Auice. 3. met. c. 10. Simplicius, & Ammon. Aureolus apud Cap. in 1. d. 13. Duran. d. 30. q. 2.

Triplex est autẽ modus tuendi partem hanc negatiuam. Primus est affirmans omnem relationẽ esse opus solius rationis, ex comparatione, qua intellectus vnum alteri confert, obiectiuè resultans.

Secũdus admittit verè reales esse relationes, sed non realiter, aut formaliter distingui ab entibus absolutis, ita vt ex illis speciale aliquod genus à cæteris distinctum formari valeat, quia ad summũ extrinsecã tantùm denominationem addit in vno extremo ex coexistentia alterius.

Tertius modus distinguit in relatione esse, quod habet in subiecto, & respectũ præcisum, quẽ dicit ad terminũ: relatio enim est ordo, seu habitudo vnius ad aliud, hoc est, forma referens vnum ad aliud; & cõsequenter suum fundamẽtũ denominans relatiuum, & ad aliud se habens. Primus cõceptus, quo fundamentum respicit, dicitur esse *in* relationis, & secundus vocatur esse *ad*, quo .s. ad terminum pergit.

Hac igitur distinctione supposita, affirmat hæc sentẽtia, relationẽ quantũ ad esse *in* præcisè aliquid reale esse, certumquè genus entis constituere, & quantum ad esse *ad* esse aliquid rationis, quatenus. s. vnum extremũ reale alteri cõparatur, & ex intellectus collatione obiectiua, formalitas, vel respectus in vno extremo respectu alterius resultat. Quæ opinio tribuitur Caietano, Canariẽsi, & alijs Thomistis, vt referunt Suarez, & Vazquez.

Caietanus Canariẽs. Suar. tom. 2. meth. disp. 47. sect. 3. n. 2 Vazquez tom. 2. 1. par. disp. 144.

Statuitur prima conclusio.

Contra primum igitur, & tertium modũ dicendi sit conclusio, Verè dantur à parte rei relationes adæquatè reales ab omni intellectus opere independẽtes. Docent Aristoteles S. Thom. & vniuersa peripateticorũ schola.

Ratione probatur, quia independenter ab omni intellectus opere dãtur à parte rei attributa, quæ essentialiter referunt vnum ad aliud, quorũ tota ratio in habitudine ad aliud consistit, sed in hoc cõsistit forma relatiua, in hocquè distinguitur ab omni ente absoluto, quod absquè vllo ordine ad aliud coexistens, intelligitur in se constitutum: ergo dantur verè à parte rei relationes reales. Maior probatur, quia indepẽdẽter ab intellectu, sicut vna albedo, v.g. habet sua prædicata absoluta & quidditati-

Aristot. c. de relat. & 5 met. tex. 20. S. Th. opusc. 48. 1. p. q. 28. art. 1. & alibi Auerroes Auicena, Simplici. & Am. ciatati Boetius, Zonzinas, Rim. Zum. 1. q. 28. & Episc. Oña hic, Xuar, & Vazq. citati.

ua, ita illi cõuenit, quod sit alteri similis, & dissimilis nigredini: & vna quantitas, quod sit alteri æqualis, vel inæqualis. Petrus similiter præter hoc, quod est esse hominem, & talem hominem, quæ prædicata absoluta sunt ab omni respectu ad aliud extrinsecum: habet insuper esse patrem Ioannis, qui conceptus non potest intelligi, nisi per ordinem ad alium hominem, neque est pater alterius, quia intellectus illum sic considerat, vel comparat, sed è contra ideò illum sic concipit, quia pater alterius est, essetque, etsi nullus esset intelligens ex sola generatione, qua filiũ sibi procreauit.

Secundò, quia de Fide est dari in Diuinis relationes reales, paternitatem, s. filiationem, spirationem actiuam, & passiuam, ut Theologi docent materia de Trinitate; ergo relatio non dicit implicationem in suo conceptu, vt possit existere à parte rei.

S.Th.1.p. q.28 vbi Reuerẽdi. nost. Zum. & cæteri Expositores.

Quod si semel supponatur in se non implicans, nullum probabile discrimen potest afferri, quare Deo, & non creaturis conueniat, quia relatio non dicit infinitatem in sua intrinseca ratione, potius enim est ita debilis entitatis, vt si Fides non cogeret, à multis negaretur in Deo, ex eo quod sunt modi per accidens resultantes ex natura, ad quas propterea, nõ datur per se motus. Quin potius non obstante, quod admittuntur relationes in Deo, negatur illis communiter, quod perfectioné dicant, & consequẽter quod infinitaté in suo præciso conceptu importent, vt censent omnes discipuli Scoti, & ex Thomistis nõ pauci docent esse perfectiones tantùm secundùm quid, non verò simpliciter, sed perfectiones simpliciter, & cætera attributa Diuina, quinimo, & ipsamet natura Dei secundùm gradum differentialem, & sibi maximè propriũ, est participabilis formaliter à creaturis, ergo multo maiori iure relatio realis, quæ tantùm quidam modus est.

Preterea in Deo dãtur relationes rationis, Creatoris. s. Domini, &c. sicut in creatura, quando s. non est in eo fundamentum ad relationem realem: ergo quãdo in creatura est formaliter idem fundamentum, quod est in Deo ad relationem realem, resultabit in ea realis relatio sicut in Deo, & non rationis. Tunc sic: sed totum fundamentum, & ratio fundandi, ex quo in Deo consurgit realis relatio Patris ad Filium, & Filij, & Spiritus Sãcti ad Patrẽ, est cum omni proprietate, & veritate in creatura, s. potẽtia generatiua, & generatio, quę indepẽdenter ab intellectus negotiatione creaturis conueniunt, sicut & Deo; ergo eodem modo in illis cõsurget similis relatio. Patet consequentia, quia nõ est aliqua verisi-

verisimilis ratio, quare sicut formaliter participatur à creatura, quod longè perfectius est. s. potentia generatiua, cæteraque attributa, non possit participari, quod minus perfectum est, s. relatio.

Respondebis, relationes Diuinas esse substantiales, & transcendentes, creatas verò accidentales, repugnat autem, quod accidẽs, de cuius ratione est, quod dicat esse *in* importet simul esse *ad* reale, cum sint respectus omninò oppositi. Sed contra: sicut accidens dicit esse in alio, ita substantia dicit esse in se, & per se, & præcipuè relatio transcendens dicitur essentialiter includi in suo fundamento: ergo si cum hac ratione potest coniungi esse *ad* reale, ita & cum illa, quod amplius sequẽti assertione declaro.

Etiam quantùm ad esse ad *relatio realis est.*

Colligitur ex dictis, relationes rationis siuè adequatè, siuè quantùm ad esse *ad* ab intellectu fabricatas, penitùs ab hoc prędicamento excludendas esse. Probatur, quia membra diuidentia debent formaliter participare rationem diuisi; sed quod diuiditur in decem prædicamenta est solùm ens reale: ergo relatio, quæ est membrum diuidẽs realis debet esse.

Secundò, quia enti reali, & rationis nihil est cõmune, nam ens rationis, quod contineri debebat sub ratione cõmuni entis, contradictoriè opponitur ipsi, & eam excludit: quia quod abstrahit ab ente reali, eo ipso nihil est, & consequenter contradictoriè oppositum ipsi enti reali: ergo relationes rationis non possunt cum realibus in eodem prędicamento conuenire. Confirmatur, quia multo maior cõuenientia est inter substantiam, & accidens, Deum, & creaturas, & nihilominus constitui non possunt in eodem genere, multo ergo minus relationes reales, & rationis, quæ in nullo verò esse comunicant.

Quod si in eodem prædicamento non compatiuntur entitas realis, & rationis, multò minùs in eadem simplici relatione: quin potius valde inintelligibilis, & absurda in philosophia est distinctio hæc eiusdem relationis in esse *in* reali, & esse *ad* rationis. Quod sic declaro; nam impossibile est vnam, & eãdem essentiam ex rebus diuersorum prædicamentorũ constitui; quia res diuersorum generum sunt plusquam specie differentes, ergo ens reale & rationis, quæ plusquam genere differunt, non possunt vnam specialem entis essentiam constituere.

Tertio, quia totum esse relationis est ad aliud se habere, ergo si esse *ad* est quid rationis, eo ipso tota relatio simpliciter, &

vt dicetur; ergo est vera relatio secundùm esse; quamuis ex alio capite propter transcendentiam à prædicamento excludatur.

Secundò alij aiunt, relationem secundùm *dici* non esse aliud quàm relationem rationis, quæ verum respectum non habet, sed concipitur ab intellectu, & dicitur, ac si illum haberet; nam sicuti concipimus, ita loquimur, quam sententiam etiã impugnat Xuarez dicens relationem rationis esse relationem secũdùm *esse* in suo genere, quod licet non verũ sit ens, est saltem fictum & excogitatum, nam relatio rationis eo modo quo est, habet respectum secundùm esse sibi proportionatum.

Quapropter ipse proprium alium affert explicãdi modum, nimirum relationem secundùm *dici* eã tãtùm esse, quæ de re omnino absoluta dicitur, cuius esse non nisi per modum habitudinis, aut relationis ad aliud explicari potest: sic enim diuina scientia, voluntas, aut potentia relatiuæ secundùm *dici* sunt, non quia illarum esse in aliquo respectu reali, vel rationis consistat, sed quia illas minime concipimus, aut explicamus, nisi cum concomitantia alterius, obiecti, s. ad quod est talis scientia, aut voluntas, vel effectus, ad quẽ est potentia, ac proinde per modũ habitudinis ad aliud, & quia talis modus concipiendi diuina attributa, nõ est reflexiuus, vel fingens illa aliter ac sunt à parte rei, ideo ex ipso nulla entitas, aut relatio rationis resultat.

Exponitur quid sit verè & propriè relatio secundùm dici tantùm.

Sed ex doctrina huius Authoris infero ego, omnem relationem secundùm *dici*, esse rationis ratiocinatæ cum fundamento in re, nam sicut ipse ait quod sicut concipimus, ita loquimur, ita & ego assero, quod sicut loquimur, ita cõcipimus, ac proinde quoties rem absolutam explicamus per modum habitudinis relatiuæ, concipimus eã per modũ relationis, ac per consequens resultat eo ipso relatio obiectiua, seu rationis, nam sicut ens rationis in communi definitur quod sit ens conceptum per modum entis, ita relatio rationis est res absoluta concepta ad modũ formæ relatiuæ.

Ad cuius maiorẽ explicationem supponenda iterum est differentia, quã suo loco declaraui inter ens rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ. Primum dicitur fictio ex parte rei cognitæ, quãdo .s. obiecto terminatiuo tribuitur aliquid, quod reuera illi non conuenit à parte rei, ideoq; huiusmodi ens dicitur nõ doctrinale, nullumq; fundamẽtũ in re habere, quia affirmare aliquid de aliquo, quod illi reuera

plicandi, aut concipiendi, & è contra quod relatio secundùm *dici* ens rationis sit.

Solet tamen latiori sermone relatio secundùm *dici* nuncupari, non ita purè vt distinguatur contra omnem relationem secundùm *esse*, sed vt distinguitur solùm contra relationé prædicamentalem, quomodo S. Thom. opusc. 48. & alij relationes transcendentes appellant secundùm *dici*, propter quod ego sæpiùs apposui restrictionem illam *secundùm dici tantùm* vt acceptionem rigorosam significarem.

ARTIC. III.

Quomodo definiatur secundùm esse?

ARistoteles in Logica capite de relatione adducit definitionem Platonis pro relatiuis, quæ communiter circumferebatur suo tempore, & ipsi non placebat. s. relatiua sint, *Quæ illud ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodocumq; esse ad alterum.* Quæ definitio reuera conuenit alijs à definito: nam quælibet pars dicitur esse alterius, caput v.g. alicuius caput dicitur, manus similiter: formá actus, &c. & tamen relatiuá huius prædicaméti, non sunt.

Propter quod Aristot. hanc definitionem corrigens, aliam ex propria sententia illis assignat, videlicet. Sunt illa, *quibus hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodo se habere*, id est, *quorum totum suum esse, est ad aliud referri.* In qua definitione accidés subintelligitur, vt distinguat prędicamentales à relationibus trãscendentibus, quæ per cætera prædicamenta vagantur, vt dicam. Subintelligitur inquam accidens tamquàm quid implicitè inclusum in ipsis verbis definitionis, vt artic. 5. exponam, cum differentiam inter prædicamentalem, & transcendentalem relationem declarem.

Ex hac definitione colligit Aristoteles proprium relatiuorum esse, vt cognito vno, necessariò intelligatur & alterum, ideoquè relatiua esse simul cognitione. Patet ex ipsis verbis definitionis, quia si totum esse relatiui est ad aliud se habere, vel aliud respicere, si non intelligatur illud aliud, quod respicitur, & quod essentialiter cónotatur, impossibile erit relatiuum cognosci. Quomodo enim intelliges Petrum esse Patrem, nisi eius Filium saltem in communi consideres, cuius sit Pater? Non est tamen proprietas quarto modo relationum huius prædicamenti, nam etiam relationis transcendentalibus, & rationis competit.

Quia tamen descriptio data relatiuis in concreto conuenit, ex ipsa communior alia definitio relationis in abstracto desumpta est, nimirum, *Relatio est ordo accidētarius vnius ad aliud*, accidentarius, ponitur loco generis, excludit enim substātiam cæterosque respectus transcendentes. Cætera distingunt hoc à reliquis generibus absolutis, accidentia enim aliorum prædicamentorum non solùm secundùm communem accidentis rationé, qua petunt inesse subiecto, sed etiam secundùm particulares ipsorum, & quiditatiuos conceptus constituuntur in ordine ad idem subiectum, in quo sunt, illudque tantùm modificant: quantitas enim inest subiecto, & illud idem extendit: qualitas similiter non solùm accidit illi, sed qualificat secūdùm propriam differentiam illius: at relatio secundùm communem rationem subiecto inest, secundùm propriam verò ordinat, & refert illud ad aliud extrinsecū ipsi subiecto.

Exponitur duplex conceptus inadæquatus relationis, scilicet esse ad, *& esse* in.

Hîc orta fuit cōmunis illa & satis trita distinctio, qua in duplicem conceptum inadæquatum bipartitur relatio. s. esse *in*, quo intelligitur præcisè prout est in subiecto, & esse *ad*, quo consideratur prout respicit terminum.

Potest autem esse duplex contra hoc difficultas. Prima est, quod definitio posita solùm dicit esse relationis ad aliud se habere, ergo excludit esse *in*, & adæquatum illius conceptum explicat esse *ad*, male ergo illi tribuitur esse *in* tamquàm partialis conceptus præter esse *ad*.

Confirmatur, quia totum esse accidentis est inesse, id est, in subiecto esse, & totum esse relationis ad aliud esse; repugnat ergo quod relatio sit accidens, & habeat esse *in*. Secunda est, quod esse *ad* quantumuis præcisè sumatur ab esse *in*, est aliquid verùm, & reale esse, quia non est ens rationis vt probaui. Rursus est accidens, quia non est substantia, ergo quantùm ad esse *ad* formaliter habet inesse subiecto, ac proinde esse *in*. Patet consequentia ex ratione accidentis, cuius solum suum esse est inesse.

Sed supposita doctrina de transcendentia accidentis in vltimis conceptibus, & differentijs nouem generum supra explicata, facilè respondetur, hos cōceptus esse *in*, & esse *ad* non esse formalitates diuersas, ita vt vna alteram excludat à sua intrinseca ratione, sed tantùm duos cōceptus magis, & minus explicitos

citos eiusdem formalitatis indiuisæ, quæ tota habet esse *in*, quatenus accidens est) vt argumenta probant) & tota etiam habet esse *ad*, vt ex definitione relationis constat. Nequè opponuntur inter se rationes istæ etiam respectu eiusdem simplicis formalitatis; nam esse *ad*, quantumuis reduplicetur, non est aliqua ratio extra subiectum considerata, sed est ipsemet ordo, quem subiectum dicit ad terminum, nam ipsum subiectum est quod refertur, & respicit terminum, ac proinde ipsum esse *ad*, est in subiecto, & sicut non potest subterfugere rationem entis, quia transcendens est, sic nec rationem accidentis & esse, *in* saltem formaliter implicitè.

ARTIC. IIII.

Vtrũ huiusmodi relatio peculiare genus entis à cæteris diuersum constituat?

PArtem negatiuam tenuerunt Nominales, dicentes relationes non esse aliud quàm ipsamet extrema absoluta inter se inuicem comparata, vel denominationes extrinsecas in vno extremo resultantes ex coexistentia alterius. Ita Durandus, Ocham. Gregorius, & alij, quæ sententia iam exul ab scholis, nouissimè placuit quibusdam iunioribus. Quorum fundamentum est, quia similitudo v.g. formaliter sumpta, nõ est aliud quàm participatio formalis eiusdem naturæ, & dissimilitudo est formalis participatio rationum diuersarum, sed hæc participatio eiusdem, vel diuersæ naturæ sufficienter intelligitur per hoc, quod duo extrema suas habeant formalitates absolutas, ergo absq; additione alterius distinctæ formalitatis, saluatur in duobus absolutis similitudo perfecta. Maior constat, quia est ipsa definitio similitudinis, ideò enim dicuntur similes duæ albedines, quia eandem naturam formaliter participant. Et minor probatur, nam in conceptu præciso, quo duæ albedines absolutæ intelliguntur, est verùm dicere quod sunt duæ res absolutæ absquè vlla alia formalitate superaddita, sed sub eo reduplicatiuo conceptu, quo intelliguntur vt duæ, res absolutæ, vna ex his duabus contradictorijs de illis verificatur infallibiliter, absq; eo quod mediũ detur: vel quod distinguantur inter se formaliter, vel quod non distinguantur. Si primum erit formalis dissimilitudo. Si secundum, erit similitudo, quia non requiritur ad illam vnitas formalis positiua eiusdem

Durã. & alij qui videri possunt apud Ocham. in 1. sent. dis. 30. q. 1. & Greg. dis. 28. q. 1.

eiusdem naturæ, sed tantùm negatiua sufficit, quę in negatione cōsistit distinctionis per principia formalia, positiua enim vnitas à parte rei non datur, sed tantùm per intellectum, solùmque potest fundare relationem rationis, ergo relatio realis non est aliquid distinctum ab entibus absolutis, & consequenter, nec constituit genus aliquod speciale.

Nequè valet respondere, huiusmodi albedines esse similes, aut dissimiles fundamentaliter: quia ratio posita de similitudine formali, vel dissimilitudine probat, si aliquid probat, cum definitiones vtriusquè illis sic consideratis, cōuenire ostendat.

Confirmatur ratio hæc in relatione causæ ad effectum, vel Patris ad Filium, quæ sufficienter intelliguntur, per hoc quod in vno extremo sit virtus absoluta, & actio, seu exercitiū illius, & quod aliud sit terminus productus per illam. Nec extrahit res absolutas à genere suo, quòd vna essentialiter alteram connotet, & cum ea essentialem in re connexionem habeat: nam innumeras huiusmodi res absolutas, opposita admittit sententia, quas transcendentaliter relatiuas vocat, ex quibus nullum speciale prædicamentum efficitur, vt sunt actus ad potentias, & obiecta, vnio ad extrema vnita, &c. quas res absolutas esse supponit. Aliæ rationes afferuntur leuioris momenti, videlicet, quod non sint multiplicandæ entitates sine nescessitate, & nulla est, quę nos cogat relationes ab extremis absolutis diuersas admittere.

Rursus, sequeretur processus in infinitum, nam si albedo, & nigredo essent dissimiles per relationes superadditas, ipsę relationes essent similes per alias, & illę alijs in infinitum procedendo: sed de hoc infra dicemus, & de alijs quæ adduci possunt. Ratio illa de multiplicatione entitatis sine nescessitate parùm contra nos vrget, nam in illa fundati negabimus relationem realiter à suo fundamento discerni.

Solùm ergo fundamentum positum primo loco est, quod habet difficultatem, sed non ita insuperabilem, vt propter illam cogamur, communem sententiam relinquere: nam quod opposita sit Aristotelis, S. Thom. & omnium vtriusquè discipulorum, nec aduersarij negant, solis enim rationibus pugnant, quas vt proprias, deberent communibus subdere tantorum virorum, earumquè solutiones quærere.

Statuitur huius resolutio difficultatis.

Qua propter indubitanter est esse

asseredum, relationem prædicamentum proprium, à cæterisquè diuersum efficere. Probatur primò ex famosa illa entis diuisione in decem genera supremà rerum, quorum tertium, vel quartum relatio ab omnibus vocatur.

Secundò: quia quotiescumq; vna ratio completa est ita ab alijs essentialiter diuersa, vt formaliter non contineatur in definitione alterius prædicamenti, illa proculdubio speciale genus constituit: nam hæc est vnica, & sola ratio multiplicandi prædicamenta, distinctio. s. essentialis, quæ aduertitur inter illa. Tunc sic: sed similitudo, v.g. quæ est in vna albedine respectu alterius, est ratio formaliter diuersa ab essentia ipsius albedinis, & cuiuslibet alterius generis, ergo proprium, & speciale prædicamentum constituit. Minor probatur, quia conceptus essentialis, & accidentalis, necessarius, & contingens alicuius rei, non possunt non esse formalitates diuersæ: nam eadem ratio non potest simul essentialis, & accidentalis esse, inseparabilis, & separabilis respectu eiusdem. Sed albedini essentialiter competit essentia absoluta, scilicet quod sit disgregatiua visus, & accidentaliter, quod sit alteri similis, siquidem immobili manente natura, nunc similis, nunc dissimilis alteri efficitur iuxta varietatem termini pereuntis, & nouiter extrinsecèquè aduenientis, ergo similitudo est formalitas diuersa, in proprioquè ac speciali genere constituta.

Respondent oppositi Authores, similitudinem tantùm superaddere essentiæ albedinis coexistentiam termini, vel denominationem extrinsecam ab illa prouenientem, propter quam nouum genus nõ est addendum.

Contra hoc tamen est, quod implicat vnum extremum esse simile alteri, per denominationem extrinsecam ab altero prouenientem, nam esse simile principaliter, & in recto dicit habere intrinsecam naturam eiusdem rationis cum ea, quæ est in altero, licet in obliquo petat etiam coexistentiam alterius, cui asimilari debet: non enim vna albedo est similis alteri, quia altera sit sicut ipsa, sed quia ipsa intrinsecè est sicut altera. Sic etiam dicitur dissimilis nigredini; quia habet intrinsecè naturam diuersæ rationis: & Pater principaliter sic dicitur à virtute intrinseca generatiua actu exercita, qua respicit Filium, licet Filium cõnotet, vt amplius suo loco exponam.

Præterea cum similitudo cõsurgat ex coexistentia vtriusquè albedinis, vt fatentur oppositi Authores, negare nõ possunt, q

ea, quæ est in hac albedine, qua assimilatur alteri, sit saltem partialiter intrinseca, licet sit etiam partialiter extrinseca, nam eo ipso quod consistit in participatione eiusdem naturæ in vtroquè extremo existentis, licet natura, quæ est in termino sit extrinseca, natura quæ est in fundamento, intrinseca debet esse, sed hoc satis est ad constitutionem noui prædicamenti, & distinctionem à cæteris, quod sit formalitas intrinseca, licet etiam ab extrinseca pendens, & simul cum illa vnam essentiam constituens, ergo quomodocumquè explicetur, satis erit vt nouum genus entis efficiat.

Oppositum fundamentum conuellitur.

Iam ad contrarium fundamentum ex dictis facilis erit responsio, cõcedo enim maiorem, & nego minorẽ, si intelligatur de similitudine, aut dissimilitudine formali, nam solùm fundamentalis inuenitur in conceptibus absolutis vtriusquè albedinis, & ad probation minoris respondeò: eo ipso quod albedines vt duas consideres, iam non solas essentias intelligis, sed etiã dualitatem ipsarum, quæ accidens est de genere quantitatis discretæ, & distinctionem, quæ est etiam de genere relationis, & sic conuenientiam eiusdem naturæ, quæ est formalitas similitudinis. Has autem formalitates realiter in re identificari, probat optimè argumentum ex duabus illis contradictorijs, quæ assumit, nimirum quod vnum, vel alterum necessariò conueniat illis duobus extremis coexistentibus à parte rei, non autem cõuincit esse eandem simplicem formalitatem, nam si sola conuenientia formalis, & quidditatiua vtriusquè albedinis consideretur, efficit vnum conceptum obiectiuum abstractum ab omni accidente, qui dicitur natura albedinis secundùm se, quæ vt sic nec est vna, nec plures, nec quanta, nec relata, solùm vnitas rationis sub qua consideratur, illi competit.

Si verò intelligantur vt duæ distinctæ, vel conuenientes, iam inuicem comparantur, extenduntur, &c. qui conceptus eo ipso super additi sunt quidditati albedinis, eamquè extendunt intendunt, referunt, &c. hos autem modos loquendi, & concipiendi confundere est logicã, & Metaphysicam penitus ignorare, sicut qui substantiæ quidditatem præcisam intelligere tentans, eam entitatiuè extensam considerat, non aduertens hoc suo modo concipiendi iam alios conceptus, & accidentales eius essentiæ superaddere.

Est item aduertendum, quod quando conuenientia vtriusquè albe-

albedinis intelligitur, non vna sed duplex relatio similitudinis consideratur in qualibet ad alteram existens. Si autem vtraquè seorsim accipiatur, clarius discernitur formalitas relatiua ab absoluta: nā conceptus quidditatiuus, vel absolutus illius consistit in hoc quod sit disgregatiua visus, extensa, vel intensa: formalitas verò relatiua, in hoc quod sit sicut altera, & terminum connotet extrinsecum, quæ posterior deficere illi potest, manentibus alijs, ideoquè magis laborant scholastici in explicādo, quomodo non distinguatur à suo fundamento realiter, supposito quod ab eo realiter separari experitur, quam in excludenda idētitate formali cum ipso; propter quod non pauci eam ex natura rei ab extremis absolutis distingunt, vt quæstione sequenti dicetur.

Ad confirmationem respondetur, relationem causæ ad effectum, & Patris ad Filium non consistere in sola virtute intrinseca, quæ tantùm relatio transcendentalis est, independens à coexistentia termini; sed consistere in respectu accidentaliter superaddito ipsi potentiæ ex actione illius, & connotatione effectus resultans, de quo postea reddibit sermo.



ARTIC. V.

In quo discernātur inter se prædicamentalis, & transcendentalis relatio?

EXplicata distinctione, quā habet prędicamentalis relatio ab entibus absolutis, nunc eam discernere à multis relatiuis oportet, quæ verè huius generis non sunt: quapropter communiter diuidunt omnes relationem in transcendentalem, & prædicamentalē. Trāscendentalis est essentia cuiuslibet rei quatenus realem habitudinem ex suo intrinseco conceptu ad aliud dicit, ad proprietates v.g. effectus, vel obiecta. Quæ relatio propter duo transcendens dicitur, & quia generaliter per omnia prædicamenta vagatur, nec aliquod genus speciale constituit, & quia intimè essentialiter includitur in fundamēto, quod denominăt, atque adeò non potest nisi ad genus illius pertinere. Vt patet in potentia, quæ ad genus qualitatis pertinet, & non nisi per habitudinem ad actus, & obiecta intelligi potest, radix etiam substātialis trāscendētalē ordinē dicit ad proprietates: forma ad materiā,

& è

& è conuerso, & vnio substantialis ad vtramquè, &c. quæ ad substantiæ genus pertinẽt, ideòquè huiusmodi relatio nullam conuenientiam vniuocam habet; (cum à substãtia cæterisquè accidentibus abstrahat) ratione cuius in aliqua determinata linea collocari posit.

Relatio autem prædicamentalis est forma quædam accidentalis fundamento plenè constituto adueniens, ipsiusque esse essentiale, & absolutum completum supponens, ac proinde modificans illud extra genus ipsius, quę propter hoc certum, & determinnatum genus entis cõstituit, vt dixi.

Ex hac differentia, quæ se tenet ex parte fundamenti, triplex alia nascitur ex parte termini vtriusq; relationis. Prima est, quã attigit Caietanus, quod. s. relatio prædicamentalis respicit terminum purè sub ratione termini: transcendentalis verò respicit non vt purè terminum, sed sub aliqua alia determinata ratione. s. effectus, vel obiecti, vel causæ. Quæ differentia communiter recipitur à multis, sed non facilè explicatur, nam multi respectus transcẽdentales vidẽtur respicere terminum vt pure terminum, vt actio, passio, vnio, &c.

Caietan⁹ opusc. de ente, & essentia c. 7. q. 15.

Pręterea obijcit quidam, quod respicere terminum, vt cognitum productum, &c. non arguit, quod non sit respicere vt purum terminum, nam illæ sunt species respiciendi purum terminum: nequè est de ratione relationis prædicamentalis, quod respiciat terminum in communi, similitudo nam respicit purè terminum non abstractè, vel quomodocumque, sed assimilando realiter, & sic Pater Filium, sicut actio, vel causa agendo, &c.

Respondetur tamen, quod ideo relatio prædicamentalis dicitur respicere terminum vt purè terminum, quia circa illum nullũ aliud munus exercet, nisi respiciendi tantùm, nam relatio hæc in puro respectu consistit: transcendentalis verò non est purus respectus, sed vel est causa, vel effectus, vel radix, &c.

Cuius discriminis ratio est differentia alia supra assignata, cum enim relatio transcendentalis sit formaliter imbibita in essentia absoluta sui fundamenti exercet idem officium, quod illa, atquè adeò non est purus respectus, sed forma absoluta connexa essentialiter cum alio. Relatio prædicamentalis cum sit formalitas distincta à fundamento absoluto, cui inest, consistit in puro respectu sinę admixtione rei absolutæ, & ideò terminum dicitur respicere vt purè terminum, hoc est, vt terminum puri respectus.

Secunda differentia est, quod rela-

relatio prædicamentalis connotat essentialiter terminum realem, realiterquè existentem, secus verò transcendentalis in quantùm talis, nam potentia dicit transcendentalem ordinem ad actus, etsi non existant, & scientia est repræsentatio obiecti non solùm possibilis, verùm etiam impossibilis, & entis rationis.

S.Th.1.p. q.13. & Aristo.1. phis.text. 10. & 5. meta.c.2. & 12.met. cap.10.

Docent communiter omnes cum S.Thom.& probatur: quia omnis relatio prædicamentalis dicitur ab omnibus, aduenire per aduentum termini, & illo ablato perire; ergo postulat essentialiter coexistentiam illius. Docet item Aristoteles, qui ideò infert ad relationem non esse per se motum, quia resultat ex sola positione termini. Præterea: huiusmodi relatio cum consistat in puro respectu, non est aliud, quàm quædam denominatio accidentalis resultans ex coexistentia duorum, vt patet in exemplis omnibus, quæ de illa adduci possunt, propter hoc enim contingens, & variabilis est, & non transcendentalis, quia hæc indepédens, illa verò pendens ab existentia termini est.

Dixi respectum transcendétalem quantùm est ex natura sua, non petere existentiam termini, quia essentialiter ex alio capite contingere potest, quod hæc, vel illa essentia existentiam termini postulet, non præcisè, quia termin⁹ est, sed quia causa, quomodo effectus respicit agẽs, vel quia subiectum, aut fundamentũ, quomodo actio terminum, & vnio extrema vnita respicit.

Tertia differentia est, quod relatio prædicamentalis sit talis, vt à natura non sit per se intenta, nec ad illam detur per se motus, vel actio alicuius causæ, sed per accidens ex coexistentia vtriusquè resultet, vt indicat Aristoteles citatus, relatio verò transcendentalis semper intenditur per se à natura, sicut essentia fundamenti, cum quo identificatur omnino.

QVAESTIO II.

Vtrum relatio prædicamentalis distinguatur realiter à suo fundamento?

ARTIC. I.

SVpponimus ex dictis formaliter distingui, diuersumquè prædicamentum efficere, & quærimus insuper, an sit realis distinctio; vel aliquo modo ex natura rei? Quæ difficultas est maximè celebris in hac mate-

materia: neque est sermo de subiecto remoto, aut mediato relationis, sed de fundamento proximo cui innititur, & quod immediatè modificat. Certum enim est, quod similitudo immediatè in qualitate fundata, vel æqualitas, quæ est in quantitate realiter à substantia differat, sicut & qualitas, aut quãtitas medians.

Capre. in 1.d.30.q.1.& 2. Daza ibi dē. Caiet. 1.q.28.ar.1.&.2. Ferra. 4. cōt. Gent. c.14. Sōci. 5. met. q. 28. Scot. in 2.d. 1. q.5. & in 30. d. 8. q.1.

Prima ergo sententia (quam non pauci ex Thomistis defendunt, nec infirmis rationibus) docet, realiter vel ex natura rei relationem, & suum fundamentum differre (omitto nunc distinctionem illam Scoticam mediam, qua aliqui dirimunt litem hanc, nam in genere eam tractatu de distinctione in communi reieci.

Aristote. S. Thom.

Videtur enim imprimis Aristotelis, & S.Tho. sententia hæc, 9. *met. tex* 14. ait. *Inter omnia accidentia, quod maximè elongatur à substantia, est relatio*. Difficili' tamen, & expréssius loquitur S.Tho. qui 1.*p.q.*28.*art.* 2. *ad* 2. postquam dicit in Deo, & creaturis præter id, quod est relatiuum, etiam esse aliquid absolutum, in quo fundatur, subdit: *Sed aliter, & aliter: nam id quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res. In Deo autem non est alia res.* Et 4. contra Gent. c.14. *Relatio*, inquit, *substantiæ adueniens postremum, & imperfectissimum hăbet esse, quia non solùm prærequirit esse substantiæ, sed esse aliorum generum, ex quibus causetur.*

Item *q.8. de potent. ar.2. ad.1. Substantia*, inquit, *creata non potest sibi identificare relationem, quæ est definita ad tale genus, in quo differt à substantia, & essentia Dei, quæ cum infinita sit, & supra omnia genera, potest sibi alia identificare.*

Rursus in 1 *sent. d.* 33. *q.*1. *ar.*1. ait: *Relationem creatam differre ab increata, quod increata nullam facit compositionem cum eo, cuius est relatio, creata verò facit.* Et *dist.*4.*q.*1.*ar.*1. dicit: *In creaturis nullam relationem esse substantiam secundùm rem.* Et *d.*26.*q.*1.*ar.*1. docet: *Relationem habere aliud esse à suo subiecto.* Tenet ergo realiter à suo fundamento distingui.

Ratione item probatur, quæ est potissimum huius sententiæ fundamentum: quia illa distinguntur realiter, quorum vnum potest perire, manente alio, sed perit relatio manente fundaméto: ergo distinguitur ab eo realiter. Maior patet: quia separabilitas est indicium euidens distinctionis realis, vt probaui tractando de distinctione in communi. Minor verò probatur: quia Pater v.g. respicit Filium relatioñe Paternitatis; sed mortuo Filio, & manente substantia Patris, perit relatio, ergo talis relatio realiter distin-

distinguitur à subiecto cui innitebatur.

Secundò, quia relatio est accidens reale, & fundamentum illius potest esse substantia: ergo non potest identificari cum tali fundamento. s. substantia. Patet consequentia: nam accidens reale realiter est in alio tamquàm in subiecto ab eo què dependet, substantia vero realiter est in se, & per se independenter à subiecto, sed implicat idem esse realiter in se, & in alio, independens & dependens, ergo & quod accidens sit entitatiuè, idem quod substantia.

Dupliciter prædicta sententia intelligi potest. Vel de distinctione reali rigorosa. Vel tantùm de modali, quod. s. relatio sit tantũ modus ex natura rei diuersus à suo fundaméto. In hoc autem secundo sensu traditur communiter ab Authoribus pro illa citatis. In primo autem quod sit entitas omnino diuersa, est certè improbabilis, (nisi sit sermo de distinctione includentis, & inclusi, de qua postea) Probatur; quia conceptus relationis talis est, vt minimè per intellectũ cogitari possit sine re, quæ per illam denominatur respiciens, vel relata, vt in alijs modis contingit. ergo signum est per se nullam entitatem sibi propriam habere, ab entitate modificata diuersam, ac per inde tantùm esse modum quendam illius.

Præterea Authores, qui probant fundamentum sine relatione conseruari posse in re, non probant è contra, relationem sine fundamento à parte rei conseruari, hoc enim vt prorsus impossibile supponitur; sed separabilitas mutua, est signum distinctionis realis rigorosæ, & separabilitas non mutua distinctionis modalis, vt suo loco probauimus: ergo si ex natura rei relatio distinguitur; propter argumentum factum de separabilitate non mutua, distinctio erit tantùm modalis.

Est item obseruãdum quam plures Authores asserere solùm formaliter, ex natura rei relationem à fundamento differre, & non realiter, qui licet primo aspectu de distinctione illa media Scoti videantur loqui, reuera solùm de distinctione modali est illis sermo; quæ certè non incongruè formalis ex natura rei, & media nuncupatur; nam modus vt ipsi dicunt; totam entitatem suam accipit à re quã modificat, ex eius enim realitate formatur: nam eadem entitas certæ absquè additione, vel detractione realitatis potest varios perdere & acquirere modos.

Ideoquè sola additio distinc- ... & entitatis; distinctio ... realis propriè & ri- ... gorosè vo- ... catur.

ARTIC. II.

Statuitur vt verior sententia solam distinctionem formalem obiectiuam affirmans.

Aegidius. Herueus. Alensis. Gregor. Ochã. Nominal. Siluester Zoncin. Niphus. Iauellus. R. Zumel. Oña.

SEcunda sententia solam distinctionem formalem rationis ratiocinatæ inter relationem & suum fundamentum admittit, quæ semper mihi probabilior, & verior fuit. Docet in primis illam Authores non infimi nominis ex familia S. Tho, videlicet Herueus, Aegidius; Zoncinas, & ex modernis R. Zumel, Episcopus noster Oña, Xuarez, & alij in margine citati.

Aristot. Colligitur non obscurè ex Arist. 5. *phisilex.* tex. & alibi, vbi inquit per relationẽ non mutari subiectum. Cuius non potest esse alteratio, nisi quia relatio non affert aliquod esse nouum à fundamẽto diuersum ex natura rei. Neq; valet expositio quã adhibet opposita sententia. s. ipsum solùm excludere distinctionem realem rigorosam, non modalẽ. Contra hoc enim est, quod per modum ex natura rei diuersum verè mutatur subiectum: propriè enim mutari dicitur, qui mouetur localiter, & tamen non acquirit nisi modũ nouum præsentiæ per talem motum. Subsistẽtia similiter, si auferretur à substantia, & loco illius aduenirer, sicut contigit in humanitate Christi Domini, maximè mutaret illam, & tamen esset solùm varietas in modo.

Docet præterea illam Beatus Anselmus expressè satis dicens, omnes relationes subiecto sine vlla ipsius mutatione aduenire, indequè infert, quod saltem absquè præiudicio diuinæ simplicitatis, & immutabilitatis tribui possent Deo, illiquè in tempore aduenire ex sola mutatione creaturarum, cuius verba adducentur postea. Item S. Damascenus cuius verba affert Xuarez citatus.

B. Ansel. in monolo. c. 24.

S. Damascenus in sua dialectic. 1. c. 50.

Præterea eam satis clarè docet S. Thomas *pluribus locis*, *quæst. 7. de potentia art. 8. ait, relationem non facere compositionem cum subiecto, neque esse, per se motum ad relationem, quia relatio fit sine aliqua mutatione eius, quod refertur, quod* (inquit S. Thomas,) *non esset si relatio significaret esse in subiecto manens*, intellige de nouo adueniens.

S. Tho. q. 7. de potentia ar. 8. pusc. 48. cap. 2. & 3.

Clarius adhuc *opusc.* 48. *cap. 2. ait, cum autem dico, quod similitudo fortis habet albedinem eius est fundamentum, non est intelligendum, quod similitudo fortis sit aliqua alia res ab ipsa albedine, sed solùm est ipsa albedo*

albedo fortis, vt sit habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum: si enim similitudo adderet supra albedinem fortis aliquam rem, nullomodo posset fieri aliquis alicui similis sine sui mutatione, vt patet, nam si quis in India fieret modò albus, fieret similis mihi, & ego sibi, nulla in me facta mutatione; similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem, quæ realiter est in me. Hæc S. Thom. Et quod omnem distinctionem etiam modalem excludat, confirmatur ex hijs, quæ subdit *capite* 3. obijcit enim sibi, quod sequeretur, relationem non esse diuersum prædicamentum ab entibus absolutis: & tandem respondet distingui solùm quãtum ad id quod connotat in obliquo, vel quantum ad extrinsecum terminum, & hoc sufficere vt diuersum genus constituat.

Respondent aliqui ad priora verba S. Thomam non excludere mutationem, sed motum ad relationem, sed verba illa: *nullomodo, & nulla in me mutatione facta*; & obiectio de indistinctione prædicamenti relationis, & solutio illius assignans discrimen solùm ex parte termini extrinsecè omnem distinctionem tollunt, & identitatem indicant ex parte fundamenti.

Satisfit Authoritatibus oppositis.

Nec testimonia opposita vrgent. Ad primum illud Aristot. Respondetur maiorem elongationem à substantia, quam ipse tribuit relationi, significare solùm maiorem distantiam essentialem, non realem, (aliàs probaret argumentum distinctionem plusquam modalem, quam non admittunt Authores oppositi,) sic enim actio & passio magis distant inter se, quam Petrus & Paulus, cum illæ sint prædicamenta diuersa, hi verò duo indiuidua eiusdem speciei, & nihilominus ibi est realis indistinctio, hîc autem realis & rigorosa separatio.

Ex quo obiter soluitur ratio, quæ solet opponi. s. magis distinguntur relatiuum & absolutum, quàm duo relatiua, vel duo absoluta, sed duo absoluta realiter differunt: ergo à fortiori relatio & suum fundamentum absolutum. Maior enim solum est vera de distinctione essentiali, non reali.

Ad primum locum S. Tho. etiam respondere debet opposita opinio, nam verba illa relatio est alia res, distinctionem realem rigorosam significant, & quod per illam omnino fundamentum mutetur, quod ipsa negat, est enim constans apud omnes, quod modus nõ sit alia res, sed modus eiusdẽ rei, & S. Tho.

ideo negat cum Aristotele fundamentum mutari per relationem iuxta expositioné contrariæ sententiæ, quia relatio nó est alia res illi nouiter adueniens; tenétur ergo illi solutioné quærere.

Respondeo ergo ipsum Doctoré Sanctū se explicare *opusc.* 48. *cap.* 3. vbi postquam dixerat 2. *capite* relationem nón distingui à suo fundamento, obijcit sibi, quomodo sit prædicamentum diuersum? & respondet. *Dicendum, quod diuisio entis in decem prædicamenta est diuisio in decem secundùm rem, vel quantùm ad hoc quod dicunt diuersas res intrinsecè & realiter, sicut substantia, quantitas & qualitas, quia comparata adinuicem, sunt diuersæ res, vel in quantùm dicunt diuersas res extrinsecè, quia vnum importat aliquam rem diuersam, quam non importat reliquum, & sic relatio differt à suo fundamento, quia importat oppositum relatiui, sicut enim dicimus, quod totum differt à sua parte, non sicut res à re; sed sicut illud, quod importat plus quàm pars, sic relatio differt à fundamento, quia dicit rem sui fundamenti, & oppositum terminum, quem non dicit fundamentum.* Ecce quomodo ipse confirmans iterum atque iterum indistinctionem, quam dicit relatio quantùm ad suum esse intrinsecum, quod exhibet fundamento, docet importare extrinsecè aliam rem, s. terminum & ratione illius distingui etiam secundùm rem à cæteris prædicamentis. Et in hoc sensu optimum discrimen assignat in alijs locis citatis inter relationes Diuinas, & creatas, nam personæ Diuinæ, licèt distinguantur realiter & inuicem se referant, non sunt alia, & alia res absolutè & rigorosè loquendo, nec tria entia vt ipse docet, nisi cum addito relatiua aut modalis, nam res inquit, sumitur à quidditate, & ens ab esse, sicut ergo absolutè Pater & Filius sunt vna essentia, & vnum esse, sic vna res, & vnum ens substantiuè loquendo, ac proinde non alia, & aliàs res, nisi cum addito diminuente explicato. *S. Thom. in 1. dist. 25. q. 1. art. 4.*

Patet insuper hæc expositio & conciliatio opusculi cum testimonió primæ partis, ex illis verbis: *Nam id quod inuenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui est alia res, &c.* Si enim diceret, præter id quod continetur sub nomine absoluto fundamenti est alia res, significaret ipsam relationem quantùm ad id, quod importat intrinsecè ex parte fundaméti esse aliā rem ab ipso, quia relatio ipsa nō continetur sub nomine absoluto fun-

fundamenti, continetur tamen sub significatione nominis relatiui, ac proinde eo ipso, quod affirmat esse aliam rem, id quod non continetur sub nomine relatiuo proculdubio terminum significat, nam sub nomine relatiuo in concreto etiam fundamentum includit.

Dices: etiam & principalius loquitur S. Thom. de relatione in abstracto, & comparat eam ad essentiam, quæ est fundamentum illius, vt patet ex titulo articuli, *Vtrum relatio idem sit, quod essentia?* sinistre ergo interpretatur solùm de distinctione relatiui in concreto respectu sui termini. Respondetur, quod cum essentia Diuina æquè sit fundamentum, & terminus Diuinarum relationũ, vt ex Theologia suppono, titulus articuli abstrahit ab essentia prout fundamentum, & prout terminus: est autem longè maior difficultas in explicando, quomodo relatio Diuina non distinguatur ab essentia, quatenus induit rationem termini, quàm prout est fundamentum; nam relatio plusquàm distinctionem realem dicit à termino, siquidem dicit oppositionem cum illo, quam non dicit respectu fundamenti, sed potius identitatẽ, etiã in creaturis saltem in opinione probabili, & in omni opinione multo minorem distinctionem dicit à fundamento, quàm à termino.

Hinc ergo S. Doctor sua solita breuitate, & profunditate, postquam vniuersaliter identitatem docuit inter relationem, & essentiam, prout est ratio fundandi, & terminandi, & relationem Diuinam, in secundo argumento, & eius solutione specialius declarat mirabile discrimen, quod est inter Deum & creaturas quãtum ad relationes: quod in creaturis semper præter significatum nominis relatiui saltem terminus est alia res, in Deo verò propter ineffabile Trinitatis mysterium eadem essentia identificatur cum vtroquè correlatiuo opposito, atq; adeò non est alia, & alia res, sed eadẽ res cum duplici modo inter se diuerso ex natura rei, licet non ab essentia.

Ad *cap. 14. cont. Gent.* Respondetur in primis, ex illis verbis solùm inferri, quod relationes fundatæ in alijs accidentibus, s. quantitate, & qualitate, & cæteris distinguantur realiter à substantia, non autem à suis fundamentis proximis: nam S. Doctor ideò inquit, has relationes substantiæ realiter aduenire, & postremum habere esse, quia prærequirunt non solùm esse substantiæ, sed etiam aliorum generum, ex quibus pullulant: ex his autem verbis solùm inferri potest, quod relatio non fundetur immediatè in substantia, quod probabile quidem est, sed

probabilius oppositum, vt quæstione sequenti dicemus, ideoq; aliter respondetur, ibi S. Thomam solùm velle explicare, quã imperfectissimum esse habeat relatio ex suo genere, siquidem fundatur in quolibet alio accidentiũ genere quantumuis im-perfecto: si autem ex hoc liceret inferre, relationes non fundari in substantia, etiam nec in quantitate, & qualitate, nam per esse aliorum generum, omnia prædicamenta intelligit S. Doctor, præsertim vltima.

Ad tertium testimonium ex *quæstione 8. de potentia.* Respondetur: non fideliter allegari, verba enim eius sunt: *dicendũ quod nulla substantia, quæ est in genere, (idest prædicamentalis) potest esse relatio, quia est definita ad vnum genus, & per consequens excluditur ab alio genere, sed essentia diuina non est in genere substantiæ, sed est supra omne genus comprehendens sub se perfectiones omnium generum, vnde nihil prohibet id, quod est relationis, in ea inueniri,* in quibus verbis, & argumento etiam, quod soluere intendit, manifestè loquitur in sensu formali, & non identico reali. s. quod substantia non est formaliter relatio, quia sunt diuersa genera suprema, quod de essentia diuina dici non potest, cum non sit in aliquo determinato genere, sed omnes generum perfectiones contineat.

Ad primum, & vltimum testimonium ex libris sent. Respondetur in primis, solùm probare relationes nõ fundari immediatè in substantia: quia solùm distinctionem relationis à substantia excludunt, non vero à fundamentis proximis, quæ vt probabile est, sunt solùm cætera accidentium genera. Sed quia probabilius est etiam in substantia fundari, exponendus est S. Thomas de distinctione reali secundùm terminum, iuxta expositionem primi loci.

Denique ad illa verba: quod nulla relatio est substantia secundùm rem. Resp. sensum esse formalem, vt patet ex cõtextu: nam ibi assignat discrimen hoc inter Deum & creaturas, quod relatio diuina est formaliter ipsamet substantia Dei, nullam compositioné etiam Metaphysicam faciens cum illa, ideoq; genitum & generans in diuinis esse eiusdé substantiæ, non obstante ꝙ in relationibus differant, at in creaturis nulla relatio est formaliter ipsa substantia, sed vel realiter ab ea differt, si fundetur in alijs generibus accidentium, vel saltẽ essentialiter, si fundetur in illa immediatè, & ideò facit cõpositionem cum illa. Nec determinat S. Thomas cõpositiones modũ, quia abstrahit à reali, & rationis, nam multæ relationes realiter à substãtia differunt (licet non à fundamento proxi-

(mo

mo) multæ vero non. Nec il lud verbum, *secundùm rem* denotat sensum identicũ, sed significat idẽ quod secundùm rei veritatem, vel secundùm cathegoricam, & prædicamentalem rerum dispositionẽ, eo quod substantia, & relatio diuersa rerum genera constituant, etsi tantùm ratione differant, sicut de actione, & passione dicitur. Colligitur autem hæc expositio ex alijs locis citatis eiusdẽ Sancti Doctoris, in quibus cum non sit admittenda cõtradictio, congrua est explicatio quærenda.

Ratione probatur iam indistinctio relationis à fundamento.

Fregimus alas oppositæ sententiæ, authoritates. s. quibus suo videri in montẽ altum doctrinæ S. Thom. volabat, nunc caput eius. s. rationes rationibus confringere conabor. Quarum prima sit, retorquendo fundamentum oppositum, quod ex separabilitate relationis sumitur. Nam implicat positis duabus albedinibus. s. fundamento & termino destrui relationem: ergo indicium apertũ est, non distingui ex natura rei ab ipsis, atquè adeò quando argumentũ factũ probet relationem distingui aliquo modo, vel à solo fundamento, vel termino, non probat ab vtroquè simul.

Vnde rursus, absq; vlla sufficienti ratione ipsi relationẽ asserũt ex natura rei distinctam ab vtroq; extremo. Patet consequentia, tùm ex doctrina de distinctionibus in communi: tùm quia qua ratione opposita opinio ex separabilitate colligit distinctionem realem, ex inseparabilitate ab vtroq; extremo, simul colligere debebat indistinctionem ab vtroquè, vel saltem ab vno, vel altero. Antecedens probatur, quia positis in re duabus albedinibus, implicat, quod non sint similes, quia cõuenit eis similitudinis definitio. s. *quod vna sit sicut alia, vel quorum qualitas est vna*. Similiter positis duabus quantitatibus, implicat quod vna non sit alteri æqualis, vel inæqualis, quoniã vel habet tot partes, quot alia, vel non. Si dicatur primũ, erit æqualis, & si secundum, inæqualis, ergo modus relationis similitudinis, aut inæqualitatis, vel æqualitatis realiter inseparabilis est, & indistinctus à fundamento, supposito quod à termino nemo dixit inguì dubitat.

Præterea confirmatur, quia per hoc præcisè quod intelligãtur duæ quãtitates, secluso quocumq; modo realiter superaddito, sunt necessariò habẽtes ęquales, vel inęquales partes: ergo secluso illo, manerent æquales, vel inæquales, & consequenter relatiuæ. Patet consequentia, quia æqualitas & inæqualitas sunt relationis species.

 Er-

Excluditur quorundam euasio.

Huic rationi Authores oppositi respondent, Deum separare posse modum relationis à fundamento, & termino simul in re positis, & quod manerent tunc similes, vel æquales duæ illæ albedines, aut quantitates.

Sed hæc potius euasio, quam solutio dificultatis est, nam perfecta ratio similitudinis, vel idétitatis, solùm in hoc formaliter cósistit, quod vnum extremum sit sicut aliud, & vna quantitas, quod habeat tot partes, ac habet alia. Sicut è contra, formaliter diuersus intelligitur homo ab equo, per hoc quod est formaliter rationalis, & non irrationalis: hoc enim vulgaris modus loquendi omnium planè persuadet, eo enim ipso, quod aduertant homines vnam quantitatẽ tantæ extésionis sicut alteram, æqualem alteri dicunt, etsi nullum modum superadditum percipiant, quem certè nec docti, nec indocti vident, nisi tantùm opinantes oppositi. Nec continetur in definitionibus asignatis ab antiquis, aut grauibus Authoribus pro similitudine, aut æqualitate formali, nec est vnde necessitas talis modi superadditi colligatur, cum non augeat, vel diminuat partes quantitatis, nec gradus qualitatis: nec numero ternario aliquam tribuat vnitaté. Et si in tali modo superaddito, formalissima ratio similitudinis, aut æqualitatis consisteret, ipse ad minus deberet exprimi in definitionibus, quia principalis ratio non debebat implicitè, & virtualiter tantùm contineri. Aliàs licitum esset in definitionibus addere, & sub intelligere, possetquè aliquis dicere, quod petrus per hoc quòd sit animal rationale, sit tãtùm fundamẽtaliter homo, formaliter verò sic constituatur à modo substantiali, vel accidentali superaddito in eius definitione subintellecto, ratione cuiùs sicut distinguitur ab equo, & sit illi dissimilis ita constituatur in se ipso, quia omne distinctiuum est constitutiuum.

Confirmatur: quia sancti Patres, & Theologi, cum S. Tho. in materia de Trinitate, non alia ratione probant Filium Dei esse perfectè similem æterno Patri, nisi quia habet eandem naturam cum ipso, omnesquè præmittũt ad hoc probandum definitionẽ similitudinis sine hoc, quod modum aliquem superadditum agnoscant, & licet similitudinem in natura dicant non esse relationem realem propter indistinctionem, admittunt illam inter relationes diuinas absq; , eo quod ipsis intelligatur modus aliquis superaddi.

Item in relatione coexistentiæ, quis dicat, quod positis simul

mul in re duabus existentijs, nō sit formalis coexistentia, cum omnes definiant coexistentiam, esse simultaneam duorum existentiam, & coexistere esse vnum cum alio existere: ergo positis duabus existentijs absquè modo superaddito saluatur formalis relatio coexistentiæ. Idem patet in relatione propinquitatis, & approximationis.

Rursus, negari non potest hanc similitudinem, quam fundamentalem vocant Authores oppositi, nos verò formalem, esse saltem ratione ratiocinata diuersam à duabus albedinibus, & extra essentiam illarum, & in sententia opposita separabilem ex natura rei: ergo constituet prædicamentum diuersum à genere qualitatis, absquè illo modo, quem superaddunt, sed non aliud preter relationem, ergo. Probatur antecedens, quia definiuntur diuersis definitionibus, & sola distinctio formalis est satis multiplicare prædicamenta, & conuenientia illa fundamentalis potest adesse, & abesse solùm per variationem alterius extremi. Quod si propter hoc addant alium modum, procedetur in infinitum. Si non addát, quá ratione variatur conuenientia illa, vel similitudo fundamentalis solùm propter mutationem alterius extremi, & non ratione modi superadditi, sic similitudo formalis.

Probatur amplius assertum alijs rationibus.

Secundò principaliter, & vrgentius arguitur contra illos: potest Deus miraculosè destruere modum relationis conseruato fundamento, & termino: ergo poterit etiam destruere solùm terminum, conseruato modo relationis in fundamento. Quæ cōsequentia ab ipsis negari non potest, cum sit maior diuersitas inter relationem & terminum, quam inter ipsam, & fundamentum. Tunc sic: ablato termino, ille modus non erit relatio, cum non possit relatio sine termino esse, & posito termino erit relatio, sequitur ergo in sententia opposita idem inconueniens, quod contra nos obijciūt, ac proinde si propter illud vitandum inferunt relationem distingui realiter à suo fundamento, debent etiam asserere distingui realiter ab illo modo, & sic procedetur in infinitum repetendo argumentum, donec soluant illud absquè recursu ad modum ex natura rei superadditum, & nobis consequenter solutionem tribuát ad eius principale secundum diluendum.

Præterea, quidam ex istis Authoribus defendunt vnam relationem in alia minimè fundari, sed eandem, quæ vt respicit Filium, est Paternitas, vt respicit alium Patrem, est similitudo, vt

vitent

vitent proceſſum infinitum, qui inde inferri poteſt. Contra quod idem inconueniens inferri poteſt, quia deſtructo alio Patre, & manente Filio, eſt vera, & completa relatio Paternitatis, & non ſimilitudinis, & adueniente alio Patre, eſt ſimilis illi Paternitas, cum antea non eſſet, ergo eſt diſtinctio ex natura rei inter vtramquè relationem, vel argumentum de ſeparabilitate, quod ipſos tantopere vrget, friuolum eſt.

Quod ſi affirment, vnam relationem fundari poſſe in alia, & vnum modum alteri ſuperaddi, procedetur facilè in infinitum, donec ſiſtant in relatione aliqua, quæ à ſuo fundamento non differat, non obſtante ſeparabilitatis argumento. Proceſſus infinitus probatur, nam ſi Paternitas eſt ſimilis alteri Paternitati per aliam relationem diuerſam, ita relatio ſuperadita erit diſsimilis ipſi Paternitati, in qua fundatur, & diſtincta ab altera quam reſpicit vt correlatiuum ſuæ ſimilitudinis. Hocque per alias relationes, quæ iterum inter ſe collatæ ſimiles ſunt, & diuerſæ per alias relationes, & ſic in infinitum.

Præterea, etſi negent vnam relationem in alia fundari, non excuſatur proceſſus in infinitum: nam ſi comparetur fundamentum abſolutum, albedinis, v.g. ad relationem ſimilitudinis, quæ in eo fundatur, refertur ad illam relatione diuerſitatis, cum ad diuerſa prædicamenta pertineant: hæc autẽ diuerſitatis relatio diuerſa eſt à priori ſimilitudinis: quia fundatur etiã in ipſo fundamento abſoluto. Vlterius poterit idem fundamentum abſolutum ad hanc ſecundam relationem alia noua diuerſitatis relatione referri immediatè in ipſa albedine abſoluta fundata, & ad ipſam alia vſquè in infinitum, abſquè eo quod vna relatio in alia fundetur, ſed omnes in fundamẽto abſoluto, quæ ratio ſi ponderetur, omnem euaſionem excludit.

Inſuper Caietanus, & alij oppoſitæ ſententiæ aſſertores vnionem tam hypoſtaticam, quam materiæ, & formæ non diſtinguunt ab extremis vnitis, & tamen non vrget illos argumentum ſeparabilitatis, poteſt enim vtrumquè extremum ſeparatum, vnionequè diſſoluta manere, cur ergo in præſenti difficultate tantopere eos premit, cum eadem ſolutio vtrinquè applicanda ſit, ab ipſiſquè quærenda.

Tertio principaliter arguitur: ſequeretur in qualibet re quantumuis minima tot eſſe modos realiter diuerſos, quot ſunt Angeli, Stellæ in cælis, arenæ, & guttæ in mari, lapides, plantæ, & animalia in terris, & quod ad quodlibet iſtorum non

unam, sed plures dicat relationes diuersitatis, scilicet similitudinis, identitatis, coexistentię, distantiæ, &c. quod planè incredibile, imo & ridiculum videtur, cum prædicti termini innumeri, & penè infiniti sint.

Præterea explicari nulla ratione potest, ex vi cuius causę istæ relationes emanent. Non à suis terminis, cum sæpissimè sint longè distantes, in remotissimisquè regionibus cæli, terræ, & inferni. Neque à fundamento, quia præterquamquod incredibile est, tam paruulam entitatem, qualis potest esse fundamentum v. g. actio, passio, vbi, &c. sit principium verè productiuum, & receptiuum tam innumerabilium relationum genere, & specie diuersarum, explicari minimè potest, quomodo virtus, quæ indifferens est in fundamento, tàm quoad specificationem ad relationes essentialiter diuersas, quàm quoad exercitium ad eas hoc, vel illo tempore per emanationem producendas, determinetur ad hanc, vel illam relationem hîc & nunc, & non aliter. Quia nec dici potest à termino, ita remotissimo determinari, neque fundamentum se se determinare, est enim satis tritum Sancti Thomę *prima secundæ quæstion. 9. articul. 1. & alibi sæpè*, & scholasticorum principium, quod omnis virtus indifferens ad plura indiget aliquo mouente, aut determinante, vt prorumpat in exercitium: & hinc inferunt potentias indifferentes indigere speciebus, habitibus, &c. quæ principia determinantia in præsenti assignari non possunt.

S. Thom.

Deniquè, Aristoteles, & antiqui philosophi, qui tam ex professo de his omnibus, & tam prouidè circa reliquas causas indifferentes se habuerunt, cur illas negassent fundamentis relationum? Cur etiam res tam mirabiles, & penè incredibiles de relatione tacuerunt, quales ex sententia opposita latæ sunt? indicium, ergo moraliter euidens est, quod talem distinctionem modalem, seu ex natura rei non cognouerunt, sed identitatem tantùm, quâ hęc omnia cessant inconuenientia.

ARTIC. III.

Satisfit fundamentis oppositis.

AD præcipuum fundamentum oppositum Nominales, & nouissimus eorum in omnibus defensor Petrus Hurtado docet relationem eo modo, quo ratione tantùm à fundamento discernitur, non esse modum soli vni extremo prin-

Pet. Hur. in sua met. disp. 15. de relatione sect. 3.

principaliter inhærentem, sed æquè primò vtrumquè extremum includere intrinsecè, & in recto, sicut vnio æquè afficit extrema vnita, & sicut totum suas partes. Vnde sicut totum à partibus simul sumptis nõ nisi ratione differt, & à quali bet seorsim realiter sicut includens, & inclusum: sic relatio, etsi à fundamento simul, & termino sit omnino indistincta, à solo fundamento realiter differt ratione termini quem superaddit, & à solo termino, ratione fundamenti: sicquè argumentum de separabilitate facilè euadit, dicens, quod sicut totum dissoluitur defectu vnius partis, vel vnionis, sic relatio defectu solius termini: ex quo non infertur distinctio modalis ab vtroquè extremo, sed realis à quolibet seorsim.

Qui modus dicendi probabilior est longè, quàm sententia opposita, & fortasse à nostra solo nomine, & modo explicandi differẽs. Habet fundamentũ in S. Thom. qui ad huius explicationem adducit exemplum distinctionis totius respectu suarum partium. Et præterea probatur: quia similitudo, & ejus definitio, *quorum qualitas est vna æquè* primariò, & directè significat vtramquè albedinem mutuò se respicientẽ: æqualitas similiter, propinquitas, coexistentia, contactus, & sic reliquæ relationes, ergo non est relatio magis in fundamento, quàm in termino, sed intrinsecè includit vtumquè extremum simul existens.

Secundò, si tota relatio est in solo fundamento, sequitur vel quod sit modus ex natura rei distinctus ab illo, vel quod non pendeat essentialiter termino extrinseco; ita vt illo aduenient existat, & illo abeunte pereat, quod vtrũq; negatur in nostra sententia ergo vtrumque extremum restitutionem includere dicendum est.

Displicet autem hic modus loquendi, quia iuxta illud, ineptè distinguimus inter fundamentum, & terminum in relationibus, sed vtrumquè extremum fundamentum dicetur, siquidem in vtroquè æquè primò, & principaliter residet, & fundatur relatio, & sicut hac ratione in vnione nemo asserit, vnum extremum fundamẽtum esse, & alterum terminum, sed hoc est contra communem sententiam semper his diuersis nominibus vtrumquè relationis extremum significantem: ergo indicium apertum est diuersimodè de illis sentire: diuersumquè munus, & concursum respectu relationis ipsis tribuere. Probatur cõsequentia: nam esse fundamẽtũ ex vi suæ significationis solùm denotat esse subiectum, & basim, in quo illud inni-

innititur & subiectatur, esse autem terminum, est esse finē extrinsecum, ad quem forma aliqua tendit, vel respicit, vel in qua finitur exclusiuè. Vt patet generali inductione: fundamentum enim actionis ab omnibus dicitur subiectum, quod ab illa denominatur agens, terminus autem dicitur extremum productum, vel ad quem ipsa ordinatur. Subiectū item actus immanentis dicitur fundamentum illius, obiectum autem dicitur terminus. Punctum similiter eo ipso quod terminus quantitatis est, minimè quantitas nūcupatur, ē cōtra vero, quia vnio in vtroq; extremo fundatur ipsumque æquè primo vnitū denominat, non distinguit aliquis in ea fundamentum & terminum ergo.

Cogitur insuper hæc sententia asserere quod relatio necessario terminetur ad respectiuū, & negare relationes non mutuas, quod est contra Arist. & D. Thom. (quem pro se adducit) & contra omnes vtriusquè discipulos. Si enim in vtroquè extremo æquè primo subiectatur relatio, vtrumquè extremū erit semper relatiuum, ac respectus in vtroquè reciprocus.

Præterea, eo ipso quod relatio sit mutua & reciproca, erit duplex relatio integra, idquè expressè supponit communis sententia Præsertim in relationibus disquiparentiæ videtur per se notum, nam Paternitas relatio specie distincta est à filiatione, & tamen illa adæquatè denominat solùm vnum extremum, s. patrem, & hæc solùm alterum videlicet filium: ergo neutra est æquè principaliter in vtraq; sed tota in solo vno extremo vt in fundamento.

Ex his meritò sibi opposita arrogabit opinio, quod adeo eius fundamentum nos torqueat, vt cogamur in multis à via regia & communi discedere. Quapropter tam difficili responsioni nō acquiesco, præsertim sine vlla vrgenti necessitate: nam exemplū de toto & partibus non adducitur à D. Thom. vt teneat in omnibus, sed in hoc, quod sicut totum essentialiter partes, sic relatio essentialiter fundamētū & terminū dicat. Licet aliter & aliter quod totum intrinsecè, & in recto, relatio vero in obliquo tantùm vtrumquè extremum dicit, diuersaquè ratione postea declaranda.

Ratio item prima parui momenti est, nam quando relationes sunt mutuæ, & eiusdem rationis, vtrumquè correlatiuum simul significari, & definiri solet, non quatenus sunt vna simplex relatio ex termino & fundamento æquè primò consurgens, sed quatenus duplex relatio eiusdem rationis, duplexquè ratio fundandi, & terminandi in

in vtroque extremo residet, sub eademque definitione continetur. Potest autem argumentum retorqueri in relationibus diuersæ rationis, in quibus nō significatur æquè primò vtrūque extremum. Paternitas. v. g. explicitè, & in recto solùm Patrem denominat, Filium verò, vt extrinsecum, & in obliquo connotatum tamquàm id, quod respicit, non tamquā id, quo est, & sic de singulis huius generis. In relationibus etiam eiusdē rationis; si quælibet simplex relatio seorsim attendatur, tantùm residet in vno extremo, illudq; denominat formaliter intrinsecè, aliud verò solū extrinsecè respicit, & significat: albū enim dicitur simile alteri albo per formam, quæ intrinsecè in ipso est, non verò per eam, quæ in termino. Nec talis similitudo consideratur prout in termino, sed prout ad terminū, quæ autē est in termino, est alia similitudo numero diuersa, respectu cuius iam non est terminus, sed fundamētum. Quam rationem benè nota, nam ex ea colligitur, etiam efficaciter relationem formaliter terminari ad terminum prout absolutum, non prout respectiuum, vt infra magis declarabo.

Secunda ratio supra posita nihil amplius continet, quàm fundamentum oppositæ sententiæ relationem realiter distinguentis à fundamento, ad cuius iam solutionem accedo.

Prænotantur aliqua, soluiturque fundamentum oppositæ sententiæ.

Suppono ergo primo, esse aliquas formas, quæ vt conferant subiecto totam denominationem, quam possunt præter intrinsecas rationes intrinsecè, & in recto importatas, quas illi exibent, communicando se ipsas, connotant essentialiter in obliquo aliquid extrinsecum, vel ex parte subiecti, vel obiecti, aut termini, quem respiciunt, & sine hoc extrinseco talem denominationem minimè conferunt, sed aliam valde diuersam. Exemplis, hoc fiet manifestū desumptis ex philosophia, & Theologia in quibus vna, & eadem forma in diuersis subiectis, vel diuersimodè dispositis, diuersas confert denominationes, & effectus formales: anima rationalis, habitus scientiæ, virtutes, & vitia, verbum mentis, &c. si cōstituantur in lapide, non denominabūt illum formaliter viuentē, intelligentem, virtuosum, vitiosum, & c. denominabunt tamen, si anima constituatur in corpore, & virtutes in anima ipsa recipiantur. Similiter si Deus in voluntate qualitatem amoris miraculosè conseruet, & ab intellectu auferat apprehensionem obiecti

obiecti, non denominabit ipsam amantem, & si obiectum adsit, eadem forma denominationem tribuet diligentis.

Rursus: gratia iustificans, si constituatur in anima peccato mortali infecta, non denominabit eam iustam, quamuis physicè gratam illam redat. Quos & similes casus possibiles esse, saltem de potentia absoluta, satis demonstratur in suis locis. Huius generis est forma relatiua, siuè distinguatur à suo fundamento realiter, siuè non, nam etiam Authores asserentes eam esse modum realiter inhærenté suo fundamento, fatentur, necessariò postulare existentiam termini, vt suam denominationem subiecto conferat. Vnde si per possibile, vel impossibile talis forma maneat in subiecto, & auferatur terminus extrinsecus, subiectum non denominaretur relatum.

Ex quo infero primò, relationem essentialiter vtrumquè dicere, s. respectum quem primariò, & intrinsecè importat, quéquè, adæquatè exhibet fundamento, tamquàm formam intrinsecam illius, & terminum quem connotat extrinsecè, licet essentiali necessitate postulet, & quia denominatio absoluta rei semper sumitur à forma intrinseca, licet non sine dépédétia à requisitis extrinsecis, hinc est, quod de solo respectu intrinseco relationis, qui est in fundamento, intelligatur indistinctio realis quæsita, & declarata in conclusione, licet quantùm ad terminum essentialiter connotatum realis distinctio sit.

Ex quo iam secundò manifestè colligitur solutio fundamenti principalis oppositi, nimirùm perit relatio manente fundaméto, ergo distinguitur realiter ab illo. Respondetur enim distinguo antecedens. Perit realiter quantùm ad entitatem, quam sumit à fundamento, quam principaliter, & in recto dicit, nego antecedens. Perit quantùm ad illud; quod extrinsecè in obliquo connotat, vt sic concedo antecedens: sed ex hoc tantùm colligitur, terminum ex intrinsecè connotatum realiter distingui à fundamento, non vero formam intrinsecam.

Nequè ex hoc sequitur, relationem esse denominationem extrinsecam prouenientem ab extrinseca positione termini, quia non prouenit à termino, tamquam à forma denominante fundamentum, sed solùm pendet ab ipso, tamquàm à conditione requisita essentialiter in obliquo, & à ratione intrinsecè identificata fundamento tamquàm à principali forma, sicut visio coloris pendet essentialiter à colore extrinseco, & nihilominus non dicitur denominatio extrinseca, sed forma intrinseca esse-

essentialiter postulans illud extrinsecum.

Declaraturque hoc amplius in coexistentia duorum: Petrus v.g. denominatur realiter coexistens alteri, & non antea, & hoc non per denominationem extrinsecam ab existentia alterius; sed formaliter intrinsecè per suã propriam existentiam; ratione cuius habet principaliter, quod existat simul cum alio; & existentiam alterius postulat vt cõditionem sine qua existentia intrinseca Petri non denominabit illum coexistentem, sed solùm existentem.

Dices: ante aduentum termini, vel erat tota forma relatiua, vel non, sed cõpletur intrinsecè per terminũ. Si hoc secundũ dicatur, iam terminus, vel modus illius erit pars intrinseca relationis, si dicatur primum ad quid indiget termino extrinseco? Nõ vt ab eo aliquid accipiat, quia supponitur tota ante illum. Nequè vt illi aliquid conferat, quia vt supponitur, tota exhibetur fundamento, ipsumquè informat, vt adæquatum subiectum. Nequè exigitur vt conditio ad hoc, quod fundamentum informet, cum sit realiter ab eo indistincta independenter à termino: ad quid ergo terminus ad talem formam necessarius requiritur?

Respondeo, non vt tribuat, vel accipiat aliquid, intrinsecum à relatione, sed vt sit terminus extrinsecè connotatus, & vt ab ea extrinsecè respiciatur, hoc enim ratio puri termini significat, vt patet etiam in obiecto scientiæ, vel amoris, quod non accipit, nec confert aliquid intrinsecum actui, sed solum habet essentialiter respici ab ipso actu.

Sed contra dices secundò: implicat quod forma relatiua, quæ ante aduentum termini non erat relatio, nec respiciebat illum, postea adueniente illum intrinsecè respiciat habitudine intrinseca, & quod non mutetur realiter, sicut in exemplo adducto actus immanẽtis, impossibile est: quod idem actus scientiæ, vel amoris nunc obiectum hoc, nunc illud respiciat, & quod non mutetur realiter impossibilis vsquè multo est; quod idem immutabilis manẽs interdum nullum obiectum respiciat, interdum verò hæc, vel illa attingat obiecta: ergo eadem implicatio erit in forma relatiua, quod. s. præexistens nullum terminum respiciat, postea verò termino adueniente, illum intrinseco respectu attingat absquè mutatione, vel additione vlla.

Respondeo: esse magnum discrimen quantùm ad hoc inter vtrumque respectum, transcendentalem. s. & prædicamentalem: quod transcẽdẽtalis cum non connotet existentiam termini, sed in solo respectu ad illum

illum essentia fundamenti inuariabiliter, & adæquatè consistat, hinc est, quod non possit variari talis respectus, aut denominatio illius, quin realiter mutetur, tam ipse, quàm essentia fundamenti, nam eo ipso quod nūc respiciat, quod antea non respiciebat, cum nulla facta sit mutatio ex parte obiecti, vel termini, assignanda est necessariò ex parte fundamenti. Quod adeò constans est, & generaliter verum, vt quoties est aliqua dependentia ab existentia termini, vel naturalsi, & in aliquo genere causæ, & non essentialis, tamquam à termino connotato, vt patet in visione corporali, ideoquè saltē de potētia Dei absoluta conseruari in absentia sui obiecti potest. Vel si est essentialis talis dependentia, qualē habet actio respectu termini, & vnio respectu suorum extremorū, non prouenient ex præcisa ratione termini, sed quia etiam sunt fundamenta, & res modificatæ, à quibus tales modi suam entitatem sumunt, & ideo quid mirū quod pendeant ab earum existentia?

At relatio prædicamentalis est denominatio accidentalis consurgens ex coexistentia vtriusquè extremi, vtrumquè essentialiter includens, licet diuerso modo explicato: vnum scilicet vt fundamentum adæquatum, in quo tota ipsa residet quantùm ad intrinsecum conceptum in recto: & alterum vt in obliquo connotatum, quod terminus propter hoc dicitur, est tamen essentiale complementum relationis, etsi non sit pars intrinseca, quia realitas fundamenti nec est, nec denominari potest relatio, nisi prout connotat actualem existentiam termini. Hæc autem connotatio non est aliud, quàm essentialis connexio, vel concomitantia alterius, sine quo talis essentia intelligi nequit, & ideo defectu alterius potest talis essentia deficere, etsi cætera maneant, V.g. quælibet res per suam existentiam dicitur existens, & per eandem eo ipso quod aliud simul cum eo existat, dicitur coexistens, nec potest dici coexistens etiam partialiter intrinsecè per existentiam alterius, sed per solam propriam existentiam, nam coexistere est per suam existentiam simul cum alio existere, nec potest sine alterius existentia in re posita illi coexistens denominari, ergo postulat essentialiter illam licet extrinsecè.

Aduerto tamen ad vitandas replicas, quod loquor de coexistentia, quam habet vnum extremū respectu alterius, quatenus est vnica simplex relatio in vno vt in fundamento residens, & alterum vt solùm terminum respiciens, quia si defi-

niatur coexistẽtia prout abstrahit ab vtroquè extremo, & est duplex relatio mutuò sibi correspondens, definitur quod sit simultanea existentia duorũ, & significatur vtraquè ęquè principaliter, sed non tamquam partes intrinsecę vnius simplicis relationis, sed tamquam duæ relationes totales numero diuersæ, & sic adduci possunt alia exempla de relatione propinquitatis, æqualitatis, similitudinis, &c.

Quomodo forma posit esse in re sine suo effectu formali quæritur, & explicatur.

Tertiò vrges adhuc posita forma adæquata, necessariò debet poni in re eius effectus, & denominatio formalis, ergo si adæquata forma supponitur in fundamẽto identificata cum illo ante positionẽ terminata, etiã supponitur effectus formalis illius, qui est actu refferre, atquè adeo vel erit relatio independenter ab existẽtia termini, quod est falsum, vel erit vtrumquè scilicet relationem, & formam relatiuam aduenire simul posito termino, quod intenditur. Antecedens patet: quia cum forma non causet nisi dando se ipsam, implicat ipsam vniri, vel identificari realiter suo subiecto, & non denominare illud realiter.

Confirmatur: quia conditio, quæ requiritur ad effectum formalem alicuius formæ, requiritur etiam ad positionem, illius in subiecto, nam implicat formam vniri subiecto, & quod ipsum non informetur ab ipsa, & eius denominationem non recipiat.

Respondetur tamẽ distinctione antecedẽtis. Posita forma, necessario debet poni in re aliquis effectus formalis ab illa proueniens, concedo antecedens: hoc enim euidenter probat argumentum cum sua confirmatione. At vero posita forma debet necessario poni in re omnis denominatio, vel effectus qui ex tali forma prouenire potest, sic negatur antecedens: quia non omnis denominatio formalis prouenit ex præcisa informatione formæ intrinsecæ, sed sunt aliquę quæ essentialiter in obliquo postulant, vel connotãt aliquod extrinsecum, scilicet tale subiectum, vel obiectũ, vel terminũ, &c. Existẽtia v.g. statim denominat existens, si autẽ adueniat existentia alterius, eadem forma denominat illi coexistẽs. Quod patet etiam in alijs exemplis positis, & inde fieri potest, quod in subiecto positæ tales formæ, adductas denominationes non cõferant ablato extrinseco connotato, quamuis alias necessariò tribuant, quæ ab extrinsecis, minimè pendeant ante existentiam ter-

termini, vnde constat talem formam denominare non actu relatum, sed referibile fundamentum, in quo est.

Quod vt declarem aduerto, in qualibet forma absoluta esse aptitudinem quandam, vt ex eo præcisè quod ponatur alterum extremum in rerum natura, illi assimiletur, vel distinguatur ab eo, albedo, v.g. seclusa quacumquè realitate, vel modo super addito ex se habet, quod si ponatur altera albedo in rerum natura, sit sicut illa, & illi coexistat, ac proinde dum non ponitur, solùm remanet in illa aptitudo vt sit sicut altera, si ponatur.

Hæc autē aptitudo non ideo sic dicitur, quia sit aliqua potentia productiua relationis, imo est ipsa ratio formalis referendi quantùm ad id quod intrinsecè & in recto importat, quę dici potest referibilitas, & in similitudine, assimilabilitas &c. vocatur igitur Logicè aptitudo, quia cū sit inadęquata, & inchoata ratio relationis, sine eo quod connotetur in obliquo, est in potentia, vt posito termino fiat actualis, & integra relatio.

Vnde vlterius infero, huiusmodi aptitudinē esse conceptū omnino absolutum, idest, non relatiuū prædicamentali respectu, sed solùm respectu trāscendētali, vel secundū *dici*, quatenus talis aptitudo intelligi, & explicari nequit sine termino ad quem actu, respiciendi aptitudinem dicit.

ARTIC. IIII.

Dentur ne relationes reales in Deo?

QVidam potissimè vrgent contra resolutionem positam de indistinctione relationis à fundamento, quia si relatio posset abesse, & adesse subiecto sine vlla intrinseca mutatione sui, sequitur Deo de facto, & in tempore conuenire posse relationes reales prædicamentales ad creaturas, hoc autem nemo Theologorum audet concedere, ergo nequè illud ex quo sequitur est asserendum. Sequela probatur, quia ratio propter quam negant omnes Deo cōuenire posse has relationes est, quia mutaretur ab existentia termini creati, adueniretquè illi in tempore quædā relatio noua, & contingens, quam antea non habebat.

Sed hoc inconueniens facile soluitur in nostra sententia, dicendo, nō aduenire Deo aliquid reale intrinsecum de nouo ex parte ipsius, sed tātùm ex parte creaturæ terminantis extrinsecè talem relationem: ergo in nostra sententia facilè sustineri potest tales relationes Deo in tempore contingenter aduenire posse.

Hoc argumentũ multis Theologis tã friuolũ videtur, quod potius ex eo quòd necessariò supponi debent in Deo relationes reales ad creaturas, probant relationem non distingui realiter à suo fundamento, dicetes, quod sicut non est inconueniens, quod Deus in tempore denominetur realiter agens, & Dominus creaturarum, ita nec referri realiter ad creaturas. Ita docent nominales quos refert, & sequitur

Hurtad. Hurtado, *disp.15.met. de relatione sect.2.§.17.* Tribuitquè illum

Suarez. Suarez *disp.47. de relatione sec.*

Soncin. *5.n.21.* Soncinati, Herbeo, non

Herbe°. infimæ notæ ex familia Thomistica.

D. Ansel. Probatur primò ex D. Ansel. qui postquã dixerat, Deum esse incapacem accidẽtis, sibi obijcit de relatione, *Quomodo nõ est particeps accidentis, cũ & hoc ipsum quod maior est omnibus alijs naturis, & quod illis dissimilis est, illi videatur accidere.* Vbi arguit Anselmus: Deum esse propriè inæqualẽ, & dissimilem creaturis, hocq; illi in tẽpore accidere. Et respondet. *Sed quid repugnat quorũdam, quæ accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis incommunicabilitas, si ex eorum assumptione nulla substantiæ consequitur variabilitas?* Vbi affirmare videtur, nullam repugnantiam esse in hoc, quod Deo adueniat in tempore aliqua accidentalis denominatio, cum nullam inferat mutationẽ. Quod confirmat ex creaturis dicens, *Nam ego nequè maior, vel minor nequè æqualis, vel similis sum homini post annum nasciturο, omnes autem relationes has, illo nato, habere potero; sine omni mei mutatione.*

Ratione etiam probatur desumpta ex verbis Anselmi, nam Deus propriè, est diuersus à Petro, perfectior illo, & eiusdem Dominus: sed hæc sunt formaliter species relationis prædicamentalis, denominationes què accidentariæ illi ex tempore cõuenientes absquè vlla sui intrinseca mutatione, sed tantùm ex parte creaturarum: ergo sine vllo inconueniẽti in illo admitti possunt. Quod si dicas, has relationes esse rationis in Deo, & reales, tantùm fundamentaliter, quia Deus non est capax relationis realis, neque ab ipso ad creaturas valet argumẽtum.

Contra est primò: si sufficit relatio rationis vt Deus dicatur verè, & propriè similis, inæqualis, &c. cur nõ sufficiet relatio rationis in creatura, vt dicatur vna alteri similis, & inæqualis, cum talis relatio non arguat perfectionem infinitam? quare ergo non satis erit idem fundamentum quod in Deo, & in creatura sunt eodem modo, vel fundare in vtroquè relationem rationis, vel realem.

Secũdò: sicut Deus est capax inæqua-

inæqualitatis, similitudinis, & diuersitatis realis, & suscipiendi has denominationes in tempore ex sola mutatione extrinseca creaturarum, quare non poterit eodem modo relationes reales suscipere? & sicut valet argumentũ tuum à Deo ad creaturas, & è contra, quantùm ad totum fundamentum harum relationum, quare non etiam quo ad relationes ipsas? Quia reuera tantam perfectionem, vel imperfectionem arguunt fundaméta, ac relationes ipsæ, & sicut relatio est in creatura denominatio realis, quæ posito termino ponitur, & ablato aufertur, ita hæc inæqualitas, vel similitudo, quæ in Deo fundamentalis dicitur, est denominatio realis separabiliter, & in tempore adueniens Deo, sicut ergo non arguit imperfectionem in Deo, sed solùm in creatura, ita & ipsa relatio relatio realis.

Resoluitur vt verior pars negatiua.

Certè rationes dictæ probabiliter suadent in Deo huius modi relationes inueniri posse, & in sententia, quæ indistinctionem realem inter ipsam & fundamentum supponit, non solùm non erit dignus aliqua censura, qui hoc assereret, vt notat optimè Suarez citatus, verùm nec poterit aliqua vrgenti ratione illi oppositum ostendi.

Vtcumquè tamẽ authoritas S. Thomę, & sanioris partis Theologorum negans in Deo relationes reales ex tempore anteponenda est. Quam docent Caiet. Scot. S. Bonau. Richar. R. noster Zumel Episcopus Oña, & innumeri alij. Qui autem ex dictis Authoribus oppositam erroris damnant, ideo est, quia supponunt sententiam de distinctione reali, sed D. Tho. nequè ex distinctione reali, nequè ex mutatione aliqua infert incapacitatem relationum in Deo, sed ex his rationibus.

D. Tho. 1. p. q. 13. ar. 7. & 2. contra Gen. c. 12. vbi Caiet. Ferra. & cæteri Thomist. R. noster Zumel 1. par.

Prima est: extrema relationis debent esse eiusdẽ ordinis, quia cũ vnum simul cum alio ad vnũ genus entis concurrat. s. relationem, quinimo fundamentum prout relatum à termino specificetur, non possunt non ad eundem ordinem, & genus pertinere, sed Deus est extra omnem ordinem, & ambitum creaturarum, implicatquè, quod aliquid formale in Deo existens specificetur ab aliquo termino creato, & simul cũ eo vnam essentiam constituat: ergo implicat in Deo relatio realis, quæ in conuenentia hæc sententia in illo supponit.

Confirmatur: quia esse maximè proprium Dei, est esse independens omnino ab omni alio esse præsertim creato, sed si relatio realis esset intrinsecè in Deo

Capre. in 1. d. 30. q. 1. ar. 1 & 2. S. Bon. ar. 1. q. 5. Ricar. ar. 1. q. 4. Scotus & Aegidius q. 2. Alensis 1. p. q. 53. Henr quod lib 9. q. 1.

Deo ad creaturas, aliquod esse intrinsecum illius esset pendens ab esse creato: ergo minimè illi attribui potest.

Dices: sicut omnipotentia essentialiter connexa est creaturis possibilibus, illis sublatis, in Deo non esset, sic pariter nullum esset inconueniens admittere relationes in Deo cum simili creaturarum connotatione. Respondetur esse magnū discrimen, quod omnipotentia connectitur per se cum creaturis, tamquam cum effectibus ab illa dependentibus, non è contra vt quid pendens ab ipsis: & tāquam rebus omnino diuersis, & alterius ordinis: at relatiuum cōnectitur cum suo termino tamquam quid pendens ab eo, constituensque vnam essentiam relatiuam cum illo, ac proinde sub eodem ordine, & genere compositionem aliqualem cum ipso faciens.

D.Thom. Secunda ratio est quam adducit D. Thom. *quæst. 8. de potentia art. 2.* quia repugnat accidens, vel compositio ex substantia & accidente in Deo. Nec valet respondere, quod est accidens secundùm rationē distinctum: quia repugnat, quod concipiatur in Deo cum fundamento in re accidēs ratione distinctum: sicut enim nulla perfectio est in ipso, quæ non sit ipse Deus, & sicut nulla est etiam, quæ non sit in se omnino independens, ita nulla est, quæ non sit substantialis in suo intrinseco conceptu, quia esse ens per se, & à se, & independens solùm substātiæ, & non cuilibet, sed increatæ competere potest: ergo tantùm abest, quod accidenti conueniat quomodocumq; accipiatur.

Confirmatur: quia sicut in Deo non concedimus habitus etiam ratione distinctos propter imperfectionem, quā inuoluunt in sua intrinseca ratione, nec potentiam passiuam, sic nec accidens illi tribui cum fundamento in re potest, nam in sua intrinseca ratione inuoluit dependentiam à substantia, & esse entis ens, quinimo & tantùm analogicæ ens dici ergo.

Dices D. Thom. *q.8. de potētia ar.3.* negat relationes Deo, ex eo quod nulla mutatio est in ipso: sentit ergo relationem ex natura rei differre, in ipsoque fundamento mutationem inferre. D.Thom. Respondetur, ex hoc capite tantùm excludere Doctorem Sanctum relationes in passione & mutatione fundatas, nā enumerans prius omnia relationum genera, probat, discurrendo per singula, Deo nullatenus cōuenire, & specialius agens de relationibus secundi generis, negat illas Deo: quia in mutatione fundantur, quæ in Deo locum non habet.


Confirmatur: quia in Deo

prop-

propter summam eius simplicitatem excludimus compositionem, etiam metaphysicam inter eius attributa substantialia: ergo multo maiori iure compositionem accidentalem, qualis est inter substantiam & relationes prædicamentales.

Ad rationes oppositas respondetur: respectus illos in Deo esse substantiales, & transcendentes, & licèt habeant connexionem per se cũ termino creato, & ratione huius Deum denominent in tempore diuersum, inæqualẽ, & Dominum respectu creaturarum, non pendent ab illis, neque constituunt cum ipsis genus aliquod entis, vel accidentis, vt probatum est. Dicuntur etiam relationes rationis, quatenus concipiuntur ad modum prædicamentalium, sicut & cætera Dei attributa semper solent intelligi ad modum creaturarum.

Patet insuper ad authoritatem Anselmi, ipsum loqui de relationibus quantum ad id, quod abstrahit ab imperfectionibus, s. esse in Deo prout substantiales, & non prout accidentales, vt independentes à termino, &c. vt constat in fine capitis, vbi modum illum loquendi in verbis citatis expressum, tandem relinquit.



QVAESTIO III.

Quid & quotuplex sit fundamentum relationis?

ARTIC. I.

VT certum omnino supponimus, omnem relationem realem indigere aliquo fundamento: quia cum relatio sit modus quidam, siue realiter, siuè ratione distinguatur, debet totam suam entitatem sumere à re modificata, in eaquè radicari & fundari. Ex quo colligo fundamentũ, & subiectũ idẽ omnino esse. Duplex tamẽ esse fundamentum, vel subiectum relationis. Aliud immediatũ, & proximum, illud. s. cui immediatè conuenit relatio, & à quo suam entitatem, & speciem sumit. Aliud vero mediatum & remotum, subiectum videlicet in quo recipitur mediante fundamento proximo. V.g. similitudo, quæ est inter duas albedines, immediatè fundatur in qualitatibus, & mediatè & remotè in substantia, in qua recipiuntur tales qualitates, & consequenter relationes cum ipsis identificatæ.

Secundò suppono, aliud esse fundamentum, & aliud rationem fundandi: in quo explicandò est aliqua varietas inter Authores, sed illa omissa, breuiter dico, fundamentum, & rationem fundandi habere se, sicut concretum, & abstractum talis concreti. Itaquè ratio fundandi non est aliud, quàm ratio formalis propter quam ex aliquo subiecto emanat relatio siuè realiter, siuè ratione (vt in omni opinione rem explicemus.) Et fundamentum est subiectum, quod talem rationem in se habet, & ratione illius relationem fundat ac recipit. V.g. ratio fundandi relationem similitudinis est conuenientia cum alia qualitate eiusdem rationis, & fundamentum quod, est albedo, vel qualitas, & remotum substantia, quatenus medianté albedine conuenit cum altera albedine.

Hæc assertio patet ex simili modo loquẽdi in omnibus alijs formis: ratio enim causandi in omnib⁹ causis dicitur forma, per quam constituitur aliquod in esse causę. Ratio terminandi dicitur forma, per quam constituitur terminus in esse talis: ratio dealbandi dicitur albedo, per quam formaliter cõstituitur corpus in esse albi: ergo ita similiter ratio fundandi erit forma, per quam constituitur fundamẽtum intrinsecè in esse talis.

Sed contra obijcies: ratio fundandi interdum extrinseca est fundamento, & subiectatur in termino, & transit manente fundamento; ergo non est ratio formalis fundamenti, vel subiecti relationis, ac proinde nequè abstractũ illius. Patet consequẽtia, & antecedẽs prob. quia generatio v. g. est ratio fundandi relationem Paternitatis, & talis asseritur ab omnibus recipi in termino producto, & non in Patre, qui fundat talem relationẽ, & statim transire, manente fundamento, & relatione Patris; idemquè est de qualibet actione transeunte, quæ extra agens existit in termino producto, & est ratio fundandi: ergo, &c.

Respondetur, actionem præcisè sumptam non esse rationem fundandi intrinsecè, & in recto, sed in obliquo tantũ: ratio enim fundandi relationem Paternitatis est principium generatiuũ prout actu exercitum, vel prout connotat generationem, itaquè virtus generatiua, prout dicit non solùm causam instrumentalem, sed principalem, est ratio fundandi intrinsecè, & in recto, & in obliquo actualis generatio, atquè adeò non est inconueniens, quod sit extrinseca, & transiẽs, de quo postea reddibit sermo.

Ex dictis colligitur huiusmodi respectus prædicamentales ferè semper supponere in fun-

damento respectum aliquem transcendentalem secundùm *dici*, qui sit ratio fundandi, relationem prædicamentalem, idquè voluit sine dubio S. Tho. quando dixit in his, quæ ad se inuicem ordinantur, præsupponendam esse mutuam inclinationē. Vbi nomine inclinationis Suar. intelligit rectè respectus transcēdentales: regulariter loquendo. Patetquè, quia virtus generatiua, & actio respectus transcendentales sunt: & vnam albedinem esse referibilem, vel assimilabilem alteri est saltem relatio secundùm *dici*, quia explicari non potest, vt dixi: talis aptitudo proxima, sine ordine ad aliud, quamuis actu non existat.

S. Th. 1. p. q. 28. ar. 1. in cap.

Sua. disp. 47. meta. sec. 3. n. 11

His suppositis, de fundamento relationis in communi duo, nunc se se offerunt diputanda. Primum est, quotuplex sit fundamentum quod, id est, res quæ immediatè recipit in se relationem, & denominatur ab illa, vt subiectum quod. Secundum est, quotuplex sit ratio fundādi. Circa primū, certū est quātitatē, qualitatem, & cætera prædicamenta, excepta substantia, & relatione (de quibus est difficultas) posse immediatè fundare diuersas relationes similitudinis, distinctionis, propinquitatis, equalitatis, &c. vt patebit amplius declarando rationes fundandi. De substantia vero, & de relatione negari solet, posse huiusmodi relationes fundare, de quibus sequentibus articulis dicam.

ARTIC. II.

Vtrum relationes in substantia immediatè fundari possint?

Ratio dubitādi est primò, quia Aristoteles in hoc capite de relatione enumerando fundamēta relationis, solùm enumerat quantitatem, qualitatem, & actionem, excludit ergo substantiam.

Secundò, S. Thom. 4. *contra Gent. c. 14.* ait, *Relationes non solùm præexigere vt subiectum esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium & q. 7. de potētia. art. 9. & 5 met. in cap. ad aliquid*, absolutè ait, omnes relationes fundari in quantitate, & actione, ergo ex mente ipsius substantia non est immediatum relationis subiectum.

Tertiò præsupposita doctrina de indistinctione reali relationis à fundamento, argui potest. Relatio est accidens reale de cuius ratione est, quod actu, vel aptitudine inhæreat substantiæ, & sic in illa: ergo nō potest esse idem realiter cum substantia, de cuius ratione est, quod in se, & per se existat; ergo si relatio debet identificari realiter

liter cum suo fundamento immediato, non potest immediatè in substantia fundari.

Propter hæc aliqui defendũt realationes prædicamẽtales non immediatè in substantia fundari, sed solùm tamquàm in subiecto remoto. Alij verò quamuis veras relationes immediatè substantiam afficere concedant, dicunt tamen nõ esse prædicamẽtales, quia propter identitatem, quam habẽt cum substantia, nõ sunt vniuocę cum prædicamentalibus, cum illę substantiales, istæ verò accidẽtales sint: & substantiæ, & accidenti nihil detur commune vniuocum. Addunt item relationes substantiales nõ constituere vndecimum prædicamentum, nè à communi sententia recedant, sed reductiuè pertinere ad substantiam: quia sunt entia incompleta in genere substantię, sicut subsistẽtia, existentia, &c. relationes autem accidentales dicũt, esse completas in suo genere: quia accidens solùm postulat propter suam imperfectionem inhærentiam ad suum complementum, ideoquè proprium prædicamentum constituunt, & nõ reducuntur ad genus sui fundamenti. Substantia verò vtpote magis perfecta, postulat ad suum complementum subsistentiam, ideoquè quilibet modus, vel pars substantiæ ens simpliciter incompletum est, & imperfectum.

In substantia fundari veras relationes.

Breuiter tamen dico primò, in substantia immediatè fundari veras relationes reales. Ita expresè Aristoteles 5. *met. tex.* 20. vbi ait: ea dici eadem, quorum substantia est vna; & similia, quorum qualitas est vna, & æqualia, quorum quantitas est vna, ergo sicut duæ albedines, vel qualitates dicuntur similes per relationem, ita duæ substantiæ dici possunt eædem per relationem. *Aristote.*

Item S. Thom. *opusc.* 48. *c.* 4. *trac.* 5. *de relatione*, ait: nihil prohibet quominus relatio possit immediatè fundari in substãtia. Euidẽtius loquitur 1. *p. q.* 28. *ar.* 1. *ad* 2. vbi identitaté numericã substantiæ dicit relationem rationis esse, idẽtitatem verò genericam, & specificam eiusdem esse relationes reales prædicamẽtales. Tenentq; illam Caietanus, Sotus, Soncinas, Ferrara, Capreolus, Xuarez, & communiter ferè omnes iuniores: Probatur ratione desumpta ex verbis citatis Aristot. quia non videtur maior ratio ob quam quantitates, & qualitates, quæ inter se conuenientiam habent, possint in se fundare relationes, & non substantiæ: ergo sicut illæ fundant in omni opinione, ita & istæ. Antecedens probatur: quia eadem conuenientia est inter duas subs-

S. Thom. *Caietan.* *Sotus.* *Soncinas.* *Ferrara.* *Capreol.* *Xuarez.* *Aristote.*

substantias in ratione specifica, vel generica, ac est inter duas qualitates in ratione specifica albedinis, vel generica coloris, &c. eandemque distinctionem essentialem habet conuenientia specifica ab ipsa substantia, quæ ratione illius cum altera conuenit, easdemque definitiones, & proprietates, quæ cæteris relationibus competunt: ergo non est cur istæ excludantur à ratione fundamenti proximi, & non cætera prædicamenta.

Neque obstat testimonium Aristotelis in oppositum adductũ: ibi enim loquitur de triplici, fundamento *quo*, seu ratione fundandi quæstione sequẽti declaranda, non autem diuisit fundamentum *quod*, vel subiectum relationis, aliàs excluderet etiã cætera prædicamenta, quod nõ concedunt aduersarij. S. Tho. explicatur ab Authoribus secũdæ sententiæ, solùm prædicamentales negare, quod immediatè fundentur in substantia, & relationes, quas concedit in illa, vt in fundamento proximo prædicamentales non esse, sed reductiuè pertinere ad prædicamentum substantiæ, quæ doctrina licet probabilis sit.

Relationes in substantia prædicamentales esse.

Probabilius dicendum existimo secundò, huiusmodi relationes immediatè fundatas in substantia esse prędicamentales, & accidentales vniuocè cum reliquis fundatis in accidentibus. Hæc cõclusio patet ex locis adductis Aristotelis, & S. Thomę, qui de prædicamentalibus relationibus loquuntur, vt patet ex contextu capitis. Testimonia autem in oppositũ iam quęst. 2. art. 2. declarata sunt.

Præterea ex doctrina quam supra adduxi *quæst. 4. de quantitate artic.* 8. illam sic probo: quia relatio hæc immediatè fundata in substantia est extra essentiam illius: quia nec pertinet ad illam vt pars essentialis, neque vt complementum, sed omnino per accidens est substãtiæ, quod sit eadem cum altera vel non: ergo non pertinet, neq; per se, nec reductiuè ad genus substantiæ. Patet consequentia: quia solùm ea reductiuè, vel per se possunt collocari in aliquo genere, quæ rationẽ completã participãt illius, vel pertinent ad illud vt partes essentiales, aut cõplementum, &c. Sed nihil horũ habet relatio, etiam si identificetur cum substantia, quia per accidens identificatur cum illa, completissimamque supponit entitatem sui fundamenti, ergo, &c.

Dices: aliud esse accidens quintum prædicabile, & aliud prædicamentale, & primum posse entitatiuè esse aliquid substantiale,

tiale, non verò secundum: aliàs prædicationes istæ: animal est rationale: caput est coronatum, &c. quæ accidentales sunt, quia prædicatum est extra essentiam subiecti, & pertinerent quantùm ad sua prædicata ad aliquid ex nouem prædicamentis accidentium, quod est planè falsum.

Respõdetur aduertendo iterum ex supra dictis *sectione de quantit.* quod accidens aliud est simpliciter absolutè tale, & aliud secundùm quid. Accidẽs secundùm quid dicitur illud, quod tantùm respectu huius, vel illius subiecti particularis dicitur accidens, quia aduenit illi extra essentiam illius, cæterum simpliciter, & absolutè est substantia, quia pertinet ad essentiam alicuius substantiæ, respectu cuius est pars essentialis. Vt rationale, licet respectu animalis tantùm dicatur secundùm quid accidens, quia tamen pertinet ad essentiam hominis, vt forma illius, dicitur simpliciter substantia: & corona aurea licet respectu hominis dicatur accidens, simpliciter conuenit illi definitio substantiæ corporeæ inanimatæ, &c. At verò accidens simpliciter est illud, quod est extra essentiam cuiuslibet substantiæ, id est, ad nullius essentiam, vel complementum pertinet, & sic se habet relatio; nam solùm importat in suo essentiali conceptu esse modum, seu respectum omnino per accidens conuenientem rei modificatæ, & præter fundamentum nulli alteri substantiæ per se, nec per accidens inest, ideoquè proprium huius relationis est, quod ad illam non sit per se motus, aut inclinatio in natura.

Quo supposito, respondetur ad argumentum, quod licet accidens prædicabile latius pateat quàm prædicamentale, & habeant se sicut superius, & inferius: quia accidens secundùm quid est prædicabile, & non prædicamentale, cæterum accidens simpliciter semper est prædicamentale: quia est in suo conceptu extra essentiam omnis substantiæ, in quo essentia accidentis prædicamentalis consistit.

Et ad fundamentum oppositæ sententiæ supra tertiò ordine positum, respondetur facilè quod sicut forma substantialis alia est physica, quæ mediante distinctione, & vnione reali informat materiam: & alia metaphysica, quæ licet in se vera, & realis sit, tamen modus distinctionis à materia est rationis tantùm; ita forma accidentalis alia est physica, quæ media distinctione, & reali inhærentia substantiæ inest: & alia metaphysica, quæ non nisi ratione ab illa distinguitur, quamuis in se vera, & realis forma sit, verùmquè acci-

accidens: quia est extra essentiã talis substantiæ.

Vnde sicut eadem res secundùm diuersas formalitates considerata est materia, & forma substantialis metaphysica, & est habens, & forma habita, ita eadem res diuersimodè concepta, cũ fundamento in re, potest esse substantia, & accidens metaphysicum, sicut dici solet etiam de specie, & differẽtia indiuiduali ipsius, quod licet realiter sint idem, prout formaliter distinguũtur, sunt essentia specifica, & accidens illius, quamuis non dicatur simpliciter accidens prædicamentale differẽtia indiuidualis eo quod pertinet ad conceptum primæ substantiæ, licet sit extra essentiam secundæ, vt suo loco dixi.

Sed contra vrges: de essentia accidentis prædicamentalis est realis inhærentia actualis, vel aptitudinalis; sicut enim de ratione substantiæ est, quod sit realiter ens per se, ita de essentia accidentis dicitur, quod sit in alio, ergo reale accidens realiter debet esse in alio, sed implicat, quod idem etiam secundùm diuersas considerationes sit realiter per se, & realiter in alio; quia sunt modi reales oppositi, quorum vnus trahit negationem alterius: ergo etiã implicat quod relatio, vel quodlibet verum accidens sit realiter idem quod substantia.

Respondetur inherentiã physicam, & strictè sumptam non esse de ratione accidentis prædicamentalis, & metaphysici in tota sua latitudine sumpti, sed inhærentiam prout abstrahit à formali, & virtuali: nam etiam modi accidentales propriè non inhærent rei modificatę, sed immediatè per se ipsos modificant subiectum absque modo inhærentię illis superaddito, vt patet à simili de modis substantialibus, qui propriè non inhærent, quamuis omnino conueniant cũ accidentalibus quantùm ad modum essendi in re modificata, consistit igitur ratio accidentis vt sic in hoc, quod sit extra essentiam substantiæ, & sit in illa tamquàm in subiecto siuè actualiter, siuè virtualiter distincto.

Vnde illa particula *esse in alio*, alietatem dicit non realiter actualem, sed essentialem, & virtualem, quoniam de ratione formę vt sic est, quod sit informãs, vel actuans aliquod subiectum, & sit in illo siuè formaliter, siuè virtualiter ab eo distinguatur, & sic relatio, si consideretur secundùm præcisum conceptum illius, non est ens per se, sed modus quidam, vel respectus entis per se, atquè talis est naturæ, quod si realiter distingueretur à substantia, illi realiter inesset atq; adeò defectu huius distinctionis talis inhærentia est

virtua-

virtualis realis. Et hæc doctrina maximè aduertatur ad alia prædicaméta, quę etiā esse reale indistinctum habent à substantia, vt dicemus, ne illam iterum repetamus.

ARTIC. III.

Vtrum vna relatio possit esse immediatum fundamentum alterius?

S.Th.1.p. q.42.art. 2.ad 4. Ferrar. Soncin. Vazq. & alij Thomistæ.

IN hac re est multorum sententia vnam relationem in alia minimè fundari posse, quod videtur sentire D. Thom. illamquè frequenter amplectuntur Thomistæ. Probatur ista sententia primò ratione, qua vtitur S.Tho. quia si supra relationem posset fundari relatio, daretur sine dubio processus in infinitum in relationibus, saltem in illis, quæ sunt diuersæ rationis, hoc auté nullus philosophorum admittit: ergo neque quod fundetur vna relatio in alia. Maior probatur: quia si duæ Paternitates sunt similes per alias relationes similitudinis, istæ duæ similitudines essent distinctæ per alias relationes distinctionis, & istæ iterum assimilarentur per alias similitudinis, & sic in infinitum: quia qua ratione probatur similitudo fundari in duabus paternitatibus, probatur fundari in duabus relationibus distinctionis, & distinctio in duabus similitudinibus, ergo.

Secundò probatur: quia quęcumquè ratio formalis ex eo quod talis sit, non potest accipere ab alia ratione formali eiusdem, vel diuersæ rationis effectum formalem, quem ipsa tribuit, sed relatio est ratio referendi vnum ad aliud: ergo non poterit referri per aliam relationé, eiusdem, vel diuersæ rationis. Maior probatur inductione in omnibus formis: nam actio, quia formaliter importat per ipsam fieri effectum, non potest ipsa fieri per aliam actioné eiusdem, vel diuersæ rationis. Item Vbi nõ ponitur in loco per aliud Vbi, nec duratio durat per aliam durationem, nec albedo redditur alba per aliam albedinem; ergo nec similiter relatio poterit referri per aliam relationem eiusdem, vel diuersæ rationis.

Contraria sententia longè probabilior, & verior est: docét què illam multi viri doctissimi, estquè cõmunior hoc tempore inter iuniores. Probaturq;: quia nulla apparet sufficiens ratio ob quam similitudo inter duas paternitates non sit tam vera relatio, sicut inter duas albedines, vel inter duas actiones, cum in re ipsa habeant eundem modum conuenientię, & vnitatis formalis, & talis conuenientia intelligi non possit sine ordine ad aliud

Scotus in 2. dist. 1. q.4.& 5. & in q.d. 6.q.10. Lichetus eisd.locis. Antonius Andreas. Mayron. Episcop° Oña. Xuarez. Rubio.

aliud,&c.ergo neque dici poteſt talem ſimilitudinem eſſe ſolùm fundamentalem: quia idem dici poterit de quacumquè alia conuenientia inter quæcumquè extrema, neque vlla ſufficiens ratio diſparitatis aſsignari poterit.

Secũdò,quia Arhitmetici ponunt proportionalitatem fundatam in duabus proportionibus: quia ſicut quatuor ad octo, ita tria ad ſex. Proportio autem,nõ eſt niſi relatio,ergo proportionalitas, quæ nihil aliud eſt, quàm ſimilitudo duarum proportionum,erit relatio ſundata in alijs relationibus.

Sed reſpondent aliqui has relationes eſſe, ſed non diſtinctas, ſed per eandem relationem, qua pater v.g.reſpicit filium,reſpicit etiam alium patrem relatione ſimilitudinis; & vtrumq; extremum relatione diſtinctionis, quia non eſt inconueniens, vt aiunt, quod pater reſpiciens filium vt terminum primarium, reſpiciat alium patrem vt ſecundarium.

Sed licet verum ſit relationes reales aliquando ſe inuicem formaliter includere,tamen vniuerſaliter loquendo hoc non eſt dicendum quin potius ex exẽplo poſito hoc eſſe falſum, probatur.Quia ex triplici capite prouenire poterat,quod ſimilitudo inter duas paternitates non eſſet relatio diſtincta: vel quia non eſt diſtincta realiter,& hoc nõ: quia ſola diſtinctio rationis eſt inter relationem, & ſuum fundamentum: ergo hæc ſola ſufficit inter duas relationes,quarum vna in alia fundetur: vel quia ſimilitudo includitur eſſentialiter in paternitate,& hoc minus: nã accidẽtaliter aduenit paternitati,quod aſsimiletur alteri in re exiſtenti, ſicut vni albedini, quod alteri ſimilis ſit,poteſtquè deſtructa vna paternitate perire ſimilitudinem in alia, & non relationem paternitatis ad filium: ergo ſimilitudo illa non includitur eſſentialiter in paternitate, ſed poteſt adeſſe,& abeſſe illi ſine corruptione ipſius: vel deniquè: vtraquè illa dicitur vna relatio reſpiciens duos terminos ſubordinatos,filium.ſ.vt primarium,& alium patrem vt ſecundarium, & hoc etiam dici non poteſt: quia ille dicitur in bona philoſophia terminus ſecundarius,qui terminat mediantè primariò,& ratione illius,& ſic eadem relatio, qua pater reſpicit filium vt terminum primarium, reſpicit nepotem vt terminum ſecundarium, quia non reſpicit illum immediatè, ſed mediantè filio: ſic etiam omnis generatio, vel alteratio habet pro termino primario formam genitam, & pro ſecundario expulſionem formæ contrariæ quam ſolùm mediante termino primario deſtruit.

Sic etiam patet in effectu formali primario, & secundario cuiuslibet formæ, & in obiecto primario, & secundario cuiuslibet actus, sed paternitas non respicit alium Patrem vt similem ratione Filij, vel mediantè Filio, sed immediatè, & ratione sui assimilatur alteri, qui habet eandem formam quam ille, & dissimilatur Filio, quatenus respicit illum relatione diuersæ rationis: ergo respicit vtrumquè immediatè vt terminos nō subordinatos.

Confirmatur, quia quamuis similitudo cum altera paternitate consequatur, & subordinetur ipsi paternitati, & non è cōtra, hoc non arguit identitatem essentialem: quia omnis relatio, hoc modo subordinatur, & resultat ex suo fundamento, illudquè supponit vt prius, & nihilominus est essentialiter à fundamento distincta: ergo ita similitudo illa ideò consequitur ad paternitatem, quia fundatur in illa, ab eaq; formaliter resultat: & non quia sit respectus secundarius consequens primarium, quia vt iam dixi, respicit terminos immediatos, & non subordinatos, quemadmodū assensus cōclusionis, & pręmissarum sunt actus diuersi, licet vnus supponat alterum vt priorem, ex eo quod obiecta non sunt subordinata.

Deniquè veritas huius assertionis ex facili argumentorum solutione magis declarabitur. Ad primum fundamentum de processu in infinitum Xuarez citatus non reputat magnum inconueniens, illud concedere in relationibus, quia solùm ratione ratiocinata distinguuntur. Sed cū Aristoteles absolutè neget processum infinitum in entibus cōpletis, & per se ordinatis, & S. Thom. specialiter illum neget in relationibus, asserendo esse impossibilem, tacitè supponit Xuarez, vel quod Aristoteles, & Sanctus Thomas tenent, relationes distingui realiter à suis fundamentis, & ideò in illis non posse in infinitum procedi: vel quod, non obstante distinctione rationis, non potest dari in illis infinitus processus, & quocumquè modo vtriquè Doctori contrariatur, & etiam rationi, quia distinctio essentialis etiam si sit rationis, est cum fundamēto in ipsis rebus, & quamuis distinctio sit rationis, res quæ distinguntur, reales sunt, vt iam satis constat ex dictis de distinctione in communi: sed relationes reales completas in infinitū multiplicari, est implicatorium à parte rei, ergo neq; relationes virtualiter, & essentialiter distinctæ cum fundamēto in re multiplicari possunt. Patet cōsequētia quia ad impossibile vt tale nullum potest esse fundamentum in re, & ratione huius nemo admittit

mittit in aliqua infinita prædicata essentialia, etsi sola ratione differant. Tùm etiam, quia infinitas non solùm repugnat in distinctionibus relationum, sed etiam in relationibus identificatis, si reales sint.

Secundò ergo, & facilius respondetur, negando processum infinitum: quod vt explicem aduerto, non semper relationem realem referri ad aliam per aliā relationem diuersam, sed interdum vnam relationem includi essentialiter in alia: v.g. in quacumquè relatione, eo ipso quod est inter extrema realiter diuersa, includitur essentialiter relatio realis distinctionis, seu oppositionis relatiuæ: similiter, dissimilitudo quæ per se, & inseparabiliter conuenit correlatiuis disquiparantiæ, seu diuersæ rationis: v.g. quæ est inter paternitatē & filiationē, & identitas, vel similitudo quæ est inter correlatiua æquiparantiæ, vel eiusdem rationis, v.g. inter duo æqualia, vel similia, sunt respectus intime inclusi, & minimè diuersi ab alijs. Et ratio huius est: quia quando aliquis effectus formalis importatur necessariò, & essentialiter ex vi alicuius formæ, non est necessaria alia forma ad illum, sed in conceptu essentiali cuiuslibet formæ relatiuæ includitur oppositio vnius extremi relati ad alterum, & similitudo cum illo in ratione relatiui, si talis relatio sit mutua, & dissimilitudo, si sit relatio disquiparantiæ: nam eo ipso quod pater refertur vt principium, respicit filiū nō vt principiū, sed vt terminum productum, atque adeò relatione diuersæ rationis: ergo hi, & similes respectus, qui necessariò, & inseparabiliter inter duo correlatiua interueniunt, non sunt distincti à prioribus.

Ex quo iàm constat, quàm facile vitetur processus in infinitum: nam eo ipso quod duæ paternitates referantur per alias relationes similitudinis, illæ similitudines seipsis distinguntur prout sunt relatiuè oppositæ, & seipsis assimilantur, mutuo sese respiciendo sine vlteriori progressu.

Ad secundum respondetur, illud principium solùm esse verum de formis eiusdem rationis, quando. s. concretum, & abstractum sunt eiusdem rationis: secùs vero quando sunt diuersæ rationis: quia vna forma non potest extendi ad effectus formales alterius, & ita similitudo, non est similis alteri per aliā similitudinem, sed seipsa, & vna æqualitas non est alteri æqualis, &c. Et ad exempla contra hoc adducta respondeo, quod actio non propriè fit, sed

Ccc est

est medium, quo aliud fit, & ideo quid mirum quod non possit fieri alia actione etiam diuersæ rationis? Similiter albedo nõ est alba, sed ratio dealbandi, & Vbi non est in loco, sed ratio essendi in loco, & ideo non possunt formaliter denominari, vt *quod* ab alijs formis neque eiusdem, nec diuersæ rationis, quia sunt pura abstracta, & minimè concreta habentia aliquam formam. At vero relatio paternitatis, v.g. nõ solùm est ratio referẽdi in abstracto, sed etiam est proprium concretum habens similitudinem ad aliam paternitatem, cui propriè assimilatur vt *quod*, distinguitur etiam realiter ab ente absoluto, respectu cuius denominatur distincta res in concreto, atque adeo necessariò indiget alijs formis, saltem quando sunt diuersæ rationis à fundamẽto *quod*. Solùm de quãtitate docent hoc peculiare esse omnes Philosophi, quod ipsamet extẽsio sit extensa vt *quod* ideoq; Aristotelem indifferẽter vti nomine quãtitatis in concreto, & in abstracto: quapropter non potest hoc extendi ad alias formas, & in quantitate admitti tur abstractum, & concretum idem, quia sunt eiusdem rationis: nam si diuersæ rationis essent, fortasse impossibile esset, nisi ex alio capite identitas colligeretur.

Ex quo tandem patet ad testimonia S. Thom. respondetur enim tantùm voluisse non semper vnam relationem in alia fundari, sed frequenter & regulariter seipsis referri, aliàs daretur processus infinitus, quod totum iam declaratum est.

ARTIC. IIII.

Exponitur triplex ratio fundandi relationes reales.

DEclarato iam fundamento *quod* relationis: restat exponere fundamentum *quo*, seu rationem fundandi, quamuis disputatio hæc potius sit methaphysica, quàm logica, præsertim cum iam sufficienter declarata sit distinctio inter relationem, & cætera prædicamenta: breuiter tamen per tres rationes fundãdi, quas Aristoteles enumerat, discurram, vt ex illis tria genera relationum colligi possint. *Arist. 5. meth. c. 15 tex. 20.*

Prima ratio fundandi est vnitas, & conuenientia duorum in aliqua ratione, quæ duplex est. Alia formalis & absolutè vna in pluribus, & cum non sit realis, sed solùm ex intellectus operatione resultans, non potest

test esse fundamentum relationis realis. Alia est conuenientia quæ dicitur vnitas virtualis seu fundamentalis, & consistit in hoc quod vnum extremum sit sicut aliud à parte rei, & hæc realis est, & fundamentum quo relationis realis.

Hæc igitur vnitas iuxta diuersa extrema, in quibus interuenire potest, habet diuersa nomina. Si enim sit conuenientia in substantijs vel in essentijs, dicitur identitas, vt inter duos homines, duas actiones, &c. Si vero sit conuenientia in qualitatibus, dicitur similitudo, & si in quantitatibus, dicitur æqualitas. Rursus idẽtitas, vel potest esse in ratione generica, idest, in ratione quæ est fundamentum genereitatis, vel potest esse specifica, in ratione. s. quæ est fundamẽtũ reale speciei. Numerica autẽ esse non potest: quia eiusdem ad seipsum non potest esse relatio realis, vt communiter docent metaphysici.

Numerus in præsenti opponitur vnitati, sumiturquè pro disconuenientia, & distinctione duorum iuxta quorum diuersitatem variæ species dantur relationum cum varijs nominibus: nam disconuenientia in substantijs vel in essentijs, appellatur distinctio, vel diuersitas, & in qualitatibus dicitur dissimilitudo, & in quantitatibus dicitur inæqualitas, quamuis impropriè, & minus rigorosè omnis conuenientia similitudo appellari solear, & dissimilitudo omnis disconuenientia, siuè sit in substantijs, siuè in essentijs, &c.

Idem dici poterit de conuenientia, & disconuenientia in ratione analoga. s. fundare posse relationes reales, vt in ratione entis, &c. præsertim loquendo de proportionalitate propria.

Relationes secundi generis.

Secunda ratio fundandi est potentia agens, & patiens, & illarum exercitia, actio. s. & passio: & adhibet exempla Arist. vt calefactiuum, & calefactibile, calefaciens, & calefactũ. In quibus opportet aduertere primò Aristot. non ponere relationem realem inter potentiam, & possibile obiectiuè sumptũ, sed inter potentiam actiuam, & passiuam, vt declarat his verbis: *Et vno nomine actiuũ ad passiuũ*, & infra etiam. Et ratio est: quia ad obiectum producibile, cum non sit actu existens, non potest esse relatio realis prædicamentalis, & si aliqua huiusmodi inueniantur in Aristotele, adducuntur exempli gratia, & non vt verę relationes.

Secundò aduerto, actionem & passionem præcisè sumptas non esse adæquatam rationem formalem fundandi relationes causæ

causę ad effectus, vel effectus ad causam, sed potentia actiua, & passiua prout subsunt actioni, & passioni, & prout illas connotāt vt complementum, vt iam supra declaraui.

Tertiò aduerto: quod causa prout actu causans quamuis respiciat terminum vt actu existentem, non tendit ad illum respectu prædicamentali, sed transcendentali: quia non respicit illum vt purè terminum, sed vt effectum: & similiter effectus reduplicatiuè consideratus vt pēdens à causa respicit illā vt causam, & non sub pura ratione termini: quapropter respectus prædicamentalis in hoc secundo genere relationū est alius à prædicto transcendentali, in eoquè fundatur. s. in causa prout iā exercita, & in effectu, vt iam producto, talis enim est iam purus respectus tendens ad terminū, non sub ratione effectus vel causæ, sed sub pura ratione termini.

Relationes tertij generis.

Tertia ratio fundandi est mēsura & mēsurabile: pro cuius declaratione aduerto, quod dupliciter aliquid potest esse mensura alterius. Primò ita vt mēsuretur simul, & commēsuretur ab alio, ita vt nō solū sit mēsura actiua, sed mensurabilis passiuè propter proportionē, & conuenientiā, quæ est inter vtrumq; extremum, quæ contingit siuè quoad extensionem, vt in quantitatibus, siuè quoad intensionem vt in qualitatibus, siuè quoad durationem; & de hac mensura non loquimur, quia quamuis sit ratio fundandi relationes reales, non est distincta à prima, in qua fundantur omnes relationes proportionis inter quascūquè res: propter hoc enim hæc mensura dicitur homogenea rei mensuratæ: quia est eiusdem rationis cum illa, & ex hac conuenientia oritur quod mensuret, & commensuretur ab alio.

Secundo modo aliquid potest esse mensura alterius, ita vt non possit mensurari per illud: & dupliciter contingere potest. Vel quia est mensura inadæquata quomodo vnitas est mensura numeri: & etiam hæc mensura pertinet ad primum fundamentum.

Secundo vel quia est mensura adæquata, cæterum diuersæ rationis: nec nascitur in his ratio mensuræ ex sola diuersitate, aliàs pertineret ad primū fundamentū, sicut mensura quæ ex cōuenientia oritur: nec nascitur ex dependentia præcisè, vel ex proportione, quā habet quilibet effectus cum sua causa eo ipso quod accipit esse ab illa, quia sic pertinet ad secundū genus, quia talis mēsura præter dependentiā effectus à causa, & præter similitudinem inter illa, non addit aliquam rationem realem,

sed denominationem ex ordine ad cognitionem, quatenus causa. s. est medium quo vti potest intellectus ad cognoscendã perfectionem effectus, quod non arguit nouam speciem, vel genus relationis realis.

Consistit ergo mensura huius tertij generis, in speciali quadam proportione, vel commensuratione, quam habet perfectio alicuius rei, eoipso quod aliam specificat tamquam terminus illius, & sic obiectũ dicitur mensura scientię, potentię, habitus, vel actus immanentis: & perfectio scientiæ, vel amoris, &c. sumitur, vel notificatur proportionabiliter ex perfectione obiecti. Huiusmodi igitur proportio, vel commensuratio, non est propria similitudo, sed potest esse inter res valde diuersas. Theologia, v.g. vel charitas mensurantur ab obiecto, quod est Deus non propter cõueniẽtiã, quam habent cum Deo, sed dicuntur nobilissimi habitus, quia respiciunt nobilissimum obiectum, tamquàm terminum, à quo specificantur; & quia talis dependentia à termino vt forma extrinseca specificante non est propria, idcirco non pertinent ad secundum genus relationis, sed ad tertium aliud diuersum.

Si autem contingat esse aliam dependentiam ab obiecto, non solùm vt à termino primario specificante, sed etiam ab efficiente, mouente, & determinante, qualem habent actus intellectus, visus, &c. secundùm posteriorem pertinebunt ad secundum genus relationis, quia non est inconueniens inter duas res sub diuersis rationibus, diuersas relationes consurgere.

De his ergo relationibus docet Aristot. mensuram, siuè obiectum, non referri ad mensurabile, seu ad cognitionem per relationem aliquam realem; licet possit dici relatiuum quatenus ad ipsum terminatũ relatio cognitionis. Ex qua doctrina communiter colligũt Doctores (excepto vno Gregorio, vel altero nominali) relationes fundata in hac tertia ratione fundandi non esse mutuas, idest non dari ex parte vtriusquè extremi, sed vnum extremum, aiunt, referri relatione reali, & alterum solùm relatione rationis, vel secundùm *dici*, quæ assertio licet difficilis sit, defendenda est propter communem omnium authoritatem, & rationes quas pro se habet.

Primò enim hoc declaratur, quia certũ omnino est sciẽtiam, potentiam, vel habitum respicere obiectum respectu transcendentali, è contra verò obiectum non referri ad ipsos tali respectu, sed ad summum relatione rationis, sed huiusmodi relatio prædicamentalis non

habet in quo fundetur nisi in tali respectu: ergo est etiam non mutua. Maior patet: quia scientia est realis repræsentatio obiecti, & in potentia, vel habitu, est virtus productiua talis repræsentationis tendens ad obiectum mediante illa, habetquè omnia requisita ad relationem realem transcendentalem, vt consideranti patebit: quia includitur essentialiter in fundamento, & nõ respicit terminum actu existentẽ, nec sub ratione termini, &c. At obiectum solùm cõstituitur in esse talis, per denominationem extrinsecam à scientia vel potentia, quia eatenus solùm dicitur obiectum quatenus respicitur à potẽtia: & terminus, quatenus est id ad quod aliud refertur: & cognitum seu repræsentatũ, quatenus à sciẽtia repræsentatur, vel cognoscitur: & repræsentabile seu cognoscibile, quatenus in potentia est virtus productiua repræsentationis, &c. & dicitur mensura, quatenus est res, quæ assumi potest ab intellectu vt medium ad cognoscendam perfectionem scientiæ: ergo nihil in obiecto assignari potest, per quod scientiam vel potentiam realiter respiciat, sed solùm consistit in hoc quod ab alio respiciatur, & extrinsecè denominetur.

Ex quo patet etiã minor: quia obiectũ in ratione obiecti, & in ratione mensuræ, constituitur solùm per denominationẽ extrinsecã à re mensurabili. s. à cognitione vel amore, &c. ergo nihil in se habet per quod possit respicere realiter aliud, vel relationem realem fundare, sed totum quod illi conuenit, est ab extrinsecò.

Neq; valet quod aliqui obijciunt. s. intelligibile & appetibile esse proprietates entis, ergo non sunt denominationes extrinsecè, sed intrinsecè obiectis ipsis. Respondetur enim primò, nullũ esse inconueniẽs, quod proprietas entis consistat in denominatione extrinseca, sicut cõsistit etiam in negatione vnitas.

Præterea, secundò addo, intelligibile, & appetibile dupliciter sumi posse, & positiuè, & negatiuè, positiuè, dicit solũ denominationẽ extrinsecã à potẽtia quę potest illud intelligere, seu appetere, vt docet expresè S. Tho. Et patet manifesta ratione, quia esse cognitũ, vel amatũ sunt solum denominationes extrinsecę, vt omnes fatentur: ergo etiam esse cognoscibile, & amabile à fortiori erunt denominationes extrinsecę, patet consequentia: quia sicut obiectũ denominatur actu cognitũ ab actuali cognitione, quæ illud repræsentat, ita denominatur cognoscibile à potẽtia quę talẽ cognitionẽ potest producere, & mediãte illa ipsum cognoscere, sed cognitio, quæ immediatè respicit obiectum est illi

S.Tho. 1. p.q. 13. ar.3.& 3. met. lect. 15.

illi extrinseca: ergo à fortiori potentia, & cognoscibilitas, quæ prouenit à potentia, & solùm mediatè respicit obiectum, extrinseca illi erit.

Secundò negatiuè res aliqua dicitur intelligibilis, quatenus addit non repugnantiam vt intelligatur à potentia, sicut res hoc modo dicitur creabilis, sed hæc cum sit solùm pura negatio, non potest esse fundamentum relationis realis: atquè adeò quomodocumquè consideretur obiectum, nihil in illo inuenitur, ratione cuius possit aliud respicere. Qua propter huiusmodi relationes sine dubio sunt non mutuæ, & in hoc distinguntur à relationibus primi, & secundi generis, quia quamuis aliquando sint non mutuæ, vt patet in relatione creaturarũ ad Deum tamquàm ad causam, vel ad simile; tamen non postulant hoc per se, & ex natura sua, sed potius sunt mutuæ vt in plurimum, vel abstrahunt ab vtroquè. Alia quæ contra doctrinam positam attingi possunt, ex litera Aristotelis videantur apud Xuar. citatum, donec in Metaphysica (si Deus dederit) fusius tractentur.



QVÆSTIO III.

Exponitur triplex ratio fundandi triplexq; relationũ genus.

ARistoteles 5. *met. tex.* 20. tria genera statuit relatiuorum, ex triplici ratione fundandi desumpta. Primum genus est relationum, quæ in numero, & vnitate fundãtur. Secundum est earum, quæ pro fundamento habent potentiam actiuam, vel passiuam, & earum actiones. Tertium in mensurà fundatur, vel mensurabili. Circa quam diuisionem plurimæ sunt difficultates, quas latè Metaphysica expendit, quia tamen ab omnibus etiam tractantur hoc loco, breuiter per illas discurram.

ARTIC. I.

De primo relationum genere in vnitate, & numero fundato.

CIrca primam rationẽ fundandi, quæ est vnitas, vel numerus, primò certum est, non sumi strictè pro nume-

ro, & vnitate de prædicamento quantitatis, sed latè pro conuenientia, & proportione duorum, vel plurium in aliqua ratione communi; quæ si sit in substantijs, vel in essentijs, efficit relationem identitatis, vt ait Aristoteles; si sit in qualitatibus, dicitur similitudo, & si in quantitatibus, dicitur æqualitas. Vnde relatio vnitatis in rebus omnium prædicamentorum fundari potest; & similiter numerus illi oppositus, qui idem in præsenti significat, ac multitudo, quæ prout in substantia, vel essentia, dicitur diuersitas: prout in qualitate dicitur dissimilitudo; & prout in quantitate, inæqualitas.

Tripliciter autem potest cõsiderari, aut subdiuidi numerus, prout est relationis fundamentum. Primò, ita vt numerus consurgat ex vtroquè correlatiuo, quatenus inuicem oppositioné aliquam, aut disparitaté important vnitati oppositam, vt dictum est. Secundò, ita vt numerus sit in vno extremo, & vnitas in suo correlatiuo, vt quando numerus comparatur ad vnitatem, vel è conuerso. Tertiò, quando vtrumquè correlatiuũ est numerus, & vnus comparatur ad alium: vt patet in omnibus proportionibus, quas Mathematici considerant, quæ variæ combinationes numerorum sunt.

Potest autem primò contra dicta obijci, quod vnitas, & distinctio illi opposita in negatione consistunt: non possunt ergo fundare relationes reales. Secundò: vnitas vel est indiuidualis, ita vt vtrumquè correlatiuum vnum indiuiduum sit, & hæc non potest fundare relationem realem, etiam si positiua sit; quia eiusdem ad se ipsum nõ est relatio nisi tantùm rationis; realis enim, ex suo genere debet esse ad aliud. Vel hæc vnitas est specifica, seu generica; sed hæc à parte rei non datur; ergo nec relatio, quæ fundatur in illa.

Satisfit obiectionibus positis.

Sed ad primum preterquam quod ego existimo vnitatem conceptum positiuum formaliter esse, vt suo loco explicui, respondeo quod res, prout vnitati, & distinctioni subsunt, has relationes fundant: negationes autem de connotato importantur: fundamentum v.g. æqualitatis, vel inæqualitatis est quantitas positiua tanta, vel tanta. Dissimilitudo est qualitas huius determinatæ rationis, cuius non est alia, quæ positiuum primariò dicit, negationem vero consequenter, & ex connotato.

Ad secundum fateor, quod identitas simpliciter, qualis est indiuisibilis, nequeat fundare relationem realem, vt docet

S.Tho.

S.Th.1.p. q.26.art. 1.ad.2. S.Thom.similiter nec vnitas generica, aut specifica si formaliter spectetur, prout tantùm obiectiuè in intellectu est, & ex illius abstractione resultat. Potest tamen hæc vnitas considerari prout fundamentaliter in rebus est, & omnè intellectus negotiationem præcedit, & sic fundamentum reale relationis est.

Dices: conuenientia hæc, prout opus rationis anteuertit, est formaliter ipsa relatio, à nobisquè vnitas relatiua dicitur, tractando de vniuersalibus; cōstatquè ratione manifesta: quia conuenientia duorum in aliqua ratione duo extrema essentibiliter significat, quorum vnum sit sicut aliud, ac proinde mutuam vtriusquè habitudinem similitudinis, vel identitatis importat.

Sed iam quæst.1. art.4. huic difficultati respondi, quod conuenientia hæc prout in vtroquè extremo considerata, quomodo vniuersalitatem fundat, non solùm est fundamentum relationis, sed est ipsa relatio, imò & multiplex, & non tantum vnica relatio: consideratur autem vt relationis fundamentum perfectio absoluta speciei, vel generis, vt preinteligitur in quolibet extremo seorsim, antequam vnitatem communem induat siuè formalem, siuè fundamentalem; ex quo patet quod in rigore loquēdo huiusmodi vnitas, & numerus potius relationes, quàm earum fundamenta sint, attribuitur tamen ipsis nomen formæ relatiuæ, quia aliter exactè explicari nequeunt fundamenta vt talia sunt, nisi per ordinem ad terminos relationis, qui vt notiores, non tantùm relationes, sed earum subiecta notificant. Est etiam frequentissimum valde nomen proprietatis, vel affectionis suæ radici attribui, quod etiam pro alijs relationum generibus supponatur animaduersum.

ARTIC. II.

De secundo genere relationum.

Secundum genus relatiuorum est, quod fundatur in potentia prout actu exercita: nam hæc sola respicit terminum actu existētem. Nec obstat quod Aristoteles in hoc loco actiones futuras, & potentias nondum ad actum reductas, inter relationum fundamenta enumeret; omnes enim conueniunt quam plures relationes transcendentales, imo & rationis, ibi recensere, siquidem ad hoc secundum genus reuocat, quæ fundātur in priuatione potentię, vt relatio impossibilis, & inuisibilis ad illud, respectu cuius tale dicitur, nam reuera voluit philosophus, non solùm relationes prædicamentales, sed transcenden-

dentales etiā, & rationis ad tria capita reduci, s. ad eas, quæ mutuam inter se habitudinē dicūt quantum ad esse, quales sunt relationes primi generis: & ad illas, quæ inuicem se respiciunt quoad operari, ideoq; spectant ad secundum genus: quia virtus, & operatio supponit esse: & tādem ad illas, quarum vnum extremum est mēsura alterius, mo do postea declarando art.3.

De relatione ergo fundata in actione preterita, qualis est paternitas, est primò dubiū, quomodo permaneat in suo esse reali, si actio in qua fundatur, iam transacta fuit? Sed iā quæstione precedenti animaduerti, actionem directam fundamentum non esse, à quo talis relatiō suam entitatem accipiat, sed solùm esse conditionem, vel connotatū requisitum. Requisitum inquam, non solùm, quia per talem actionem positus est terminus necessarius ad prædicamentalem relationem, quantum ad solam eius entitatē absolutam: potuit enim per aliam actionem poni in rerum natura, & nihilominus non insurgere relatio. Est ergo insuper talis actio necessaria, vt per illam influat causa in talem effectum, ex quo influxu manet ordinata ad illum, vt optimè animaduertit Suarez.

In qua potentia fundetur hæc relatio?

Secūdò dubium esse potest, in qua potentia fundetur proximè, & principaliter hæc relatio, an in radicali, & substantiali, an in proxima, & accidentali? Multi dicunt, non posse in potentia accidentali generatiua, v.g. fundari relationem paternitatis, sed in sola substantia; quia alioquin relatio sine suo fundamēto permanere posset, in casu videlicet, quòd aliquis habens filium potentiam amitteret generatiuam, & eunuchus fieret.

Sed probabilius est aliquo modo huiusmodi relationes, etiam in proxima virtute fundari: tùm quia propriè virtus proxima accidentalis potentia dicitur: substantia verò solū radix, atq; adeò si communis sententia eas in potentia fundari affirmat, procul dubio accidentalem, & proximā potentiam comprehendit. Tùm quia relationes secundi generis sunt originis, & processionis vnius ab alio, sed principiū, & fundamentū huius processionis est potentia accidētalis, nec est solū virt⁹ pure instrumētalis, sed principalis proxima, cōplēs principalē: ꝙ patet, in potētijs vitalibus.

Ad fundamentum oppositū respondeo, principium principaliter generans, esse substantiam patris, sicut & substantia filij est quæ generatur, ideoque vtroq; supposito substantiali manente, manere simpliciter relationem, licet accidentaliter, & aliquantulum minuatur quoad potentiā proxi-

proximam, quæ diminutio respectu substantiæ tam parua est, vt pro nihilo reputetur.

Soluitur quædam obiectio.

Sed obijcies; quia non apparet in quo relatio hæc prædicamentalis causæ ad effectum possit consistere: nam virtus causæ, ordo transcendentalis est, vt constat; actio similiter, & exercitium illius: tùm, quia est complementum virtutis in actu primo, ac proinde eiusdem ordinis cum illa: tùm, quia licet respiciat terminum actu existentem non vt purè terminum, sed vt effectum: tùm, quia transacta actione adhuc manet talis relatio; sed præter virtutem causæ, & pręter actionem, & effectum illius, nulla est alia formalitas, in qua relatio hæc prædicamentalis sit: ad quid igitur est necessaria? Sine fundamento ergo & necessitate, hoc secundum fingitur relationis genus.

Respondeo tamen: concedēdo actionem, relationē prædicamentalem non esse; tùm propter rationes in argumento adductas: tùm, & maximè, quia huiusmodi relatio resultat positis fundamento, & termino, est què illis origine posterior: adueniente enim termino dicitur adesse relatio, & illo pereunte destrui; sed actio est prior origine quā terminus, siquidem est illius causa, adhuc tamen ex actione, & influxu agentis in effectum resultat, & superadditur habitudo quædam naturalis superioritatis in vno, & inferioritatis in altero, ratione cuius denominatur pater, vel causa, vel dominus naturalis (si agens rationale sit) etiam si actio fuerit transacta, vt constat ex communi modo concipiendi, & sentiendi omnium: naturaliter enim, & non ex solo humano beneplacito, filius subditur Patri, ipsumq; respicit tamquàm principium sui esse: ideoquè dixi principale harū relationum fundamentū, esse substantiam, quia illi principaliter inest superioritas hęc, vel inferioritas.

Ex quo infero, in quo sensu relatio agentis ad patiens intelligenda sit; docet enim Aristoteles non solùm ad effectum, sed etiam ad materiam, vel passum, quod agens actione sua sibi subdit, habitudinem dicere. Quæ eodē proportionabili modo explicari potest.

Colligitur denique resolutio alterius dubij, an maneat eadem relatio mutata actione ex præsenti in præteritam? Manet quidem: quia actio tantùm est conditio requisita, vt dixi, & quia superioritas naturalis, vel dominium, in quo talis relatio consistit, eadem est; siue actio sit præsens, siue præterita.

ARTIC. III.

De tertio relationum genere.

Circa tertium relatiuorum genus est non parua difficultas inter Authores, an detur? quidam enim illud negant: quia scientia, quæ est potissimum exemplum illius, sæpè est de obiecto non existente, sæpè etiam de impossibili. Tùm etiam, quia scientia est ordo transcendentalis ad obiectum, neque indiget alia relatione. Tùm deniquè, quia ratio mensuræ, vel potest sumi fundamentaliter, & specificatiuè pro re, quæ est mensura, & sic, vel est quantitas molis, quatenus talis extensionis est proportionatæ rei mensurabili, & hac ratione ad primum relatiuorum genus reuocatur. Vel est quantitas virtutis, qua. s. perfectio intellectus, vel scientiæ potest ab obiecto, vel termino mensurari, & cognosci, & sic pertinet ad secundum genus causæ, & effectus, & si aliquid superaddit, absolutum quid est, vel transcendentalis respectus.

Si deniquè mensura reduplicatiuè ac formaliter accipiatur, est tantùm extrinseca denominatio rei mensuratæ, quia non est aliud, quàm medium, seu instrumentum, quo aliud cognoscimus: non ergo est fundamentum aliquod ad hoc genus astruendum, sed ad destruendum.

Quæ sententia certè probabilis est, & habet fundamentum magnum in litera Aristotelis, qui omnes relationes enumerat tam prædicamentales, quā transcendentales, tā reales quā rationis vt supra visum est, ac proinde ex hoc solùm, quod has relationes mensuræ, & mensurabilis in litera enumeret, non potest colligi eas reales, aut prædicamentales esse, quin potius eas non esse veras relationes, sed tantùm denominationes extrinsecas, videtur ex contextu manifestè deduci: docet namquè huius generis relatiua illa esse, quæ sic dicuntur, non quia ipsa ad aliud, sed quia alia referuntur ad ipsa. Ex quibus verbis constat appertè, ipsis intrinsecū negare respectum, & solùm per denominationem extrinsecam à relatione alterius generis in alio extremo existente, relatiua nuncupari, hoc est, secundùm *dici*, non secundùm *esse*.

Quod amplius eius exempla declarant: nam scibile, quod dicit hoc modo ad scientiam referri, & sensibile ad sensum, nullam habitudinem intrinsecā dicunt ad scientiam, & sensum: res enim extrinsecè denominatur cognita, & scibilis vt suo loco explicui. Ad summum potest in

obiecto

excogitari antecedenter ad sui cognitionem ordo causæ mouentis, seu determinantis potentiam, simulque cum illa influentis ad actum, sed hæc secundi generis relatio est: superflue ergo tertium additur genus.

Fundari etiam potest in S. Thoma hic modus dicēdi; nam 1.p.q.28. artic.4. asserit. Quod *omnis relatio ex sententia philosophi 5.met. fundatur vel supra quantitatem, vt duplum, & dimidium; vel supra actionem, & passionem, vt faciens, & factum.* Pater, & Filius: Dominus, & seruus: exclusit ergo relatiua tertij generis, eo quod talia dicuntur à relatione extrinseca aliorum generum in altero extremo existente, & non à propria aliqua, & intrinseca tertij generis constitutiua.

Statuitur tertiū hoc relatiuorum genus secundum communem, & Aristotelis, & Sancti Thomæ sententiam.

Non est tamen recedendum à communi fere omnium sententia, quam tribuunt omnes Aristoteli, & S. Thomæ, estque ipsorum sine dubio, quia tam per se, & ex professo de hoc tertio genere tractant, sicut de alijs duobus, connumerantque tria hæc eodem modo, quod minime fieri posset, si aliquid fictū & apparens esset, quia ens rationis, vel falsum non potest numerum efficere cū entibus veris, & realibus. Fateor tamē relationes rationis, & transcendentes simul cum prædicamentalibus philosophum adducere, non ideò, vt ex omnibus numerum, & diuisionē efficiat aliquo modo vnam, sed vt ostendat hæc tria genera in omnibus relationibus etiam transcendentibus, & rationis reperiri, propter proportionem, & conuenientiam analogam, quam omnes interse seruant.

Quando autem asserit huiusmodi relatiua sic dici, non quià ad alia, sed quia alia referantur ad ipsa: tantùm vult à posteriori exponere tertium relatiuorum genus ex ipsorum terminis, ac si diceret, alias esse relationes, quarum termini licet relatiuè dicantur, non sunt veræ relationes ad aliud; sed termini relationum ad ipsos: nec est aliud mysterium in illis verbis; nisi tantùm obscuritas, quam semper in suis dictis affectauit philosophus; ne in ore omnium vulgariter esset (vt scripsisse fertur ad Alexandrum.)

Dices etiam: in primo, & secundo genere sunt relationes nō mutuæ, vt relationes creaturarum ad Deum, tam similitudinis, quàm dissimilitudinis, & effectuum ad primam causam; ex parte Dei nullum realem res-

respectum connotant; ergo non est proprium relationum tertij generis mutuas non esse.

Respondetur relationes illas etiam aliqualiter mutuas esse, quia saltem transcendentali, & substantiali respectu Deus creatis relationibus correspondet, vt art. 4. q. 2. declaraui; ratio autem quare deficit ex parte illius prædicamentalis correlatio, non est defectu habitudinis intrinsecæ, sicut contingit in relationibus tertij generis, sed quia repugnat Deo affectio aliqua accidentaria, & ex creaturis aliqualiter pendens, ac proinde veluti materialiter ex peculiari cõditione subiecti, & nõ ex vi ipsius relationis, ea differẽtia prouenit.

De mente etiam S. Thomæ suspicio esse non debet propter verba citata, cum ex alijs locis constet apertè, & ibi sit congrua expositio: relationes enim tertij generis, vel propter quantitatem, & mensuram virtutis, possunt ad primum saltem analogicè reduci, vel propter rationem potentiæ, & actionis vitalis, quæ in illis sæpè sæpius inuoluitur, possunt sub secundo comprehendi, quando de illis obiter, & extra rigorosam disputationem, & proprium locum est sermo; nam quæ obiter alibi tractantur, breuitate possibili constringuntur, nè alienam materiam longa disgressione interrumpant.

Exponitur, & probatur hoc tertium relatiuorum genus.

Pro huius tertij generis explicatione præmitto duplicem actionem, & potentiam illi correspondentem. Alia est transiens, & productiua alicuius termini, vel effectus, extra agens. Et alia est inmanens, quæ tantùm est respectiua alicuius obiecti, & non productiua illius, calefactio v.g. respicit calorem productũ. Intellectio autem non producit rem quam intelligit, sed tantùm quodam modo, & attentione vitali respicit illam. Licet enim in controuersia sit, an eadem actio, quæ est intellectio obiecti, sit etiam productiua verbi, in quo tamquam in imagine intellectus intelligit, in hoc sanè omnes conueniunt, quod saltem sunt diuersæ formalitates eiusdem actionis productio verbi, & intellectio obiecti, & quòd in secunda nulla importetur ratio productionis, aut originis, vt docet expressè S. Thomas. Sic similiter in potentia intellectiua distinguitur, & efficacia productiua verbi, & facultas perceptiua obiecti, quæ est specialis quędam commensuratio vitalis, vel attẽtio potentiæ ad obiectũ. Idẽ què proportionabiliter cõstat in alijs potẽtijs vitalibus, & in earum habitibus, & cõprincipijs, quæ non solùm actus, & terminos, sed obiecta respiciunt. S. Thom.

Secun-

Secundò aduerto, quod mensura vt colligitur ex Aristotele: est id quo aliud cognoscimus, id est, quo prius cognito, intellectus manuducitur, & excitatur ad notitiam alterius. Ex duplici autem capite prouenire solet, quod vna res sit intellectui mensura, aut regula ad cognoscendam aliam. Vel quia habet proportionem aliquam, aut similitudinem cũ ea, quo modo vna quantitas est mensura alterius, tempus est mensura motus, & perfectissimum, aut notius in vnoquoquè genere, dicitur mensura aliorum eiusdem generis.

Aristote. 10. meta. cap.

Vel secundò, licet non sit similitudo aliqua, aut proportio, quia tamen est essentialis connexio inter duo, ita vt vnũ pertineat saltẽ in obliquo, & de connotato ad speciem alterius, potest quod notius est, assumi, vt mensura, & regula ad cognoscendum aliud, diciturquè illud specificare, quatenus notificat speciem illius, non quomodocumquè vt purum signum, sed vt aliquid essentiale ipsius, extrinsecum saltem, & connotatum. Sic actus vitales, potentiæ, & habitus specificantur, & mensurantur per obiecta, & relatio, & actio per suos terminos: quia huiusmodi vt essentialia, & notiora notificant intellectui essentiam ignotam, ad quam vt formæ extrinsecæ, vel vt termini concurrunt.

Ex quo patet iam discrimẽ, quod est inter vtramquè mensuram; prima enim fundatur in relationibus primi generis, & illas supponit, solùmquè superaddit denominationem extrinsecam, quę vna quantitas vel molis, vel virtutis assumitur vt instrumentum ad notificationem alterius, cum qua proportionem aliquam, aut similitudinem habet. At secunda non supponit, per se loquendo, sed fundat relationes tertij generis, si aliàs cætera adsint requisita: nam defectu alicuius potest esse tantùm transcendentalis relatio, & non prædicamentalis, vt dicã. Quod autem per se loquendo non supponat, nec pertineat ad relatiua primi generis, patet: quia non consistit in proportione, sed in essentiali connexione, aut connotatione alicuius extrinseci, cui commensuratur, quod ferè semper est res longè diuersæ rationis.

Patet etiam disparitas relationum huius tertij generis à secũdo: quod illæ respiciunt potentiam effectiuam, actionẽ transeuntem, & effectum productũ: hæ verò potentiam purè respectiuam, actionem immanentem, & obiectum, quod minimè producitur, sed respicitur, quæ sunt res valde diuersæ rationis, fundantquè sufficienter diuersa genera relationum. Nec obstat, quod has potentias vitales alias comit-

comitetur vis, & actio productiua, hoc enim solùm probat, quod secundùm aliam formalitatem diuersam ad relatiua etiã secundi generis reducantur.

Quod amplius confirmatur ex eo, quod tertium genus per se constat ex relatiuis non mutuis, nam obiectum vt tale est, tantùm habet extrinsecè ab alio respici, non respicere, & idcirco philosophus inquit, quod huius tertij generis relatiua dicantur esse aliorum, non quia referantur ad alia, sed quia extrinsecè respiciantur ab alijs vt termini, vel obiecta. Ex quo iam tertia ratio soluta est contrariæ sententiæ.

Ad primam, & secundam concedo, quod scientia, vel potentia vitalis, secundum suam essentiam absolutam considerata sit ordo transcendentalis, fundat tamen alium accidentalem, & prædicamentalem respectũ, si aliàs terminus, vel obiectum actu existat, secùs verò si sit obiectum impossibile, aut non existens, sicut dixi in relationibus secundi generis: nam relatio prædicamentalis est denominatio ex coexistentia vtriusquè extremi resultans.

Soluitur obiectio contra dicta.

Dices: Aristoteles eo modo ponit mẽsurabile referri ad mẽsuram, ac scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum, & de his omnibus ait, ideò relatiuè dici, quia alia referuntur ad ipsa, & non è contra, sed scientia est, quæ mensuratur ab obiecto secundum veritatem, & perfectionem, & non è conuersò; ergo scientia non dicit relationem in se ad obiectum, sed à relatione obiecti ad ipsam, sic relatiuè denominatur. Quod præterquam quod est falsum, opponitur ipsi literæ, quæ obiectum scibile ad scientiam referri inquit, per relationem existentem in scientia ad ipsum, & non aliter: est ergo contradictio in verbis Aristotelis, vel interpretatio à nobis posita vana est.

Respondeo: quod scientia duplicem rationem induit, & rei mensurabilis per suum obiectũ, tanquàm per mensuram, & actus respicientis scibile tãquàm obiectum. Secundùm posteriorem rationem refertur ad obiectum per relationem intrinsecè existentẽ in ipsa. Secundùm priorem verò non refertur, sed terminat relationem obiecti mensurantis ipsam. Ideoquè Aristoteles has duas ponit vt relationes, & exempla distincta, & copulatiuè coniungit particula & mensurabile, & scibile, vt duas species particulares significet, & non rationem communem, & particularem eiusdem speciei.

Nec refert quod relatio obiecti mensurantis rationis sit: nam philo-

Philosophus in tribus generibus exempla ponit, tam in relationibus rationis, quàm realibus, vt iam prænotatum est.

Nec obstat deniq; quod omnes relationes huius generis dicuntur communiter fundari in mensura, aut mensurabili: ergo hæc ratio communis omnibus est, & non particularis. Respondetur enim, quod res dupliciter dicitur mensurabilis. Vel per extrinsecam mensuram, qua eius esse, vel perfectio notificatur formaliter, & sic quandam speciem particularem cōstituit, vt explicui. Vel per intrinsecam coaptationē, & commensurationem ad obiectum à quo specificatur, quæ est mēsurabilitas fundamentalis respectu alterius, & communiter commēsuratio ad obiectum appellatur; & sic est ratio generaliter conueniens omnibus relatiuis tertij generis.

QVAESTIO V.

De relatione ad suū terminum comparata.

ARTIC. I.

Breuiter dico primò: relatio prædicamentalis essentialiter postulat terminum realē actu existentē, realiterquè distinctum. Patet hæc assertio quoad omnes eius particulas ex supra dictis, pateq; ex definitione illius: est enim *ordo realis ad aliud*, ordo enim realis ad aliud reale debet esse, ad aliudquè distinctū realiter: quia alietas realis, sine distinctione eiusdē ordinis, intelligi non potest, neq; ordo realis eiusdem ad seipsum.

Quod autē relatio, si existēs est, terminum existentem essentialiter petat, probatur; quia terminus non existens non est simpliciter realis, sed non ens, ac proinde nec realiter distinctus & eiusdem ordinis cum suo correlatiuo. Nam relatio prædicamentalis in hoc à transcendentali differt, quod est habitudo accidentaliter in fundamento resultans ex coexistentia termini, & consequenter ab ipso fundamento separabilis. Si autem relatio abstraheret à termino existente & possibili, inseparabiliter, & essentialiter fundamento inesset.

Dico secundò: relatio est simul natura tempore, & cognitione cum suo termino. Docēt communiter omnes & patet; quia essentialiter saltem in obliquo & de connotato terminum respicit, vt ex eius definitione colligitur, sed essentia intelligi non potest in aliquo instanti temporis, vel naturæ, vel rationis sine omni eo, quod est de illius essentia: ergo nec relatio sine suo termino.

Tertiò dicēdum est, vnitatē, & distinctionem specificam relationum non esse sumendā ab vnitate, & distinctione specifica fundamenti, vel termini materialiter sumpti, sed solùm ab vnitate, vel distinctione specifica in ratione formali fundandi, vel terminandi.

Ita est communis sententia, & declaratur quoad primā partem: quia ad eundem terminum materialiter sumptum possunt esse relationes specie diuersæ, & ad diuersos terminos materialiter, & specie diuersos possunt esse relationes eiusdem speciei: idemquè etiam cōtingit in fundamentis, vel subiectis relationum.s. diuersas specie relationes fundari in subiectis eiusdē speciei, & è contra: ergo vnitas & distinctio relationum minimè sumēda est ex vnitate & distinctione fundamenti, vel termini materialiter sumpti. Antecedēs patet exemplis: nam ad eandem albedinē refertur relatione similitudinis alia albedo, & relatione dissimilitudinis nigredo, quæ rēlationes specie differunt, quamuis eundem terminū respiciant: è contra verò in eādem albedine duplex alia relatio specie diuersa fundatur, similitudinis. s. ad aliam albedinem, & dissimilitudinis ad nigredinē, ergò &c.

Secunda pars conclusionis etiam probatur: quia diuersitas specifica relationis solùm consistit in diuerso modo respiciendi terminum, sed vbi dantur diuersæ rationes formales fundandi, & terminandi sunt diuersi modi respiciendi terminum, ergo & relationes formaliter diuersæ. Maior patet: quia ratio formalis relationis solùm est quidam modus respiciendi, atquè adeo diuersitas in tali modo erit diuersitas specifica. Minor etiā probatur: quia ratio fundandi, vel terminandi est tota ratio propter quā resultat hæc, & nō alia relatio: similitudo v. g. resultat ex vnitate duarum qualitatum, ergo specificatio talis relationis attenditur penes hanc vnitatē, quę in vno extremo est ratio fundandi, & in altero est ratio terminandi.

Aduerto tamen, non eodem modo sumere relationem rationem specificam à ratione fundandi, & à ratione terminandi, sed à ratione fundandi à priori tamquàm à radice, & à posteriori à ratione terminandi tamquàm à signo certo, vel ab extrinseco connotato, quæ diuersitas est valde notanda. Sic intelligitur optimè S. Thom. 3.p.q.35.art.1. vbi asserit, quod vnitas vel pluralitas relationum non attenditur secundùm terminos, sed secundùm causam vel subiectum: loquitur enim de causā talis specificationis, & sic vera est doctrina, non vero excludit ex distinctione formali *S. Thom.*

ter-

terminorum sumi posse indiciũ certum talis distinctionis in relationibus: quia negari non potest talem rationem fundandi essentialiter in obliquo petere talem rationem terminandi, & non aliam: albedo v.g. terminãs relationem similitudinis sub ratione vnius, sub qua respicitur ab alia albedine, & relationem dissimilitudinis sub ratione plurium vel diuersi & filius respicit patrem sub ratione effectus, secundùm quam rationem habet essentialem connexionem cum determinata ratione causæ, & sic patebit generalem inductionem facienti ergo &c. Et hæc satis sint de relatione, plenior enim illius disputatio videbitur in metaphysica.

ARTIC. II.

Vtrùm relatio terminetur ad absolutum, vel ad respectiuum?

CVm terminus relationis mutuæ, Patris v.g. duo importet, & relationem filiationis, & substantiam absolutam filij geniti, in qua talis relatio fundatur, sensus difficultatis est, an in filio ratio formalis terminandi relationẽ patris sit forma ipsa relatiua filiationis, an verò entitas absoluta, quæ illi substernitur?

Triplex est in hac re sententia. Prima vniuersaliter affirmat omnia relatiua etiam non mutua ad terminum sub ratione relatiua terminari. Secunda distinguit inter relationes mutuas: & has ad terminum prout absolutum ferri concedit, illas verò formaliter ad relationes oppositas terminari. Tertia tamen, omnes relationes in vniuersum terminum absolutum respicere, constanter defendit, quæ longè probabilior, & communior est. Docent illam Scotus & omnes eius dicipuli, & multi alij iuniores thomistæ.

Hanc ergo amplector, cæterisquè antepono, & quidem loquendo de relationibus non mutuis, euidenter existimò id concedi debere ab omnibus admittentibus ipsas: quia in termino earum nulla est vera, & realis relatio, secũdùm quam possint terminare, ergo si terminant, proculdubiò secundùm entitatem absolutam id præstant. Ad hoc Caietanus, qui primam tuetur sententiam. 1. *p. q.* 13. *ar.* 7. Respondet, huiusmodi terminos relatiuos formaliter denominari à relatione non in ipsis existente, sed in altero extremo.

Sed si vera esset hæc Caietani sententia, etiam Deus realiter refferretur ad creaturas, per relationes s. existentes in creaturis, quas terminat ipse Deus, hoc autẽ est contra S. Thomã sæpè

id negantem, præcipuè *2. contra Gentes c. 13.* ex professo probat relationes Dei ad creaturas nõ esse res aliquas extra Deũ existẽtes, à quib⁹ ipse extrinsecè denominetur relatiuè, assumitquè expresè in ratione secunda hoc principiũ: *à relatione non denominari aliquid*, quasi exterius existẽte, sed inhærente, quod directè doctrinæ opponitur Caietani, item *q. 7. de potentia, art. 10. & 11.* docet Deum terminare relationes creaturarum, sed non referri ad illas.

Præterea, si ratio terminandi in Deo est relatio existens in creatura, cũ talis relatio sit formaliter in ipsa creatura, & nõ in Deo, ipsa & non Deus erit terminus talis relationis, ac proinde erit eiusdem ad seipsum relatio.

Rursus, Deus non terminat nisi vt causa, vel creator relationem creaturæ: ergo ratio terminandi in recto est sua omnipotentia, & non aliquid in creatura existẽs nisi tantũ in obliquo. Multa alia videri possunt apud Suarez, & alios iuniores circa hoc.

Etiam relationes mutuas ad absolutum terminari probatur.

Quod autẽ relationes mutuæ etiã terminentur formaliter ad fundamẽtũ absolutũ relationis oppositæ probatur. Primò à simili de relatione non mutua, scientiæ v.g. quæ sicut adæquatè intelligitur, per hoc quod respiciat entitatem absoluti obiecti, absq; nouo alio respectu in ipso resultante, sic & relatio mutua, Patris v. g. adæquatè saluatur per hoc quod substantiam absolutam filij respiciat.

Quod præterea secundo sic declaro: quia si per impossibile in filio non resultaret filiationis relatio, & remaneret eius fundamentũ, substantia.s. passiuè genita à Petro, esset in eo integra & perfecta paternitas: quia esset in eo virtus generatiua actu exercita, quæ est vltima ratio talem relationem fundans, essetq; homo ille genitus, & ab alio esse accipiens, ergo omnia necessaria relationis paternitatis adessent, etsi filiatio relatiua deficeret.

Tertiò, quia non dicimus parietem album, esse similem alteri parieti simili, sed alteri parieti albo; quia vnum album est sicut aliud album, & vna quantitas est æqualis alteri quantitati; quia extensio absoluta illius est sicut extensio absoluta alterius: ergo per ordinem ad entitates absolutas terminorum intelliguntur istę, & cæteræ relationes.

Quartò, quia secundùm omnes methaphysicos referre rem vnum ad aliud, & terminare relationem alterius sunt

sunt formalitates diuersæ: ergo ratio referendi distincta est à ratione terminandi, sed esse relationis est referre vnũ ad aliud: ergo esse termini relationis est alia formalitas diuersa, ac proinde relatio vt relatio non terminat, sed refert: terminat ergo secundùm suum esse absolutum.

Confirmatur, quia propter hoc relatio mutua ab omnibus dicitur duplex relatio; quia est duplex ratio referẽdi: sed si vna esset ratiò referendi, & alia ratio terminandi vnica tantùm esset relatio, ergo si duplex relatio conceditur, duplex etiam ratio terminandi, diuersa à ratione referẽdi: ac proinde à conceptu relationis admitti debet: terminat ergo non vt relatio, sed vt aliquid absolutum.

Obijciuntur, & soluuntur aliqua contra dicta.

Contra obijcies primò: in relationibus diuinis vna terminatur ad aliam, vt Theologi constanter affirmant: & in relationibus creatis, quæ in alijs relationibus fundantur, hoc etiam certum est: similitudo v. g. quæ est inter duas paternitates, sicut in relatione paternitatis fundatur, ita ad relationẽ terminatur: ergo eadem ratio est aliarum.

Respondetur esse apertum discrimen inter relationes diuinas, & creatas, quod diuinæ cõstituunt, & distingunt personas, in ratione suppositi, includuntquè sua fundamenta, & rationem fundandi; nam paternitas est formaliter implicitè generatio & Deitas: & filiatio includit similiter naturam genitam; atquè adeò vna relatio ad aliam terminari potest, nihil autem horum in creatis cõtingit, nisi tantùm in relationibus transcendentalibus, ideoq; in eis vna relatio potest ad aliam terminari. Ad secundam instantiam respondeo: quod quando vna relatio fundatur in alia, tunc sicut fundamentum saltem specificatiuè est relatio, ita terminus erit relatio, non reduplicatiuè vt terminus est, sed quia in genere rei entitatem obtinet relatiuam. Ex hoc autem non potest argumentum sumi ad alias relationes; alioquin dicendum esset, omnes fundari etiam in relatiuo; quia huiusmodi relationes, quæ ratione terminãtur ad relatiuum, eædem fundantur in relatiuo: nã hæc est generalis regula; quod *fundamẽtum* vnius relationis est terminus oppositæ: ergo sicut quando relatio in relatiuo fundatur, terminatur ad relatiuum, sic quandò fundatur in absoluto, ad absolutum terminabitur.

Secundo obijcies: quia relatiua sunt simul natura cognitione, & definitione, ergo vnum terminatur formaliter ad aliud. Probatur consequentia, quia relatio

perfectè cognoscitur, & definitur cognito fundamento, & termino, & aliud non requiritur: ergo si formalis terminus relationis non est altera relatio, non definietur, nec cognoscetur necessariò vnum relatiuum per aliud: ergo si vnum definitur, & cognoscitur necessariò per aliud, signum est vnum formaliter vt relatiuum esse terminum alterius.

Præterea, quod non essent simul natura, si vnum relatiuum formaliter terminaretur ad aliud; probatur: quia si pater vt pater non terminatur ad filium, vt relatiuè filius est, sed vt est hic homo genitus ab illo, pater vt pater erit iam prior natura filio vt filio: quia erit simul natura cum termino absoluto, qui est hic homo prout genitus ab ipso, sed hic homo prout genitus ab ipso est prior natura, quā filiatio in illo resultans, cùm sit fundamentum illius: ergo etiam pater vt pater erit prior natura quàm filius vt filius, ac proinde relatiua nō erunt simul natura.

Confirmatur ex Aristotele *capite de ad aliquid*, his verbis: Si à seruo auferrētur cætera omnia, etiam illud quod homo sit, modò seruus relinquatur, adhuc dominus ad illum referetur, & ille vicissim ad dominum: ergo ad relatiuum, vt relatiuum terminatur relatio. Quod etiam satis indicat communis modus loquendi; dicimus enim patrem respicere filium, quod est correlatiuum, non hunc hominē genitum.

Respondetur tamen ad argumentū, negando consequētiam & ad primam illius probationē; Dico relatiua non ideo esse simul cognitione, quia cognitio vnius pendeat ex cognitione alterius, sed quia sunt simul natura, & habent easdem omnino causas, ex quibus æquali necessitate, & omnimoda simultate vtrumquè correlatiuū resultat; & ideo non possumus intelligere, quod in patre resultet paternitas, quin simul consurgat in filio filiatio. Vnde connexio mediata, quæ inter vtrumquè correlatiuum intercedit, est causa quod simul cognoscantur, & similiter quod vnum intret in definitione alterius materialiter, seu fundamentaliter, quatenus definitio quoddam genus cognitionis est. Item relatio, & suus terminus absolutus dicūtur vulgariter relatiua, licet vnum formaliter sic dicatur, & alterum denominatiuè, quatenus ad genus relationis essentialiter pertinet, & sic vnum potest definiri per aliud.

Si tamen vtrumq; æquè formaliter accipiatur, non rectè definietur vna relatio per oppositā relationem: similitudo enim non est ratio per quam simile est ad aliud simile, sed per quam album

album est sicut aliud album. Paternitas etiam non est ratio per quam pater immediatè respicit filium, sed per quam homo respicit hominem à se genitum.

Ad secundam probationē de simultate naturæ respondetur, potius inde oppositum colligi. Quia sicut relatio, quæ est in termino, est posterior natura entitate absoluta ipsius termini, ita etiā relatio, quę est in altero extremo, seu fundamēto: nā ex fundamento, & termino resultat relatio, siuè realiter, siuè virtualiter, ac proinde non solū fundamentum, sed etiam terminus, ad aliam supponi debent. Si ergo vna relatio esset terminus alterius, ex positione vnius resultaret alia, ac proinde non essent simul natura. Dicūtur ergo simul natura, quia ex eisdem causis vtraquè resultat, s. ex fundamento, & termino, ideoquè connexionem, & quasi fraternitatem inter se habent: quia vtraq; pendet ab eâdem causa, nō quia vna ab altera.

Addo tamen ad maiorē claritatem, quod si fiat comparatio inter relatiuum, & terminū eius prout in actu secundo, seu vt actu terminantē, sic relatio est simul natura cum suo termino etiā absoluto: quia constituitur in esse termini actualis per denominationem extrinsecam à relatione ipsum respiciente, sed terminus sic consideratus non est prior natura, sed simul cum relatione in eo fundata: ac proinde eandem simultatem habet cum relatione, quam fundat, ac cum relatione, quam terminat. Nec enim causatur relatio ex actuali terminatione, sed ex positione termini in actu primo simul cū fundamento.

Ad confirmationem ex Aristotele respondetur: debere manere seruum in concreto, s. fundamentum seruitutis, & seruitutem, nō vero solam seruitutem: quia hæc ab intrinseco repugnat, sicut manere vnionem sine extremis vnitis, cum eius essentia sit actu modificare; tunc ergo relatio dominij ad fundamentum seruitutis terminaretur. Ratio autem quare tam Aristoteles, quàm communis modus loquendi terminum explicare solent nomine relatiuo, & vnum correlatiuum per aliud est: quia notior & clarior modus explicandi est, & ratio inseparabilis connexionis relationis cum termino, & quia terminus dicit relationem secundùm *dici*, sicut multa alia absoluta, quæ exactè declarari nequeunt nisi per habitudinem ad aliud, hinc est quod sæpè nominibus relatiuis ipse exprimi soleat.

(§)

ARTIC. III.

An genus supremum huius prędicamenti sit duplex propter terminum connotatum?

RAtio dubitādi est primò, quia relatio non potest esse nisi vt minimum inter duo extrema, quorum vnum referatur, & aliud terminet relationem alterius: ergo sunt duo genera suprema in hoc prædicamento. Probatur consequentia ex ipsâ definitione, & nomine huius prædicaméti.s.id, *quod est ad aliquid, vel aliud*: ergo in generalissimo est simul aliud, & aliud. s. quod refertur, & ad quod refertur.

Secundò alij id probant: quia supremum genus, cum sit essentialiter relatiuum, & consequēter ad aliud tamquàm ad terminum ordinatum, non potest respicere illud vt absolutum; ergo vt relatiuum: sunt ergo duo genera suprema huius prædicaméti essentialiter relatiua. Antecedens probatur: quia pater ordinatur ad filium, & filius ad patrem, simile ad simile, æquale ad æquale, quæ omnes sunt relationes mutuò, & inuicem se referentes, & dato quod sint aliquæ relationes non mutuæ, satis est, quod plures sint mutuæ, vt genus supremum ab illis abstrahens, duas relationes essentialiter supremas includat. Propter hæc, & alia minoris momenti, prima sententia affirmat in hoc distingui hoc prædicamētum à cæteris absolutis, quod est vt minimum duplex; & propter hoc Aristotelem non numerasse illud in singulari, sicut alia, sed in plurali, *relatiua sunt illa; &c.*

Statuitur difficultatis resolutio.

In oppositum autem est communis sententia, vnum simplex genus supremum huic prædicamento sicut, & cæteris attribuens, quia eadem prorsus est de omnibus ratio, vt patebit soluendo fundamenta contraria.

Præterea probatur, quia si darētur duo genera suprema, vel vnum cum suis inferioribus posset contineri sub alio, aut ambo sub vno tertio, vel non. Si dicatur primum aut secundum, iam genus supremum erit vnum simplex, vt patet. Si dicatur tertiū, iam eo ipso erunt primò diuersa, ac proinde duo prædicamenta, & non vnum, vt constat à simili de multiplicatione aliorum prædicamentorum solùm propter hanc rationem.

Neq; valet quod respōdeas, non facere duo prædicamenta

eo

eo quod sint inter se connexa, & vnum sine alio in re esse non possit, nam cætera prædicamenta similiter connexa sunt cum substantia: situs cum quantitate, cuius est proprietas; relatio cum suis fundamentis: actio similiter, & passio identitatem realem, & connexionem per se strictissimam inter se habent, & cum suis terminis, & nihilomin' sunt prędicamenta diuersa: ergo etiã in relatiuis id non impediret.

Secũdò probatur retorquendo secũdam rationẽ oppositã: quia vel relatio respicit terminũ prout absolutum, vel prout relatiuum. Si dicatur primum, vt infra probabo, iam non pertinet directè, & intrinsecè ad hoc prędicamẽtum, sed tantùm extrinsecè, & in obliquo; nam absolutum non potest directè ad relatiua pertinere, sicut nec substantia ad prædicamenta accidentiũ. Si verò dicatur secundum, negari non potest vtramquè relationem tam termini, quàm fundamenti vniuocè conuenire in ratione relationis, vt sic, paternitas v.g. & filiatio: & sæpè non tantum genericè, sed etiam specificè conueniunt, vt accidit in relationibus similitudinis, ęqualitatis, & identitatis: ergo sub eodem genere supremo omnes relationes vniuocè continẽtur, ac proinde vnũ simplex satis est, sicut in ceteris prędicamẽtis.

Ex quo iam ad primũ argumentum, seu rationem dubitandi respondeo terminum relationis, tam in comuni, quàm in particulari pertinere ad hoc prædicamentum secundariò, extrinsecè, & in obliquo; nam regulariter, & ferè semper est quid absolutum, vel de genere substantiæ, vel qualitatis, aut aliorum prædicamentorum, & ideò non potest intrinsecè, & directè ad hoc prædicamentum pertinere. Patet à simili de prædicamento actionis, quæ respicit essentialiter terminum, & non propter hoc multiplicantur duo genera suprema propter rationẽ dictã.

Ad secundum argumentum respondeo, concedendo dari relationes mutuas, se inuicem referentes, cęterùm cum hoc stat, quod terminus vt terminus nõ respiciat, sed purè est id quod respicitur: quando autem consideratur vt respiciens, induit nouam formalitatem fundamenti, & relatiui, itaquè Pater, & filius inuicem se respiciunt, & se inuicem terminant secundùm diuersas formalitates, quia nõ est maior ratio, quare vna relatio sit terminus, & nõ altera, pręsertim in similitudine, & ęqualitate, vbi est eadẽ omnino ratio vtriusquè extremi. Sed demus quod terminus, vt terminus sit relatiuus, nihil inde: nam cõtinebitur, vt dixi, sub vnico genere relationis in cõmuni, saltemq; in obliquo pertinebit ad illum.

SEC-

SECTIO VII.

De reliquis prædicamentis.

QVÆSTIO I.

De qualitate, & quali.

Aristote. QValitas nomen est æquiuocum, vt constat ex Aristotele 5. *met. c.* 14. Primò enim sumitur pro differentia formali cuiuscunque rei siue sit substantia, siue accidens, quæ cum determinet genus ad esse vnius speciei dicitur qualitas: & hac ratione docet *Porphir.* Porphiriꝰ *c. de differentia*, quod differentia prædicatur in quale, & qualitas hoc modo accepta diuagatur per omnia prædicamenta.

Secundò sumitur hoc nomen pro quauis affectione accidentali cuiuscumquè rei, in quo sensu Porphiriꝰ *c. de accidenti*, inquit, accidens est, quod prædicatur in quale accidentale, & hoc etiam modo nõ constituit aliquod speciale genus, sed transcendit nouem accidentium genera.

Tertiò qualitas vsurpatur pro quodam speciali genere à cæteris diuerso, & huius naturam inuestigamꝰ, & essentiã. Agimus prius de qualitate, quàm de relatione, quia præterquamquod cæteris accidentibus qualitas perfectior est, si ordinem naturæ spectemus: immediatior est substantiæ post quãtitatem, quã reliqua genera. Et quamuis Aristoteles in Dialectica, prius de relatione, quam de qualitate tractauerit, fortasse quia relatio quodammodo vniuersalior est; nam in omnibus alijs entibus fundari potest, *in 5. tamen metaphysicè*, in quo magis dissertè, & accuratè de prædicamentis disseruit, ordinem commutauit, prius de qualitate, quam de relatione disputans.

ARTIC. I.

An definiri posit cõmunis ratio, seu essentialis modus qualitatis?

Obscurum valde est in hoc præ

præ cæteris prædicamentis rationē communem, & definitionē exponere, huius maioris difficultatis ratio, & communis querela iuniorum semper in hoc loco est: quia Aristot.& S.Tho. omnium Scholasticorum principes,& Magistri, in tradenda qualitatis descriptione defecisse videntur,eamquè in tenebris reliquisse: Aristo.enim 5 *met.* nullam eius communem definitionē adhibet. In Dialectica verò, *qualitatem*, inquit, *dico, qua quales quidem dicuntur.* Quæ definitio æquè obscura ac definitum est: sicut si dicatur quantitas est, qua aliquid quantū redditur, cōmmittiturquè circulus manifestè vitiosus;nam cum sit æquè ignotum, quod sit quale, non poterit explicari, nisi sic: *Quod qualitate affectum, vel cōstitutum est*, ac proinde tam qualitatis natura, quàm eius effectus formalis æquè obscura manebit ac si minime definita fuisset.

Aristote.

S.Tho. etiam 1.2.*q*.49. *ar*.1. ait: *Qualitas est modus quidam substātiæ, determinans eam ad peculiare esse accidentale secundùm debitam mensuram.* Cōtra quam definitionem communiter obijcitur, vel non conuenire qualitati, sed potius cæteris accidentiū generibus, si modus strictè, & rigorosè sumatur, prout distinguitur contra entitatem realiter rigorosè à substantia diuersam: nam fere omnes qualitates sunt propriè entitates omnino à substantia diuersę, reliqua verò genera solùm sunt quidam modi, vt in singulorum explicatione patebit. Si verò modus latius consideretur, prout denotat quācūq; formam determinantem capacitatem subiecti, sic definitio illa non soli qualitati, sed etiam quātitati conuenit, & cæteris accidentibus.

S. Thom.

Rursus, idē S.Th. plurib' in locis docere videtur *qualitatē esse quoddā accidens se tenens ex parte formæ, vel consequens illam.* Contra quam etiam communiter iuniores obijciunt, neq; soli definito, neq; omni conuenire: quia figura est qualitas, & non sequitur formam, sed materiam, & lumen est qualitas, & non sequitur materiam, neq; formam, & locus naturalis, & motus in illum non sunt qualitates, & consequuntur ratione formæ, similiter relatio, Vbi, duratio eq; afficiunt formam, ac materiam, ergo, &c.

S. Tho. in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. q. 3. ad. 1.

Propter hæc multi alij existimant, qualitatis naturam ignotā fuisse Aristot. & S. Tho. neq; à nobis definiri posse in cōmuni, sed tantùm species eius inferiores, quæ notiores sunt: in cōmuni verò solùm hæc confusa ratio ab illis abstrahi potest: *qualitas est accidens completum denominans subiectum quoddā un speciali modo.*

Sed miror certè, quod cum de reliquis prædicamentis, & naturis rerum, etiam de Deo vno, & Trino sufficientes ac quidditatiuas deffinitiones habeamus, in hac qualitatis natura, quæ non est omnium suprema, intellectus doctissimorum etiã Aristotelis, & S. Tho. fuerint hallucinati, eosquè hanc latuisse naturam: potius enim mihi persuadeor, illorum verba abhis Authoribus minime intellecta fuisse, in ipsisquè, si profundius, & subtilius penetrentur, latere mysterium, qua propter pro eorum intelligentia.

Præmittuntur aliqua notatu digna ad huius difficultatis resolutionem.

Suppono primò, quod perfectio alicuius rei dupliciter accipi potest. Primò pro integritate cuiuslibet rei in ratione aliqua siuè substantiæ, siuè accidentis, siuè totius, siuè partis; in quo sensu perfectũ idem significat, quod completum, vel consumatum, definitumquè fuit ab Aristotele *5. met. text. 21.* & à S. Thom. ibidem *lec. 8. & 1. p. q. 4. ar. 1. & q. 5. ar. 1. ad. 1. Perfectum est cui nihil deest.* Quæ definitio communiter ab omnibus recipitur, imo Hispane etiã indocti vtrisquè pro eodem accipientes, dicere vulgariter solent: *cosa perfecta, y acabada*. Ex hac etiam definitione ortum habuit vulgatum illud assertum Dionisij: *Bonum ex integra causa, malum vero ex quocumquè deffectu.*

Aristote. *S. Thom.* *Dionysi.*

Dixi, siuè partis, siuè totius: nam stat benè, quod pars aliqua simpliciter incompleta, & imperfecta in ratione entis, dicatur integra, & perfecta secundũ quid in aliqua ratione partiali: caput v. g. integrum dicitur in ratione capitis, & manus completa in ratione manus, quamuis nõ in ratione animalis.

Secundò magis strictè perfectio sumitur pro quantitate virtutis alicuius rei, ex qua oritur illius dignitas, & æstimabilitas, quæ valde distinguitur à priori. Prior namquè consistit in indiuisibili: nam res semel cõpleta, implicat vlterius compleri, & eo ipso, quod ei aliquid deficiat connaturaliter requisitum, non est integra, & perfecta. At posterior perfectio est diuisibilis, proptereaque quantitas virtutis dicitur, quia est diuisibilis in plures gradus, & in quolibet seorsim saluatur ratio perfectionis, sicut in qualibet parte quantitatis molis saluatur absoluta denominatio quantitatis.

Ex qua differentia alia colligitur, quod prior perfectio sicut non dicitur quanta, nec suscipit magis, & minus, ita non dicitur maior, vel minor, vel æqualis, vel inæqualis alteri, quæ & similia sunt proprietates quãtitastis, ideo-

ideoquè solùm posteriori perfectioni conueniunt. Quod amplius declaratur, quia non dicitur propriè vna substantia magis integra, quàm altera, sed si vtraquè est simpliciter integra, dicetur æquè perfecta, si verò altera illarum sit incompleta nō dicetur propriè imperfectior altera: quia comparatio hæc supponit vtramque esse imperfectam, quod falsum est, supposito quod vna integra sit: nequè è contra vna dicetur perfectior altera propter eandem rationem, sed vna dicetur simpliciter perfecta, & altera simpliciter mala, & imperfecta. Vnde sequitur, nequè quando vtràquè est perfecta hoc modo, vna substantia dicitur alteri æqualis, sed eadē: quia sicut quādo vna entitas, vel essentia est sicut altera, refertur ad eam relatione identitatis, ita & integritas in tali ratione, eandem denominationem habet.

Totum hoc confirmatur ex B. Augustin. lib. de natura boni, c. 4. vbi postquam dixerat aliquam naturam, vel substantiam esse malam ex defectu alicuius boni sibi connaturaliter debiti: subdit: aliquam naturam, quę ex suo genere excellentior est, meliorem esse natura bona, & perfecta alterius generis: nam aurum corruptum ex parte perfectius ac melius est argento simpliciter perfecto, quod communiter omnes admittunt, nemo enim negabit hominem sine pedibus ac manibus meliorem esse equo integro ac perfecto.

Ex quo sic arguitur: excessus ille auri supra argentum, & hominis supra equum, non est in perfectione sumpta pro integritate; potius enim in ea aurū exceditur ab argento, & homo ab equo, ergo est quantum ad aliā perfectionem quantitatiuam, ex qua dignitas sumitur ac æstimabilitas simpliciter cuiuslibet rei

Colligitur etiam alia valde notanda differentia inter vtramquè perfectionē, quod prior est transcendens omnia prædicamēta, & conuertibilis cum ente, propter quod meritò dici potest perfectio entitatiua: posterior verò quantitatiua. Quod patet primò, nam quantitas virtutis, & ęstimabilitatis distinguitur ab omnibus à quantitate molis, & ab extensione, seu indiuisibilitate entitatiua, & ab omni eo, quod entitatem quasi materialem præcisè consequitur, duæ namquè res æquè indiuisibiles in entitate, possunt esse diuisibiles in perfectione quantitatiua, & vna altera perfectior: & è cōuerso duo homines æquè perfecti in virtute, habentesquè etiam connaturalem integritatem ipsis debitam possunt esse inæquales in quātitate, eo quod vnus alio altior, vel corpulentior sit, & tamen nemo dicet vnum altero perfectiorem, aut ęstimabilio-

biliorem esse propter maiorem extensionem entitatiuam: potius enim, si extensio sit magna, irridetur tamquàm monstrum: ergo extensio entitatiua, vel quantitas molis nullam perfectionem, aut æstimabilitatem secundùm se dicunt.

Similiter, si discurramus per plura alia prædicamenta: nemo dicetur alio perfectior, eo quod magis durauerit in rerum natura, vel quia plures relationes distantiæ, propinquitatis, similitudinis, &c. acquisierit quãtumuis infinitas, vel quia plura Vbi, aut motus locales, etiam si totum mundum millies percurrerit, ergo huiusmodi genera nullam dicunt perfectionem quantitatiuã, ex qua simpliciter æstimabilitas, aut dignitas proueniat alicuius rei, sed solùm perfectionem entitatiuam.

Deniq; suppono, quod inhęrentia non est aliud, quàm adiacentia accidentis in aliquo subiecto. Hæc autem duplex est. Alia physica, & alia metaphysica. Inhærentia physica est quidam modus, quo mediantè accidens subiecto vnitur, illiquè adiacet, qui modus realiter mediat inter vtrumquè extremum, distinguiturquè ab vtroquè ex natura rei. Inhęrentia metaphysica est, quę petit nõ esse realiter medians inter vtrumquè extremum, sed sat est si nostro modo concipiendi cum fundamento in re. Quod ex duplici capite prouenire potest: vel quia accidens non distinguitur realiter à subiecto, sed ratione tantùm, vt dicemus infra de relatione, & alijs generibus: vel quia solùm distinguitur modaliter, & modus nullatenus distinguitur à sua inhærentia, sed est ipsamet actualis affectio, vel coniunctio ad subiectum, & ideò non est seperabilis de potentia absoluta à re modificata, sicut nequè actualis inhærentia, aut vnio in re conseruari potest sinę extremis vnitis.

Vnde rursus colligitur, solam inhærentiam physicam principaliter, & propriè sic dici: inhærentiam autem metaphysicam per analogiam, & proportionem ad physicam, sicut accidens prout abstrahit à physico, & metaphysico analogum est, eãdẽ analogia proportionalitatis. Probatur, quia inhærentia in suo proprio conceptu importat esse quoddã medium inter formam, quæ inhæret, & subiectum, cui inhæret, sed solùm inhærentia physica realiter mediat, realiterquè discernitur à forma, & subiecto, secus verò inhærentia metaphysica nisi ratione, ergo solùm prior principaliter inhærentia dicitur.

Confirmatur, quia inhærentia metaphysica cuiuslibet modi accidentalis maiorem conuenientiam habet cum affectione

modi

modi substantialis, quam cum inhærentia physica accidentis totaliter à subiecto diuersi; quia tam essentiale est modo substantiali actu inesse rei modificatæ, sicut modo accidentali: neque potest assignari aliqua differentia inter vtrumq; quantum ad modum vnionis cùm re modificata, sed solùm quantum ad hoc, quod modus substantiæ pertinet ad intrinsecum substātiæ complementum, modus verò accidentis minimè, sed supponit substantiam completam, ergo sicut affectio modi substantialis non est vera, & propria inhærentia, ita neque affectio modi accidentalis: dicitur autem talis ex eo, quod est vnio accidētis.

ARTIC. II.

Exponitur iam communis qualitatis definitio.

HIs igitur prælibatis, qualitas in communi optimè sic definiri potest: *est accidens physicè inhærens substantiæ, eamquè simpliciter ornans, seu perficiens*, quæ definitio diuersa non est ab illis qua, tradunt Aristoteles, & S. Thomas sed potius est explicatio illarum vt iam dicam. *Accidens* ponitur loco generis, *Physicè inhærens* est differentia, per quam qualitas differt ab omnibus accidentibus modalibus, quorum inhærentia est tantùm metaphysica. Et quidem in mea sententia sufficiēs differentia erat ista; vt qualitas discerneretur à cæteris accidentibus, quia sola qualitas est forma accidentalis propriam entitatem afferēs, realiter rigorosè à substantia diuersam, reliqua verò accidentia minimè, sed tantùm sunt quidam modi.

Quia tamen multi probabiliter de quantitate asserunt, esse rem omnino à re quanta diuersam, additur alia præcipua qualitatis differentia. s. *simpliciter ornans, seu superficiens substantiam*, vbi sermo est de perfectione, quæ pertinet ad quantitatem virtutis, ex qua oritur dignitas, & æstimabilitas alicuius rei. Et quāuis talis perfectio abstrahat à substantiali, & accidentali: in definitione solùm pro accidentali supponitur ratione primæ particulæ *accidens*, vt patet. Definitio igitur, sic exposita conuenit solis, & omnibus qualitatibus, ergo est optima, & accurata. Antecedēs quoad primā partem probatur: quia dupliciter substantia perfici potest, vel quantùm ad integritatem in ratione substantiæ; & hoc modo à nullo accidente perficitur, cum sit de ratione cuiuslibet, substātiam in suo genere completam suppo-

supponere, vel quantùm ad quātitatem virtutis, aut æstimationis, & in hoc sensu si discurramus per reliqua accidentium genera, nullum est præter qualitatem, quod talem perfectionē dicat, vel addat, vt de quantitate, Vbi, duratione, & relatione probaui supra, quæ nullam dicunt quantitatem virtutis, neque æstimationem aliquam, aut nobilitatem, substantiæ addūt: ergo non perficiunt illam in aliquo genere.

Solùm enim de actione, quæ importat in suo conceptu exercitium quātitatis virtutis, videtur nonnulla difficultas, & de relatione similitudinis, aut idētitatis, præsertim si sit cum natura aliqua nobili, & perfecta, perfectionem maximam dicere, v.g. similitudo quam homo habet cum Deo, & Angelis.

Facilè tamē respōdetur actionem supponere perfectionem in virtute, quam extrinsecè connotat, non tamen illam intrinsecè afferre; quia neque auget virtutem potentiæ, aut complet aliquo modo, sed solùm est exercitium virtutis, quam omnino completam supponit. Solùm actiones immanentes perfectionem addunt, sed hæc prouenit ratione qualitatis illis annexę. Similitudo etiam supponit in fundamento totam perfectionē, quæ termino assimilatur, non autem illam intrinsecè importat, & sic patebit de Situ, & Habere in suis proprijs locis, ergo hoc est munus proprium solius qualitatis.

Declaratur hoc ex ipsa nominis ethimologia: qualitas enim semper dignitatem, & nobilitatem significat, frequenter namquè, & vulgariter persona nobilis, aut digna ab omnibus dici solet: *persona calificada, o persona de calidad*, ad significandam excellentiam, aut perfectionem illius: forma etiam substantialis, vel differentia specifica cuiuslibet rei non ob aliam rationem qualitas appellatur à philosopho, & cæteris eius expositoribus, nisi propter analogiam, & proportionem, quam habet cum vera, & propria qualitate in hoc, quod est tribuere potissimam speciei perfectionem, sed quia talis perfectio est in genere substantiæ, deficit ab hac peculiari qualitatis ratione.

Quod autē hoc modo substantiam perficere, omnibus qualitatibus competat, patebit in sequentibus, proprias cuiuslibet speciei declarando naturas, & argumenta soluendo, quæ in oppositum fieri possunt.

Conciliatur definitio dicta cum duabus alijs Aristotelis, & S. Thomæ.

Hinc cōstat iam verus sensus definitionis Aristotelis, confirmatur

maturq; simul ex illa definitio nostra; dixit enim: qualitas est per quam dicimur quales: quia hoc concretum vulgari lingua Græca, in qua scripsit Aristoteles, est maximè notum, & denotat dignitatem, & perfectionem, sicut in nostra vulgari lingua *persona calificada* apud omnes significat nobilem, seu in dignitate constitutum: & sic illa definitio æquiualet nostræ in sensu: quia subintelligitur ibi accidens, cum ex contextu Aristotelis pateat, sermoné esse de secundo, vel tertio genere accidentis, & nõ explicat ignotum, per æquè ignotũ, sed per effectum nobis notiorem, & significantem ex vulgari modo loquẽdi, etiam ipsam perfectionem, & nobilitatem substantiæ, in qua præcipuè, & explicitè est posita qualitatis natura.

Constat etiam secundò: quid voluerit S. Thom. in illis verbis: qualitas est *modus vel determinatio substantiæ, secundùm debitam mensuram illius*: Sensus enim est: quod qualitas ex proprio suo munere sit determinatio substantiæ secundùm modum, & mensuram substantiæ propriã, & illi debitam; modus autem substantiæ proprius, vt talis est, est esse radicem aliquarum proprietatum, & operationum: & ideò illam determinare secundùm suum proprium modum, & substãtiæ rationem, est perficere eam modo dicto, quoad quantitatem virtutis. In quo est valde dissimilis ratio de cæteris accidentibus, quæ licet substantiam determinent, non secundùm proprium substantiæ modum vt substantia est, sed secundùm rationem magis abstractam entis, illi cum cęteris accidentibus communem: nam quantitas duratio, Vbi, relatio, & cętera: affectiones sunt immediatę cuiuslibet accidentis, sicut & substantiæ, vt patebit declarandò cuiuslibet naturam, & de quantitate iam supra dixi, tot esse extensiones quantitatiuas in quolibet supposito, quot sunt entitates in eo realiter diuersæ.

Cui autem non placeat hæc opinio de quantitate, poterit dicere S. Tho. loqui determinatione substantiæ quantùm ad formalem, & completum substantiæ rationem, secundùm quam est radix operationum, & secũdùm quàm attenditur propria mensura illi debita, non verò secundùm rationem purè materialem, secundùm quam determinatur à quantitate.

Solùm de prædicamento habitus obijci posset, esse determinationem substantiæ, & non accidentium, quibus non competit habere vestes. Respõdetur tamẽ, quod licet habitus solùm afficiat substantiã, non determinat eam secundùm intrinsecam rationem illius, sed solùm prout

quantitate affectam: nā ex quantitate prouenit, coaptatio ad vestes, & ex necessitate earum, vt suo loco dicetur.

Constat deniq; cur qualitas dicatur accidens consequēs formā; ratio enim est, quia tota perfectio, & quātitas virtutis substantialis desumitur à forma, & ideo qualitas quæ adiūgitur ad complementum, & determinationē huius perfectionis, dicitur consequens formam, siuè dimanet à forma, siuè quocumq; alio modo illam determinet, & perficiat: & quantitas dicitur consequens materiam, quia est dispositio quædam, & vltima determinatio illius, vt posit in se recipere cætera accidentia.

ARTIC. III.

Soluūtur aliquot argumenta contra dicta.

SEd contra resolutionē positam primò obijci potest: esse quā plures qualitates potius contrarias, & disconuenientes suis subiectis, calor v.g. respectu aquæ, vitia, peccata, & error respectu naturæ rationalis, quæ potius dedecus, quā ornamentū illius sunt: malè ergo definitur qualitas in communi, quod sit accidens simpliciter exornās, aut perficiens substantiam.

Secundò plures sunt qualitates, quæ sunt modi, & non accidentia realiter rigorosè distincta, nec videtur perficere substantiā magis quam alia prædicamēta: huiusmodi sunt figura, quæ modus quidam est resultans ex terminatione quantitatis, & nō magis ad perfectionem pertinet, quàm quantitas ipsa. Similiter asperitas, & lenitas, quæ inter qualitates cōputantur, & asperitas potius imperfectionē importat, & non est aliud, quā modus quidā inæqualitatis partiū quantitatis, & lenitas est æqualis positio partiū, raritas etiā; & densitas sunt quidā modi quātitatis, & tamen inter qualitates numerantur: mala ergo est posita definitio, s. quod qualitas sit accidens omnino diuersum, physicè inhærens, & simpliciter perficiens substantiam.

Deniquè impenetrabilitas, quæ ab alijs communiter quantitas appellatur, & est subiectū, quo respectu aliorum accidentium: à nobis inter qualitates enumeratur, & tamen nullam dicit quantitatem virtutis, aut perfectionem magis, quàm cætera prædicamenta, ergo &c.

Respondetur tamen ad primum, quod qualitas, quæ est contraria respectu vnius subiecti, respectu alterius est connaturalis, & maximè cōueniēs; calor s. adductus in argumēto; respectu ignis. Non erat autem attendenda qualitatis natura respectu

pectu subiecti extranei, cui violenter, & præter suam naturam inest, sed penes ordinem ad suũ proprium, & connaturale subiectum. Vitia etiam & peccata, licet moraliter, & supposita extrinseca prohibitione legis, quam connotant, monstruosa sint, & mala, physicè considerata bona sunt, & augent, vel disponunt quantitatẽ virtutis substantiæ: nam (vt latè dicã prima secundæ) malitia peccati vel nõ consistit in entitate positiua actus, sed in priuatione rectitudinis subsequuta, vel si consistit in tali entitate positiua, non in ea secundùm se considerata (sic enim bona est) sed prout connotat prohibitionem legis, & aduertentiam rationis.

Vnde prouenit, quod eadem entitas actus, possit mutari de mala in bonam, & è contra, defectu huius connotati, & idem dico de actu erroris, eandem, s. repræsentationem intrinsecam actus, & secundùm se bonam, ex diuersa connotatione extrinseci obiecti, mutari de vera in falsam, & è conuerso, vt dicam sequenti disputatione.

Ad secundum respondetur, quod figura dupliciter potest considerari. Primò mathematicè, & abstractè, prout solum dicit modũ, vel dispositionẽ, quæ resultat ex terminis quantitatis alicuius rei, & sic præcisè qualitas non est, sed reductiuè pertinet ad quantitatem, vel ad sitũ.

Secundò considerari potest physicè prout induta coloribus, & sic vestiens, & ornans substãtiam; & sic qualitas est pertinens ad decus, & ornamentum substantiæ: ideoquè Aristoteles ad significandam quartam qualitatis speciem; tamquàm sinonomis vtitur his duobus nominibus forma; & figura: quia in hoc secundo sensu figura nihil aliud significat, quàm formam hanc exteriorem, vel pulchritudinem, quæ in corporibus apparet, & illa facit oculis iucunda. Propter hanc enim causam hominem ex nimia infirmitate amittentẽ colores illi naturaliter debitos, & pulchritudinem eius constituentes, vulgariter dicere solemus disfiguratum, etiam si nihil de quantitate, aut de intrinseca dispositione partium, aut terminorum illius amiserit. Aliquando etiam cernimus com unire diuersos auium, vel aliorum animalium species in dispositione intrinseca quantitatiua partium, & ninilominus propter diuersos colores asserimus, absolutè habere diuersas formas, vel figuras: ergo non sumitur purè mathematicè, &c.

De hac enim figura vel forma, & nõ de substãtiali, vel quauis alia, dicitur *de Christo Dño*. Speciosus forma pre filijs hominũ, hęc, quèmaximè deseruit regulariter, ad discernẽdas diuersas corporũ *Psal. 44.*

substantialium species, quia ex diuersis formis substantialibus intrinsecis diuersæ profluunt figuræ, vel formæ exteriores, vt patet discurrendo per omnes plantarum, animalium, & inanimatorum species.

Dices: figura sic coloribus induta non est vna, sed plures qualitates: ergo non est vna species per se qualitatis, sed vnum per accidẽs, quod est cõtra Aristotelem, & communem sententiam. Respondetur distinctione. Nõ est vna qualitas simplex, & sic cõcedo. Non est vna qualitas per se composita ex alijs, & sic nego. Nam sanitas, & pulchritudo enumerantur ab Aristotele inter species qualitatis, & tamen ex pluribus alijs entibus aliàs completis coalescunt, quæ desinunt esse tota, & fiunt partes componentes aliud tertium per se intentum à natura.

Neque obstat, quod vna species non possit ex alia componi, nã (quidquid sit de substantijs,) in accidentibus non vrget, vt dixi, loquendo de quantitate discreta. Videatur doctrina, ibi posita.

Ad alias instãtias de asperitate, & lenitate, raritate, & densitate, Aristoteles eas reijcit à genere qualitatis, illiq; contradicit Gilbertus *lib. de sex principijs, cap. de situ*, sed idem dicendum existimo de illis, ac de figura: quod si consideretur illa æqualis, vel inæqualis positio partiũ prout coloribus induta, & componens formam corporis, pertinet ad quartã qualitatis speciẽ, si vero præcisè & nùdè sumantur isti modi, reducũtur ad quãtitatem, vel situm, vt infra magis declarabitur, & in hoc secundo sensu loquitur Aristoteles, quando illas reijcit in hoc prædicamento à genere qualitatis, & in primo sensu, quãdo 7. *phisic.c.2.tex.* 11. eas numerat inter qualitatis species.

Ad vltimum respondetur in impenetrabilitate (sicut in cæteris entibus corporeis, tam substãtialibus quàm accidẽtalibus,) & est considerare modũ præcisum extensionis illius, & sic pertinet ad quantitatẽ: & est considerare rem, quæ tali extensione modificatur, & sic est qualitas maximè perficiẽs substantiam, quia est complens virtutẽ substentatiuam substantiæ, in quantùm est subiectum quo, aliorum accidentium saltem huius generis, & in quantùm est dispositio quædã, siue qua substantia suas operationes exercere non valet.

ARTIC. IIII.

De proprietatibus qualitatis.

PRima proprietas qualitatis est, quod habeat cõtrariũ, albedo v.g. contrariatur nigredini, calor frigori, &c. aduertit

tit tamen Arist. quod hæc proprietas non cōuenit omni qualitati: nam lumen est qualitas, & tamen illi nihil opponitur cōtrariè, sed tenebræ illi priuatiuè opponuntur. Idemquè est de in tellectu, voluntate, & aliȷs similibus qualitatibus, atquè adeò hæc non est proprietas quarto modo. Præterea nequè soli qualitati hæc proprietas conuenire videtur: quia sicut calor & frigus contrariè opponuntur, ita calefactio, & frigefactio, quę actiones sunt, vt docet Aristot. in câpite de actione.

Vlterius aduertunt Caietanus, & Sotus, Aristotelem sermonem facere de contrarietate simpliciter, & non secundùm quid: simpliciter contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ideo album & nigrū, qui sunt colores extremi, contraria sunt simpliciter: viride autem & fuscum, qui sunt colores medij, tantùm secundùm quid contraria dicuntur, quia non maximè distant in genere coloris, sed eatenus contrariantur, in quantùm accedunt ad colores extremos, viride. s. ad album, & fuscum quodammodo ad nigrum.

Secunda proprietas est suscipere magis & minus, quod intelligitur quantùm ad intensionem gradualem in eàdem parte subiecti. Aduertit tamen ipse Aristoteles, non conuenire omnibus qualitatibus: quia saltem non cōuenit quartæ speciei: ná vna figura non dicitur magis figura quam alia: nequè similiter conuenit potētijs vitalibus, quæ propriè non suscipiunt magis & minus. Dixi secundùm gradualem intensionem, nam secundùm quantitatem virtutis, aut perfectionis vna potentia potest esse magis & minus perfecta, & vna figura, vel forma magis & minus pulchra, & omnis qualitas corporea, cū sit perfectio accidentalis quātitatiua substātię, hoc necessariò habet, ní omnis quantitas aliquo modo debet habere magis & minus.

Hîc dubitari solet, an proprietas hæc gradualis intensionis conueniat non solùm concretis, sed etiam ipsis formis in abstracto? & ratio dubitandi est, quia in abstracto dixit Aristoteles vnam albedinem non esse magis albedinem, quàm aliam.

Breuiter tamen respondetur non solùm concretis, sed etiam abstractis conuenire huiusmodi maioritatem intensiuam. Ratio: est quia calidum v.g. denominatur formaliter tale à calore: ergo impossibile est, quod sit magis calidum nisi à maiori calore: nam sicut calidum est effectus formalis prouenient ab aliqua forma, ita & magis calidum, sed de hoc latiùs in libris de Generatione.

Ad Aristotelem autem res-

 pon-

R. noster pondét R. Episcopus Oña hîc, *Oña.* Suarez, & ante ipsos Boetius, *Boetius.* Alexand. Amon. & alij, Aristo- *Alexan.* telem hanc difficultatem inde- *Amon.* cisam reliquisse, & certè non est *Aristote.* in textu vnde colligatur, quod aliqui iuniores dicunt. s. ipsum docuisse partem negatiuam, nisi tantùm de figura.

Tertia proprietas est, quod secundùm qualitatem res dicantur similes vel dissimiles: quod intellige non formaliter, nam talem effectum præstat relatio similitudinis, sed fundamentaliter eo modo, quo æqualitas, vel inæqualitas tribuitur quantitati. Plerumquè tamen Philosophi, vt aduertit noster Oña, duo indiuidua eiusdem speciei substantialis dicere solent similia, quæ impropria est loquutio, solumquè conuenientia in qualitatibus propriissimè similitudo appellatur.

QVAESTIO II.

De diuisione qualitatis in quatuor species.

Diuisit Aristoteles qualitaté in communi in quatuor membra seu species. Prima est habitus seu dispositio. Secunda, naturalis potentia & impotentia. Tertia, passio & passibilis qualitas. Quarta, forma, & figura. De quibus sigillatim dicendum est. nã omnes istæ voces ambiguæ sunt.

ARTIC. I.

Quid sint habitus, & dispositio?

Variæ sunt acceptiones huius nominis habitus. Vel potest sumi, vt est participium huius verbi habere, & sic tot modis dicitur, quot dicitur verbum habere.

Secundo sumitur in vi nominis, & sic multipliciter: nam vel significat quamcumq; formam positiuam cuiuscumquè prædicamenti sit, in quo sensu communiter dicitur, quod priuatio, & habitus opponuntur priuatiuè, idest, priuatio, & forma qua priuat. Vel significat tertio modum quendam specialem haben di vestem, qui pertinet ad prædicamentum. Habitus, vt dicetur infra. Vel quarto significare solet vestem ipsam, qua quis induitur. Vel deniquè sumitur pro quadam facilitate, quam quis habet ad operandum suauiter, & promptè, quæ quia ex pluribus actibus solet generari, difficilè à subiecto mobilis appellatur ab Aristotele.

Dis-

Dispositio similiter, si in tota sua latitudine sumatur, definitur ab Aristotele, quod sit ordo habentis partes, idest, ordinatio, vel dispositio, quā habent partes alicuius rei inter se, propriè loquendo, quam subdiuidit ipse Aristoteles in tria membra. Secundùm locum. Secundùm virtuté. Et secundùm formam. Dispositio, quam habent partes alicuius rei in ordine ad locum pertinet reductiuè ad quantitatem, & directè ad prædicamentum situs. Dispositio partium secundùm formam, pertinet ad quartam qualitatis speciem, in qua ponitur pulchritudo.

Dispositio secundùm virtutem difficilè declaratur ab omnibus, cōsistit ergo in hoc quod rectè disponat, & ordinet potentiam, aut virtutem proximam in ordine ad suos actus, vel obiecta, cum enim actus sint partes potentiales, aut virtuales potentiæ, & potentiæ propter latitudinem, & indifferentiam, quam habent in ordine ad suos actus, sint defectibiles, & non ordinatè circa illos procedant, necessaria est qualitas illas disponens, habitus scilicet facilitans, & inclinans potentiam, vt suos actus cum debita, & recta dispositione producat: & etiam ipsi actus potentiarum dispositiones dicuntur; quia illis mediantibus, potētia ordinatè respicit sua obiecta, & etiam ipsi potentiam facilitant, producendo habitus ad hoc quod potentia eosdem actus promptè, & faciliter repetere possit.

Ex quo colligitur dispositionem, vel posse accipi genericè, prout continet sub se habitum: vel specificè pro quadam specie condistincta ab habitu. Similiter habit' sumi potest vel vt species distincta cōtra dispositionē: vel vt genus dispositionē sub se continens. Nā Aristot. definiuit habitum: est *dispositio ad quendā; secundùm quam benè vel malè disponitur dispositum aut in se, aut ad aliud. & 7. phis.* est *dispositio perfecti ad optimum*, in quibus dispositio assignatur, vt genus respectu habitus, & in prioribus illis verbis: *habitus est quo disponitur dispositum, aut in ordine ad se, aut ad aliud*, indicat etiam habitum esse genus respectu dispositionis, nam qualitas, quæ bene vel malè disponit subiectum in ordine ad se, dispositio vocatur, vt statim dicam, quæ vero disponit in ordine ad aliud, habitus.

Facile, & difficile mobile faciunt essentialiter differre habitum, & dispositionem.

Sic Boetius. Ammonius, Titelm. Villalpā. Louaniē. in hoc capite Sotus

Est ergo in præsenti difficultas; in quo consistāt habitus, & dispositio prout sunt particulares species inter se distinctę;

& an differant essentialiter. Prima sentẽtia ait habitũ, & dispositionem esse vnam speciem, solùmq; accidentaliter differre per hoc, quod habitus est qualitas difficilè mobilis, dispositio verò facilè mobilis à subiecto. Probatur primò ex Aristotele *in hoc capite*, qui de his qualitatibus docet primò esse vnam speciem. Secũdò dispositionem fieri habitum post decursum temporis, si nimis radicetur in subiecto; si autem distinctæ species essent, non posset vna in aliam conuerti: ergo.

Ratione secundò probatur: quia facilè, aut difficilè mobilè sunt differentiæ solùm accidentales: ergo non possunt differentiam causare specificam. Antecedens probatur in sanitate, aut ægritudine, quarum quælibet potest esse facilè, aut difficilè mobilis propter accidentales, & extrinsecas causas, quæ per accidens se habent ad qualitatis naturã: v.g. propter temporis inclementiam, aut planetarum aspectum: ergo non possunt distingui essentialiter.

Tertiò, vna species non potest in alterius transire naturam, sed dispositio vt ait Aristoteles, potest fieri habitus, ergo non differt specie ab illo. Minor probatur in qualitate, quæ producitur per primũ actũ, quæ non dicitur nisi dispositio, donec frequentatione pluriũ actuũ magis intendatur, & radicetur in subiecto. Tùm etiam in ægritudine, quæ in initio erat facilè mobilis, & dispositio, & postea inueterata, & difficilè mobilis à medicis dicitur habitus.

Deniquè perfectum, & imperfectum non variant speciem, se habitus, & dispositio tantùm per imperfectum, & perfectum distinguntur, ideò enim virtus est difficilè mobilis, quia perfecta est, facilè autem, quia imperfecta est: ergo, &c.

Communior tamen, & vera sententia est, per has differentias essentialiter distingui habitum, & dispositionem, licet non primariò, sed secundariò, vt constabit. Pro cuius declaratione notãdum est primò, esse facilè, aut difficilè mobilem conuenire posse, vel per se, ex intrinseca natura rei, ex eo quod essentialiter, & per se talis qualitas respicit causas immobiles, & constantes: vt scientiæ, quæ habent certas ac necessarias propositiones, & lumen intellectus circa illarum assensum omninò determinatum. Vel qualitas illa, quæ ex natura sua causas habet facilè transmutabiles; sic enim sanitas ex ordinato humorum temperamento constans, facilè mobilis est ab intrinseco, & per se: quia frigiditas, siccitas, & humiditas, qualitates sunt, quæ propter frequẽtes alterationes facilè transmutantur.

S.Th.1.2. q.49. ar. 2.ad 3. Scot°, Toletus, Caietan. Fonsec. Xua. Reuerẽd. Episc. Oña

Vel

Vel ergo facilè aut dificilè mobilè per accidens,& ab extrinseco conuenit:qua ratione propter densitatem materiæ calor difficilius remouetur à ferro, quàm ab aqua: & febris propter temporis diuturnitatem difficilè expellitur à subiecto: habitus etiã ex natura sua difficilè mobilis, per accidens propter ingenij imbecillitatem(quod facilè cõuincitur quauis ratione opposita) potest esse facilè mobilis.

Quo supposito dicẽdum est: si facilè, & dificilè mobile ab extrinseco sumantur,non diuersificare essentialiter habitum, & dispositionem, & hoc tantùm fortasse voluerunt Authores citati pro parte opposita,quia hoc tantùm probant eorum rationes,s.quod habitus,qui ex natura intrinseca sua est difficilè mobilis à subiecto, per accidens ex aliquo extrinseco sit facilè mobilis:& è conuerso,quod febris, quæ facilè mobilis est ab intrinseco, per accidens fiat difficilis remoueri:cum hoc tamen stat, quod facilè, & difficilè mobiles ab intrinseco sint differentiæ essentiales, neque poterit dari aliqua qualitas, quæ interdum sit intrinsecè, & essentialiter facilè mobilis,interdum verò difficilè mobilis etiam ab intrinseco,quia sunt differentiæ contrariæ, & repugnantes in eãdem specie.

Neque oppositum docuit Aristoteles, quando asserit esse vnam speciẽ dispositionẽ, & habitũ,nã loquitur de specie subalterna in qua vtraque species cõuenire potest, vt supra notaui. Quod verò ait dispositionẽ fieri habitum procedente tempore, intelligendum est de habitu, vel dispositione non secundùm rem,sed secundùm modum tantùm,vt aduertit Caietanus:quia quando habitus incipit generari,est in statu imperfecto,& non cum radicatione, quam postulat per se, & extra natura sua: ideò appellari solet dispositio non, quia essentialiter dispositio sit, sed quia modum, & imperfectionẽ dispositionis habet: sicut homo, quamuis essentialiter sit discursiuus, in ætate infantili, vel in amentia caret potestate proxima, & expedita ad discurrendum,& nihilominus simpliciter homo dicitur, licet secundùm quid irrationalis.Consonat autem literæ hæc expositio: nã philosophus non ait dispositionem fieri habitum, sed quasi habitum.

Primaria differẽtia essentialis inter habitum, & dispositionem declaratur.

Sed hinc oritur alia difficultas:nam esse facilè, vel difficilè mobile ab intrinseco conuenit alijs specieb' qualitatis: ergo nõ possunt esse primariæ differẽtiæ essentialiter constituentes dispositionem,

sitioné, & habitum: quænã ergo est ratio cõstitutiua habitus, ex qua illi prouenit per se difficilè remoueri à subiecto? & similiter ratio dispositionis, ex qua essentialiter facilitas vt à subiecto remoueatur? Reuera enim cũ facilè, vel difficile mobile ex causis valde diuersis proueniãt, non possunt ad vnam tantùm pertinere speciem, vel radicé, ac proinde nec habitum aut dispositionem primariò constituere.

Quâpropter omissis varijs explicandi modis, dicendum est; quod habitus est. *Qualitas ex natura sua instituta, vt disponat potentiam proximam, suppleatquè defectum illius in suo genere.* Potẽtia sumitur in hac definitione, nõ in tota sua latitudine pro quauis virtute productiua; sed pro facultate, quæ est primum principium proximum, pertinés ad secũdam qualitatis speciem, & hanc facultatem disponit, vel complet habitus, vel facilitaté tantùm illi tribuendo, & promptitudinem ad operandum, vt videre est in habitu acquisito, qui supponit potestatem simpliciter, non tamen expeditam, & facilem, idéoquè eam habilitare dicitur, vel habilem reddere: vel conferendo potentiæ potestaté simpliciter ad suos actus, vt patet in habitibus infusis, qui supponũt potẽtias omnino improportionatas, & insufficientes ad operandũ, ideoq; infunduntur à Deo, vt suppleant defectũ ipsarũ, tribuantq; cõplemẽtũ virtutis requisitę in ratione potẽtię.

Ideo namq; addidi vltimam illam particulam, *in suo genere*, ad excludendas species intentionales seu intelligibiles, quæ propriè non dicuntur habilitare potentias, quia licet determinent, & disponant in ordine ad suas operationes, non supplent aliquẽ defectũ ex parte virtutis potentiæ, sed ex parte obiecti respectu cui⁹ se habẽt, instrumẽta vt poti⁹ enim est de ratione taliũ specierum, quod potẽtias cõpletas, & omnino expeditas supponãt, species, v.g. intelligibilis virtutem intellectiuã cõpletam supponit, ideoq; habitus propriè nõ sunt.

Vnde immeritò Suarez, & alij has species collocant in specie habitus, quia nec sunt difficilè mobiles ex natura sua cũ pendeant à causis, quę omnio variabiles sunt. s. à phãtasmatibus, & ab obiectis externis: nec sunt habitus acquisiti, cum non tribuãt facilitatem potentiæ (quod communiter docent omnes de habitu acquisito) sed potestaté simpliciter in genere obiecti: nec sunt habitus infusi, quia isti semper supernaturales sunt, vt docent omnes Theologi, solumq; complent virtuté, quam potentiæ requirunt in suo genere: deniquè constat ex communi modo loquendi, nunquam enim species habitus appellare consue-

uit, sed potius habitus distinguit contra species.

Circa dispositioné est maior difficultas. Nam quidã asserunt in hoc distingui ab habitu, quod habitus disponit benè vel malè subiectũ in ordine ad operationé, dispositio verò in ordine ad esse: quæ sententia vera non est, nã disponere benè, vel malè substentiã quantùm ad esse, ad minus cõuenit qualitatibus tertiæ, & quartæ speciei, vt dicetur; disponere verò quantùm ad operari, ad primã, & secundã speciem, vt de habitu iam dictum est, & de naturali potentia constat: ergo dispositio, quæ est in prima specie, conuenit cum habitu in ratione quadã communi determinandi virtutem substantiæ ad operari, ac proinde aliquid addédum est, per quod distinguatur dispositio ab habitu. Confirmatur ex Aristotele, qui hanc dispositioné vocat secundùm virtutem, & distinguit eam à dispositione secundùm locum, & secundùm formam.

Dicendùm igitur est secũdo dispositio, vt distinguitur cõtra habitũ, est qualitas illa, quæ determinat, aut perficit potentiam proximã, vt talis est, extra lineã, & rationé illius. Potentia sumitur hîc eodé modo, ac in definitione habitus, quæ dupliciter, perfectibilis est, v. g. potentia intellectiua, vel per qualitates supplentes intrinsecũ defectum illius, conferentesq; cõplementũ efficaciȩ intellectiuæ in actu primo, & hoc præstãt habitus, ideo sic dicti, quia habilitãt potentiã intra lineã suam. Vel secundò perfectibilis est, extra talé lineã per comprincipia alterius rationis. s. ex parte obiecti, vel per actus secundos, aut terminos eorũ, & hoc secundo modo dispositio determinat potentiam proximã: quia supponit eã cõpletam in ratione potentiæ, vitalis v.g. & addit perfectioné alterius rationis, sicut causa formalis supponit completam causam efficientem.

Ex hoc colligitur primò: dispositioné subdiuidi in alias duas inferiores species. s. in dispositionem, quæ determinat potentiã per modum principij in actu primo, quales sunt species intentionales & intelligibiles: & in eã quæ determinat per modũ termini respiciétis obiectũ talis potentiȩ, qualis est verbũ mentis, omnes species expressæ, & qualitates amoris.

Colligitur deniq; ex dictis ratio, quare esse difficilè mobile per se consequatur ex natura habitus, & facilè mobile à subiecto ex dispositionis natura: habitus enim cum sit facultas determinans ex natura sua potentiã, & illi infusa vt cõplementũ intra lineã ipsius, postulat si perfectus sit, tantam stabilitaté sicut potétia: præterea habitus si sint

sint acquisiti comparantur labore, frequẽtatione, & exercitio plurium actuum, à quibus maximè, & tenaciter radicantur in subiecto, si verò sint virtutes, vel habius infusi, respiciunt, vt causas, vel principia certa, & euidentia vt scientiæ, vel honestatem, aut aliquam aliam rationem firmam, & stabilem, vt virtutes. Dispositio verò, vel est terminus productionis vitalis pendens in fieri, & conseruari ab illa, & sic constat non posse permanentem esse ex natura sua, sicut nec attentio potentiæ vitalis, vel operatio illius diuturna, aut stabilis est ex natura sua: vel est principiũ ex parte obiecti concurrens cum potentia, & sic pendet ab applicatione exterioris obiecti, si sit species intentionalis, & si intelligibilis humana, à phantasmate, quæ causę satis variabiles sunt, ac proinde, & qualitates, quæ ab illis in conseruari pendent.

Proponuntur, & soluuntur aliquot argumenta contra dicta.

Potest autẽ obijci de speciebus Angelicis, quæ illis inseparabiliter inhærent, & de visione beata, & actu charitatis in patria, qui ab intrinseco permanentes, & inseparabiles à subiecto sunt ex natura sua: è cõtra etiam habitus opinionis, vel erroris sunt facilè mobiles ex natura sua, quia respiciunt principia incerta, & fallibilia, habitus etiam omnes acquisiti generantur ab actibus, qui facilè mobiles, & inconstantes sunt, ideoquè inter dispositiones enumerantur, ergo doctrina posita nulla est.

Secundò obijcies Aristotelem 5. *met.* c. 20. vbi habitũ definiens, inquit: est *dispositio secundum quam bene, vel male disponitur dispositum; aut secundum se, aut ad aliud.* Vbi loquitur de habitu genericè, vt continet sub se dispositionem, & de illo docet aliquando disponere subiectũ in ordine ad se, id est ad esse: aliquando verò in ordine ad aliud, id est, in ordine ad operationem: male ergo assertum est, etiam dispositionem determinare, & perficere potentiam quantum ad operari. *Aristote.*

Confirmatur ex exemplo, quod adducit Aristoteles de sanitate, & ægritudine, quæ, vt constat, non sunt per se primò ordinatæ ad operationem. Adde gratiam iustificantem secundum communem Theologorum sententiam, & modum loquendi esse habitum ad hanc primam qualitatis speciem pertinentem, & tamen non est per se primò operatiua, sed immediatè est in essentia animæ, dans homini participationem diuini esse: ergo prima species perficit in ordine ad esse.

Deni;

Deniquè, qualitates, quę sunt termini producti per actiones intellectus, & voluntatis dispositiones sunt, vt nos libenter fatemur, & tamen minimè disponunt ad operari, sed potius supponunt operationes potentiarū, & eas terminant, ergo disponūt ad esse.

Ad primam difficultatē omissis varijs solutionibus. Dico primò: facile, & difficile mobile nō esse differentias primarias constituentes dispositionem, & habitum, vt tales sunt, imo nequè secundarias, mutuam, & conuertibilem connexionem habentes cum primarijs, vt iam supra animaduerti.

Ex quo patet, ꝙ si in alijs specieb⁹, qualitatis inueniatur ratio difficilè mobilis sine habitu (vt videre est in naturali potētia) & ratio facilè mobilis sine dispositione, (vt in passione, quæ pertinet ad tertiam speciem): ita aliquando, præsertim in casu raro, in dispositione inueniatur, quod sit difficilè mobilis, & in habitu, quod sit facilè mobilis. Neq; hoc est contra doctrinam superius traditam. s. quod difficilè ab intrinseco in habitu, & facilè mobile ab intrinseco in dispositione inferant diuersitatem essentialem inter vtrumquè: hoc enim ideò verum est, quia istæ differentiæ contrariæ sunt, & non possunt competere eidem speciei.

Cum hoc tamen stat, quod istæ differentiæ non sint primariæ, & conuertibiles cum habitu, & dispositione, ac proinde, quod possit aliquando dari habitus facilè mobilis, & dispositio difficilè mobilis: cęterum habitus, facilè mobilis distinguetur essētialiter in eo casu ab habitu difficilè mobili, & ab omni dispositione propter differentiā primariam supra declaratam: & similiter dispositio difficilè mobilis distinguatur essentialiter, non solùm ab omni habitu, sed etiam à dispositione facilè mobili, vt ex dictis patet.

Præterea dico secundò: omnis habitus ex suo genere postulat esse difficilè mobilis à subiecto, & dispositio similiter ex suo genere postulat esse facilè mobilis: cum quo stat, quod detur aliquis habitus ita imperfectus, quod non attingat perfectionē debitam sui generis, & propter hoc imperfectus dicatur, & huiusmodi sunt habitus erroris, vel opinionis, sicut in genere actus humani naturaliter petitur rectitudo moralis, & nihilominus peccatum, quod actus humanus est, illam non habet, & propter hoc imperfectus, & monstruosus dicitur, & in genere animalis multa sunt animalia imperfecta, quia non participāt eam sensibilitatē, quam postulat illud genus ex natura sua.

E contra etiam licet dispositio

tio ex suo genere hanc imperfectionem dicat, quod sit facilè mobilis à subiecto, stare potest cum hoc, quod ratione alicuius particularis differentiæ extrahẽtis ipsum genus ad maiorem perfectionem, aliqua dispositio sit difficilè mobilis, & huiusmodi sunt actus supernaturales in argumento enumerati: qui cum sint ordinis diuini, & participationes speciales diuinæ perfectionis, consequenter participant diuinam immobilitatem, & perpetuitatẽ. Species similiter Angelicæ, quia solùm respiciunt Deum vt Authorem: quemadmodum quamuis accidens ex suo genere imperfectius sit, quam substantia, nihilominus est possibilis aliqua particularis differentia, quæ eleuet tale genus ad perfectionem excellentiorem substantia, vt de gratia communiter docent Theologi.

Ex quo patet iam solutio ad omnes instantias primæ difficultatis. Solùm ad illam de habitu acquisito, respondeo ipsum non pendere à suis actibus in conseruari, sed tantùm in fieri, & ideò quamuis actus sint facilè mobiles, & transeuntes habitus permanent, præsertim cum ex frequentatione actuum magis intendantur, & radicentur.

Ex quo colligitur etiam, habitum opinionis, si non fuerit genitus ex rationibus inefficacibus, aut friuolis, sed habentibus magnam verisimilitudinem, esse difficilè mobilem ab intrinseco, quamuis non ita perfectè, sicut habitus scientificus. Ratio est, quia licet ex parte principiorum, & rationis suæ formalis, non habeat tantam immobilitatem, sicut scientia; rationes efficaciter probabiles conuincunt intellectum, & immobiliter illum determinant ad vnam partem, præsertim quando pro opposita non possunt naturaliter rationes vrgentiores excogitari.

Ad secundam difficultatem respondetur, Aristotelem in citatis verbis habitus, vel species intentionales vocat, dispositiones subiecti in ordine ad aliud, quia dicunt ordinem ad actus, quos elliciunt, actus verò ipsos vocat dispositiones subiecti in se, quia sunt vltimæ perfectiones ipsius subiecti, & non dicũt ordinẽ ad aliam rem, per quam intrinsecè perficiatur subiectũ, hęc tamen perfectio vltima non est solùm quoad esse, ita vt excludat operari à suo primariò conceptu, vt postea magis declarabo. Aristotel.

Ad exemplum, quod adduxit Aristoteles de sanitate, & morbo, respondetur vti illis, non vt doceat esse qualitates illius primæ speciei, sed ad explicandas qualitates talis speciei vtitur illis propter similitudinem,

&

& proportionem. Nam de morbo certum est formaliter loquẽdo nihil reale esse, sed tantùm priuationem sanitatis, quamuis pro materiali dicat qualitates illas disconuenientes, quæ talem priuationem inducunt. De sanitate etiam certum est non esse qualitatem simplicem, sed compositam, est enim temperamentum quatuor primarum qualitatum, quatenus ad certam moderationem, & proportionem rediguntur: hæ autem primæ qualitates in tertia specie propriam sedem habent, vt postea dicetur.

Similiter, & gratia iustificās; quia licet etiam sit operatiua medijs habitibus supernaturalibus, hoc conuenit illi secundariò: & primariò perficit animam ad esse, à Theologis autem appellatur habitus in latiori, & impropria significatione: nam potius distinguere solent gratiam ab omnibus virtutibus, & habitibus infusis, quando propriè, & rigorosè de habitu loquuntur.

Ad vltimum respondetur, supponendo ex libris de Anima actus potentiarum, prout sunt qualitates, & termini vitaliter productiuo munera habere: & procedere per emanationem à suis potentijs, ad modum, quo proprietates à natura substantiali dimanant: & esse rationes formales per modum imaginis, & impulsus, quibus medijs, potentiæ tendunt in sua obiecta, sicut ignis medio calore, qui prius ab ipso emanat, producit alium calorem.

Quo supposito respondetur: has qualitates supponere quidē emanationes productiuas, quas terminant, non verò actiones immanentes purè respectiuas obiectorum, sed ipsę vltimò, & primariò disponunt potentias in ordine ad has immanentes operationes, secundariò etiam producunt habitus, & dirigunt, vel excitant alias potentias ad operandum, actus v.g. intellectus, voluntatem; & actus voluntatis intellectum, & cæteras potentias, quæ quidem, quia non sunt huius loci, hîc amplius declarari nequeunt.

ARTIC. II.

Quid sit naturalis potentia, quid verò impotentia?

POtentiæ nomen multipliciter etiam dicitur. Primò enim sumi potest latissimè pro omni eo, quod in se repugnantiam non inuoluit, in quo sensu conuertitur cum ente, & distinguitur solùm ab impossibili, appellarique solet possibile, vel potentia logica.

Secundò sumi potest pro quacumque virtute, quomodocum-

cumque productiua siuè proxima, siuè remota, siuè actiua, siue passiua, & sic etiam est transcendens, nam omnis substantia est principiū radicale, & remotū respectu suarum operationum, & immediatum, & proximum respectu suarum proprietatum: & materia prima dicitur potentia passiua respectu omnium formarum: & habitus infusi, & species intelligibiles quatenus dant simpliciter posse; & sunt quædam virtutes productiuæ, dici possunt quædam potentiæ, sed non pertinent ad hāc secundam qualitatis speciem, sed ad primam vt dixi.

Solùm igitur potentia strictè, & prædicamentaliter sumpta, quæ hanc secundam constituit speciem, est illa facultas, quæ per se primò tribuitur à natura substantiæ, vt constituat eam primum principium proximum operatiuum, vel receptiuum. Per illam primam particulā *per se primò*, excludūtur aliquæ qualitates, vt calor & frig⁹, & obiecta sensuum externorum, quatenus causare possunt species intentionales, quę licet sint principia proxima operandi, non pertinent propriè ad speciem naturalis potentię, nec in ea sunt vnquam ab Aristotele collocatæ: quia non sunt formalitates per se primò institutę ad agendum, sed sunt formæ quædam, vel dispositiones formaliter afficientes subiecta sua, vt conuenienti modo conseruent vnionem cum materia, vt patet in calore animalis, in frigiditate lapidis, &c.

Quod verò sint principia agēdi habent concomitanter, & secundariò: quæ doctrina est Suarez *disp. 42. sec. 4.* est tamen intelligenda cum sua limitatione, nam de calore negari non potest, si sumatur in gradu nimis intenso, & vt est propria passio congenita substātiæ ignis, quod sit potentia proxima ignis, illi per se primò ad operandum instituta: quia substantia ignis non est immediatè operatiua, & est per se primo instituta ad cremandum, & alium ignem producendum, ergo media aliqua potentia proxima superaddita hoc præstare debet: non est alia nisi calor: ergo. Suarez.

Et idem fortasse continget in alijs qualitatibus, nullum erit inconueniens, quod secundùm status realiter diuersos, sub diuersis cōtineātur speciebus. Quod verò in exēplo posito calor habeat statum realiter diuersum prout est in igne, patet: quia aliàs non posset dici propria passio illius, vt tenet communis sententia, quia conuenit multis alijs substantijs præter ignem, idemquè de frigiditate respectu aquæ dici potest, quod Suarez non animaduertit.

Rursus, dicitur naturalis potentia

potentia *primum principium operandi*, vt distinguatur ab habitu, & speciebus intentionalibus, quæ non sunt prima principia, nec immediatè determināt substantiam, sed sunt dispositiones naturaliter consequentes primū operādi principium. Excluditur etiam ipsa substātia, licet sit primum principium, quia nō est principium proximum, & si sit proximum, non respectu operationis, sed tātùm respectu emanationis, & quamuis etiam respectu operationis constituamus substantias esse immediata principia, vt aliqui volunt, sufficienter excluditur à definitione assignata per rationem genericā qualitatis, quæ subintelligitur in his definitionibus specierum qualitatis, & per illā particulam: *facultas per se primò tributa substantiæ*, per quam ratio generica qualitatis exprimitur.

Ex qua definitione colligitur, in hac specie naturalis potentiæ collocari non solum potentias rei animatæ, quales sunt omnes sensus interni, & externi, potentia generatiua, nutritiua, motiua, & similes, sed etiam potentias rei inanimatæ, vt dixi de calore, & patet de grauitate, & leuitate, quæ sunt principia proxima, quibus grauia & leuia causant suos motus.

Colligitur secundò: quam verum sit, quod communiter dicitur. s. quod quantitas, relatio, & cætera prædicamenta, non sint operandi principia: quia omne principium operatiuum est qualitas: nam si est primum operandi principium, est qualitas secundæ speciei, & si est principium superadditum alteri priori, est habitus, vel dispositio, pertinēs ad primam qualitatis speciem.

Præterea, cætera prædicamēta accidentium sunt tantū quidam modi, & non entitates diuersæ: modus autē præcisè non est operatiuus: ergo nihil præter qualitatem est principium operatiuum.

Dubitari autem solet circa hanc speciem, vtrum in ea constituatur potentia passiua, sicut ponitur actiua? Quidam negāt: quorū fundamētū est: quia ratio potētiæ passiuæ, quomodocunq; explicetur, diuagatur per alia prædicamēta; potētia enim, quā habet materia prima ad recipiendas formas, est ipsamet essentia substantialis materiæ primæ, & non qualitas, vt omnes fatētur, similiter potentia passiua, quam habet quantitas ad cætera accidentia recipienda, non distinguitur ab ipsa quantitate: ergo talis potentia non constituit speciem distinctam à re, cuius est.

Præterea ratio à priori est, quia potentia passiua dicit imperfectionem, & priuationē alicuius perfectionis, à qua postulat perfici, & ideo cuiuscumq; rei quantumuis imperfectæ cu-

iuscumque alterius generis conuenire potest, quia ad hoc satis est, quod illi repugnet talis perfectio. At potentia actiua dicit perfectionem & virtualem continentiam effectus producendi, quam non habet completam se sola substantia, & ideo indiget qualitate superaddita, quæ sit proximum agendi principium: ergo &c.

Sed hęc, & similia parum vrgent: nam potentia substantialis materiæ primæ sufficienter exclusa est rationibus, quibus potentia radicalis substantiæ reijcitur, vt ex dictis constat. Rursus de quantitate iam dixi, nullatenus esse potentiam receptiuam formaliter, vt talis est, sed crassitudo illa seu moles, quæ est subiectum quo, respectu aliorum accidentium, est de genere qualitatis, & huius speciei.

Ratio item vltima minus efficax est, nam licet potentia passiua imperfecta sit respectu actiuæ, vel respectu formæ, quã recipit, dicit nihilominus perfectionem aliquam inquantùm habet positiuam capacitatem recipiendi, & sustentandi formas, quas recipit, quinimo propter hanc rationẽ, quantitas illa, quæ dicitur subiectum *quo* respectu aliorũ accidentium, dicitur perfectior illis, asseriturquè ab schola S. Thomæ 3. *parte, q. 7. de Eucharistia*, quod supposita miraculosa illa ipsius quantitatis à substantia separatione, ea sola gerit vicem materiæ substantialis, & naturaliter se sola sustinet accidentia cætera.

De potentijs etiã immanentibus, & vitalibus omnes fatentur, esse simul actiuas, & passiuas, & de genere qualitatis secũdùm vtramquè rationem. Quinimo probabile satis est has potentias principalius esse passiuas; nam intelligere, est quoddã pati, vt ait Aristoteles, atq; adeo potentia vt formaliter intellectiua est, tantùm habet recipere verbum mentis, & in tali receptione formalis intellectio consistit, sic tenent Scoti familia, & multi alij ex S. Thomæ discipulis, sed de hoc suo loco dicemus.

Nunc breuiter dico etiam potentias passiuas sub hac specie compræhendi, siquidem absolutè naturales potentiæ dicuntur. Maximèquè perficiunt substantiam, quatenus complent illam quoad rationem substandi, quæ est substantiæ maximè propria, vt ex suo nomine constat.

Quid dicendum, de naturali impotentia?

Circa nomen *impotentiæ* est dubium, an sit qualitas diuersæ specie à naturali potẽtia. In qua re supponendum est, quod propriè hoc nomen *impotentia* significat carentiam potentiæ, siuè sit priuatio, siuè negatio, & sub hac significatione certũ est non per-

pertinere ad genus qualitatis neque ad aliquod genus entis: quia non est aliquod ens positiuum. Alio vero modo dicitur impotētia positiua quædam imbecillitas, vel ineptitudo aliquid agendi, & sic est quædā potentia debilis, & infirma, qualis est, hebetudo ingenij ad percipiendū, vel debilitas, quā puer, vel infirmus habet ad currendum, vel alias actiones similes exercendas.

Quo supposito respondetur: naturalem potentiam, & impotentiam non distingui specie, sed solum secundum magis, & minus perfectum: intra eandē speciem. Probatur quia facilè & difficiliter operari, aut resistere, nō solum conuenire potest potentiæ eiusdem speciei, sed etiā eidem numero: nam homo infirmus, & postea sanus: Puer, & postea iuuenis, & tandem senis, easdem numero potentias habet, & interdum dicuntur naturales potentiæ, interdum impotentiæ, quando sunt debiles, & infirmæ: ergo non sunt species diuersæ.

Confirmatur, quia potentiæ naturales distinguntur per ordinem ad actus, vel obiecta, sed naturalis potentia, & impotentia versari possunt circa eundem actum, & obiectum, vt patet in exemplis positis, imo fere nulla est potentia, quæ in exercitio priorum actuum non sit valde impotens, & infirma, donec paulatim exercitio, & frequentatione reddatur expedita.

Deniquè quia vel impotentia ad operandum, vel resistendum conuenit alicui rei ab extrinseco & accidentaliter; vel essentialiter, & ab intrinseco. Si primum dicatur, habetur quod intendimus, s. quod non sint species diuersę. Si vero secundū dicatur, talis ineptitudo, cum formaliter in negatione consistat, non potest vt talis est, constituere aliquod genus entis. Solū fundamētum positiuū, in quo, per se fundatur talis negatio, erit per se species alicuius generis, & si sit aliquo modo potentia, quamuis respectu illius perfectionis, quam non virtualiter continet, impotentia dicatur; respectu illius quam positiuè continet, dicitur naturalis potentia: mollicies, v.g. licet sit essentialiter impotentia ad resistendum, est tamen naturalis potentia ad diuisibilitatē. s. vt res diuidatur.

Ex quo colligitur differentia, inter vnam, & alteram impotentiam; quod impotentia ab intrinseco, & in negatione consistit formaliter, & ex negatione virtualis continentiæ oritur, & ideo non potest ad speciem aliquam pertinere. At impotentia ab extrinseco supponit positiuam virtutem etiam respectu illius, in ordine ad quod dicitur

impotentia, & ratione alicuius impedimenti, aut dispositionis contrariæ difficulter operari potest illud, & quamuis reduplicando rationem formalem impotentiæ, hæc posterior etiam aliquam negationem importet, non collocatur in hoc prædicamento, nisi quoad fundamentum, & materiale.

ARTIC. III.

Quid sit passio, & passibilis qualitas?

PAssionis nomen, plures habet significationes, primò significare solet proprietates, seu passiones cuiuslibet rei, & sic per plura vagatur prædicamenta, & frequentius per alias species, præsertim ad secundam speciem naturalis potentiæ pertinere solent. Risibilitas, v.g. quæ est propria passio hominis, calor qui est proprietas ignis, &c.

Secundo sumitur pro receptione cuiuscumquè formæ: nam omne recipere, est pati, & sic constituit prædicamentum passionis. Tertio sumitur pro quodam actu appetitus sensitiui cū aliqua transmutatione, vel passione corporali coniuncto, quo pacto ira, gaudium, dolor, & tristitia, passiones dicuntur animæ, quia ex propria conditione habent causare aliquam alterationem in corpore, vel calorem, vel frigiditatem, &c.

Deniquè, & ad propositum, sumitur passio pro illa qualitate, quæ est effectus passionis. Tertio modo sumptæ, quæ.s. causatur ex subita aliqua mutatione, qualis est (*vt inquit Aristotel.*) color rubeus, qui nascitur ex verecundia, vel color pallidus ex timore prouenìens, ideoq; passiones dicuntur, quia ex passione causantur.

Rursus: passibiles qualitates, dicuntur, quæ aliquam mutationem in sensibus causant, & diu durant in subiecto, qualiter dulcedo immutat gustum, color visum, & omnes aliæ qualitates, quæ sunt obiecta sensuum externorum. Dicuntur autem passibiles qualitates, *vt ipse Aristotel. aduertit*, non quia ipsæ aliquid patiantur, sed quia sensus patiantur ab illis.

Hoc supposito: dicēdum est in hac re, passionem & passibilem qualitatem non differre essentialiter, sed tantùm accidētaliter. Ita est communis sententia, docetquè eam expressè ipse Aristoteles dicens, *fieri posse, vt idem color, qui ex pudore, vel alia simili passione in vno homine causatur, & cito transit, in alio sit connaturalis, & permanens*. Patetquè ratio-

ratione, quia diu, vel paruo tẽpore durare, ab hac, vel illa causa prouenire, quid extrinsecum, & accidentarium est qualitati: ergo non potest ex his differentijs varietas essentialis oriri.

Neque valet respõdere, quod durare ab intrinseco, & breuiter transire, indicia sunt distinctionis essentialis; quia quamuis hoc verùm sit, non poterit probari possibilem qualitatem diu permanere ex intrinseca natura, & passionem breuiter transire, sed potius experientia constat, eundem colorem, aut calorem prouenire ex multiplici causa, & si proueniat ex habita passione cito transire, si verò ex causa diuturniori. s. ex tali temperamento, diu permanere.

Præterea cum diu permanere, aut cito transire, reperiantur in alijs qualitatis speciebus (vt animaduerti tractando de habitu, & dispositione), non possunt esse differentiæ essentiales alicuius determinatæ speciei, ac proinde nec constituere, & distinguere essentialiter passionem, & passibilem qualitatem, neque Aristoteles definitiones positas adduxit tamquàm essentiales, sed solùm per illas descripsit duas differentias accidentales huius speciei.

Rogabis quænam sit essentialis, & communis ratio huius tertiæ speciei? Respondetur consistere in hoc, quod sit qualitas determinans, vel perficiens primò, & per se esse substantiæ quantùm ad intrinsecam profunditatem illius. Quam definitionem sic explico: cum enim qualitas in communi sit determinatio, vel perfectio substantiæ, vt dictum est, dupliciter substantia terminabilis, aut perfectibilis est, vel quantùm ad esse, vel quantùm ad operari. Quantùm ad operari perficitur per qualitates primæ, & secundæ speciei vt satis declaratum est, ergo per qualitates tertię speciei non potest perfici, nisi quantùm ad esse.


Rursus, quia si per qualitates quartæ speciei, quæ est forma, vel figura, perficitur esse substantiæ quantum ad exteriorem superficiem vt explicui *ar.1.* sequitur quod qualitas tertiæ speciei, sit solùm perficiẽs esse substantiæ quantùm ad intrinsecam profunditatem illius, addidique primò, & per se hoc illi conuenire: quia secundariò, & concomitanter possunt determinare substantiam etiam quantùm ad operari.

Ex quo colligitur, omnes primas qualitates: nempe calor, frigus, humiditas, & siccitas: & similiter secundas, quæ ex mixtione primarum resultant, vt odor, sapor, & omnes colores, & etiam passiones appetitus quantùm ad exteriores, & corporeas mutationes ab appetitu imperatas,

ratas, vel causatas collocari in hac tertia specie: quia hæ omnes primò, & perse sunt institutæ vt conseruent vnionem formæ substantialis cum materia. Quapropter dici solent dispositiones concomitantes *esse substantiæ*, inter quas, quædam sunt simpliciter necessariæ, quędam vero ad melius, vel perfectius esse, ideoquè in hac specie collocantur sanitas, & recta humorum temperies, & gratia iustificans, vt supra diximus, & quamuis omnes istæ qualitates habeant causare species sensibiles in sensibus, vel alios effectus, hoc habent secundariò, & consequenter.

Inquires: an quãdo vna qualitas perficit substantiam, vtroquè modo, & quantum ad esse, & quantum ad operari, possit sub diuersis formalitatibus ad diuersas species pertinere? Respondeo: in his casibus pertinere simpliciter ad eam speciem, cuius formalitatem primariò participat (quidquid sit de alijs rationibus secũdariò illi conuẽientibus.) Sed hęc de qualitate sufficiant, quia de quarta specie, iam supra dictum est.

* * *



QVAESTIO III.

De actione, & passione.

ARTIC. I.

DE sex vltimis prædicamentis latè disseritur in philosophia, & in metaphysica, ideoquè ab omnibus breuiter hìc tanguntur, solùm igitur distinctionem, quam inter se habẽt, declarare conabor: quoniam illam tantùm hic logica desiderat: primò ergo circa duo priora.

Suppono in cuiuslibet effectus productione. v.g. in productione caloris quinq; communiter reperiri. Primum est agens, quod producit, v.g. ignis. Secũdum, effectus productus, qui est calor. Tertium, subiectum, quod recipit in se calorem productũ, vel in quo producitur calor. Quartum, ipsa actualis productio, vel exercitium principij producẽtis, quę formaliter, neq; est res producẽs, neq; res producta, sed modus quidam, vel exercitium rei producẽtis, vel ipsa dependentia actualis rei productę, quæ formalitas quædam medians est, inter vtrumquè extremum, & extra essentiam vtriusquè. Nam potest in re manere causa productiua sine actuali productione, vt manifestè cons

tat

tat experientias. Potest similiter effectus productus, transacta iā actuali dependentia ab agente, manere in re sine illa, vt patet in his, quæ solùm in fieri, & non in cōseruari à suis causis pēdent.

Quintum deniquè, est receptio caloris producti in subiecto, quæ similiter eâdem distinctione differt à subiecto recipiente, & termino recepto, ac distingui tur actio ab agente, & à termino producto: quia potest esse in re subiectum sine tali receptione, & calor similiter saltem miraculosè. Vt patet in Hostia cōsecrata, quādo calefit, vbi producitur calor sine subiecto *quod*, & quamvis sit in quantitate, vt in subiecto *quo*, potuit à Deo etiam extra illam produci.

Hoc igitur supposito, patet iam, quid sint actio, & passio, & quomodo inter se, & ab alijs prædicamentis differant? Actio enim est *Modus accidentalis, quo mediante agens actu influit, vel exercet suam virtutem actiuam circa effectum, vel obiectum.* Modus accidentalis ponitur, ad excludendas emanationes, quæ latè, & transcendenter actiones dicuntur, non sunt tamen modi accidētales superadditi, quia non distinguuntur ab vtroq; extremo. Reductiuè tamen pertinere possunt ad hoc prędicamentum propter proportionē cū alijs actionibus, & quia saltem ratione distingui possunt, sicut relatio à suo fundamento.

Omitto alias definitiones, quibus describitur actio, *Ist fieri prout ab agente*, vel est *dependentia effectus à causa*, quia solùm conueniunt actioni transeunti, & productiuæ non verò actioni in communi, prout abstrahit ab immanente, & transeunte. quomodo est generalissimū huius prædicamenti, vt docet Aristoteles *c. de actione*, & exemplificans tā in actionibus immanētibus, vt in dolore, & tristitia, quā in actionibus transeuntibus, vt in calefactione, & frigidatione. Et 8. *met. tex.* 16. diuidit actionē prædicam. in transf. & immanen. *Aristote.*

Existimo autem actiones immanentes formaliter vt tales sunt, veras productiones non esse, sed quosdam respectus, vel tendentias vitales potentiarum in obiecta, non in effecta.

Quę doctrina latè à me alibi probanda, & declarāda est: quia non est huius loci, nunc autem satis sit in confuso supponere, quod sicut in igne, & est considerare calorem, qui emanat, vel resultat immediatè ex ipso, & in ipso igne, & etiā productionem, per quam ignis mediante calore in se recepto, producit alium calorem in subiecto extrinseco, ita in potentia intellectiua v.g. est primò considerare emanationem cuiusdam qualitatis, quæ recipitur in ipso intellectu, & dicitur verbum

 mentis,

mentis, vel imago, aut repræsentatio obiecti, & secũdo est quædã attentio seu tendentia vitalis mediante hac imagine ad obiectum in ea repræsentatum, & hæc dicitur intellectio obiecti, quæ posterior actio non est productiua verbi, sed tantùm respectiua obiecti, in verbo supponens iam verbum per emanationem productum, & in illo tamquàm in imagine contemplans obiectum.

Dicitur tamen propriè actio, quia est modus quidã accidẽtalis, per quem formaliter exercetur potentia intellectiua, prout intellectiua est, & mediante illa actualiter tendit ad obiectum, sicut causa producens ad effectum. Idemquè proportionabiliter dicendum est de alijs potentijs cognoscitiuis, vel appetitiuis.

Cui tamen non placuerit hic modus dicendi, præsertim cum sine probatione hîc supponatur, sed voluerit has etiam actiones productiuas esse, maiori facilitate defendet ad hoc prædicamẽtum pertinere propter maiorem conuenientiam, quam cũ actionibus transeuntibus habent.

Constat iam quomodo passio definiri possit: est enim *modus accidentalis, quo mediante subiectum actu recipit in se effectum agentis*, vel est *actuale exercitium subiecti recipientis*.

Ex quo colligitur, quod sicut inter actiones, quædam sunt simplices emanationes, quæ non sunt modi accidentales superadditi v. g. ipsa actio prædicamẽtalis, quæ immediatè emanat ab agente, & non media alia actione, & subsistẽtia immediatè manat à substantia: ita inter passiones, quædam sunt modi accidentales superadditi, quædam verò minimè, vt sessio, vel vnio, & quotiescumquè recipitur aliquis modus, & non forma habens entitatẽ propriam. Nam sicut ipse modus receptionis nõ indiget alia receptione superaddita, vt in subiecto sit, sed se ipso formaliter habet, quod sit ipsa receptio, vel vnio ad subiectum, ita quicumquè alius modus, cum sit essentialiter actualis inhæsio, vel modificatio subiecti, non indiget alia modificatione, vt illi vniatur, imo est illi intelligibilis, ideòquè animaduerti supra modos nõ propriè inhærere alicui subiecto; aliàs modi substantiales inhærerẽt, quod est contra naturam entis substantialis, sed tantùm modificare, quod longè diuersum est.

Colligitur secundò non quãcumq; actionem inferre passionem, aut esse cum passione coniunctam, quia quotiescumquè producitur aliqua substantia cõpleta nulla est passio propriè loquendo, cum substantia sit ens per se existens, & non in alio receptum, & similiter si accidens

cidens miraculosè produceretur à Deo extra subiectũ, quod postulat ex natura sua, esset tantùm actio, & non passio, cæterùm quando producitur forma substãtialis, vt vnita alicui subiecto, vel quando forma accidentalis vt inhærens, tunc propria est passio inseparabilis in re ab actione, modo postea declarando.

Actio ergo transiẽs communiter diuiditur in creationem, & generationẽ. Creatio est *productio alicuius rei ex nihilo*, id est, ex nullo præsupposito subiecto, vt creatio Angeli, vel cæli, & huic nulla passio correspondet. Generatio verò est *productio alicuius rei ex aliquo præsupposito subiecto*, vel dependẽter ab illo, de quo latè in philosophia, & hæc semper cum passione coniungitur.

Circa proprietates actionis, & passionis, duas. s. quas hîc enumerauit philosophus, s. habere contrarium, & suscipere magis, & minus; obseruandum est, non conuenire omnibus actionibus, & passionibus, nec conuenire illis, nisi ratione terminorũ: quia conueniunt illis actionibus, quę versantur circa qualitates contrarium habentes, simulquè intensionem, aut remissionem, secundùm quas suscipere dicuntur ipsæ actiones magis, & minus, vt calefactio frigefactio, &c.

(2)

ARTIC. II.

Quomodo actio, & passio inter se distinguantur.

ADhuc confusa remanet actionis, & passionis natura, nisi vtriusquè distinctionem exponamus: & quidem saltem formaliter distingui, ferè nullus est, qui dubitet, quia sunt duo prædicamenta, & genera diuersa: quæ enim genere differunt, plusquam specie distinguntur, sed quęlibet distinctio specifica est formalis, & essentialis, ergo à fortiori distinctio generica, & non quomodocumquè generica, sed in supremis generibus, essentialis erit.

Difficultas autem præsens procedit de distinctione reali, an s. realiter distinguãtur hæc duo prædicamenta, vel solùm ratione ratiocinata cum fundamento in re? Estquè sermo de actione generatiua, quæ habet necessariam connexionem cum passione.

Prima sententia, quam communiter multi recentiores huius temporis defendunt, asserit actionem nullatenus realiter à passione distingui, cui' fundamẽtũ est, quia actio realiter subiectatur in passo, & quatenus recipitur in illo, dicitur passio, & prout con-

consideratur emanans ab agente, dicitur actio; vnde in sententia istorum actio reduplicatiuè, vt actio est, nullum subiectum habet, nam quatenus in subiecto est, passio dicitur. Probatur 1. ex Aristotele 3. *physic. c.* 3. vbi eundem motum, ait, esse actionem, & passionem, esseq; actum agētis, & patiētis, illi⁹ vt à quo, huius vt in quo: vbi etiā S. Tho. Idéq; docet 9. *me. c.* 9. vbi asserit actionem esse in rē facta, *vt* ædificationē in re ædificata, idē etiā *lib* 2. *de anima, c.* 2. *tex.* 24. *&* 26 *& lib.* 3. *c.* 2. *tex.* 139. vbi expressè ait actionem, & passionem in eo esse, quod patitur, & inde infert necessariū nō esse, vt quod mouet, moueatur, & *tex.* 40. *actio,* inquit, *& passio non in agente est, sed in eo quod patitur*: sed actio prout est in passo, est realiter passio, ergo sunt realiter idē. Eādē doctrinam habet S. Tho. *opusc.* 48. *post tractatum* 5. *c.* 2. *de passione* illis verbis: *dictum est autem quod actio quæ subiectiuè est in patiente, denominat agens.* Ratione probatur secūdò, quia actio est modus intrinsecus rei, quæ producitur: est enim modus dependentiæ ipsius ab agente, sed res producta est in passo: ergo etiam modus intrinsecus illius, ac proinde actio erit realiter passio. Tertiò: quia in hoc distinguntur actiones immanentes à transeuntibus, quod actiones immanentes subiectantur in agente, transeuntes verò in passo extrinseco, ideoque sic dicuntur, quia transeunt extra agens ad externam materiam, sed actio transiens prout recipitur in passo dicitur passio: ergo non distinguitur ab illa realiter.

Aristot.

S. Thom.

Secunda sententia docet, actionem, si consideretur prout se tenet ex parte agentis, esse modum intrinsecum illius, eiquè tā quam subiecto inesse, ac proinde realiter à passione distingui; quia passio extra agens existit. Hanc sententiam existimo veram & tenendam: quia in primis illā expressè docent, vtriusquè scholæ parētes S. Thomas, & Scotus. Scotum enim sequitur sua familia, & S. Thomam, Caietanus, & multi alij grauissimi Thomistæ.

S. Thom. 2. contra gentes, c. 9. q. 7. de potentia, ar. 9. ad 7. 1. p. q. 25. ar. 1. vbi Caiet. Hispalen. Flandria. Scotus, Anton. Andreas. Paulus Venetus, Auicen.

Quod enim sit expressa sententia S. Thom. probatur: nā in 5. *dist. to.* 25. *q.* 1. *ar.* 4. probat actionem, & passionem non esse idem numero accidēs, *Quia sunt in diuersis subiectis, actio. s. in agente, & passio in patiente.* Vnde nihil clarius dici potuit. Rursus secundo contra gentes, *c.* 9. postquam dixerat actionem Dei non distingui à potentia creatiua, & ipsa substātia Dei, sicut nequè operationem intellectualem (vt vtramquè actionem, tam immanentem, quàm trāseuntem comprehendat) probat illud duplici ratione.

Prima: actio est quoddam cōple-

plementum potentiæ, & comparatur ad illam, sicut actus secundus ad primum, sed diuina potentia non potest ab alio compleri quam a se ipsa, ergo ipsa est sua actio. Quæ ratio nihil valeret, si actio esset modus se tenēs ex parte termini producti, denominans illum dependentem à potentia, quia sicut non est contra infinitatem diuinæ potentię, quod creatura dependens ab illa distinguatur ab ea realiter, ita neque modus dependentiæ, qui se tenet ex parte creaturę imperfectionem argueret, si in eo tantum consisteret actio.

Sed per secundā rationē magis se declarat S. Doctor, quæ sic se habet: *Actio quæ non est ipsa substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto: quia actio inter nouem prædicamenta accidentis computatur, sed in Deo non potest esse aliquid per modum accidentis: ergo sua actio non potest aliud esse ab eius potentia.* Et in his duabus rationibus fundatus S. Doctor in alijs mille locis (vt ait Caiet. 1. *p. q.* 25. *ar.* 1.) quotiescumque agit de actione Dei, siue creatiua, siue conseruatiua, asserit nullatenus distingui à potentia, & substātia Dei: quoniā aliàs illi accideret: quia supponit actionem subiectiue in agente esse, si enim esset in termino extrinseco, rueret tota eius doctrina, neque esset aliqua apparens ratio, quare deberet identificari actio cum potentia Dei.

Caietan.

Præterea *q.* 7. *de potent. ar.* 9. *ad* 7. inquit: *quod actio vt actio, cōsideratur vt ab agēte, in quantū verò est accidens, consideratur vt in agente: quia. s. proprium subiectum illius est agēs.* Aducitq; hoc exemplum, ad probandum, & declarandum idem in relatione, de qua ibi est sermo, quæ vt relatio est, dicit ordinem ad terminum, & vt accidens, est in fundamento tamquàm in proprio subiecto. Et *ar.* 10. *ad* 1. postquā dixerat actionem esse mediam inter agens & patiens, vt denotet magis se tenere ex parte agētis, quam ex parte termini, subdit: *Et præcipuè cum ipsa actio media, sit quædam perfectio propria agentis.*

Vnde quamuis S. Thom. in cōmento philosophi oppositum docuisset (de quo postea dicam,) facilè responderi posset, quod ibi processit vt commentator, & in locis à nobis citatis vt proprius author, & ex propria sententia dictans, vel retractans, si fortè aliquid oppositum antea docuit.

Ratione item declaratur existentia actionis in agente.

Ex verbis S. Doctoris colliguntur argumenta non inualida pro hac sentētia. Primum est, quod actio est, quoddam genus speciale accidentis essentialiter diuer-

diuersum à passione, & cæteris prædicamentis, non solùm in in quantum actio, sed etiam in quantum accidens: ergo debet dicere ordinem non solùm ad agens, tamquàm ad principium, sed etiam tamquàm ad subiectum. Probatur consequentia, quia ratio accidentis in communi consistit in ordine ad aliquod subiectum: ergo vbi est diuersa ratio accidentis, diuersus ordo ad subiectum debet esse, sed ordo ad passum tamquã ad subiectum constituit passionem, ergo actio hunc ordinem non potest formaliter dicere, dicit ergo illum ad agens, tãquàm ad proprium subiectum.

Neque valet, quod respõdet Suar.s. sufficere, quod actio respiciat subiectum denominationis licet non inhæsionis. Hoc enim in primis, est contra secundam rationem, quàm adducit S. Thom. in 2. contra Gent. citato, in qua infert actionem, quę distinguitur ab agente, debere illi inesse vt accidens in subiecto, ex eo quod actio est vnum ex nouem prædicamentis accidentis. Et etiam *q.7. de potent.* vbi inquit, *quod vt actio est ab agente* vbi subiectum denominationis cõstituit, *& vt accidẽs est in agente* per quod subiectũ inhæsionis significat, & distinguit à subiecto denominationis.

Suarez.

S. Thom.

Præterea manifestè impugnatur, quia ratio accidentis constituitur solùm per ordinem ad subiectum inhæsionis; nam subiectum denominationis, quodlibet prædicatum substantiale illud habet: vt in hac prædicatione, *homo est rationalis, vel animal.* Si dicas: quod denominatio debet esse accidentalis subiecto. Contra: vel accidentalis intrinseca, vel extrinseca. Si primum, habebit iam talis denominatio proprium subiectũ inhęsionis, quod intendimus. Si verò sit extrinseca, non erit accidens propriè prædicamentale respectu talis subiecti, quia non adest, & abest illi: neque est aliquomodo in illo, de ratione autem accidentis prædicamentalis est, quod dicat saltem aptitudinalem inhærentiam ad subiectũ. Quis enim dixit intellectionem esse accidens subiecti quando illud denominat extrinsecè cognitum? Tantùm enim per ordinem ad potentiam intellectiuam accidens dici solet.

Secundò probatur, ex essentiali ratione ipsius actionis, & ex varijs attributis, quæ illi tribuuntur à D. Thom. & omnibus philosophis. Dicitur enim exercitium agentis, & complementum virtutis actiuæ sed virtus actiua est intrinseca ipsi agẽti: ergo exercitium, & complemẽtum talis virtutis est modus intrinsecus illius. Patet conseq. nam sicut intelligibilis est modus

dus

dus sine re modificata, ita exercitium sine re, quæ exercetur, & complementum sine re, quæ completur; ergo neque actio sine virtute actiua esse, aut intelligi potest. Patetque etiam in quocumque alio exercitio: nulla enim res dicitur exerceri per rem aliam omninò distinctam: vt patet in existentia, quæ dicitur exercitium essentiæ, & in causalitate cuiuscumque alterius causæ. Item actio dicitur actus agentis: ergo comparatur ad illud tamquàm forma intrinseca. Responderi solet, quod est actus egrediens ab agente, & illi extrinsecus. Sed contra hoc est, quod etiam effectus dici posset, actus agentis non manens, sed egrediens ab illo, quod nemo dixit.

Quod si dicas, solú dici actionē id, quod immediatè emanat, & actum, quod mediatè vt effectus. In primis hoc voluntariè, & absquè vlla ratione dicitur: quia sicut communiter distinguimus actum primum, & secūdum, possemus effectum dicere actum vltimum, si nō obstaret, quod est extrinsecus, & ideò ei non conuenit ratio actus, de cuius ratione est, quod actuet.

Præterea, cōtra hoc est, quod termini producti per actiones immanentes, ita mediatè procedunt à suis potentijs, sicut termini producti per actiones transeuntes, & tamen dicuntur actus, eo quod sunt formæ existētes in ipsa: ergo ratio propter quam omnis actio est actus agētis, & non omnis effectus, est quia actio est forma intrinseca illius, non verò omnis effectus.

Rursùs, actio non solùm dicitur actus, sed etiam actualitas, actuatio, determinatio agentis, reductio illius ad actum, actus secundus complens primū, quæ, & similia dici non possunt, nisi cum magna improprietate, & violētia de aliquo extrinseco, & incredibile est, tot denominationes improprias eidē rei tam communiter attribui: ergo cum hæc omnia propriè tantùm dicantur de forma intrinseca, idem de actione dicendum erit.

Vlterius, per actionem tamquàm per formam constituitur agens actu producens, sed posse producere est intrinsecum: ergo & actu producere, est intrinsecum.

Dices, per hoc solùm quod egrediatur effectus à potentia, illa denominatur producens, sine hoc quod aliquid intrinsecum illi superadditum intelligamus. Sed contra: quia hoc esset verū, si terminus esset prius formaliter, & idem numero intra potentiam, & post, ab illa egrederetur quasi per motum localem. Sed non ita contingit, sed terminus, qui prout continebatur in potētia, nihil erat in se ipso, dicitur egredi extra illā, quatenus causa realiter

realiter tendit ad illum positiuo influxu, & tendentia producendo illum.

Deniquè, quia actio prout est in termino producto, non potest denominare producens, sed productum, neque potest vt sic, exercitium producentis esse, sed exercitium termini producibilis, vel modus, quo terminus actu producitur, aut pẽdet. Presertim in probabiliori sententia, quæ asserit actionem, prout se tenet ex parte termini, non distingui ab entitate ipsius termini minus intelligibile est, quomodo per entitatẽ termini constituatur agens formaliter producens.

Actio tam ex parte agentis, quã ex parte termini: intelligi potest vt intrinsecus modus.

Aduerto tamen, pro maiori intelligentia huius doctrinæ, & solutione oppositorum argumẽtorum, quod actio potest considerari dupliciter actiuè, & passiuè. Actiuè prout se tenet ex parte agentis, & est exercitium virtutis illius, & modus intrinsecus, denominans illud producens. Et passiuè, prout se tenet ex parte termini, & est modus, vel relatio quædam dependentiæ illius ab agente, quæ illum denominat productum: sub qua posteriori ratione propriè dicitur processio vnius ab alio, vel productio passiua, non tamen propriè passio, nisi consideretur eadem actio, prout dicit, mediante suo termino, ordinem ad aliquod passum. Nam sunt actiones, quæ minimè identificantur cum passione, vt dicam, licet in sensu metaphorico dicãtur productiones passiuę, ad explicandas illas, prout sunt in suis terminis, & extra agentia.

Docet hanc doctrinam sic explicatam S. Thomas de creatione Dei, huiusquè optimam adducit rationem, *quia actio est medium inter agens, & patiens, vnde opportet* (inquit,) *quod vtrumquè extremum in hoc medio conueniant, & quod in vtroquè sit realis ordo vnius ad alterum.* Confirmariquè potest generali inductione, in quodis alio medio, aut vnione, quę vtrũquè extremum aliquo modo afficit. *S.Th.q.3. de pot.ar. 3.in corp. & ad 1. & 1.p.q. 45.ar.3. ad 1.& 2 q.7.de potẽt.a.r10. ad 1.*

Preterea, de actione manifestum exemplum habemus in diuinis; nam æterna illa generatio, vel spiratio, qua Filius, vel Spiritus Sanctus ab æterno procedunt, consideratur ab omnibus Theologis actiuè, & passiuè; & propter hoc distingunt quatuor origines, generationem actiuã, quæ est in Patre, prout est persona distincta à Filio; generationem passiuam, quæ asseritur in Filio, & dicitur illius a Patre processio, estquè distincta realiter à gene-

generatione actiua; spirationem similiter actiuam, & passiuam, quæ dici etiam solent; spiratio, & processio, & sunt realiter distinctæ, sicut & personæ, in quibus sunt; sed in diuinis semper proportionabiliter philosophandum est, sicut in humanis, quando nulla obstat imperfectio, vel contradictio, quæ nulla est in præsenti vt patet, ergo eâdem ratione in creaturis actio tam ex parte agentis, quàm ex parte termini cōsiderari debet. Minor patet, quia est communis regula omnium Theologorum, in eo enim, quod infinitatem non reduplicat ex parte Dei, vel imperfectionē ex parte creaturę, conueniunt formaliter saltem analogicè Deus, & creatura; & sic proportionabiliter de vtroquè loquimur, quia creatura est participatio, seu imitatio entis per essentiam.

Confirmatur, quia si aliqua differentia constituenda esset, quantùm ad hoc inter Deum & creaturas; in Deo, cuius virtus est infinita, nulla esset ponenda actio ex parte ipsius, sed tantùm ex parte termini; qui producitur, virtus verò creaturæ, tamquàm indigens actione, constituenda esset perfectibilis per illam, & consequenter vt illam in se recipiens.

Secundò confirmatur: nam ex hoc, quod actio ponatur ex parte termini extrinseci, nullam infert limitationem, aut dependentiam in agente, sed in termino, nam talis extrinsecus modus (vt docét Suar. & alij) ad hoc ponitur, vt sit dependentia ipsius termini ab agente, & non è contra: ergo nulla imperfectio esset in Deo, si ageret media hac extrinseca actione, sicut creatura, quia solū in creatura producta, & non in ipso redundaret imperfectio. *Suarez.*

Deniquè ipsa nomina immanentis, & transeuntis actionis, quibus abutuntur Authores oppositi, nostram doctrinam confirmant, & supponunt: nam actio transiens, ideò sic dicitur, quia cum primò sit subiectiuè in agente, non manet ibi, sed transit extra ad terminum, vel passum. Transitus enim ab agente ad passum propriè dicit, quod in vtroquè existat, & particula *non manet in agente*, per quàm communiter exponitur actionis transeūtis natura, satis clarè denotat, quod in agente sit, licet ibi non maneat; qui enim diceret Petrum non permansisse Romæ, vel in hac Religione, manifestè significaret ibi fuisse reuera, sed non permansisse.

Est tamen obseruandū hunc transitum non fuisse localem, ita vt dicat successionem eiusdem actionis prius existentis in agente, & postea illo derelicto, transeuntis ad passum, sed solùm esse transitū secundùm virtutem, & effec-

effectum, quomodo calor, vel lux, quæ paulatim progreditur, per aliquod spatium extensum, dicitur illud pertransire, & calor, vel splendor Solis, descendere de cælis ad terram, cum tamen certum sit, idem numero accidens non transmigrare de subiecto in subiectum, nequè caloré, aut lucem deserere priora loca, vt ad posteriora perueniat: sed ex calore producto in partibus Soli proximioribus resultare aliũ numero diuersum, vel partialem in partibus remotioribus. Ita in præsenti de actione dicendum est, diuersum numero modum in agente esse, & termino, & quia ex modo agentis resultat in termino, dicitur transire ab vno ad alium.

Satisfit iam oppositis fundamentis.

Ex quo patet iam ad fundamenta opposita: Aristoteles enim loquitur de actione passiuè sumpta, prout se tenet ex parte termini extrinseci: sic enim certũ est realiter vel formaliter, cum passione idem esse: nam loquitur ibi de motu, & docet idem esse, quod actio, & passio, quod de actione ex parte termini verissimum est. Est auté formaliter idem, si consideretur prout in passo, & sic non constituit prædicamentũ diuersum. Et est realiter idem, prout in termino, sicq; genus, & cathegoriam diuersam componit, & sic etiam intelligendus est S. Thomas in commentaria huius loci, præsertim cum aliàs satis manifesta sit eius intentio.

Nequè oppositum docet in verbis citatis *opus.* 48. videlicet quod actio, quæ subiectiuè est in patiente, denominet agens: quia cum dictum sit, actionem transeuntem, & in agente, & in termino, & in patiente esse, in quocumquè sit subiectiuè, semper denominat agens, dicitquè essentialem respectum ad illud: cum hac tamen differétia, quod quando in agente subijcitur, denominat illud intrinsecè: extrinsecè verò, si consideretur in passo, vel termino. Patet iam ex dictis ad rationes oppositas, & quomodo diuisio actionis in immanentem, & transeuntem sit intelligenda.

Sed adhuc quidam obijcit, quod generatio est ratio formalis faciendi aliquid ex subiecto, quid igitur facit ex subiecto, si ipsa est in agente, & non attingit subiectum? Rursus si actio est in agente, ergo agens per illã immutatur, & patitur, erit ergo etiam passio in agente.

Sed facilè ad hæc respondetur, quod quemadmodum virtus causæ efficientis in actu primo est generans, educésquè formam ex aliquo subiecto, sine eo quod talis virtus sit in subiecto, ipso

ipso (imo propter hoc dicitur causa extrinseca, & à formali diuersa) sic eodem modo exercitium, seu actus secundus talis causæ efficientis, poterit etsi extrinseca sit, aliquid facere ex subiecto. Præterea resp. secundò, quod propter hoc actio. ista dicitur transiens, & ponitur in subiecto, & termino, vt per ipsam transmutari possit, vt contendit argumentum.

Ad secundum respõdetur in primis actionẽ, quæ est in agente, non esse modũ physicũ ab ea ex natura rei productum, sed tantũ formaliter prout talis virtus connotat terminum ab ea sicut communiter dicere solẽt ipsi aduersarij de actione, prout est in termino. s. non distingui ab illo realiter, de quo latius in Metaphysica.

Secundò assero, subiectũ nõ pati, aut transmutari à sola actione, sed à termino per illam producto. Aqua v. g. à calore per actionem producto, & ratione huius creatiõ, licet sit subiectiuè in termino, non est passio prout in illo, sed potius fatẽtur oppositi Authores, tunc nullã esse passionem, eo quod nõ producitur tũc forma in aliquo subiecto, eãdem ergo ratione licet sit in agente, nõ infert in eo passionem; quia nullam formam in eo producit.

Solet hîc disputari, vtrũ omnis actio terminum habeat? sed quæstio est in Metaphysica, & in libris de anima. Nũc breuiter dico, negari non posse, quod omnis actio etiam si immanens, & productiua non sit, terminum habeat, quia non est de ratione termini in cõmuni propriè dicti quod attingatur sub ratione producibilis, vt patet in termino relationis; potest enim purè respici sub ratione intelligibilis, aut appetibilis, etiã si nihil producatur, ideoq; terminus actionis in communi potest diuidi in obiectum, & effectum, tanquam in duas rationes terminandi specie diuersas.

QVAESTIO. III.

De quando.

ARTIC. I.

VOx *quando* Latinè sumpta non est nomen significans rem aliquam, sed est aduerbium tẽporis, quo vtimur ad interrogãdum, quo tempore aliquid existat, aut fiat, & inde translata est ad significandã formam quandam accidentalẽ inhęrentẽ rei, ratione cuius denominatur durans, & coexistens cum hac vel illa mensura temporis, & ratione huius respõdemus ad interrogationem de quando, dicẽtes: hodie, aut heri, vel alio simili tempore aliquid extitisse.

Hoc igitur accidẽs, quod est quasi latitudo, & quantitas existentiæ cuiuslibet, omissis alijs

obscurioribus verbis, sic definiri potest: est *modus quidam accidentarius, quo formaliter constituitur res permanens, aut perseuerans in existendo*: vel quod idem est, est *id quo res* tāto, vel tanto tempore in suo esse persistit. Nam omnis duratio essentialiter connotat aliquod tempus siuè reale, siuè imaginarium cui coexistit, & in cuius spatio suū esse extendit. Ideoque ad interrogationē de *quando* respondere non possumus, nisi per varias temporis extrinseci mensuras. s. hodie, vel heri, per vnum, vel plures annos, aut menses, &c.

Ratio præterea est; quia si separetur tempus ab existentia, eo ipso in illa non concipietur aliqua permanentia: nam solùm in primo instanti, quo res aliqua primam sui terminat productionem, intelligitur existens, non durans, nisi quatenus post primam productionem conseruatur in suo esse, & non destruitur, sed rem esse connotando antea non fuisse corruptam, vel rem conseruari connotando antea fuisse productam essentialiter significāt *ante* & *post prius, & posterius*, quæ sine tempore intelligi non possunt: connotat ergo duratio tempus essentialiter.



Exponitur quomodo præsentia in tempore ad durationem pertineat.

Ab hac doctrina non multum distat aliorum explicatio, si sano modo intelligatur. Asserunt enim durationem non esse aliud, quàm præsentiam alicuius rei in tempore admodum, quo Vbi est præsentia rei in loco, vt quæstione sequenti dicetur. Hæc enim sententia intellecta de præsentia in tempore reali, vt aliqui exponunt, est falsa, nam huiusmodi præsentia est coexistentia vnius durationis cum alia: durare, v. g. per vnum annum non est aliud, quā quod res aliqua tantùm duret, vt coexistat durationi motus solaris ab eaq; possit mensurari, sed hoc quid accidentarium est durationi, nam coexistentia relatio quædam est, supponens vt fundamentum, & terminum vtramquè durationem essentialiter constitutam. Mensurabilitas item actiua, vel passiua vnius durationis respectu alterius similiter vtramquè supponit, solùmquè denominationem extrinsecam superaddit.

Præterea: si vnam creaturā ante omnes alias Deus crearet, & conseruaret, duraret sine dubio, & nulli alteri durationi, aut tempori reali coexisteret, aut præsens esset: non ergo duratio in

in tali præsentia consistere.

Si verò per præsentiam istam intelligatur connotatio spatij imaginarij, & successiui nostro modo intelligendi sine quo duratio intelligi nequit, est absolutè vera, quia duratio ferè in omnibus æquiparatur prædicamento *Vbi*, vt constabit quæstione sequenti, etsi penitus à ratione durationis excluderemus hanc præsentiam in tempore imaginario, esset multiplicandum contra communẽ sententiam aliud vndecimum prædicamẽtum. Quod sic demonstro, quia præsentia rei in loco etiam imaginario constituit prędicamentum *Vbi*, nequè est aliquid in vno prædicamẽto, quod non possit in alio assignari: ergo etiam præsentia in tempore imaginario debet esse in aliquo prædicamento, sed non in alio nisi durationis, vt patebit discurrendo per cætera: ergo talis præsentia pertinet essentialiter ad durationem: quod non aliter fieri potest, nisi quatenus duratio connotat durationem successiuam imaginariam explicatam.

Benè verùm est hanc durationis naturam, maioremquè & minorem extensionem illius, à nobis difficillimè intelligi posse, nisi vtamur aliqua mensura nobis certa & nota, qua illam explicem°, & intelligamus, sicut solemus vti mensura aliqua ad notificandam quantitatem alicuius rei, & quia motus primi mobilis regularissimus est, & nobis magis certus, ideo vtimur illo semper, vt communi regula ad mensurandas alias durationes, & per coexistentiam, & ordinem ad tale tempus explicamus semper durationem cuiuscumquè rei, asserendo Petrum vixisse quinquaginta annis, Ioannem legere vnam horam, sicut ergo mensuratio, vel applicatio vnius quantitatis permanentis ad aliam, non est ratio primaria illius, sic nec applicatio quantitatis successiuæ, vel durationis ad aliam est ratio primaria illius.

Dices: sequitur loquendo de durationibus permanentibus, quod vna non sit maior alia, ac proinde quod non magis duret Angelus per totam æternitatem, quàm homo vnius anni. Probatur, quia res ista simul existit in primo instanti, connotatio verò spatij extrinseci non facit rem magis, aut minus intrinsecè durare: ergo impertinens est ad durationem talis connotatio. Sed huic difficultati sequẽtibus articulis satisfiet.

ARTIC. II.
Vtrùm duratio ab existentia realiter, vel ratione differat?

In hoc sicut in relatione, & alijs

alijs prędicamentis modalibus. Prima sententia generaliter docet esse modos ex natura rei distinctos à re modificata, sic distingunt relationem à fundamento, actionem ab agente, & termino, Vbi à re vbicata, & sic durationem ab existentia rei durantis.

Fundamentum huius sententiæ, quoad præsens attinet, est primò separabilitas realis, quæ est inter duratiõné, & existẽtiã. In primo enim instãti res verè existit, & non durat, potestquè desinere esse immediatè post illud instans, ita vt duratio nunquam illi conueniat: differunt ergo realiter saltem, vt modus à re cuius est, quia huiusmodi separabilitas est non mutua. Præterea: eadem simplex existẽtia potest magis, vel minus durare, quotidie augetur duratio, & maior fieri dicitur in qualibet re creata, & non existentia, sicut nec essentia, ergo differũt ex natura rei. Rursus: in eãdé existentia successiua motus experimur inæquales durationes, quia idem motus potest esse tardior, & celerior, & è conuerso in eodé tempore cernimus inæquales motus, vt patet in motu cęli, & horologij vnius horæ, vbi est æqualis temporis duratio, & non motus, cum partes valde inæquales habeat. Sol etiam magnum spatium pertransit suo motu, in eo tẽpore, quo formica vnicum terræ palmũ. Sed hæc & similia non vrgent, & sine fundamento efficaci, aut necessitate entitates multiplicare, semper mihi molestum fuit, quapropter dicendum existimo, sola ratione ratiocinata durationem, & eius fundamentum, seu existentiam differre. Ratione probatur, quia sola existentia absquè additione alicuius alterius modi distincti, eo ipso quod conseruetur à Deo, & non dextruatur, intelligitur permanens: ergo durans. Patet consequentia, quia duratio non est aliud, quam permanentia alicuius rei in suo esse: & antecedens probatur, quia vt aliquid conseruetur, aut permaneat, non est necesse, quod aliquid ei superaddatur, hoc enim potius esset augmentatio quædam, successiua, quàm permanentia, sed solùm petit eandem existentiam retinere, quam antea habebat: ergo per hoc quod talis existentia in se conseruetur, erit permanens, & durans. *Capreo.* *Soncinas.* *Suarez.*


Probatur secundo à simili de prima rei productione, & conseruatione, quæ non distinguntur nisi sola ratione, & tamen solùm se habent, sicut actio, & permanentia eiusdem, eo enim ipso, quod actio alicuius agentis continuetur per aliquod temporis spatium, conseruatio appellatur, ergo eãdem ratione duratio, quæ non est aliud quã con-

continuatio, aut retentio, aut conseruatio eiusdem existentię, sola ratione ab existentia differt. Maior traditur communiter in Metaphysica, estquè sententia Sancti Thomæ.

S.Th.1.p. q.104. ar.1.ad 4 Herueus. Ferrara, Aegidius

Tertiò probatur ex communi alia doctrina, qua solet ab Authoribus etiam, contra quos disputamus, defendi, potuisse creaturam ab ęterno produci, & per totam æternitatem durare in infinitum: & de æternitate à parte post, quæ etiam est infinita, docet Catholica Fides de omnibus rationalibus creaturis, sed hæc veritas substineri non potest in sententia, quæ docet durationem modum ex natura rei distinctum, ergo non debet admitti. Minor, in qua est difficultas, probatur, quia daretur infinitum in actu à parte rei, quod de facto cõtingere negant omnes, & esse prorsus impossibile etiam de potentia absoluta docet sanior, & communior pars Theologorum cum Aristotele, & S. Thoma expressè hoc asserẽtibus, de quo latius in materia de scientia Dei, & de scientia Christi dissero. Sequela probatur, quia si duratio est modus ex natura rei distinctus ab existentia propter separabilitatem, & coexistentiam cum diuersis instantibus, aut partibus temporis, maior duratio distingueretur eâdem ratione à minori, & toto tempore imaginario, cui coexistit, & omnibus instantibus illius crescet intrinsecè, & erit in continuo augmento successiuo, & reali: ergo acquiret infinitas partes intrinsecas per totam æternitatem de facto, ac proinde erit modus intrinsecè infinitus, sicut est sine dubio tempus imaginarium, cui coexistit.

Deniquè probatur: quia vt res aliqua pluribus coexistat temporibus extrinsecis, siuè realibus, siuè imaginarijs, non indiget modo aliquo superaddito, sed per hoc quod pluribus temporibus extrinsecis coexistat, intelligitur durare: ergo ad hoc non indiget modo superaddito. Minor patet: quia eo præcisè, quod res pluribus coexistat temporibus, intelligitur diuturnior, aliasquè durationes excedere. Maior verò probatur, quia vniuersaliter loquendo, vt vna res alteri coexistat, solùm requiritur, quod simul cum altera existat, non enim est aliud coexistentia, quam *simultanea duorum existentia*, sed per hoc quod alterum ponatur in rerum natura, res existẽs per eandem omnino existẽtiam denominatur illi coexistens, & durans: ergo.



ARTIC. III.

Satisfit fundamétis oppositis.

EX dictis patet iam solutio ad oppositum fundamentum. Sicut enim dixi de relatione, variari, & mutari realiter non quoad illud, quod intrinsecè, & in recto dicit ex parte fundamenti, sed solùm quoad terminum extrinsecè, & in obliquo connotatum, quia potest manente immobili fundamento, deperdi, aut generari terminus de nouo, sic proportionabiliter de duratione dicendum est, connotare essentialiter tempus siuè reale, siuè imaginarium, sinè quo ipsa intelligi nequit, & ratione huius extrinseci, separari ab existentia, & successionem magis, & minus accipere non quoad id quod intrinsecè, & in recto importat; sed quoad illud tantum extrinsecum, quod in obliquo connotat.

Ad vltimam obiectionem respondeo, maiorem, & minorem illam durationem eiusdem motus, vel æqualem in motibus inæqualibus prouenire ex alijs modis antecedentibus durationem ipsam, s. ex velocitate, vel tarditate se mouentis, vel ex resistentia mobilis, ex quibus causis oritur quod tam existentia, quàm duratio longiori tempori coexistant, aut breuiori.

Ex dictis est maximè obseruandum, quod aliud est loqui de duratione diuisibili, & successiua, aliud verò de indiuisibili, & permanente, prior est quanta, atquè adeò habet partes intrinsecas, ratione quarum potest esse entitatiuè maior, & minor, æqualis, & inequalis, que sunt proprietates quantitatis: at posterior entitatiuè indiuisibilis est, & quantitatis expers, ideoquè intrinsecè non suscipit magis, & minus, nisi tantùm virtualiter, quatenus. s. est talis conditionis, quod possit, ex natura sua coexistere cum pluribus, aut longioribus temporibus.

Actualiter autem dicitur plus, vel minus durare, quatenus maius, vel minus tempus cōnotat, non quia tempus intrinsecum sit tali durationi, vel illi partes addat, sed quia duratio essentialiter consistit in præsentia, vel coexistentia cum tempore, & ex maiori tempore connotato colligitur maior præsentia, aut coexistentia cum ipso, non quia entitatiuè crescat in se ipsa, sed quia habitudo ad tempus extenditur tantùm, quantùm ipsum tempus. Vt patet in Vbi Angelico, quod potest esse maius, & minus per ordinem ad maius, & minus spacium, quamuis in sua intrinseca entitate inuariabile, & indiuisibile sit.

Præterea

Præterea: sicut vna res inmota manens potest alijs rebus coexistere successiuè absq; vlla successione intrinseca in suo esse (vt ex metaphysica, & ex materia de scientia Dei tamquam certum meo iudicio suppono) sic potest magis, vel minus coexistere, & durare, absquè eo quod intrinsecè in suo esse magis, aut minus accipiat.

ARTIC. IIII.

Vtrùm tempus ad hoc prædicamentum pertineat?

Ratio dubitandi est, quod tempus est propria quantitatis species: malè ergo supponimus, ad hoc prędicamẽtum pertinere, nec esse communem mensuram aliarum durationum. Probatur antecedẽs: tùm: quia tempus definitur, quod sit, *numerus, seu extensio partium motus*, in quo sita est quantitatis essentia. Tùm etiam, quia duratio est permanentia, aut persistentia rei in suo esse, rès autem successiuæ minimè persistunt, sed in continuo fluxu sunt, ita vt rigorosè, & propriè loquendo nulla detur pars temporis, aut motus præsens, sed tantùm instans, ergo non durant.

Confirmatur, quia duratio est permanentia illa, quæ intelligitur consequens primum esse rei, quia prius est, quod res sit, quam quod duret, sed in rebus successiuis nihil intelligi potest, quod sequatur post primum esse rei, quia immediatè postquã est instans rei successiuæ, desinit esse, vt supponitur, & sic continuo fluxu eius partes currunt ex esse ad non esse, vt minimè aliqua earum persistat, aliàs permanens, & non sucessiua esset; opponitur ergo ex diametro tẽpus durationi.

Propter hæc aliqui id affirmant, sed vt animaduerti quęstione de quantitate articulo 3. in contrarium est communis sententia definiens cum Aristotele tempus, quod sit quædam duratio, & propter hoc duratio primi mobilis communis mensura aliarum durationum, quia certior, & notior alijs omnibus est. Patetquè ex vulgari modo loquendi, & concipiendi omnium, & ex ratione essentiali durationis, quæ ita accomodatur enti successiuo, sicut accommodatur illi existentia: sicut enim motus absolutè dicitur existere, quamuis non existant omnes illius partes, quia aliæ sunt præteritæ, & aliæ futuræ, ita dicitur durare, & permanere per vnam horam: quia quamuis existentia huius, vel illius partis determinatæ non permaneat, quia iam esset res permanens, & non successiua,

permanet tamen, & durat fluxus, successio, & continuatio illarum partium, supponitq; iam esse entis successiui saltẽ quoad aliquod instans. Vnde sicut ratione vnius instantis totum denominatur existens, ita & ratione subsequentium dicitur successiuè permanens, & sicut in continuo permanenti, licet sint plures partes realiter distinctæ, efficiunt vnum ex illis cõstans, ita in successiuo, licet sint plures partes successiuè existentes, constituunt vnam continuatam durationem.

Quapropter ad argumentum respondeo, tempus dupliciter posse considerari. Primò vt est quoddam ens habens extensionem partium successiuarum cõtinuatam indiuisibilibus, & sic pertinet ad quantitatem, sicut quælibet alia res simili modo extensa. Secundò considerari potest, vt est duratio existentiæ talis rei, secundùm quam abstrahit in suo conceptu à successiuo, & permanente, dicitque per sistentiam motus in suo esse, & sic pertinet formaliter ad hoc prædicamentum, & solùm materialiter extensionem, & successionem importat, quatenus talis duratio est modus entis habentis partes successiuas.

Sed vrges iterum: quamuis duratio in communi abstrahat à duratione successiua, & simultanea, cæterum talis duratio specialis, quæ dicitur tempus, essentialiter est successiua: ergo formaliter extensionem, & quantitatis rationem includit.

Respondetur, quod cum modus sumat essentialiter entitatem suam à re modificata, & illam connotet in obliquo, & ratione huius existentia, & duratio relationis dicatur essentialiter relatiua non in recto, sed in obliquo, quatenus relationem essentialiter modificat, ita existentia, & duratio entis successiui, dicitur successiua essentialiter in obliquo, non in recto, quia.s. est modus quidam entis essentialiter successiui.

QVAESTIO. IIII.

De prædicamento vbi.

ARTIC. I.

VBi est quidam modus accidentalis essentialiter à substantia, & cæteris prædicamentis diuersus, à quo res formaliter habet, quod sit in loco. Quod sit modus accidẽtalis, patet, quia non pertinet ad complementum substantiæ, vel cuiuslibet alterius accidentis, cuilibet enim accidit, quod sit præsens in hoc vel illo spatio: nã experientia cõstat nullum esse genus

nus entis, quod pendeat essentialiter ab hoc, vel illo loco, & non possit idem numero in alijs constitui, & successiuè omnia percurrere. Essentialiter inquam, quia naturaliter non nego terram habere proprium locum deputatum, & cætera elementa: cernimus tamen oculis etiam huiusmodi res extra sua naturalia loca, ergo extra essentiam cuiuslibet est præsentia in hoc, vel illo loco, ac proinde nouum genus accidentis cōstituit.

Est tamen difficultas, an Vbi sit proprius modus intrinsecus, vel denominatio extrinseca respectu rei, quæ vbicata, & præsens denominatur, & si est modus, an ex natura rei distinctus, vel sola ratione?

Prima sententia tenet esse tātùm denominationem extrinsecam. Fundatur primò quibusdam verbis Aristotelis, & Sācti Thomæ postea adducendis pro nostra sententia. Et secundò in hoc: quod esse in loco nihil est aliud quam corpus circūscribi, aut contineri à loco: per hoc enim secluso quocumquè modo superaddito sufficienter intelligitur esse in loco, sed talis circūscriptio, aut continentia est tantùm intrinseca respectu loci, aut superficiei continentis, extrinseca verò respectu rei locatæ: ergo est tantùm denominatio extrinseca.

Meritò tamen ab omnibus hæc sententia reijcitur, primò, quia si esset tantùm denominatio extrinseca, nullum genus constitueret accidentis prædicamentalis, aliàs multæ aliæ huiusmodi denominationes, vt *esse cognitum, esse visum* in prædicamentis constituerētur, quod nemo dicit. Nec est rationi consonum, cum huiusmodi accidētia nullam inhærentiam habeāt nec physicam, nec metaphysicam: nec comparentur ad rem denominatam tāquàm ad subiectum, sed tāquàm ad obiectum, eo quod extrinseca illi sunt secundùm suos conceptus explicitos.

Secundò: quia aliud formaliter est rem esse in loco, a quo circumscribitur, & aliud contineri à loco, licet enim vnum sine alio in re inueniri non possit, sunt conceptus formaliter distincti, quorum vnus. s. esse in loco, intrinsecus est, contineri verò à loco, quid extrinsecum, vnde sicut informatio in re non potest esse sine receptione; quinimo realiter identificatur cum illa, & nihilominus informatio est causalitas formæ; & receptio causalitas materiæ, idemquè est de actione, & passione: sic esse in loco est modus proprius huius prædicamenti, & contineri à loco, vel recipere in se rem vbicatam est quid se tenens ex parte loci extrinseci tamquàm actus illius.

Tertiò:

Tertiò: nam in rebus spiritualibus est verè, & propriè Vbi, seu presentia in loco definitiuo absquè ylla circumscriptione, & continentia ab illo: quia negari non potest corpus Christi in Euchariſtia, & Angelos in celo, Demones in inferno, & reliqua corpora, si ponerentur in vacuo, habere sua propria Vbi, & motus locales. Nam supposito quod non sunt nullibi, nec vbiquè, alicubi debent esse, & supposito quod mouentur, de loco in locum migrare necessum est, de quo satis *in Physica, Metaphysica, 1.p. in materia de Angelis, & 3. p. materia de Eucharistia*: ergo sicut istorum Vbi est independens à continentia, & denominatione extrinseca loci, sic & quodlibet aliud Vbi huius prædicamenti essentialiter intrinsecè sine illa saluatur.

Quartò: quia per solam denominationem extrinsecam non mutatur res, ex eo enim quod color videatur, nulla mutatio fit in colore, sed nihil frequẽtius ab omnibus philosophis dicitur, quàm quod res moueatur, & mutetur localiter, & ꝙ terminus huius motus sit Vbi: ergo non est sola denominatio extrinseca. Confirmatur: quia permutationem solius denominationis extrinsecæ res non mutatur realiter, nam etiam circa Deum omnino immutabilem plures variantur denominationes extrinsecæ, absquè eo quod in ipso inferatur transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio. *Iacobi. 1.*

Secunda aliorum sententia docet Vbi esse relationem quãdam locati ad locum, in quo est præsens, quam relationem Scotus vocat extrinsecus aduenientem. *Capreol. Sonzinas. Scotus.* Alij verò docent esse relationes intrinsecas, nec solùm transcendentales, sed de his, quę in puro, & accidentali respectu consistunt. Quorum fundamentum est, quia res præsens vt præsens intelligi non potest sine habitudine ad id, cui est præsens sicut nec Pater sine Filio: ergo præsentia localis, vel Vbi, quod idem est, in pura quadam relatione consistit ad locum.

Hæc tamen opinio facilè ab omnibus impugnatur primò, quia ad relationem non est per se motus, ad Vbi autem datur per se motus localis, quod vtrũquè docet communis sententia cum Aristotele, & S. Thoma, ergo Vbi non est formaliter relatio.

Secundò relatio essentialiter postulat terminum realiter, & actu existentem, nõ autem Vbi, vt patet in casu, quod Deus à corpore meo omnes superficies circunstantes auferret, & relinqueret illud in vacuo, seu spacio imaginario, maneret tunc in me idẽ numero Vbi, eademq; propinquitas, & distantia ad polos mundi, quam antea habebam, absquè

absque vllo termino reali: ergo non est relatio.

Deniquè si esset relatio, ad genus relationis pertineret, hocquè superflueret prædicamentum, quod nullus peripateticus admittet. Non nego ad præsentiam localem consequi relationes propinquitatis, distantię, &c. sed supponunt iam Vbi tāquàm fundamentū, de quo quęritur quid sit?

Suarez. Murcia la Llana. Salablanca, & Rubius.

Tertia sententia, quam multi ex iunioribus defendunt, asserit Vbi esse modum absolutum distinctum ex natura rei, à corpore, quod dicitur esse alicubi. Quod sit modus, & non entitas omnino rigorosè distincta, patet: nam illa est entitas modalis, quæ ita essentialiter est affixa subiecto, vt nec de potentia absoluta possit sine illo in re conseruari, imo nec intelligi, sed sic se habet præsentia localis, quæ non solùm esse, verùm nec mente concipi potest, sine re aliqua, quæ per illam dicatur præsens, vt contingit in relatione, actione, & alijs modis: ergo. Quod verò modaliter ex natura rei distinguatur, probant hi Authores, quia quoties aliqua duo ita se habent, quod vnum possit in re esse sine alio, vel separari ab illo, illa distinguuntur ex natura rei, etiam si talis separatio sit non mutua, nam idem nulla ratione potest separari à se ipso, sed corpus à parte rei modo habet præsentiam localem in hoc spacio, modo illam amittit, & acquirit in alio: ergo separatur sæpè sæpius ab hac, vel illa præsentia, distinguitur ergo à qualibet ex natura rei.

Secundò: quia motus localis dicit realem mutationem, & acquisitionem noui termini, qui antea non erat, sed antea erat tota entitas rei locatæ, & loci, & non erat Vbi, quod de nouo acquiritur: ergo est realiter distinctū à re vbicata. Patet cōsequētia: nā eadem omnino res nō potest produci, & producta supponi.

ARTIC. II.

Statuitur, & probatur vera sententia de natura Vbi.

Verius tamē existimo Vbi non esse aliquam tertiam entitatē realiter, aut modaliter distinctam ab entitate rei cuius est, sed dicendum, esse ipsammet existentiam rei locatæ, prout connotat locum, cui coniungitur, vel exhibetur, per solam approximationē sui ipsius, absquè resultantia noui modi propriè, & physicè loquendo, nam modus logicus, vel metaphysicus optimè appellari potest; sicut de relatione, actione, duratione, & alijs modis dixi.

Prima

Prima pars huius assertionis est expressa Aristotelis, & S. Thomæ vterque enim asserit *motum localem tantùm ponere in mobili nouam acquisitionem loci extrinseci*. Et vlterius S. Th. 1. p. q. 110. art. 3. inquit, *Propter hoc motum localem perfectiorem alijs motibus esse, quia mobile secundũ locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum in quantũ huiusmodi, sed solùm ad aliquid extrinsecũ, s. locũ*. Et 3. cõtra Gẽt. c. 28. sic scribit: *Motus localis non variat rem secundùm aliquid ei inhærens, sed solùm secundùm aliquid ei extrinsecum*. Eadem verba repetit alijs locis, quæ adeò expressa sunt, vt nullam commodam habeãt explicationem, & ideò ab Authoribus oppositis silentio prætermittuntur.

Aristote. 8. physic. tex. 59.

S. Thom.

Ratione item probatur, & simul secũda pars assertionis: quia Vbi ad hoc solùm ponitur, vt corpus existat in loco (loquor fere semper de Vbi corporeo, quia sensibilior, & notior est) sed ad hoc quod corpus aliquod existat, non requiritur modus alius præter existentiam, seu actualem propriam ipsius, & vt in loco existat, satis est contactus realis, vel coniunctio sui ipsius cum loco: sine necessitate ergo multiplicatur nouus modus physicè resultans, frustra enim per plura, quæ per pauciora fiunt.

Confirmatur primò: quia ad hoc, quod vna quantitas circumscribat alteram, & altera in ea sit tamquam in vase, vel continente satis est contactus vnius, vel applicatio ad alteram, per hoc enim absquè resultantia noui modi, vna dicitur in altera esse ab eaquè circumscribi: circundare enim tantùm significat circumstare, vel quod vna quantitas iuxta aliam ponatur, quod totum optimè intelligitur per solam simultatem vtriusquè, quemadmodum quod res existat in hoc, vel illo tempore, nihil amplius petit præter simultaneã existentiã, & durationem vtriusquè extremi.

Secundò confirmatur ex doctrina, quam sæpè repetit S. Tho. 1. p. q. 52. art. 1. & alijs locis, dicens rationem essendi corpus in loco esse contactum quantitatis molis, & quia in Angelis hæc quantitas non inuenitur, infert rationem essendi illum in loco esse contactum quantitatis virtutis, de quo satis ibi. Sed ratio essendi in loco est Vbi: ergo Vbi non est aliud quàm huiusmodi cõtactus, vel coniũctio ad locũ.

Tertiò, si propter aliquam rationem Vbi circumscriptiuum peteret modum nouũ distinctum præter huiusmodi contactum, maximè vt partes corporis haberent debitam commensurationem, & correspondentiam ad partes loci, ita vt partes superiores corporis superioribus

rioribus loci partibus, & inferiores inferioribus cum proportione correspondeant, sed hoc sufficienter præstat ipsa quantitas per extensionem localem, quæ est illius proprietas inseparabilis, vel per situm: ergo alius modus illis necessarius non est præter contactum, & actualem applicationem ad locum, vt in eo cõpletam habeat vbicationem.

Minor probatur: quia partes quãtitatis præter extensionem in ordine ad se, habent etiam naturaliter extensionem nõ solùm aptitudinalem, sed etiam actualem in ordine ad locum, ratione cuius vna pars actu existit impenetrabiliter extra locũ alterius, & cum certa quadam dispositione, & ordine, caput.s. supra collum, collum supra pectus, &c. ergo ad hãc dispositionem, quæ inseparabiliter, & vbiquè quãtitatẽ comitatur, modus necessarius non est, illa autem supposita, sola applicatio ad locum satis est, vt proportione illa locatum loco correspondeat: ergo.

Deniquè, quia in hoc distinguitur quantitas corporis Christi, vt est in Eucharistia à qualibet alia quãtitate naturali modo existente, quod illa est miraculosè priuata actuali extensione in ordine ad locum, nõn verò aptitudinali, hæc autem suam naturalem extensionem retinet in ordine ad locum: ergo talis extensio est inseparabilis quantitatis proprietas, ac proinde per illã est sufficiens corpus constituere in loco cum debito ordine, & commensuratione ad illum.

Dices: Vbi nõ est proprietas quantitatis: ergo nequè actualis extensio in ordine ad locum. Patet consequentia, nã actualis extensio in ordine ad locũ, non est aliud quam actualis præsentia in loco extenso, vel extensio præsentiæ in loco diuisibili.

Respondetur in primis Vbi, & extensionem localem ipsius differre, sicut quantitas & res quanta: nam sicut cætera accidẽtia suam propriam habent extẽsionem quantitatiuã, ita & Vbi, seu præsentia localis, cuius extẽsio eo ipso localis dicetur, vel in ordine ad locum: quia in habitudine ad illũ Vbi essentialiter cõsistit. Talis ergo extẽsio, nec Vbi per ipsam quãtificatũ, est proprietas quantitatis, sed quantitas directè, & in recto, sicut extensio cuiuslibet accidentis.

Qua propter præter istam alia extensio localis aduertenda est, quæ proprietas quãtitatis est, & est actualis distãtia, & ordo, quã habent inter se partes quantitatis in ordine ad spatiũ abstrahendo ab hoc, vel illo determinato loco, qui modus habendi partes distantes numquam variatur per motum localem, sicut extensio Vbi: nam lapis quamtumvis localiter moueatur, semper habet partes eodem modo inter se distantes,

tantes, & dispositas ratione impenetrabilitatis.

Ex quo ratio posita magis roboratur: nam eadem extēsio localis, quę est quantitatis proprietas, & indifferens ex se ad hoc, vel illud spatium, prout determinatur per contactum ad hunc numero locum, dicitur Vbi, & extensio illius, neq; differt vtraquè extensio, nisi vt indeterminata, & determinata ad hunc locū particularē: ergo per hoc solùm quod actu applicetur ipsamet quantitas, & modus illius huic spatio, & non illi, erit formaliter vbicata absquè additione alterius modi.

ARTIC. III.

Satisfit fundamētis oppositę sententię.

AD fundamentum cōtrariæ sententiæ respondetur, ex separabilitate pręsentię localis à mobili, seu re locata tantùm inferri quod ratione alicuius extrinseci loci cōnotati possit Vbi acquiri, & deperdi, sicut dixi supra de relatione, & de actione, & de duratione. Hi omnes modi quantū ad id quod in recto, & intrinsecè dicūt, inseparabiles, & indistincti sunt à suis subiectis, & nihilominus, quia essentialiter connotant rationes extrinsecas, ex varietate illarum simpliciter variantur, & pereunt, quia essentia simpliciter vtrumquè importat omnimoda necessitate. s. conceptum intrinsecum, & connotatum extrinsecum. Sic ergo de Vbi proporportionabiliter loquendū est, quod. s. defectu loci extrinseci, & applicationis ad illū, ipsamet res, quę per suam existentiā erat ibi, desinat in tali loco esse, sine hoc quod in suo esse intrinseco modum aliquem perdat, vel acquirat.

Sunt etiam exempla, quibus doctrina hæc confirmari potest, s. vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate, & vnio materiæ, & formę, quas multi ex parte contraria asserunt nō esse modos ex natura rei distinctos ab extremis vnitis, & nihilominus fatentur separabilitatem vtriusquè extremi defectu mutuę cōnotationis, quam ipsi explicant. In conseruatione similiter, & creatione docēt omnimodā idētitatē esse, & nihilominus separari posse cōseruationem à creatione, sicut in duratione, & existentia, & alijs exemplis adductis idem explicant.

Ad secundùm respondetur, motum localem ideò terminari ad Vbi, quia attingit contactum illum realem, vel applicationem ad locum, quemadmodum generatio hominis dicitur respicere vt terminum totum hominem, licet non producat

ma-

materiam, & formam, sed tantùm vnionem, ita ratione huius contactus, vel applicationis ad locum Vbi dicitur terminus motus localis, ideoquè appellatur semper motus secundùm locum, quia non est aliquo modo productiuus alicuius noui esse, sed tantùm applicatiuus rei ad locum, vt dicunt Aristoteles, & S. Thom. citati.

Inquiri solet hîc, an distinguátur aliquomodò Vbi, & vbicatio? Quidam affirmãt, distingui sicut abstractum, & concretum, decipiuntur tamen, quia concretum est res vbicatã, vel præsens, non vbicatio. Alij aiunt distingui sicut albedo, & dealbatio. Sed nec hic mod' dicendi veritatem assequitur, nam modus in hoc distinguitur à qualibet alia forma propriam entitatem habente rigorosè distinctam à subiecto, quod modus est essentialiter ipsa vnio, & inhærentia subiecti, cum de essentia illius sit actualis modificatio, atq; ideo non possunt distingui Vbi, & vbicatio, sicut nec modus, & modificatio nisi solo nomine, vel secundùm magis, & minus explicitam conceptioné eiusdem formalitatis, quælibet autem alia forma distinguitur ex natura rei ab informatione, & sic albedo, & de albatio realiter discernuntur.

Patet amplius discrimen hoc in omnibus alijs modis, in quibus, nec similis nominum distinctio inuenitur: sessio enim distinctio, vnio, & reliqua eodem nomine exprimunt abstractum, & solùm in his quatuor prædicamentis Vbi, & quando Situs, & habere, est differentia illa vocum, quia Vbi, & quando, non sunt propria nomina horum modorum significatiua, sed aduerbia accõmodata ex communi vsu ad significandum in vi nominis: nomina enim propria sunt duratio, & præsentia localis, de quibus eadem est ratio ac de alijs modis. Situs similiter, & Habere licet non sint aduerbia, seu voces significantes alias formas rigorosè distinctas.

QVÆSTIO V.

De duobus vltimis prædicamentis.

ARTIC. I.

De Situ.

Relictis alijs acceptionib', situs, prout in præsenti sumitur hæc vox, significat modum quendam, seu dispositionem, quam habent partes alicuius rei in ordine ad locum, ratione cuius aliquis dicitur stare sedere,

S. Thom. opusc. 48. cap. 1. de Situ.

sedere, iacere, &c. Vnde hic, modus tantùm corporibus competit; secùs verò rebus spiritualib' partium extensione carentibus.

Est tamen difficultas, quomodo hoc prædicamentum à cæteris distinguatur? præsertim ab Vbi, figura, & extensione locali, in quibus modis talis dispositio partiũ videtur includi? nam dispositio hæc, vel illa partium in ordine ad locum nihil aliud esse videtur, quam Vbi circumscriptiuum; de cuius ratione est, quod habeat partes sic, vel aliter extensas, aut commensuratas in ordine ad locum, & si aliqua alia dispositio harum partium desideratur, per figuram, quæ ad qualitatem pertinet, vel per extensionem localem quantitatis propriam, sufficienter disponuntur, superfluè igitur additur aliꝰ modus.

Fonsec. 5. met. c. 7. q. 2. sec. 6. Propter hoc quidã. s. Fõseca, & alij existimarũt hoc prędicamẽtum ab Vbi nullatenus differre. Sed oppositam sententiam tenet Aristoteles, & cum eo omnis peripatetica schola, situm inter decem prædicamenta, enumerans, huncq; modum ab alijs essentialiter diuersum cõstituens. Docet illam expresse, & probat S. Th. *opusc. 48. c. 1. de Situ.*

Preterea probatur: nam Vbi solùm significat præsentiam, vel contactum ad locum, ita vt neq; in genere, neq; in specie dicat essentialiter dispositionẽ partium in ordine ad illum. Quod non in genere, probat. nam quemadmodũ accidit cuilibet alteri rei sua quantitas, vel extensio, ita Vbi, seu pręsentię locali, quę est quoddam genus entis: ergo etiam ei accidit talis extensio, & dispositio partium in ordine ad locum, quæ situs appellatur. Patet consequentia: nam talis dispositio, aut situatio partium supponit extensionem partiũ Vbi: si ergo extensio accidit Vbi, etiã dispositio, & modus talis extensionis.

Quod verò nec in specie, hoc est Vbi circũscriptiuum; & extensum dicat essentialiter hanc partium dispositionem, vel situationem. probatur: nam etiam accidit cuilibet alteri quantitati, quod hac, vel illa figura termine tur, vt patet in varijs figuris, quas vna & eadem quãtitas successiuè habere potest, sed figura hec non est aliud, quam modus, vel dispositio partium resultans ex terminatiuis quantitatis tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum: ergo huiusmodi figura, vel dispositio accidit quantitati Vbi, tunc sic: sed in hac figura, seu dispositione partium in ordine ad locum consistit Situs, vel situatio partium: ergo accidit Vbi extẽso, & differt ab illo formaliter.

Vrgẽtius preterea probatur, quia Situs nõ solùm formaliter, sed etiã ex natura rei distinguitur ab Vbi, (quidquid dicant

Suarez

Suarez disp. 52. meth. sec. 1. nu. 9. Suarez, & alij, ergo constituit genus entis diuersum. Probo antecedens: nam vt ait S. Tho. *opusc.* 48. cap. 1. de Situ, *manente eodem toto locato, & eodem toto loco, possunt partes diuersæ locati diuersis partibus loci applicari*, è contra etiam inuariata eâdem dispositione, vel situatione partium, potest corpus mutare plura *Vbi*, vt si quis sedens in sella, vel iacens in lecto moueatur, vel feratur à loco in locum, mutat *Vbi* per motum localem, & non mutat Situm, nam eadem dispositio, vel situatio partium in ordine ad locum manet in corpore abstrahens ab hoc, vel illo loco determinato, & dicens ordinem ad locum vagè, & in communi.

Neq; valet respondere, quod maneat eadem situatio partium quoad speciem in casibus dictis, non verò quoad indiuiduū, & quod sicut mutat plura *Vbi*, ita & plures Situs singulares eiusdem speciei. Hoc enim est falsum, quia nemo dicet hominem sella portatum habere plures sessiones, vel plusquam vna vice sedere, nec potest nisi surgendo, aut cadendo numericam illam sessionem amittere: & sic dico, quando gestatur in lecto, vel quouis alio modo.

Præterea eâdem ratione possemus dicere, quod corpus quoties mutatur, toties variet figuras numero diuersas, licet eandē secundùm speciem retineat, consequens est ridiculum: ergo & illud ex quo sequitur. Sequela probatur: quia Situs, & figura nullatenus differunt, si sumatur figura non prout est idem quod forma de genere qualitatis, sed tantùm vt est quidā modus resultans ex terminatione quantitatis.

Quod sic declaro: nā figura non est aliud quā dispositio, vel modus resultans ex terminatione partiū quantitatis, non solum prout dicit extensionē in ordine ad se, sed etiā in ordine ad locū, sed sic definitur Situs. s. quod sit dispositio partiū in ordine ad locum, in quo intrinsecè imbibitur dispositio partium in ordine ad se: ergo sunt idē formaliter figura, & Situs quantitatis. Maior prob. quia diuersitas essentialis figurarum, quas mathematici considerant, intelligi non potest nisi penes diuersas positiones partium in ordine ad locū, figura, v.g. rotunda, quadrata, triangularis, &c. vt de se constat. Vnde Christus Dominus defectu extēsionis localis caret huiusmodi figura in Eucharistia, licet figurā retineat de prædicamēto qualitatis. Vel dici potest retinere etiam figuram incompletam de genere quantitatis, nimirum quoad dispositionē partium in ordine ad se, quam essentialiter, vel partialiter includit figura.

Deniquè id probo: quia aliàs vndecimum prædicamentum addendum esset, si figura distingueretur à Situ; nam sicut Situs est extra essentiam quantitatis, & propter hoc genus diuersum accidentis constituit, ita & figura: ergo si nō est idem formaliter, quod Situs, aliud vndecimum prædicamentum constituere debet: quia nullum est aliud, ad quod reduci possit, cū iam supra illam excluserim à prædicamento qualitatis, ad quod reduci poterat.

Dices: inuariata figura subiecti, possunt variari Situs, ergo Situs est diuersus à figura. Probatur antecedens: nam eandem figuram habet homo sedens, & stans.

Respondetur, quod duplex est figura, & situatio partium. Vna quę cōuenit corpori per se ex vi generationis, vt patet in ordine, quem habent partes corporis humani, quod. s. caput sit supra collum, & collum supra pectus, &c. tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum, & hæc semper inuariata manet. Alia verò est figura, & situatio partium, quæ omnino per accidens causatur ex vi motus localis, & hæc potest multiplex esse, variatq; accidentaliter figurā ex vi generationis acceptā, & sicut vna relatio fundatur in alia & sicut figura de prædicamento qualitatis variatur accidentaliter, & pulchrior redditur, aut deterior per inmutationem colorum, sic figura hæc situalis, aut quantitatiua potest accidentaliter variari per additionē nouæ dispositionis super præexistentem.

Colligitur non obscurè doctrina ex Aristotele, qui Sitū sic describit: est *dispositio partiū, & generationis ordinatio*, in quibus vltimis verbis situationem partiū, quæ ex vi generationis prouenit, siuè immediatè, siuè mediatè compræhendit, & etiam ex S. Thom. qui *opusc.* 48. tractatu de Situ, & alibi indifferenter vtitur Situ, vel positione partiū, capite enim primo ait, *quid talis dispositio, & ordinatio partiū in loco, dicitur dispositio, quæ est prædicamentū situs.* Solet autē definiri quantitas continua permanēs est *illa cuius partes habēt positionem in continuo*, vbi nomine *positionis* intelligitur certa dispositio, & figura, quam partes quantitatis continuæ permanētis habent necessariò tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum, ergo situs, positio, & figura idem sunt apud Aristotel. & S. Thom.

Corolaria ex dictis.

Infero primò ex dictis, Sitū non solùm viuentibus cōuenire, quæ Situs, & figuras diuersarū rationum sæpè mutant ex intrinseca virtute motiua ipsorū,

sed

sed etiam vniuersaliter omnibus corporibus quantis etiam inanimatis, quod aliqui negãt, nescio quam ob causam: nã situare partes, & illas taliter disponere in ordine ad locum, eiusdẽ est rationis in viuentibus, & non viuentibus, solùmq; differre possunt in hoc quod dispositio vel situatio partium corporis inanimati est permanens ex natura sua, & semper eiusdem rationis, vel si variabilis, est ab extrinseco: viuentia autẽ sunt ab intrinseca virtute motiua flexibilia in varias figuras, & positiones præter eam, quæ illis vniformiter semper competit ex vi generationis, quod discrimen valde accidentariũ est, & quando distinctionẽ essentialem inferret, argueret diuersas species sub eodem genere, & prædicamento Situs.

Patet: nam corpora inanimata saltem ab extrinseco agente sunt flexibilia, & capacia diuersarum figurarum, vel positionum partium in ordine ad locũ, virga enim potest nunc flecti, nunc recta, nunc rotunda cõstitui. Partes cinguli, vel corrigiæ similiter. Ex cera etiam, vel alia simili materia; quinimo ex lapide, & quouis methallo possunt variæ figuræ, & animalia formari, cum diuersis positionibus eiusdem rationis, ac sunt in viuentibus: vnde homo fictilis sedens, vel iacens eiusdem omnino rationis esset quantùm ad has situationes, & figuras quantitatiuas, ac homo viuus, quidquid sit de materiali, in quo sunt.

Secundò infero, extensionem localem, quæ est proprietas quãtitatis, non distingui formaliter à Situ, vel figura: nam huiusmodi extensio, vel est determinatè connotans hunc numero locũ, vt supra dixi, & sic est quãtitas modificans, seu extendens Vbi corporeum, quæ est simul extẽsio localis, aut situalis, vt multi dicunt pro eodẽ vtrumq; accipientes. Aut ergo huiusmodi extensio sumitur inuariabiliter pro extensione locali, quæ omnem quantitatem comitatur, vt proprietas, & dicit ordinẽ ad locum vagè, & in communi, & sic importat eandem dispositionẽ partium in ordine ad locũ, solùmq; differt ab illa priori, in hoc quod locum connotat indeterminatè, & vagè, & altera in particulari, & omnino determinatè, quod discrimen accidentale est respectu Situs.

Tandem infero ex dictis, diuisionem illam, qua communiter diuiditur *Vbi* in circumscriptiuum, & definitiuum, non esse generis in species, si sumatur circumscriptiuum formaliter, vt dicit extensionem, & talem partium dispositionem, sed sic est diuisio subiecti in accidentia, sicut est illa, qua substantia di-

uiditur in quantam, & non qui- tam. Patet: quia circumscriptio dicit formaliter extensionem, & certam quandam partium dis positionem, quę extra essentiam *Vbi* sunt.

Dixi, si sumatur formaliter circumscriptiuum; nam si radicaliter accipiatur pro *Vbi*, cui ex natura sua intrinseca debetur extensio, & circumscriptio, sic coincidit diuisio illa cum alia, qua diuiditur *Vbi* in corporeũ, & spirituale, quomodo est essentialis diuisio.

ARTIC. VLT9.

De habere.

OMissis varijs acceptionibus habitus, quas aduerti quæstione de qualitate, notãdũ est hîc ex Aristotele, & S. Thom. naturam dedisse animalibus loco vestium, quibus operiantur, pellem, pilos, lanam, squamas, cornua, &c. hominem verò formauit natura sua nudum, sic tamen vt intellectu manibus, & industria posset sibi vestes, & arma conficere, nec solùm dedit ei industriam, & vim actiuam faciendi vestes, sed etiam passiuam accommodationem, ratione cuius eisdẽ se coaptaret quodam modo speciali, & tamquam proprio ornatu, & decore, vt sicut animalia suis pellibus, & vnguibus, sic homo vestibus, & armis vtetur.

Aristot. lib 3. de partibus animaliũ, cap. 1. & S. Thom. opusc. 48 tract. de habere.

Est autem hæc differentia, quod tegumenta, & arma animalium sunt partes integrantes, & intrinsecę suorum corporũ, quæ non dicuntur haberi modo proprio huius prædicamenti ex adiacẽtia, s. vt dicã, sed media vnione reali, sicut dicuntur habere manus, & caput: vestes autem & tegumenta hominum sunt illis extrinseca, & ideo modus habẽdi nõ cõsistit in aliqua reali vnione, vel continuatione cũ illis, nec consistit in morali dominio, aut possessione vestiũ, quomodo illas habere dicitur aliquis, quamuis illis actu non induatur.

Est igitur habitus, vt pertinet ad hoc prædicamentum, *quidam modus specialis habendi vestes, medians* (vt verbis vtar Aristot. & S. Thomæ) *inter eũ qui vestem habet, & vestem, quæ habetur, ratione cuius corpus formaliter accommodatur, seu commensuratur vestibus*, dum illis induitur, qui modus non est vestis ipsa, vt vult Suarez ductus nomine habitus, quo ipsa solet nuncupari, sed ipsa habitio vestis, vel modus intrinsecus ipsam habendi, & connotans ipsam, qui ex parte hominis considerari potest: aliàs hoc prædicamentum in denominatione extrinseca consisteret, quod si semel admittatur, multa alia prædicamenta ex

Aristot. 5. meth. cap. 20. S. Thom. lect. 18.

ex his denominationibus multiplicari necessum esset.

Est igitur intrinsecus modus huius prædicamenti, licet ab extrinseco connotato pendens, qui proportionabiliter explicari potest sicut Vbi. Quemadmodum enim Vbi est ipsamet entitas rei locatæ, prout dicit specialem contactum ad locum, à quo circumscribitur, ita habitus, vel habitio vestis est ipsamet aptitudo naturalis, vel coaptatio passiua, quam habet homo ad vestes, quatenus dicit specialem contactum ad illas, illisquè protegitur, & ornatur; qui contactus se habet vt quædam connotatio vestis extrinsecæ, & in obliquo pertinentis ad hoc prædicamentum, quomodo substantia ad genus accidentis pertinere potest.

Est autem discrimen inter contactum ad locum, & ad vestem, quod per primum taliter corpus continetur à loco, vt non denominetur habens, aut recipiens illum, per secundum verò ita circundatur, & protegitur vestibus, vt illas in se recipiat, & habeat aliquomodo non per earum inhærentiam, sed per quandam extrinsecam adiacentiam, vel contactum, quæ diuersitas prouenit ex diuersa coaptatione, & conditione extremorum, quæ taliter coniunguntur, & applicantur adinuicem. Patetquè ex definitione, quam tribuit Gilbertus Porrectanus huic prædicamento, scilicet, *Est corporum, & eorum quæ circa corpus sunt, adiacentia, secundùm quam hoc quidem habere, illa verò haberi dicuntur*, & hæc satis sint de prædicamentorum tractatu, reliqua videantur in metaphysica.

SECTIO VIII.

De secunda operatione intellectus quantum ad eius actum.

DECLARATO Iam propositionis obiecto; & subiecto, hoc est, varijs subijcibilium, & prædicabilium generibus, facilè eius naturam intrinsecam possumus inuestigare. Ad cuius intelligentiam præmittenda sunt varia nomina, quibus hæc intellectus operatio ab Aristotele

Aristote.

S. Thom. tele 1. *periar. cap*. 4. & Sanctus Thom. ibi *lect*. 4. *& 1. p. q. 16. art*. 2. *& alibi sæpè*, communiter appellari solet. Primò ab Aristotele dicitur *enuntiatio*, vel *propositio*, quia enuntiat determinatè vnum de alio.

Secundò dicitur sæpissimè ab eisdem *compositio*, vel *diuisio*: quia quando intellectus affirmat vnum de alio, componit intentionaliter vnum cum alio, & diuidit per rationem vnum ab alio, licet in re ipsa talia obiecta, nec composita sint, nec diuisa, vt dixi supra explicando identitatem inter prædicabile, & subijcibile.

In sensu ergo dicto compositio simul, & diuisio in omni prædicatione inuenitur, quia omnis compositio est partium diuersarum vnio.

Possunt tamen accipi secundò hæ voces, ita vt significent duo genera diuersa propositionum, scilicet affirmatiuam, quæ vnum alteri conuenire indicat, & propter hoc vnum cum alio componere dicitur, & negatiuam, quæ vnum ab alio diuidit, vel disconuenientiam illius repræsentat, & iuxta hanc secundam acceptionem etiam optimè dicitur propositio in communi compositio, vel diuisio, quia nulla est propositio, quæ non sit affirmatiua, vel negatiua, vt suo loco dicetur. Tertiò appellatur *iudicium*: quia per hanc operationem, intellectus quasi iudex sententiam fert. Quartò dicitur *interpratatio*, aut *pronuntiatio*, quia per illam nostram interpretamur, & pronuntiamus. Quintò appellatur secunda operatio intellectus, quia distinguitur essentialiter à prima, & tertia. Est igitur.

QVÆSTIO I.

De propositione mentali in communi, & eius terminis.

QVia termini sunt partes, ex quibus propositio, vel enuntiatio intrinsecè componitur ideò sine illis huius operationis essentia explicari nequit, ac proinde sub eâdem quæstione illos comprehendo, quinimo de illis in tota hac sectione sæpissimè erit mentio.

* * *

AR-

ARTIC. I.

Quid sit propositio mentalis?

DIcendum est igitur primo, propositioné, vel secundam operationem intellectus consistere in hoc, quod sit cognitio quædam complexa, vel oratio, qua intellectus vnũ de alio enũtiat sine discursu. Declaratur: quia præter appræhensiones simplices, quæ pertinent ad primam operationem, experimur in nobis alios actus, quibus ex rebus simpliciter appræhensis iudicamus, vel affirmando, vel negando vnam de alia, qui modus respiciendi obiectum, longè diuersus est à modo simpliciter appræhendendi illud in secunda disputatione explicato, sectione 1. quæstione 1. differtq; etiam à tertia operatione, seu discursu, quia talis enuntiatio, aut iudicium, vt supponimus fit sine discursu, & dependentia à præmissis, ergo est tantùm secunda operatio ab alijs distincta per hoc solùm, quod complexè, & sine discursu vnũ de alio enuntiet.

Confirmatur: quia secunda operatio intellectus distinguitur essentialiter à prima, & tertia, ergo per aliquid, quod essentialiter constituat ipsam in esse talis, sed nihil habet per quod possit distingui à prima, nisi quia procedit modo compositiuo iudicando vnum esse aliud, simplex autem appræhensio modo simplici suum obiectum respicit, sine eo quod de illo aliquid affirmet, vel neget. Similiter licet conueniat cum tertia operatione, in hoc quod vtraquè est affirmatio, vel negatio vnius de alio, cæterum aliter & aliter, nam secunda operatio est simplex iudicium, vel enuntiatio absquè vllo ordine, vel dependentia à præmissis, tertia verò illas connotat essentialiter, vt dicemus.

Ex quo dico secundo: obiectum adæquatum huius secundæ operationis est quęcumquè veritas complexa, seu complexè cognoscibilis, quatenus est simplici modo dicto enuntiabilis, quæ etiam dici solet veritas obiectiua. Declaratur: quia propositio est oratio vnum de alio enuntians, vnũ cum alio cõponés, vel ab alio diuidens, vnũ esse aliud iudicans, vel affirmãs: ergo essentialiter postulat aliud, & aliud ex parte obiecti, & consequenter, quod sit complexum quoddã obiectiuè, vel in genere obiecti, nam in genere rei etiã simplex appræhensio res cõpositas, vel diuisas appræhendit, non procedit tamen modo compositiuo, eas attingendo formaliter vt compositas per talem actum, sicut facit enuntiatio.

Ex his tandem colligitur, obiectum adæquatum huius secũdæ operationis esse compositũ quoddam ex materiali, quod dicitur subiectum, & ex formali, quod prędicatum appellatur, & est ratio formalis ex parte rei cognitæ, sub qua subiectum intelligitur. Probatur cõsequẽtia: quia cũ propositio sit enũtiatio, vel prædicatio quædã vnius de alio, & obiectum illius sit quoddam cõplexum ex duobus coalescens, quorum vnum alteri tribuitur, tamquam forma illi conueniens, aut disconueniens, vt dixi tractando de prædicabilibus, & subijcibilibus, necessam est, quod vnum habeat rationẽ subiecti, seu materialis obiecti, & alterum rationem prædicati, seu obiecti formalis.

ARTIC. II.

An propositio mentalis idem conuertibiliter sit, quod iudicium?

QVidam negant: quorum fundamentũ est, quia potest in multis casibus intellectus componere, & diuidere, quod est proprium propositionis mentalis, sine eo quod formet iudicium: vt quando audit propositionem ab altero prolatam, & dubitans de illius veritate suspendit iudicium circa illam, tunc enim mente concipit totam illam propositionẽ, eiusquè subiectum, & prædicatum, vt diuersa formaliter discernit, & vnum alteri conuenire in mente pronuntiat, tamen dubitat de illius veritate, ideoquè suspendit iudicium: ergo non sunt idẽ vniuersaliter loquendo iudiciũ, & propositio.

Alij vniuersaliter docent, quod quoties intellectus vnum alteri conuenire cognoscit, vel appræhendit, format iudicium, sicut & propositionem: quæ sententia potest bene, & male intelligi. Quapropter dicendũ primo est, non quoticscumquè intellectus animaduertit res conuenientes, vel disconuenientes, format iudicium, vel enuntiationem mentalem, vel exercet suã secundam operationem. Probatur: quia per simplicem apprehẽsionem cognoscimus duos homines, v.g. similes, hominem, & lapidẽ dissimiles, & tamen nondum enuntiamus, aut iudicamus per talem notitiam, cum sit simpliciter apprehẽsiuã. Præterea, retorquendo fundamentũ oppositum, potest quis simplici apprehensione enuntiationem, & iudicium ab altero prolatum cognoscere, suspendens non solùm iudicium, sed etiam enuntiationem vsquè dum discutiat, & probet, an res ab alio enuntiata ita sit: ergo nõ quoties vtrũq; cog-

cognoscitur.s.prædicatum conueniens subiecto,intellectus iudicium, vel propositionem format. Maior patet ex dictis *disp.* 2.*sect.*1.*q.*1.quia non excedit,vt docet S. Thomas naturam simplicis apprehensionis, quod simul plura repræsentet per modum vnius, dum tamen non affirmet, vel neget vnum de alio.

S.Th.1.p. q.12.ar.9 ad 2.

Confirmaturquè in sensibus, in quibus hoc manifestius apparet, de illis enim vt certum ab omnibus supponitur, non iudicare, nec componere, aut diuidere, & nihilominus res compositas,aut diuersas percipiunt, rerumq; conuenientias, aut disconueniētias suosimplici intuitu pertingunt. Sic enim sensus cōmunis discernit inter obiecta sensuum externorū: bruta enim quædam sibi vt vtilia,& conuenientia apprehendunt, & vt talia suo appetitu prosequntur, & quærunt, quædam verò, vt nociua fugiunt, cuius mira, & innumera extant exempla manifesta experientia comprobata, ergo multo magis hominum sensus, & extimatiua propter propinquitatem ad rationem, & à fortiori vis intellectualis apprehensiua poterit ad plura obiecta, & varias conuenientias, aut disconuenientias simul extendi.

Deniquè ratio huius à priori est, nam aliud est res materialiter compositas respicere, aliud verò quod formaliter modo cōpositiuo versetur circa illas:priori enim modo intellectus illas supponit compositas: posteriori verò eas ipse intellectualiter cōponit, quando vnam de alia enuntiat, sed hic modus posterior pertinet ad secundā operationem, prior verò non excedit limites primæ: ergo inaduertenter alter cum altero cōfunditur.

Quod satis declarat vulgaris modus loquendi, quo quis narrare solet propositiones alterius dicens, *Petrus affirmat, quod datur vniuersale à parte rei, non ego, sed potius oppositum.* Et quoties sub dubio proponuntur duæ propositiones, vna affirmatiua,& altera negatiua,an.s.quātitas distinguatur à re quanta, vel non? si interrogetur,qui eas proponit,ad inquirendum,qualis earum sit vera,quid affirmet? Respondebit nullam enuntiare, etsi vtramquè ore protulerit, & intellectu apprehenderit, quia solùm simplici modo versatur circa illas suspendendo tam iudicium,quàm enuntiationem.

Satisfit directè difficultati.

Secundò assero: enuntiatio mentalis vt sic, vel secunda intellectus operatio omnino conuertibiliter se habet cum iudicio, ita vt nulla sit enuntiatio, quæ iudicium non sit, & è conuerso. Docent apertè Aristoteles

la inter se vnitis, quorum vnum dicitur subiectum, & prædicatum alterum. Prædicatum, & subiectum, aliud est *quod*, res, videlicet, vel obiectum quod subijcitur, vel prædicatur. Aliud *quo*, vox. s. vel conceptus, quo vnum de alio enuntiatur. Primum dicitur subiectum, aut prędicatum in essendo, componútquè propositionem obiectiuam, Et secũdum dicitur subiectum, aut prædicatum in repræsentando saltem regulariter, & fere semper, quia substituuntur in propositione loco subiecti, aut prædicati, & sic constituunt propositionem formalem. Dixi regulariter, quia potest aliquando subiectum, aut prædicatum non repræsentare, sed ipsum prout in essendo formalem propositionem componere, vt contingit, quando propositio de se ipsa, vel de suo subiecto intrinseco aliquid enuntiat, vt in his: *Homo est nomen. Blictiri est vox. Animal rationale est propositio.*

Aristo. 1. priorũ c. 1 Ex dictis colligitur, quid sit terminus in communi? Aristoteles enim (vt varios alios modos dicendi omittant) illum sic definiuit: terminus est, *in quem resoluitur propositio tamquàm in subiectum, & prædicatum. Resoluitur* intelligi debet, sicut solet in definitionibus non prout dicit actum, sed aptitudinem. Ita vt sensus sit, in quem est resolubilis propositio, &c.

Clarius definiri solet præsertim ab vniuersa schola Complutensi: est *Extremũ simplicis propositionis constitutiuum. Extremum* ponitur loco generis, in quo conuenit terminus logicus, cum quolibet aliô physico, aut quantitatiuo, nam terminus à terminando dicitur, quod tantùm proprium extremi est: reliqua autem ponuntur loco differentiæ. Quę definitio nõ differt à prima, nam extremum simplicis propositionis non potest esse aliud, quam subiectum, vel prædicatum. Dicitur tandem *propositionis simplicis*, ad excludendã propositionem, quæ est extremum propositionis compositæ, aut hypoteticæ, & tamen non est terminus, neque subiectum, aut prædicatũ, vt dicam. Excluditur etiam copula, seu verbum, quæ subiectum, aut prædicatum non est, sed nexus vtriusquè.

Proponuntur, & soluuntur obiecta quædam.

Dices: in hac propositione *homo est animal est propositio*, subiectum illius est propositio: ergo definitio termini conuenit alijs à definito. Secundò in hac: *homo concurrit*, verbũ *currit* habet rationẽ prædicati: ergo termini rationẽ quare: ergo excluditur à definitione termini? Tertio in hac. *Petrus velociter currit ad Deum*: voces illæ *velociter*,

Deum

Deum, & similes sunt termini, quæ constituunt propositioné; & non sunt copula illius, & tamen nec subiectum, nec prædicatum sunt: deficiunt ergo prædictæ definitiones. Tádem obijcies consuetudinem dialecticorum, qui quamcumque dictionem significatiuam terminũ vocant, quare ergo illum restringimus ad sola extrema propositionis? Respondetur ad primum, quod propositio illa, quoties cõponit aliam simplicem, non exercet actu, & formaliter rationem propositionis, aut secundæ operationis, sed intrat ibi vt simplici modo apprehensa, quomodo habet rationem termini: qua ratione discursus etiam simpliciter appræhensus est terminus, & non discursus, nisi materialiter tantùm. Ad secundum respondetur, quod copula, seu verbum ratione sui, non est terminus, neque subiectum, aut prædicatum, sed tantũ ratione participij inclusi, vt quando dicis: homo est, homo currit: sensus est, homo est ens, homo est currens. Ad tertium respondetur, quod nomine subiecti, vel prædicati in definitione intelligitur non solùm terminus cathegorematicus, sed etiam sinchategorematicus, qui tantùm se habet, vt modus, vel pars subiecti, aut prædicati: nec tantùm id quod significatur in recto, sed id etiã quod in obliquo respicitur à subiecto, vel prædicato, & sic omnia alia signa præter copulã formaliter, vt talis est, pertinent ad extremum propositionis, & terminant illam saltem partialiter, aut modaliter, aut in obliquo, & ipsamet copula si ratione participij inclusi, vt dixi, consideretur. Ex quo patet ad vltimũ, quare omnis dictio significatiua terminus dicatur, quia siuè actu, siuè aptitudine, nulla est, quę non terminet propositioné aliquo modo ex dictis.

Propter dicta nõ satis placet alia definitio, quæ tradi solet, s. est *signum ponibile en propositione, vt constitutiuum illius*, vel simili modo. Deficit enim primò: quia conuenit alijs à definito. s. verbo, seu copulæ, quæ est signum propositionis constitutiuum, & non est terminus, sed copula, vel nexus vtriusquè termini. Item propositio cathegorica formaliter vt talis est, constituit propositionem compositã, aut hypoteticam, & nõ est terminus. Pæterea non cõuenit omni termino, cum possit esse terminus, qui non sit signũ, vt in hac propositione: blictiri est vox. Nec satis est respondere subiectum illud ibi materialiter substitui, nam illa, & similes propositiones, s. homo est nomen, &c. sunt formaliter propriè, & vniuocè propositiones: ergo etiam earum termini, qui sunt propriè subiectum, & præ-

dica-

dicatum sicut in alijs, quod autem significent, & subijciantur ratione rei significatæ, vel ratione sui, illis accidit.

Definitio ergo posita est recte assignata, & licet conueniat termino communissimè sumpto prout abstrahit à mentali vocali, & scripto, per additionem vocis *mentalis* facilè restringitur ad nostrum propositum.

Circa diuisionem terminorum. Primò diuidi potest terminus in significatiuum, & non significatiuum. Secundò in subiectum, & prædicatum. Tertiò in cathegorematicum, & sincathegoricum. Et tādem in varias illas species, quas initio logicę explicui pro signo in communi, quæ similiter termino significatiuo conueniunt, & non sunt iterum repetendæ.

ARTIC. IIII.

Quid sint nomen, & verbum?

Aristote. lib. 1. priorum c. 2.

DEfinitur nomen ab Arist. est *Vox significatiua ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta.* In qua definitione *Vox*, ponitur loco generis. *Significatiua* ponitur ad excludendum terminum non significatiuum, qui cum non supponatur in propositione pro alio, sed tātùm pro se, non ponitur in illa, vt nomen alterius. *Ad placitum* ponitur, ad excludenda signa naturalia. *Sine tempore* ad excludendum verbum, vt postea declarabo. *Cuius nulla pars separata significat* ponitur ad excludendum terminum complexum, & ad denotandum nomen debere esse signum incomplexum. *Finita* ad excludēda signa, vel terminos infinitos, vt *non homo*, qui non habent determinatam significationem, sed de omnibus dicuntur, præterquam de re significata per nomen, supra quod cadit negatio, *vt non homo* de omnibus præter hominem. Nomen autem est *vox* quædā imposita ad significandā rem aliquam determinatā, quia adinuentum est ad res, vel conceptus manifestandos. Vltima tandem particula ponitur ad excludendos casus obliquos cuiuslibet nominis, genitiuum, s. datiuum, &c. quia nomen debet esse tale, quod reddat suppositum verbo, id est, possit esse subiectum, aut prædicatum ratione sui in propositione, quod nō possunt pręstare casus obliqui. Vnde quando in aliquibus propositionibus ponitur ex parte subiecti, aut prædicati casus obliquus, vt *penitet me facti. Ad miror hūc inopinatum casum, &c.* suppletur tunc nominatiuus, virtute cuius casus obliquus ibi ponitur, & non ratione sui. Ita vt sensus sit: factum

Albar.li. 2.de grā-matica inſtitut. c.3.

tum me ad pœnitentiam mouet, &c. vt docent Grammatici.

Verbum autem definitur:eſt *Vox ſignificatiua ad placitũ cum tempore, cuius nulla pars ſeparata ſignificat, & eſt nota eorũ quæ de altero dicuntur, finita, & recta.* In qua priores particulę iam ſunt explicatæ ex præcedēti definitione. Ponitur rurſus particula *cum tempore*, qua verbum differt à nomine.

Ad cuius intelligētiā aduerto, quod aliud eſt ſignificare tēpus, & aliud ſignificare cum tēpore, vel connotare tempus, ſignificando illud indirectè, & ſecūdariò. Primo modo poteſt nominibus conuenire, nam dies, menſis, & annus tempus ſignificant, ſicut reliqua nomina ſua ſignificata, ſed ſecundo modo ſignificare cum tēpore, vel conſignificare illud, cōuenit ſoli verbo quatenus verbum actionem, vel paſsionem ſignificat, prout exercitam in aliquo tēpore, vel aliquid per modum actionis, & paſsionis.

Sed dices: prandium, & cęna ſunt nomina, & tamen non ſignificāt directè tempus, ſed connotant, vel conſignificant illud: ergo non eſt vniuerſaliter vera hæc differentia. Reſpondetur eſſe valde diſparem rationē, quia nomina illa, cōſignificant tēpus per accidens, quatenus ex communi hominū conſuetudine, res ſignificatæ per illa nomina exercentur in tempore. Verbum autem omnino per ſe tempus conſignificat, quatenus præter coniūctionē extremorum tempus connotat. Vnde verbū ceno duplex tempus cōſignificat: vnum per accidens, in quo conuenit cum nomine cæna. s. tēpus nocturnum: & aliud per ſe. s. tempus præſens.

Secundò dices, in his propoſitionibus *homo eſt animal rationale*, *&c.* verbum abſoluitur à tempore, vt communiter dicitur, quia ante omnia tempora propoſitio erat vera: ergo falſo aſſeritur per ſe conuenire verbo, ſignificare cum tempore. Reſpōdetur tamen, quod propoſitionē abſolui à tēpore nihil aliud eſt, quàm abſtrahere ab hoc, vel illo tempore determinato, vel non reſtringere extrema ad aliquod determinatum tempus, non tamen conſiſtit in hoc quod nullum tempus ſignificet etiam in determinatum: propoſitio namquè illa: *homo eſt animal*, licet abſtrahat ab exiſtentia in hac, vel illa differentia determinata temporis, dicit tamen tempus indeterminatum, in quo homo poteſt coexiſtere cum animalitate.

Reliquæ particulæ explicatæ ſunt in definitione nominis, excepta vltima. s. *quod ſit nota eorum, quæ de altero dicuntur*, quæ ponitur ad differentiam verbi à participio, quod. s. non eſt copula, aut coniunctio duorū extremo-

tremorum, sicut est verbum, atquè adeò quamuis participium cum tempore significet, vt amans, amaturus, &c. per hãc vltimam particulam sufficienter excluditur à ratione verbi: quia non coniungit prædicatum cum subiecto.

Dubitatur, conueniat nè conceptibus ratio nominis?

Sed dubitabis, an ratio nominis, & verbi solis vocibus conueniat, an verò etiam cõceptibus? Quidam affirmant etiam cõceptibus rationem nominis conuenire, Aristotelem autem solùm vocibus definitiones nominis, & verbi exprimere, quia notiores sunt, & quia paucis mutatis accommodari facilè possunt ad conceptus mẽtis, vt patet etiam in alijs definitionibus, quas assignat orationi propositioni, &c. Rursus, quia Aristoteles nomẽ, & verbũ asserit esse partes principales propositionis, quod nõ diceret, si solùm in vocibus existimaret inueniri, quia propositio vocalis, quæ ex illis componitur non dicitur enuntiatio, & secunda operatio intellectus, nisi tantùm analogicè, & minus principaliter. Alij verò iuniores dicunt saltem rationem nominis solis vocibus conuenire. Quod probant, quia antequam nominatim poneret rebus Adam, innominatæ censebãtur, etiam si haberet proprios conceptus earum, & cum primùm nomina eis imposuit, dixit Deus: omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius, quasi diceret, tunc primò incæpisse nomina. Et nos etiam dum non habemus vocem propriam ad rem aliquam significãdam impositam, dicimus illã innominatam, quãuis proprium eius conceptum in mente habeamus.

Deniquè patet ex communi modo loquendi omnium, qui solùm voces nomina appellare solent, aliudquè est iuxta communem conceptionem esse nomen rei, & aliud esse imaginem rei, vt patet in imagine reali respectu sui prototipi, sed conceptus solùm habent esse imagines suorũ obiectorum: ergo.

Sed facilè vtraquè hæc sententia conciliari potest, dicendo, quod licet ratio nominis primariò, & magis principaliter solis vocibus conueniat, secundariò, & analogicè, vel in repræsentando conuenit scripturis, & conceptibus, quatenus voces representant, sicut dixi conuenire illis rationem subiecti, & prædicati: nam sicut scripturæ significant res, prout nominatas vocibus, ita conceptus non repræsentant res præcisè sumptas, sed qua si vestitas suis nominibus: nam in mente non formam' enuntiationem mẽtalem animalis de homine, nisi repræsentando, simul cum

cum natura hominis nomen ipsum, quo talis natura vocatur, ideoq; quilibet conceptus,prout terminatur ad vocem tantùm,dicitur non vltimatus, vel quasi incompletus, quia completè,& vltimatè tendit idemmet conceptus ad rem significatam per talem vocem, & hac ratione conceptus, qui solam vocem repræsentat, dicitur vltimatus, eo quod non tendit vlterius ad rem per illam significatam,sicut ergo scriptura dicitur nomen saltem analogicè,& in repræsentando, ita & conceptus, quia sicut voces, & scripturę sunt signa conceptuum, ita & conceptus dici possunt signa vocum.

Ex quo colligitur,nomen abstrahere in sua ratione communi saltem analoga,seu proportionali à mentali,vocali, & scripto,licet vocali primariò conueniat, & tamquàm principaliori,analogato:& ratione huius ab Aristotele definitum fuit fortasse solū nomen vocale: si autem loco prioris particulę ponatur signū, conueniet nomini in tota sua latitudine.

Colligitur deniq; propositionē componi tamquàm ex partibus principalibus ex nomine,& verbo. Probatur tùm ex Aristotele id afferēte 1.periarm. c.1. & etiā D. Tho. Tùm etiam ex eorum definitionibus:nomen enim, vt iam constat, non distinguitur à termino significatiuo, verbum autem est copula, & includit in se participiū, quod habet rationem termini: ergo sicut componitur ex terminis, & ex copula aliquo modo,quatenus per illam constituitur,sic etiam ex nomine, & verbo. Vnde verbum dupliciter propositionem constituit,vel vt pars ratione participij, aut prædicati inclusi, vel tamquàm nexus vtriusquè extremi,seu coniunctio partium, & constitutio compositi, vt dictum est.

ARTIC. V.

An compositio hæc propositionis sit realis, vel tantùm rationis?

Declarauimus iam propositionem esse aliquomodo compositam ex terminis, vel ex nomine,& verbo: nunc explicare oportet, an talis compositio realis sit, vel tantùm rationis? Nec est difficultas de propositione vocali, aut scripta;certum enim de illis est componi ex pluribus vocibus realiter inter se discretis. Est igitur prima sententia, quæ affirmat, quod sicut propositio vocalis ex pluribus conflatur vocibus ita enuntiatio mentalis ex pluribus coalescat conceptibus distinctis realiter. *Vazq. 1. p.dis.223 c.3.& Rubio hic li. 1.c.4.q.4*

Dicendum tamen est cum commu-

Docent Ferrar. 1. cōtra Gē te, c. 55. Sotus t. 2.

communiori sententia, enuntiationem mentalem, seu iudicium esse qualitatem realiter simplicem, & non nisi sola ratione cōpositam. Probatur primò à simili: quia prima operatio intellectus versari potest circa plura obiecta per vnum indiuisibilem actum, vt docet D. Tho. & supra ostendi, nec negatur ab aduersarijs: ergo etiam secunda operatio intellectus, quæ perfectior est prima, illamq; emminēter cōtinens, poterit vnica indiuisibili tendentia plura respicere. Patet consequētia: à paritate rationis, & etiā, quia cognoscere enūtiando vnum de alio, nihil affert peculiare, propter quod illi repugnet simplicitas, aut indiuisibilitas præter pluralitatem obiectorum, quæ respicit, ergo sicut apprehensioni conceditur, quod posit vnico indiuisibili actu plura respicere, ita & iudicio.

Secundò: quia enuntiatio mentalis est composita realiter: ergo vel ex pluribus simplicibus apprehēsionibus, vel ex pluribus iudicijs, sed neutro modo rationabiliter defendi potest talis cōpositio: ergo. Minor quo primam partem probatur primò: quia iam secunda operatio intellectus non distingueretur essentialiter à prima, sed consisteret in aggregatione plurium conceptuum pertinētium ad primam operationem, quod est falsum, & contra communem conceptionem Philosophorum. Probatur sequela, quia illæ simplices apprehensiones, cum sint actus completi, & indiuisibiles, non possunt realiter inter se vniri, neque est intelligibilis talis vnio, vt etiam ipsi aduersarij fatentur, ergo solùm aggregatum plurium simpliciū apprehensionum pertinentium ad primam operationem esset iudicium, quod est planè falsum: quia pluralitas indiuiduorum vnius speciei non extrahit eam ad aliam speciem diuersam, etiam in secunda operatione, in qua plures propositiones non constituunt discursum.

Quoad secundam partem, patet etiam minor: quia illa iudicia partialia, vel essent composita, vel simplicia. Si dicatur hoc secundum, habetur, quod intendimus. Si verò primum, reddit eadem difficultas, an sint composita ex pluribus apprehensionibus aut iudicijs, & sic in infinitum procedemus, donec deueniamus ad aliquod iudiciū simplex.

Sed respondent aliqui, enuntiationem mentalem componi ex apprehensionibus subiecti, & prædicati non realiter vnitis, sed tantùm intentionaliter medio alio conceptu, qui ad secundam operationem pertinet, quo repræsentantur, vt vnita extrema apprehensa. Sed contra: quia

quia absquè apprehensionibus prædicati, & subiecti saluatur intrinseca ratio iudicij in conceptu illo medio, aut superaddito, quo vtrúquè extremum repræsentatur inter se vnitum: ergo si talis conceptus medius est realiter simplex, etiã iudicium erit simplex. Antecedens probatur, quia implicat per aliquem conceptum repræsentari vnionem, & conuenientiam duorum extremorum, quin simul eodẽ actu repræsententur ipsa extrema vnita, præsertim loquendo de vnione inter prædicatũ, & subiectum, quæ non concipitur ab intellectu, vt aliquid distinctum ab extremis, vt patet in hac propositione. *homo est animal*: quapropter Arist. 1. *periarm, c.* 3. ait conceptum copulæ non posse separatum consistere ab extremis.

Patet hoc euidentius in propositione negatiua, qua intellectus considerat diuisionem prædicati à subiecto, quæ implicat cognosci sine extremis per aliquem actum, sed eo ipso, quod ille conceptus medius repræsentet vnionem, aut diuisionem, & extrema vnita inter se, vel disconuenientia, enuntiat vnum de alio, & respicit obiectum adæquatum iudicij: ergo in illo simplici conceptũ saluatur adæquata ratio iudicij, apprehensiones autem extremorum solùm præsupponentur vt cõditio præuia, aut motiuum extrinsecum ad iudicium requisitũ, quod non negamus, sed potius asserimus.

Neq; valet respondere: quod per conceptum copulæ repræsentantur extrema secundariò, & in obliquo, & vnio eorum primariò, & in recto: propositio autẽ integra debet primariò ferri etiã in extrema, atquè adeo indiget, quod componatur ex apprehensionibus extremorum.

Hoc inquam friuolum est, quia ad iudicium non requiritur amplius, quam quod repræsentet habitudinem conuenientiæ inter extrema apprehensa, atquè adeo quod habitudinem primariò, & materialiter, ac secundariò extrema apprehensa respiciat: est enim secunda operatio iudicium de eo, quod per primam apprehensum est, hoc est de conuenientia, aut disconuenientia simplicium apprehensorum inter se.

Confirmatur: quia talis conceptus superadditus primariò habitudinem respiciens, & secundariò extrema, vel est iudicium, & secunda operatio intellectus, & hoc intenditur: vel est simplex apprehensio, & sic pertinebit totum illud aggregatum simplicium apprehensionum ad primam operationem, sicut quoduis aggregatum plurium propositionum pertinebit ad secundam, & non efficiet discursum, nisi adsit specialis,

& sim-

& simplex actus illationis.

Ex quo refellitur alius modus respondendi, quem sequitur Vazquez citatus num. 15. dicens iudicium esse compositum ex duplici tantum conceptu, quorũ vnus repræsentet subiectum in recto cum relatione quadam conuenientiæ, aut discõuenientiæ ad prędicatũ, quod secundariò per eundem conceptum respicitur, & alter repræsentet primario prædicatum cũ relatione ad subiectum, & subiectum ipsum secundariò, & in obliquo. Contra illum enim est, quod tota ratio iudicij adæquatè saluatur in quolibet eorum conceptuum seorsim, supposito quod quilibet cognoscit vnum extremum in ordine ad aliud, vel si neuter eorum est iudicium, erit simplex apprehensio, & consequenter inepta, ad componendum verum iudicium, quod vt dixi, non potest ex puris apprehensionibus simplicibus coalescere.

ARTIC. VI.

Vbi satisfit obiectionibus contra dicta?

S. Thom. 1.p.q.58. ar.4.ad 1.

PRimò obijcies S. Thomã dicentẽ, non quamcumq; multitudinẽ obiectorũ causare compositionem in iudicio, sed eam solùm, quorum vnum alteri tribuitur per prædicationem, in eoquè asserit, distingui humanum iudicium ab Angelico, quia Angelus simplici iudicio, homo vero composito de rebus iudicat: præterea Aristot. quod dialectici appellant propositionẽ mentalem, ipse dixit compositionem, ergo iudicium quid compositum est. *Arist. 1. periar.c.1*

Respondetur tamen duplici ratione iudicium humanum dici compositum, & distingui essentialiter ab Angelico. Prima: quia iudicium humanum propter suam limitationem, & imperfectionem non potest plura cognoscere clarè, & prout sunt in se, nisi efficiendo compositionem rationis, & attribuendo vnum alteri modo supra explicato, quod non facit Angelus, sed omnia clarè cognoscit, prout in se sunt à parte rei absquè eo quod componat, vel diuidat.

Secunda ratio, quæ ex prima oritur est, quod iudicium humanum indiget pluribus apprehensionibus præuijs, quibus obiecta iudicãda inter se distinguit, & seorsim concipit, quo manuducitur, & mouetur ad vnum alteri tribuendum per iudicium, ideoquè dicitur aliquo modo cõpositum; non solũ ex parte obiecti, sed etiam ex parte ipsius actus, quatenus resultat ex pluribus illis apprehensionibus realiter

liter distinctis, quæ per se supponuntur ad iudicium, & etiã quatenus illas emminẽter continet, eo ipso, quod ab illis causatum fuit. Cuius optimum exemplũ adducit Durandus in secundis qualitatibus, quæ sunt ita simplices in suis entitatibus sicut primę, & nihilominus dicuntur mixtæ, & compositæ, quia præsupponunt primas in subiecto, in quo sunt, & illas virtualiter, & emminẽter includũt, ex quo patet iã discrimen inter humanũ iudicium, & Angelicum.

Quinimò addo, nec compositionẽ, essentialem rationis admittẽdam esse in iudicio etiam humano. Quod sic probo: quia licet talis distinctio negari non possit inter subiectum, & prædicatum, quæ sunt propositionis extrema, non sunt partes intrinsecæ, & in recto respectu iudicij, sed tantùm materialiter se habentes, & in obliquo; iudiciũ autem est simplex actus primariò respiciens habitudinem conuenientiæ, vel disconuenientiæ inter vtrumq; extremum, & per ordinem ad talem conuenientiam, vel habitudinẽ sumit suã specificationem, simplicitatem, vnitatẽ, & distinctionem, quidquid sit de materiali diuersitate extremorum: & hinc est quod species intelligibiles sũt obiecta motiua, & specificatiua respectu apprehensionum extremorum, non verò respectu iudicij.

Secundò obijcies: quia experiẽtia cõstat, nos successiuè cognoscere subiectũ, & prædicatũ, quibus cognitis, demum deuenimus ad vniendũ vnum cum altero: ergo ex pluribus actibus successiuè existentibus componitur illud iudicium. Respondetur, ex hoc tantùm probari, quod supponantur ad iudicium apprehensiones subiecti, & prædicati, non verò componatur ex illis intrinsecè: nam in illo actu vltimo, quo vnum extremum alteri tribuitur, consistit adęquatè iudiciũ, vt dictũ est; quia iterũ repræsentatur vtrumq; extremum, vt vnitũ per illum actum.

Tertiò obijcies, saltẽ propositio hypotetica debet esse cõposita expluribus cathegoricis realiter distinctis; aliter enim sequeretur, posse nos per propositionẽ hypoteticam, quæ sit actus simplex cognoscere, & prædicare vniuersas res.

Respõdetur etiã propositionẽ hypoteticam esse simplicem qualitatẽ propter rationes assignatas, quare per vnicũ solũ actũ poterit intellectus vnã veritatẽ coniungere cũ altera, vel copulatiuè, vel disiunctiuè, vel conditionaliter, si sermo sit de hypotetica rigorosa, & propria, & non de ea quę solũ est aggregatum pluriũ propositionũ, vt dicemus infra. Ex quo nõ sequitur quod possit vniuersa obiecta, aut plura distinctè cognoscere sicut, nec

nec simplex appræhensio, ex eo quod possit pluralitatem aliquã limitatam obiectorum cognoscere, sequitur quod possit quamcumquè aliam: quia excedit perfectionem, seu imbecillitatem humani intellectus, quod attendat ad plura obiecta in particulari: confusè autem & in communi omnia poterit apprehendere, & iudicare, vt si dicat: *omne vel est, vel non est.*

QVAESTIO II.

Quotuplex sit propositio?

ARTIC. I.

Diuiditur primò in affirmatiuam, & negatiuam.

Aristoteles *lib. 1. c.* 4. diuisit propositionem in affirmatiuam, & negatiuam. Prior est, quæ vnum alteri conuenire affirmat. Posterior vero, quæ vnum de alio negat, vt patet iam ex dictis. Sed est nũc difficultas, qualis sit hęc diuisio? quoniam occasione illius declarabitur magis enuntiationis natura intrinseca.

Alexan. & Burana lib. 1. prior. c. 1. Philosopho 1. post. c. 21.

Prima sententia asserit hanc diuisionem esse analogi in analogata, quia ratio propositionis primariò, & principaliter cõuenit affirmatiuæ, & secundariò, & minus principaliter negatiuę. Sed est falsa, quia ratio communis enuntiationis, & iudicij, principaliter dicitur de negatiua, ac de affirmatiua, vt probat optimè D. Thomas: nam per negatiuam verè enuntiat intellectus vnum alteri disconuenire, sicut per affirmatiuam, vnum alteri cõuenire. Quod autem iudicium negatiuum, seu dissensus supponat affirmatiuum, seu assensum, non tollit vniuocationem: quia talis inæqualitas prouenit ex differentijs contrahentibus, non verò exercetur in ratione cõmuni enuntiationis mẽtalis, sicut conclusio discursiua pendet essentialiter à præmissis, & non propter hoc analogicè dicitur ratio scientię, vel opinionis de vtroquè actu.

S. Thom. 1. periar. lect. 8.

Sed dices: de ratione propositionis est, quod constet subiecto, prædicato, & copula; hæc autem non reperiuntur propriè in propositione negatiua: ergo nõ est verè, & propriè propositio, sed tantũ analogicè. Minor probatur, quia prædicatum est forma subiecti, & de illo dicitur: subiectũ autem est illud, in quo verè est prædicatum: & copula est coniunctio vtriusquè, quæ omnia nullo modo propositioni negatiuæ conuenire possunt, cum potius remoueat vnum extremum ab altero.

Respondetur tamen, per pro

positioné negatiui enuntiari dé subiecto prædicatū negatiuum, idest, negationé alicuius positiui, & hanc coniungi cū subiecto, licet positiuū ipsum remoueatur, & aliquid amplius nō requiri ad verā, & rigorosam enuntiationé, nā licet prædicatū negatiuū dicatur analogicè prædicatum, & minus principaliter quā positiuum, tamen vera enuntiatio abstrahit ab omni prædicato enuntiabili, consistitq; principaliter in iudicio, quod intellectus facit de esse, aut non esse alicuius rei.

Sotus lib. 2. sum. c. 2 Secunda sententia asserit prędictā diuisioné esse subiecti in accidentia, quam etiā reijcit S. Thom. vbi supra, & meritò quia esse propositioné affirmatiuam est, quod affirmet prædicatum vniri cū subiecto, esse verò negatiuam est, quod enuntiet vnum alteri nōn cōuenire, sed intrinsecū, & essentiale est affirmatiuę, quod enuntiet vnioné, & conuenientiā, & negatiuæ discōueniétiā: ergo esse affirmatiuā, & negatiuā non sunt accidentia propositionis. Probatur minor: quia si auferatur à propositione affirmatiua affirmare vnum de alio, aufertur tota eius essentia, quæ consistit in hoc solú, quod repręsentet vnū esse aliud, talis enim repræsentatio est, quod primò illi conuenit, idemq; dico de negatiua, ergo.

Tertia deniq; sententia communis, & amplectenda, quā sequitur ibi S. Tho. est hanc diuisioné esse generis in species. Quā limitāt aliqui iuniores; quod solū intelligatur de speciebus logicis, non verò methaphysicis, & proprijs, itaquè asserunt: quod sicut apud mathematicos considerantur vt variæ species quātitatis, quæ in rigore methaphysico verè non sunt species, sed modi diuersi eiusdé, ita apud logicos propositio affirmatiua, & negatiua non differūt specie metaphysica præcisè vt tales, nisi aliūde eis proueniat talis distinctio ex diuersitate obiectorum. *Porphir. Boetius. Ammon. Simplici⁹ Lemosius Lobaniensis. Toletus 1. prior. c. 4*

Probant: quia vtraq; potest habere idem obiectū formale, & cōsequenter idé specificatiuum, v.g. hi duo actus Fidei diuinæ: *Deus est infinitus: Deus non est finitus*: ergo differentiæ affirmatiui, & negatiui per se non sunt specie diuersæ.

Confirmaturq; quia negatiuū vt tale est, non potest specificare aliquem actum, & consequenter nequè distinguere illud essentialiter ab alio actu, quia solùm ens positiuum est obiectū adæquatum specificatiuum intellectus, vt dicitur in Metaphysica: sed enuntiatio negatiua solùm distinguitur ab affirmatiua in hoc quod respicit negatiuū, aut remotioné vnius extremi ab alio: ergo per hoc non potest essentialiter metaphysicè distingui ab illa, sed tātū materialiter.

Sta-

Statuitur affirmationem, & negationem esse differentias essentiales, & proprias enuntiationis.

Sed oposita sentẽtia.s. esse veri generis in species essentialiter distinctas non solùm logicè, sed etiam metaphysicè, tenẽda est, tùm propter authoritatem S. Thom. qui absolutè asserit esse generis in species, & excludit esse subiecti in accidentia. Tùm etiam, quia si differrẽt talia mẽbra solùm specie logica, sequeretur vnũ de duobus, vel quod tales differentiæ sint accidentales enuntiationi vt sic (vt aiebat secunda sentẽtia.) Vel quod tam ratio communis enuntiationis, quàm differentiæ affirmatiuæ, & negatiuę in quas essentialiter diuiditur vt verum genus, accidentaliter conueniãt actibus intellectus, & nec hoc secundum dici potest.

Quia negari non potest secũdam operationem intellectus humani essentialiter metaphysicè distingui à prima, & tertia, & nõ tantùm logicè, sed non distinguitur per aliud, quàm per talem modum repræsentandi.s. enuntiando vnum de alio, ergo enuntiatio, vel iudicium enuntiatiuũ, vt tale est, essentialiter conuenit actui intellectus humani, & consequenter etiam affirmatio, & negatio, quę sunt differentię per se illam diuidẽtes (vt probatum est) essentialiter actibus intellectus conueniẽt. Maior patet, quia non solùm Logica, sed etiam Physica, & Metaphysica considerant distinctionem hanc inter tres operationes intellectus humani, nullusquè physicorum dubitauit essentialiter distingui, ergo non solùm logicè, sed etiam physicè, & metaphysicè differunt. Minor patet ex dictis, & confirmatur ex S. Tho citato, qui distinguit essentialiter iudicium humanum ab Angelico in hoc, quod humanum enuntiat componendo, seu attribuendo vnum alteri, Angelicum verò non, sed alio simpliciori modo: ergo talis modus enuntiandi.s. prædicatum de subiecto essentialiter constituit actum intellectus humani. Patet consequentia, quia non potest essentialiter distinguere, nisi quod essentialiter constituit. *S.Th.1.p. q.58.ar.4*

Ad fundamentum oppositæ sententiæ omissis alijs, quæ minus probabiliter dici possent. Respondetur affirmationem, & negationem causare semper diuersitatem specificam, quando primariò intenduntur per actus intellectus, vel sunt tendentiæ ad subiecta primaria, secùs verò quando sunt actus, vel tendentiæ ad obiecta secundaria, quia tunc sicut non specificant actus, ita nec distingunt, atq; ideo actus affirmans, & negans aliquid propter authoritatem Dei sunt

eiusdem speciei, quia primariò non tam intendunt affirmare, aut negare aliquid, quàm credere Deo affirmanti, aut neganti, ad modum quo quis narrans affirmationẽ, & negationem alterius, respectu narrantis non essent actus specie distincti, sed tantùm materialiter, vel in esse rei: quod maximè aduerte, nam in præsenti casu, ideò intellectus credentis captiuari dicitur, quia non motus à se ipso, vel ab obiecto, sed authoritate alterius alligatus affirmat, vel negat.

Hac itẽ causa dixi supra disp.1. quod licet practicum, & speculatiuum sint differentię essentiales diuidentes habitum, atq; adeò, quod idem habitus in ordine ad obiectum primarium non possit esse simul practicus, & speculatiuus, potest tamen esse speculatiuus primariò, & secundariò practicus, sicut dicitur de Theologia, & de visione beata in 1.p.

Ad secundum respondetur, quod licet assensus, & dissensus respiciãt idem obiectum primarium, sed non eodem modo, sed lõgè diuerso, quia ratione amor, & odium respiciunt idem obiectum motiuum, & similiter intẽtio, & electio, & nihilominus sunt actus specie differentes, vt est communior, & verior sententia: affirmatio autem, & negatio, vel assensus, & dissensus, quod idem est, ferè in omnibus assimilantur odio, & amori, vel delectationi, & tristitiæ, & ideo simili modo differunt. Neque obstat quod omnes isti actus pertineant ad eundem habitum specie (vt dicitur latè in suis proprijs locis) quia ex hoc non infertur, quod sint eiusdem speciei, sed quod propter subordinationem per se, quam inter se habent, possint non obstante eorum diuersitate specifica, ad eundem habitum pertinere, vt latius alibi explico.

ARTIC. II.

De diuisione propositionis in simplicem, & compositã, absolutam, & hypoteticam.

Communiter diuidi solet propositio in communi in simplicem, & compositã; vel in cathegoricam, & hypotheticam, ac si essent vna, & eadem diuisio solùm diuersis terminis explicata: nam propositio simplex dicitur vna simplex enũtiatio, vel prædicatio vnius de alio, ideoquè cathegorica dicitur, quia prædicatiua, & propositio composita, seu hypothetica dicitur illa, quæ constat vt minimum duabus cathegoricis, vel orationibus tamquam partibus principalibus vnitis media coniunctione aliqua. s. *&*, *vel*, *si*, aut

aut simili. Vnde vtraquè differt tam ex parte extremorum, quàm ex parte copulæ ipsorum: quod extrema cathegoricæ, vel simplicis propositionis sunt subiectum, & prædicatum, & copula vtriusquè verbum *est*, siuè explicitè, vt in propositione de tertio adiacente, *Petrus est animal*: siuè implicitè, vt in propositione de secundo adiacente, *Petrus amat*: hoc est, *Petrus est amans*. At extrema propositionis compositæ sunt duæ propositiones formaliter vt tales, & nexus vtriusquè est dictio *& si, vel*, & similes. Vt si dicas: *Petrus currit, & loquitur. Si Sol lucet, dies est, &c.*

Contra hanc autem diuisionem est: quod potest esse propositio cathegorica, hoc est, tantùm enuntians prædicatum de subiecto, & nihilominus verè composita, v. g. quando multa de multis prædicantur, & non vnum de vno, vt si dicas: *Homo in quantùm mortalis, est animal, & rationale*. Potest item esse cõposita ex duabus cathegoricis, vel orationibus, & nihilominus esse cathegorica, & prædicatiua tantùm vt, *Petrus, qui disputat, est simul loquens*, est tantùm enũtiatiua loqutionis de Petro disputante.

E contra etiam potest esse propositio composita, quæ nec formaliter cathegorica sit, nec hypothetica, nam hæc: *Petrus disputat, & Ioannes audit*: & hæc: *Paulus sedet, vel stat, vel mouetur*. Sunt compositæ, & nõ cathegoricę formaliter, cum partes principales earum non sint, subiectum, & prædicatum, sed propositiones vnitæ media coniunctione, *vel, aut, &*, nec sunt hypotheticæ: nam propositio hypothetica est illa, cuius veritas pendet ex aliqua hypothesi, aut cõditione, hypothesis enim Græcè sonat, quod Latinè suppositio, vel conditio, ideoq; hypothetica est, quia nõ indicat absolutè suam veritatem, sed ex suppositione alicuius conditionis, vt in his: *Dies est, si Sol lucet. Si homo volat, habebit alas. Ideo Petrus est amabilis, quia prudens est, & virtuti deditus*, sed propositiones supra positæ absolutè indicant veritatem absquè dependentia alicuius conditionis, vt patet: ergo non sunt hypotheticæ.

Propter hæc quidam iuniores calumniant, hanc diuisionem & modum explicationis illius, sed non ita facilè recedendum est à communi sententia, præsertim quando commodum sensum non multò labore illi adhibere possumus. Ingeniosi enim intellectus est noua inuenire, seu ingenerare præter communiter dicta, non tamen contra communiter dicta: quia hoc posterius non vacat præsumptionis, aut temeritatis specie.

Exponitur communis diuisio supra assignata.

Quapropter dicendum est, omnem propositionem simplicem esse semper cathegoricam, & absolutam, & omnem compositam esse hypotheticam aliquo modo, si intelligantur hæc membra diuidentia in sensu accommodato, quo illa intelligit communis sententia, ac proinde diuisionem esse legitimam. Quæ declaratur explicatione terminorum, & simul responsione oppositorum.

Ad primum enim dico, quod dupliciter potest propositio aliqua esse composita. Vel materialiter, vel formaliter. Materialiter composita dicitur, quando eius materia, quæ est subiectum, vel prædicatum, ex pluribus coalescit siuè intrinsecè, & in recto importatis, siuè extrinsecè connotatis, & in obliquo. Formaliter verò, quando duas copulas vt partes principales importat, easquè simul cum suis extremis, tamquàm propriam materiam respicit, & alio superiori nexu vnit vt propria forma. Propositio ergo simplex, quam communis sententia eandem docet cum cathegorica, formaliter intelligenda est, pro ea. s. quæ tantum constat simplici coniūctione *est*, nam hæc semper est prædicatiua, quidquid sit de complexione terminorum, ex quibus constat, & sic hęc propositio est formaliter simplex: *Animal est rationale est propositio*, quia licet illius subiectum sit aliàs propositio, tamen respectu huius est tantùm terminus complexus, & subiectum: quia tota illa propositio *animal est rationale* intrat ibi prout simplici modo apprehensa: & sic in exemplis adductis constat, illas propositiones esse materialiter compositas, & eo ipso quod aliqua probetur esse formaliter composita, non erit cathegorica.

Satisfit secundæ obiectioni.

Ad secundum, quod difficilius est, dico primò, quod dupliciter propositio aliqua dici potest composita, vel voce tantùm, vt quando intellectus assumit veritates omnino disparatas, & iungit eas dictione *&*, & hæc potius est quoddã ens per accidẽs, vel aggregatum ex pluribus propositionibus, quàm species per se propositionis. Vel secundò dicitur composita re, & voce: quando s. veritates in re connexas, vel coniunctas aliquomodo siuè per se, siuè per accidens intellectus iungit media dictione *&*, aut alia simili: & tunc fit propositio hypothetica copulatiua, & sensus illius est, quod quando datur vnum, datur, & aliud, vel quod ex suppositione vnius à parte rei, ponitur & aliud, vel propter aliquam dependentiam siuè mutuam, siuè non mutuam quam habeat vnum ab alio, vt si dicas:

dicis: *Petrus citharizat, Paulus canit, & Ioannes saltat*, vel propter dependentiam, quã vtrumq; habeat ab vno tertio, aut coexistentiam in eodem tempore, aut loco, vt *imperante Nerone*, hoc est, *quando Nero imperauit, Petrus passus est. Regente Philipo Quarto, Gregorius Pontifex mortuus est*, in his enim omnibus copulatiuis semper subintelligitur, vel aliqua causalis, vel conditionalis, vel suppositio, aut consequtio illatiua siuè mutua, siuè non mutua in vno respectu alterius, aliàs nulla èrit connexio inter vtrumquè, sed erunt res omnino disparatæ, & tantũ voce iunctæ.

Confirmatur manifestè tota hęc doctrina in hypothetica negatiua, quæ opponitur contradictoriè copulatiuæ affirmatiuæ. Huic enim: *Petrus audit, & Ioannes loquitur*, non opponitur contradictoriè ista: *Petrus non audit, & Ioannes non loquitur*, quia debet negari copula principalis, quidquid sit de minus principalibus, vt dicam postea quæstione dè oppositione: solùm ergo contradicit ista: *Non si Petrus audiat, Ioannes loquitur*. Vel è contra, *non si Ioannes loquatur, Petrus audiet*. Sed in his, & similibus sit manifestè sensus hypotheticus, negaturquè conditionalis, vel illatio vni' ex alio: ergo signum est talem hypothesim virtualiter includi in affirmatiua: quia propositio contradictoria non negat, nisi quod continebatur in affirmatiua.

Dices: ergo iam omnis propositio hypothetica erit conditionalis? Respondeo abstrahendo à formali, & virtuali, ab explicita, & implicita, ita verum est. nam hoc indicat vox hypothetica, conditionalis autem, quæ enumeratur vt distincta à copulatiua, & disiũctiua, est cõditionalis expressa; cuius partes iunguntur particula *si*, vel *quia*, aut simili.

Exponitur tandem quomodo disiunctiua sit propositio hypothetica.

Deniquè propositio disiunctiua, si sumatur in rigore dialecticorum, est etiam verè hypothetica, quia pendet eius veritas ex negatione, vel falsitate vnius partis tamquàm ex hypothesi, vel conditione: nam vt obseruat Toletus *lib. 1. c. 19.* communis regula dialecticorum est, quod illa disiũctiua sit absolutè vera, cuius vna tantùm pars si vera, & illa falsa, non solùm quando vtraquè pars est falsa, sed etiam quando vtraquè pars est vera: nam particula *vel* denotat in rigore, quod vnũm, vel alterum sit in rerũ natura, non autem vtrũquè simul, vt si dicas: *Vel cæli sunt tantùm decem, vel sunt vndecim.* Itaquè veritas partis pẽdet ex negatione alterius à parte rei, nã sicut partes copulatiuæ *Toletus.*

pro-

propositionis, ratione connexionis, quam inter se habent, pendent adinuicem, vel saltem non mutuò quoad veritatem, ita vt veritas vnius pendeat ex veritate alterius, sic partes propositionis disiunctiuæ propter oppositionem, quam inter se habent, non possunt simul esse veræ, sed potius affirmatio vnius pendet ex negatione alterius.

Benè verum est, quod in alio sensu minus proprio particula *vel* accipi solet pro aduerbio *saltem*, vel ad minus, quo sensu Christus dixit: *Vbi duo, vel tres cōgregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sunt.* In his enim casibus vtraquè pars illius potest esse vera, quia non significat oppositionē aliquam inter vtrāquè, sed quod saltem vna debeat esse a parte rei, & in hoc etiam sensu hypothesim significat; nā sensus illius est, ad hoc quod ego sim in medio eorum, requiritur vt conditio, quod sint tres, vel duo ad minus congreati in nomine meo, & sic in cæteris propositionibus hu' sensus, semper particula *vel* denotat conditionem aliquam, quæ ad minus requiritur, vt prædicatum subiecto conueniat.

Sed demus tandē, quod paucissimæ aliquæ propositiones compositæ, nec formaliter, nec virtualiter hypotheticæ essent. Potuit cōmunis sentētia propositionem compositam in communi hypotheticam vocare, sumpta denominatione à principaliori parte, & ab eo quod regulariter, & ferè semper euenit.

ARTIC. III.

Sit nè diuisio dicta generis in species?

PRima sententia docet diuisionem hanc esse subiecti in accidētia. Cuius fundamētum est, quod magis, & minus compositum solùm accidentaliter differunt, sicut pars domus à tota domo, & sicut propositio omnino simplex etiam ratione materiæ, differt à propositione de subiecto, & prædicato cōplexo: pari ergo ratione enuntiatio hypothetica differt accidentaliter à cathegorica.

Secunda sententia est, eam esse analogi in analogata. Docēt S. Tho. Boetius, & alij. Videtur colligi ex Aristotele, qui propositionem simplicem vocat sine addito vnam, compositam verò solùm vocat coniunctione vnam, in quibus verbis vnitatem simpliciter videtur illi tribuere, huic verò vnitatem secūdùm quid, seu analogam. *S. Thom. opus. 48. cap. 6. de enuntiatione. Boetius. Niphus. Amonius*

Secundò: enuntiatio est oratio vnum de altero enuntians, seu prædicans, sed hoc per se primò conuenit simplici, & ratione illius compositæ, quia in simplici prædicatum enuntiatur de

subiecto,

subiecto, in composita verò nihil de alio enuntietur, neque est formaliter enuntiatiua, sed tantùm ratione materiæ, quæ sunt propositiones cathegoricæ ex quibus constat.

Tertiò vna species non componitur ex alia, sed enuntiatio composita cõstat ex pluribus cathegoricis, ergo non est species per se distincta, sed aggregatum indiuiduorum eiusdem speciei.

Tertia sententia est, diuisionem hãc esse generis in species, ita Sot°, Tolet. & alij. Probatur primò, quia tam ratio generica quàm specifica enũtiationis vniuocè illis conuenit: ergo potius est diuisio generis in species, quá in analogata: probatur maior, quia propositio hypothetica verè, & propriè est oratio ex pluribus signis constans cógruè se habentibus, hocquè illi ratione sui competit, vt patet.

Sotus lib. 2. summ. cap.86. Tole. q.2.

Præterea, iudicare verum, vel falsum enuntiare etiam conuenit hypotheticę formaliter, & ratione sui & non tantùm ratione materiæ. Quod sic declaro: nam hypothetica est oratio enũtians non absolutè sicut cathegorica, sed sub hypothesi, vel conditione, aliquod prędicatum subiecto conuenire, vnde cum falsitate propositionũ cathegoricarũ stat veritas propositionis hypotheticæ: ergo est verè enũtiatiua ratione sui. Patet consequentia, quia si solùm propter cathegoricas, ex quibus constat, esset vera, & enuntiatiua, quando cathegoricæ essent falsæ, ipsa esset falsa. Antecedens probatur: nam hæc propositio: *Si bos haberet alas, volaret*, est verè enuntians, quia solùm supposita conditione, & non absolutè volatum de boue enuntiat, & nihilominus vtraquè oratio, ex qua componitur, est imposibilis, sic etiam: *Si cælum est animal, ergo sensibile.*

Item in disiunctiua: aut astra sunt pària, vel imparia, vna earũ semper est falsa, & quæ vera est, ex suppositione falsæ, veritatem suam habet: enuntiaturquè in ea principaliter, & formaliter, non tam prædicatum cathegoricæ de subiecto ipsius, quàm oppositio vnius cathegoricæ cũ altera à parte rei. Et in copulatiua, enuntiatur similiter per particulam *&* connexio vtriusquè cathegoricæ, respectu cuius vtraquè cathegorica se habet vt subiectum, & connexio vtriusq; vt prædicatum.

Deniquè si propositio hypothetica potest esse vera; etiam si cathegoricæ, ex quibus componitur, sint falsæ, ergo non solùm materialiter, sed etiam formaliter, & ratione sui veritatem habet: ergo etiam est enuntiatiua formaliter, & ratione sui. Patet consequentia: quia non potest intelligi veritas, aũt falsitas, nisi aliquid enuntiatur ita esse,

esse, vel non esse. Similiter si hypotheticæ suam propriam contradictionem habent, præter oppositionem simplicium, ex quibus constant, ergo & propriam affirmationem, & negationem, quæ illis ratione sui conueniat. Patet consequentia, quia oppositio sic definitur: *Est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem.* Ergo si oppositio formaliter illis conuenit, ita & affirmatio.

Propter hæc argumēta vtriusquè opinionis dictæ. s. secundæ, & tertiæ (nam de prima nihil est curandum) existimo distinguendum inter propositionem compositam ex cathegoricis disparatis, quarū vna non est hypothesis respectu alterius, vel non consideratur vt conditio respectu illius, licet in re ita sit (vt etiam communiter est in vsu) & inter illam, quæ propriè hypothetica est, & vt talis pronuntiatur: respectu huius secundæ vera est tertia sententia, & respectu primæ vera est secunda, nimirum, quod sit diuisio in analogata, & sic vtraquè opinio conciliari potest, quia hoc tantū probant vtriusquè fundamenta.

QVAESTIO. III.

De diuisione propositionis in veram, & falsam.

ARTIC. I.

Diuiditur secundo ab omnibus propositio in verā, & falsam: quæ diuisio nō est in membra essentialiter diuersa, sed solùm subiecti in accidentia, seu proprietates. Ad cuius intelligentiam suppono, quod veritas est duplex. Alia transcendens, seu in essendo, quę ideò sic dicitur, quia est entis proprietas; ac conuertibilis cum illo, iuxta quam dicimus hoc esse verum aurum, verum hominem, &c. ad differentiam auri apparentis, & hominis picti; dicitur insuper hæc veritas obiectiua, quia consistit in hoc quod quælibet res sit cōformis in suo esse cognitioni veræ, de qua latè in metaphysica. Alia est veritas formalis, seu in repræsentando, quæ solùm conuenit signis repræsentantibus aliquid, prout in se est à parte rei. Quæ strictè sumpta solùm significat veritatem, quæ est iudicij, vel enuntiationis mentalis propria, diciturq; veritas complexa, seu enuntiatiua.

Primò dicendum est, quod veritas formalis enuntiationis consistit in adequatione, & cōformitate iudicij cum obiecto, quod repræsentat, prout est à parte rei: & falsitas in difformitate eiusdem cum illo. Id est, in hoc veritas propositionis consistit,

Aristo. 6. met. tex. 8 & lib. 9. tex. 21. & 3. de anima tex. 22 vbi Auerroes Alexand.

xād. & S. Th. & 1. cōt. Gent. c.59. vbi Ferra. & 1.p.q.16. art. 1. & alibi sæpè vbi Caie. Reuerēd. Zumel, & Epis. Oña hic q. 2. ar.1. & 3 Soncin.6. met.q.17. Aegidi⁹, & alij.

sistit, quod repræsentetur illius obiectum, sicut in re habet esse, & falsitas in hoc quod aliter ac est in re, exprimatur.

Probatur primò à simili de veritate cuiuslibet alterius imaginis, aut repræsentationis, & à simili de propositione vocali, quarum veritates solùm consistunt in conformitate cum suis obiectis repręsentatis, prout sunt in re, vt omnes fatentur, sed propositio mentalis est quędā imago intentionalis, & quædam obiecti repræsentatio: ergo veritas illius consistit in conformitate dicta.

Confirmatur ex ratione veritatis obiectiuæ, & transcendentis, quæ consistit in essentiali habitudine ad formalem, & non est aliud quam conformabilitas rei cum cognitione, vel aptitudo, quam habet, vt repræsentetur sicut in se est: ergo veritas formalis consistit in repræsentatione talis obiecti vt est in se. Idē què de falsitate opposita proportionabiliter dicendum est.

Deniquè patet à simili de bonitate, & malitia morali actuū voluntatis, quæ consistunt in conuenientia, aut difformitate cum lege diuina, quam respiciūt vt morale obiectum: ergo etiam veritas, & falsitas actuum intellectus in simili conformitate, aut difformitate consistūt. Patet consequētia, quia sicut se habet bonitas, & malitia ad voluntatē, ita veritas, & falsitas ad intellectum, vt docet S. Tho. & cum eo communis Theologorum sententia.

S.Th.1.2. q.19.ar.1 & alibi sæpè.

Ex dictis patet iam veritatē, & falsitatem non esse differentias essentiales propositionis, nā potest vna, & eadem propositio invariata manens quoad suam substantiam nunc vera, nunc falsa esse: vt docēt Arist. & S. Th. & communiter fere omnes. Et probatur: quia propositio est vera, si obiectum per illam sic existat à parte rei, & est falsa, si non sit, vel aliter sit, ac repræsentatur, sed potest accidere, quod invariata propositione, varietur illius obiectum à parte rei, & transeat de esse ad nō esse: ergo quod propositio mutetur de vera in falsam. Minor probatur, quia potest obiectū propositionis esse contingens, aut liberum, ita vt sit in mea potestate candē propositionem dicentem me lecturum per vnam horam veram, aut falsam reddere: ergo.

ARTIC. II.

Vtrum veritas sit proprietas soli iudicio conueniens?

Ratio dubitandi est, quia etiam in simplici apprehēsione saltem veritas inuenitur: ergo nō est proprietas solius iudicij.

Aristo.3. de ani.c.6 & 9.met. c.7. text. 21.& 22. S.Tho.ibi lec.11.& 1.p.q.16. art. 2. & seq.1.cōt. Gēt.c.59 Caietan⁹. Ferrar.

iudicij. Antecedens docent Aristoteles, & S.Tho.& communiter vtriusquè discipuli, probaui etiam disputatione 1. Communiter responderi solet, quod veritas alia est incomplexa simplici apprehensioni conueniens, & alia complexa, quæ est proprietas iudicij, sed hæc verba, nisi maior adsit explicatio, solùm significant differentiam ex parte subiecti, quod.s. veritas complexa propositioni insit, seu notitię complexæ, & incomplexa veritas simplici apprehensioni adiaceat: restat tamē declarare, an in formali veritatis ratione sit etiā diuersitas? nam si discrimen solùm se tenet ex parte materiæ, nullius operationis erit proprietas, sed vtriquè communis.

Aristo.1. periar. c. 1.& 3. 3. de ani.c.3 9.met. c. vlt. & 6. met. c. 2. S.Tho.citatus, & q. 1. de ver.ar.3. Caietan⁹. R.Zumel. & Oña.

Præterea Aristot. & S. Tho. absolutè tribuunt veritatem, & falsitatem soli propositioni, seu iudicio, & communis sententia eas simpliciter proprietates enūtiationis vocat: si ergo in simplici apprehēsione est sua propria, & proportionata veritas, quare non dicitur illius proprietas? Et quare magis vni, quàm alteri operationi accommodatur? In hac re omissis varijs opinionib⁹, breuiter dico cū S.Th.q.16. 1.p.ar.2. ꝙ veritas, quæ est proprietas enūntiationis, est veritas in cognoscendo, seu in dicendo, ad hoc autem nō satis est, quod intellectus attingat verum in genere rei, hoc est, quod repræsentet id, quod in re est verum, sed requiritur, quod ipsum verum terminet vt obiectum in genere obiecti, id est, quod intellectus enuntiet rem ita esse, vel nō esse à parte rei, sicut ab ipso enūtiatur: in quo distinguitur enuntiatio à simplici notitia, quod hæc repræsentat obiectū, quod est verè à parte rei, non tamen explicitè affirmans ita esse, illa verò, vtrumquè facit, & repræsentare obiectum, quod est in re, & affirmare ita esse in re, sicut cognoscitur, quod est cognoscere, vel dicere ipsam veritatem, aut conformitatem, quam habet obiectum cum intellectu.

Indicat clarè S. Tho. citatus dicens: *Veritatem singulariter tribui compositioni, quia per hanc solam operationem est veritas in intellectu tanquàm in cognoscente veritatem*, quia cum veritas in conformitate cōsistat, solùm intellectus comparans vnum ad aliud, potest hanc veritatem cognoscere, & conformitatem sui cum re cognita.

Ex qua doctrina aliqui inferunt, veritatem formalem cōsistere in actu reflexo, quo intellectus cognoscit conformitatem, quam habet suus actus cum obiecto, quod enuntiat. Est tamen contra veritatem, & S.Thom. citatum, qui postquam dixerat, tunc intellectum esse verum, cum cognoscit conformitatem sui cum re cognita, explicat quo-

quomodo id fiat, dicens: *Quando intellectus iudicat rem ita se habere, sicut est forma quã de re apprehendit, tunc primò cognoscit, & dicit verum, & hoc facit componendo, & diuidendo: nam in omni propositione formam significatam per prædicatum, vel applicat alicui rei significatæ, vel remouet ab ea*: non est ergo necessarium ad formalem veritatem, quod intellectus explicitè dicat: *res quam ego cognosco ita est*, sed eo ipso quod iudicat, aut dicit: *res ita est*, implicitè subintelligitur, *sicut dico, aut cognosco*, ad quod satis est actus directus: nam actus intellectus, aut voluntatis, si sit perfectus, se ipsum respicit saltem indirectè, & vt obiectum quo.

Ex dictis tandem colligitur vnam propositioné non esse magis verã quam aliã, si de formali veritate sit sermo. Ratio est: quia veritas cõsistit in cõformitate conceptus & rei, hæc autẽ cõsistit in indiuisibili, ergo veritas nõ suscipit magis & minus. Minor patet: nã cõformitas hęc est quædã æqualitas inter vtrũque, æqualitas autẽ duorum in indiuisibili posita est, vt constat: nã vel vnũ alterũ excedit, & sic nõ erunt æqualia: vel non excedit, & sic æqualitas totalis erit. Dixi de veritate formali, nã si de fundamento, & causis illius sit sermo. s. de necessitate, certitudine, infallibilitate, & rationibus, quibus talis veritas ostendi potest, sine dubio vna est maior alia: sic Deũ esse, est magis verum, quam omnis veritas creaturarum.

Si autem de falsitate loquamur, tã formalis, quã fundamentalis suscipit magis, & minus. Docet Aristot. 4. met. tex. 18. & S. Thom. lec. 9. Patet: quia falsitas est recessus à veritate, seu inæqualitas cum re dicta, vt ait S. Tho. sed recessus & inæqualitas potest esse multiplex, licet accessus, & æqualitas sit vna, vt constat in inæqualitate quantitatiua quæ multipliciter potest variari non autem æqualitas.

QVAESTIO. IIII.

An sit propositio quæ, nec determinatè vera sit nec falsa?

ARTIC. I.

Non est difficultas de propositionibus necessarijs, quorum prædicatum inseparabiliter & semper comitatur subiectum quotiescumquè existit, ideoquè dicuntur sempiternæ veritatis, non quia obiectum per illas repræsentatum sit sempiternum in existendo, sed quia connexio prædicati cũ subiecto ex suppositione, quod

existat, est omnino necessaria, & ab æterno vera, vt in hac *homo est animal.* Nequè est difficultas de propositionibus tēporis præsentis, siuè sint necessariæ, siuè contingentes, nam certum est semper esse determinatè veras, aut determinatè falsas, vt *Petrus currit, &c.* nam ex suppositione quod Petrus de præsenti currit, iam determinatè verū est currere, vel *si non currit,* erit determinatè falsum, quod currat, quia quamuis habuerit prius indifferentiā, & libertatem ad currendum, & non currendum, iam se determinauit, quando de præsenti currit. Controuersia ergo solū est de propositionibus, quæ dicuntur de futuro contingenti simpliciter, idest, quorum prædicatum simpliciter contingenter conueniet subiecto tempore futuro. Simpliciter contingens est illud, quod pendet à causa omnino libera, & indifferente, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest illud operari, & non operari, vt excludam contingens secundū quid, quod dicitur tale solū respectu huius, aut illius causæ: est tamen respectu omnium causarum, à quibus pendet, omnino necessarium, vel respectu causæ positis omnibus requisitis: ista propositio v.g. est de futuro cōtingenti simpliciter: *Petrus peccabit cras:* & ista erit de contingenti secundùm quid: *terra hoc anno proximè futuro non dabit fructum suum consuetum:* quod licet respectu terræ fœcūdæ, & respectu seminis inclusi in ea sit contingens, respectu aliorū, quæ sunt per se requisita, vt terrā germinet, est quid necessariò eueniens, & non contingenter.

Proponitur ratio dubitandi pro parte affirmatiua.

Dè contingenti ergo, quod simpliciter dicitur tale, est ratio maxima dubitandi, nam illud antequam in re determinatè sit, est indifferens vt habeat esse pro tēpore, quo respicitur vt futurū: ergo propositio illud representās est indifferens, vt sit vera determinatè, vel falsa. Antecedens patet: quia quod est futurum ex vi alicuius causæ liberæ, tam indifferens est, vt in reponatur, ac est indifferēs, & indeterminata causa ad illud producendum, vel non producendum, sed causa libera antequam prorrumpat in actum, est omnino indifferens ad producendum, vel non producendum suum effectum: ergo etiam effectus antequam actu producatur, est omnino indeterminatus, vt producatur, vel non producatur eo tēpore in quo dicitur futurum. Consequentia etiam facilè probatur: quia illa propositio dicitur determinatè vera, quæ repræsentat obiectum habēs verum esse de-

determinatum à parte rei, sed futurum contingens est obiectum indifferens ad esse determinatum, & ad non esse, ergo etiam propositio illud respiciẽs est indifferens vt sit determinatè vera, vel falsa.

Confirmatur; quia veritas est entis proprietas, ergo sicut res se habet ad entitatem, ita ad veritatem, sed futurum quamdiu non habet esse præsens, non habet entitatem determinatam: ergo nec veritatem, quæ in tali entitate fundatur.

Propter hæc Aristoteles, & nonnulli alij Philosophi admittunt huiusmodi propositiones esse indifferentes ad veritatem, & falsitatem, neutramque determinatè dicere. Ita illum explicant S.Th. in hoc *1. lib.c.*28. Ammon. Boetius, D. Ambros. Bonauentura, Gregor. Nizenus & plures alij partes.

Magister Reueren. Zumel in suis opusculis, lib. 2. dub. 5.

Pro cuius sententiæ maiori explicatione aduerto cũ Magistro nostro Zumel Authores illius non negare has propositiones esse aliquo modo veras, vel falsas, sed solùm esse determinatè veras, vel falsas. Dupliciter enim potest sumi particula *determinatè*, vel vt immediatè modificans ipsas propositiones de futuro contingenti, ita vt faciat hunc sensum: has propositiones seorsim sumptas, & in particulari esse veras, aut falsas, vel vt modificans veritatẽ, aut falsitatem, quæ illis tribuitur, & supponitur iam illis inesse, ita vt determinatè significet, idem quod immutabiliter, & necessariò, & faciat hunc sensum: neutrã duarum propositionem contra dictum esse determinatè veram, idest, immutabiliter, & necessariò veram, quia potest transire in falsam, & è conuerso.

Et iuxta hos duos sensus diuisi sunt interpretes Aristotelis in expositione illius, quid autẽ ille senserit, parũ nobis refert hic examinare. Videatur circa hoc Reuerendissimus Zumel citatus. Solùm est aduertẽdum quocumque modo sumatur particula *determinatè*, certum apud omnes esse, de qualibet propositione de futuro sub disiũctione esse veram determinatè, & immobiliter, aut falsam, sicut hoc principium est verissimum, & per se notum, *quodlibet est, vel non est*: an verò quælibet distinctè, & determinatè sit vera, vel falsa, hoc est q controuertitur, & negatur ab his Authoribus.

Suppono tamen pro solutione, quod sicut obiectũ aliquod dupliciter dici potest possibile, ita & intelligibile: possibile autẽ aliud est ab intrinseco, & absolutè, quod.s. ex parte sui dicit intrinsecã non repugnantiã, vt sit in rerũ natura, atq; adeo vt possit terminare potentiã aliquam producentẽ. Secũdo modo dici potest possibile nõ ab aliqua po-

tentia sibi intrinseca, sed per denominationē extrinsecā à potētia, quæ potest illud producere: quę potentia, si sit infinita, continet sub se, & extēditur ad omnia possibilia primo modo, idest, ad omnia, quæ in suo intrinseco cōceptu nō implicāt: si verò sit potētia creata, & finita, possunt respectu illius, dici multa obiecta impossibilia, quæ in se ipsis sunt intrinsecè, & absolutè possibilia, & etiā respectiuè in ordine ad potentiā Dei: vnde secundum has duas acceptiones possibilitatis non est inconueniens, quod idem omnino obiectū simul denominetur possibile, & impossibile per ordinē ad diuersas potētias. Ita similiter res aliqua dici potest vera, aut cognoscibilis dupliciter. Vno modo in se, vel absolutè, quatenus intrinsecè includit in se aliquod esse determinatū, ratione cuius potest terminare repraesentationem aliquā intellectus, & illi obijci. Secundo dici potest veritas aliqua cognoscibilis respectiuè, vel per denominationē extrinsecā à virtute aliqua cognoscitiua, quæ potest illam cognoscere: nā sicut per actualē cognitionē res denominatur extrinsecè cognita vel repraesentata, ita per potentiam productiuā talis cognitionis denominatur extrinsecè cognoscibilis, quia nō potest potētia esse magis intrinseca obiecto, quā ei' actus, qui mediat inter vtrūq;.

Ex quo tandē sequitur, quod licet respectu intellect' infiniti, qualis est diuinus, omnia obiecta absolutè, & in se vera, sint etiam respectu illius vera & cognoscibilia, respectu tamen intellectus creati imperfecti possunt dari obiecta, quæ sint omnino irrepraesentabilia, & cōsequēter, quod non habeant determinatā veritatem, & cognoscibilitatem respectu iam per ordinē ad illū, sed tantùm confusam, aut indeterminatam, s. *Petrus peccabit, vel non peccabit.*

ARTIC. II.

Statuitur resolutio huius difficultatis.

Dicendum est cum cōmuni ferè omniū sententia, quod licet futura cōtingentia in ordine ad intellectum creatum non habeant determinatam veritatem, aut cognoscibilitatem, habent tamen illam in se ipsis, & consequenter in ordine ad intellectum diuinum. Docent illam quoad secundam partē Sancti Patres citati, qui Aristotelem reprehendunt, & impugnāt: docet illam etiam elegāter satis R. noster Zumel citatus. *Docet etiam Episcopus noster Oñs. quæst vnica de futuris contingentibus, ar. 8. Ricar. in 1 d.38.ar. 1.q 5. ad 11. Hugo q.1.ar.2. Gabr. q. 1.art.1.*

Prima pars patet manifesta experientia: quia intellectus noster non habet in se virtutem, & efficaciam ad penetrandum obiecta, quæ nondum sunt, sed con-

Ocha & Mai. q. 1. Scotus d. 39. q. 1. Marsil. ibi q. 40. ad 3. Capreo. q. 1. art. 2. ad argum. contra 6. cōc. Sotus c. 9. epist. ad Rom. p. 3. in fi. m, Suar. in suis opusc. lib. de sciētia Dei, c. 2. nu. 6. & alij quos refert, & sequitur Vazq. 1. p. q. 14. disp. 66.

contingēter erunt tēpore futuro atq; adeò licet huiusmodi futura intrinsecè, & in se habeant determinatam veritatem, & entitatem, potest illis deficere cognoscibilitas, seu veritas determinata, quæ illis cōuenire poterat per denominationem extrinsecam à potētia nostra, eo quod deficiat intellectui nostro sufficiēs principiū, aut determinatiuum ad illam cognoscendam.

Posterior autem pars probatur primò à posteriori ex principio fidei: nam Deus cognouit ab ęterno hęc futura contingētia, & interdum ea reuelat, sicut reuelauit negationem Petri futuram, proditionē Iudę, & multa alia per Prophetas, sed Deus per se, vel per alium non potest, nisi verum dicere, quia est summa veritas: ergo obiectum ipsum secundùm se, & priusquam dicatur, est in se determinatè verum. Patet consequentia, quia scientia vera, & veritas obiectiua illius sunt essentialiter correlatiua, & idcirco communiter dicitur: *ab eo quod res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est.* Confirmatur; quia sicut id quod est in se impossibile, vel non est determinatè possibile, implicat ꝙ possit fieri etiā à Deo, ita id quod in se verum, aut intelligibile non est, repugnat, quod intelligatur, vel enuncietur etiam à Deo, quia nulla potētia potest ferri extra suum obiectū, & veritas est obiectū intellect⁹ sicut possibilitas obiectum potentiæ productiuæ: ergo quod in se nō est verè in re, non potest verè enuntiari in re esse.

Secundò probatur, quia eo ipso quod hæ propositiones *Petrus peccabit*, & similes absolutè prolatæ, non sint determinatè veræ, sequitur necessariò eas esse determinatè falsas, quia determinatè affirmant fore, vel non fore, quod nondum est determinatè futurum. Patet sequela, quia affirmare id quod est indifferens ad essendum, vel non essendū tēpore futuro, ꝙ determinatè erit, vel non erit, falsa enuntiatio est, vt patet ex definitione falsitatis formalis, quæ consistit in disconformitate cum re enuntiata.

Cōfirmatur; quia idcirco Authores oppositi asserunt, hoc obiectū *Petrus peccabit* nō habere determinatā veritatē, quia Petrus nō est determinatus ad peccandū, sed indifferens ad vtrum libet: ergo affirmare quod Petrus determinatè peccabit, si nō est determinatè verū, erit determinatè falsum, quia affirmat Petrum esse determinatum ad peccandū cras, cum verè sit indifferens. Neque potest dici, in his propositionibus: *Petrus peccabit*, idē significari, quod Petrus est potēs peccare, vel est indifferens ad peccandum: quia præterquam sunt sensus, quod

valde diuersi, cum vna enūtiet solùm actum primum, & altera actum secundum: adhuc manet in suo robore difficultas, quia propositio ista: *Petrus est potēs peccare*, est determinatè vera, vel falsa, nam potentia illa indifferens ad peccandum, vel non peccandum, verè habet in re esse determinatum conformabile cū cognitione determinatè vera: ergo si Petrus efficit eundē sensum, eandem veritatem determinatam habebit.

Secundò vrgentius confirmatur: nam implicat, quod propositio determinatè enuntians obiectū aliquod, nō sit illi determinatè conformis, aut disconformis, sed si sit conformis, erit determinatè vera, si autē sit disformis, erit determinatè falsa: ergo implicat propositio aliqua, quę nō sit determinatè vera, aut falsa. Minor patet ex definitionibus veritatis, & falsitatis supra explicatis. Et probatur maior: quia implicat quod à parte rei dentur obiecta simul & contradictoriè opposita, repugnatq; etiam, quod eorum non detur à parte rei vnū, ex illo principio notissimo: *omne, vel est, vel non est*: ergo repugnat similiter, quòd propositio enuntians aliquid determinatè esse à parte rei, nō sit determinatè, & disiunctiuè cōformis, aut disconformis rei enunciatæ. Patet consequentia, quia si tale obiectū est in re, est illi cōformis propositio, si verò nō est, est illi disformis: ergo sicut obiectum nō potest non esse determinatè alterum ex duobus contradictorijs, ita nec propositio poterit non esse conformis determinatè, vel disconformis, & consequenter vera, vel falsa.

Exploditur quorundam respōsum.

Sed respōderi solet, illā propositionē esse verā in sensu confuso, & disiuncto. s. si sit vna cathegorica de extremo disiūcto: non verò in sensu disiūctiuo determinato, ita vt sint duæ cathegoricæ in vna hypothetica disiūctiua. Quod hoc exēplo explicari solet, cum dicitur *oculus dexter, vel sinister est necessarius ad videndū*, si disiunctiua illa intelligatur solū ex parte subiecti, & propositio sumatur cathegoricè, erit vera in sensu disiuncto, & confuso, & non licebit in sensu determinato inferre: *ergo vel oculus dexter est necessarius, vel oculus sinister est necessarius*, quia neuter illorum determinatè est necessarius. Vnde ista non opponitur contradictoriè illi primæ, *neque oculus dexter, neque oculus sinister est necessarius ad videndum*, quia variatur suppositio à confusa in determinatam.

Rursus declaratur hoc alio exemplo, in casu quod testator

quidam legauit certam elemosinam dandam iuxta beneplacitū hæredis alteri duorum cognatorū pauperum, dum hęres non se determinat, est verùm dicere, quod vnus, vel alter habet ius ad illam elemosinam, & tamen neuter illorum determinatè potest illam ex iustitia petere, neque valet dicere: ergo vel iste determinatè habet ius ad illam, vel ille, quia testator reliquit hoc indeterminatum, & determinandum per hæredem, ita ergo in proposito aiunt, quod licet disiunctim, & confusè sit verùm dicere: *Petrus peccabit, vel non peccabit*, non licebit disiunctiuè, & determinatè inferre: *Ergo Petrus peccabit determinatè, vel Petrus non peccabit.*

Sed solutio hęc est insufficiēs, nam propositionem istam non solùm in sensu disiuncto, sed etiam in sensu disiunctiuo, & determinato esse veram, facilè probatur ex dictis: quia ex duobus obiectis contradictoriè oppositis vnum illorum determinatè debet esse à parte rei, neq; est inter illa dare medium, sed hęc propositio, *Petrus peccabit, vel non peccabit*, repræsentat obiecta contradictoria à parte rei, ergo vnum illorum respicit vt habens in re verùm, & determinatum esse, licet ex parte cognitionis discernere non possimus, quodnam illorum sit.

Ex quo patet manifestè dissimilitudo primi exempli adducti, nam propositio illa: *oculus dexter, vel sinister est necessarius ad videndum* non respicit obiecta contradictoria, imo nec contraria, quorum vnum necessariò debeat esse determinatè à parte rei, quia necessitas vnius oculi non opponitur contradictoriè cum negatione necessitatis alterius, vt patet; & ideo non licet inferre ex negatione necessitatis vnius oculi ad videndum, quod alter sit necessarius.

Secundum exemplum nō adducitur contra nos: quia solùm probat neutrum illorum pauperum de præsenti habere ius determinatum ad pecuniam legatam, donec de præsenti hæres determinet, cui sit, quia tale ius pendet ex tali determinatione, cæterùm cum hoc stat, quod de futuro hęres determinabit illam erogare vni, vel alteri determinatè, & consequenter quod vnus illorum determinatè, & disiunctiuè habebit ius super talem pecuniam, propter rationes supra positas.

Et præterea: quia quando nunc euenit effectus contingēs, si lectio Petri, est verùm dicere, quod *Petrus nunc legit*: ergo toto tempore antecedente, imo & ab æterno fuit verùm dicere Petrum fore lecturū in hoc nūc. Patet consequentia, quia illud est futurum, quod aliquādo erit presens, & illa propositio de fu-

turo est vera iuxta communem dialecticorũ regulam, cuius propositio de præsenti aliquando est vera: ergo si nunc verùm est Petrum legere, toto tempore antecedenti verùm fuit illum lecturum in hoc nunc, quia eadem est ratio de paruo, quã de magno tempore, aut tota æternitate. Confirmatur, quia illa enuntiatio *Petrus leget*, non incipit esse veram in eo instanti, in quo Petrus legit, sed potius tunc desinit esse eius veritas de futuro, & incipit veritas de præsenti, nam prior enuntiatio affirmat non esse positam lectioné Petri in re, sed ponendam esse in hoc nunc, quod solùm fuit verum tempore antecedenti.

Deniquè argumentari potest contra Aristotelem ex eius principijs, quia ipse 4.*met.c.*7.docet alteram ex duabus propositionibus contradictorijs esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam, & in contradictorijs de subiecto communi id admittit 1.*de interpretatione c.*8 cum tamen sit eadem ratio de contradictorijs singularibus, nã si ex his duabus contradictorijs, *omnis homo saluabitur*, *aliquis homo non saluabitur*. Prior est determinatè falsa; & altera determinatè vera: ratione alicuius singularis determinati, qui damnandus est, vniuersalis est falsa, & particularis vera cumq; subiectum in vniuersali affirmante supponat distributiuè secundũ regulam dialecticorum, & per descensum copulatiuum falsitas illius debeat deprehendi, ex hoc quod aliqua singularis sit falsa, sequitur in contradictoria subiectum supponi determinatè, ac proinde eius veritas probãda est in sensu disiunctiuo, ex eo quod aliqua singularis determinatè vera sit.

ARTIC. III.

Ostenditur non solùm futura contingentia absoluta, sed etiam conditionata habere semper determinatam veritatem.

Ex dictis rationibus colligitur, non solùm futura contingentia absoluta, sed etiã futura conditionata habere determinatam veritatem simpliciter, ratione cuius semper terminant propositioné determinatè veram, vel determinatè falsam. Futurum absolutum est illud, quod simpliciter, & absolutè eueniet tempore futuro. Futurum autem conditionatum est, quod non est habiturum existentiam, sed tantùm de illo repræsentatur quod haberet illam si poneretur hæc, vel illa

illa conditio, vnde sicut per talem propositionem nihil affirmatur de positione cõditionis, ita nec de futuritione absoluta obiecti conditionati: qua ratione hæc propositio: *Si homo haberet alas, volaret*, est determinatè vera, etiam si conditio sit falsa, quia non affirmat aliquid de existentia conditionis, sed solùm de existentia consequentis ex vi illius, vbi autem non est affirmatio, vel negatio, non est veritas, vel falsitas, vt dixi supra.

Hoc supposito, probari potest hæc conclusio, applicando proportionabiliter omnes rationes supra factas, & primam etiã, quia Deus cognoscit non solùm futura absoluta, sed etiam conditionata, & interdum ea reuelat, ergo habent determinatam veritatem, terminantquè scientiam Dei infallibiliter verãm. Consequentia patet, quia veritas determinata obiectiua, & formalis essentialiter inter se connectuntur, ita vt vnum sine altero dari in re minimè possit. Et antecedens suppono, vt certum ex cõmunissima Theologorum sententia, quæ illud amplectitur præsertim hoc tẽpore, *q.14.1.p. S.Th.ar.13.* Patetq; ex S.Scriptura *Luc.c.10. & Matth.11.* dicitur: *Si in Tyro, & Sydone factæ essent veritates, & signa, quæ facta sunt in vobis, pœnitentiam egissent, & Ezech.3. Si ad illos mitteris, audirent te.* Et quam plurima alia adduci possent, in quibus enuntiatur aliquid, quod reuera nunquam fuit subsequtum, sed haberet esse, si tales conditiones ponerentur; sic similiter aliæ rationes supra factæ applicari possunt.

Sed contra obijcies primò, quia veritas propositionis conditionalis non consistit in veritate cõditionis, aut cõsequentis vt dictum est, sed solùm in bonitate illationis, & consequentię, sed in propositionibus de futuro conditionato contingente nõ est bona consequentia: ergo nequè veritas determinata. Minor probatur: quia omnis consequentia est necessaria, nam consequentia, quæ semel est bona, semper est bona, sed in his propositionibus illatio futuri ex sua conditione, est contingens, nam talis cõditio vt supono, est indifferens ad vtrumquè extremum contradictionis, v. g. *Si Petrus esset Romæ, peccaret*: ergo solùm futura conditionata necessaria habent determinatam veritatẽ, non autem contingentia. Confirmatur, quia propositio conditionalis vera propter hanc rationem dicitur ab omnibus necessaria, videlicet, quia eius veritas in necessaria illatione consistit: ergo, &c.

Secũdò obicies: quia aliàs sequeretur futura quęcumq; conditionata quantumuis disparata habere posse determinatam veritatem

ritatem;& consequenter propositiones respicientes talia obiecta, vt si dicas: *Si ego vigilarem, aqua esset frigida: si Petrus ambularet, Ioannes fricaret barbam*, sed hoc est planè falsum, ergo.

Respondetur obiectionibus contra conclusionem.

Ad primam obiectionem nego, quod veritas propositionis conditionalis consistat in bonitate illationis, & consequétię: aliàs enim male assignaretur ab Aristotele, & eius expositoribus inter species propositionis, quæ pertinent ad secundi operationem intellectus, vt dicemus infra: sed deberet poni inter species argumentationis, quia nulla est ratio quare enthymema non sit propositio hypothetica, sed argumentatio, & conditionalis è contra, nisi quia enthymema essentialiter postulat bonitatem illationis, & constituitur per illá, non sic auté propositio códitionalis, sed abstrahit à vera, & rigorosa illatione, & quacúq; dependentia, & cósequtione vnius ex vi alterius, siuè sit necessaria, siuè contingens, ita vt sicut propositio copulatiua enuntiat cóiunctioné vnius cum alio, ita códitionalis enútiet specialé quádá dependentiá vnius ex vi alteri⁹ vt conditionis, affirmando simpliciter vnum fore à parte rei, si alterum ponatur.

Aristote.

Patet hoc manifestè ex significatione ipsa harú propositionú, & ex cómuni modo cócipiendi, & intentione omnium, qui vtútur illis: qui enim enútiat, *Si Petrus petit elemosinam à Paulo, recipiet illam*, & similes, intédit enútiare aliquid determinatè verùm, & non indifferens ad fore, & non fore, vt bene notauit Magister noster Zum. citat⁹, & nó vult significare illationé, aut cósequtionem ita necessariam, vt repugnet oppositú enútiare, sed potius indicari solet oppositú. Vt si dicatur: est Paulus ita misericors, & pauperibus compatiés, vt si ab eo postules elemosiná, liberè tibi statim elargietur. Vnde ad confirmationem negandú est, quod omnis propositio códitionalis vera sit necessaria, si sit sermo de necessitate simpliciter, secùs verò si sit sermo de necessitate secundú quid, vel ex suppositione, quá postea declarabo.

Ad secundùm respódetur ex doctrina nostri Zum. dub. 3. citato, negando sequelam, nam propositiones illæ conditionales, in quibus conditio nullam vim habet concurrendi ad existentiam cósequétis, neque moralem, neque physicam, sed tantùm concomitáter se habet, vt in exéplis positis, vel non sunt formaliter conditionales, sed tantú materialiter, & in voce, vel sunt determinatè falsæ, & nó indifferétes, vt contendunt Authores oppositi. Secúdò probatur, ná propositio

conditionalis petit necessariò ad sui veritatem connexionem aliquam alicuius conditionis, vel causę cum cõsequenti, hoc enim denotatur per illam particulam *si*, ita vt sensus cuiuslibet sit: cõsequens non futurum in re, nisi ponatur hęc, vel illa conditio, ex qua aliquomodo pendet eius futuritio: ergo non sufficit pura concomitantia vtriusq; extremi ad veritatem entis conditionaliter futuri, sed intercedere debet aliqualis dependentia vnius ab altero. Cõfirmatur, nam propositio hypothetica copulatiua distincta est à cõditionali, sed ad copulatiuam solùm requiritur cõcomitantia vnius cum alio, vt patet ex particula *&*, per quam talis propositio constituitur, quæ solam coniunctionem denotat duorũ: ergo aliquid amplius requiritur ad conditionalem.s.cõnexio, seu dependentia vnius ab altero tamquàm à cõditione, vt patet ex particula *si*, iã explicata.

Sed cõtra, sicut in futuris absolutis, & conditionatis per ordinem ad cõditiones antecedẽtes formari possunt duæ cõtradictoriæ, quarũ altera sit determinatè vera, & altera determinatè falsa, ita in his propositionibus conditionalibus disparatis formari possunt propositiones contradictoriæ, vt si dicas: *Si Petrus sedeat, Ioan. ambulabit. Si Petr⁹ sedeat, Ioan. non ambulabit*: ergo altera earum erit determinatè vera, & altera determinatè falsa.

Respondetur negando propositiones illas esse cõtradictorias, sed ambas esse determinatè falsas: nam ex vi illius conditionis, neq; consequẽs est futurũ, neq; est non futurũ, sicut paries essentialiter neq; est albus, neq; non albus: in propositionibus autem conditionalibus non attenditur contradictio secundùm affirmationẽ, vel negationem cõsequentis, sed secundũ affirmationem, vel negationem copulæ, vel cõnexionis, quæ significatur per particulã *si*, atq; adeò sic formari deberet negatiua, vt esset contradictoria, *Non si Petrus sedeat, Ioãnes ambulabit*, & sic est vera, quia negat connexionem, & dependentiã vnius ab altero tamquàm à conditione.

ARTIC. IIII.
Respondetur rationi dubitandi adductæ pro cõtraria sententia.

Restat explicare, quopacto inter se cohereát, quod aliquid sit cõtingẽs, & quod habeat determinatam veritatem? Resp. ex S. Th. futurũ cõtingens dupliciter considerari. Primò vt est virtualiter in causa, & sic est ita indifferẽs, sicut illa, & consequẽter nõ importat vt sit determinatã veritatẽ, sed est indifferẽs sicut possibile ad esse, & nõ esse. *S.Th.1.p. q.14.art. 13.*

Secundò

Secundò potest considerari contingens, prout iam habet esse determinatum extra suas causas, quomodo iam non est indifferens, sed determinatum, & necessarium ex suppositione, quod causa libera, quę erat indifferens ad vtrumlibet se determinabit ad vnam partem.

Dicitur autem huiusmodi contingens necessarium secundũ quid, vel ex suppositione ꝙ est, quia res dum est, necesse est esse, & non potest non esse, vt est commune prouerbium in Scholis. Dicitur tamen simpliciter cõtingens, seu liberum per denominationem extrinsecam à causa contingenti, & indifferenti, quæ taliter se determinauit ad illud, vt potuerit illud non producere, quamuis ex suppositione quod iam se determinauit, non posit illud non produxisse, quia ad præteritum non est potentia, vt communiter dicitur.

Sed insurges: futurum vt futurum nondum habet esse præsens, vel existens in se ipso, sed tantùm est virtualiter in sua causa: ergo vt futurum non habet determinatam veritatem, sed est indifferens sicut causa quod intendit opposita sententia.

Respondetur aduertendo prius, futurum in suo conceptu duo dicere, & negationem existentiæ in hoc tempore præsenti, in quo dicitur futurum, & actualem existentiam illius in tempore futuro, quam connotat, v.g. hæc propositio *Petrus peccabit*, non solùm significat Petrum esse indifferentem ad peccandum, & non peccandum, sed etiam significat, quod in tẽpore futuro *Petrus determinabitur ad peccandum*, sicut præteritum nunc importat negationem existentiæ, connotat tamen habuisse illam tempore præterito.

Secundò suppono, quod vt obiectum aliquod actu habeat determinatã veritatem & cognoscibilitatem, non est necessarium, quod actu habeat physicam, & realem entitatẽ, sed sufficit quod illam habeat pro tempore, quo illam habere enuntiatur ab intellectu, ad hoc quod talis entitas sit repræsentabilis ab intellectu; nam antequam obiectum existat, habet quamdam non repugnantiam: vt posit repræsentari, & cognosci, v.g. præteritum etiam si iam fuerit trãsactum quantùm ad realem existentiam, habet in se non repugnantiam, vt ab intellectu cognoscatur semper cum illa existẽtia, quam habuit tempore præterito, & possibile similiter etiã si actu nullum habeat esse reale, sufficit quod posit illud habere, vt ab intellectu posit repræsentari. Sic ergo ad argumentum respondeo, quod licet futurum nunc non habeat esse extra suas causas, connotat illud esse, quod habebit tempore futuro,

turo, quod quidem ex suppositione, quod tempore futuro erit præsens, habet non repugnantiam vt repræsentetur ab intellectu, antequam actu existat in re, & eius oppositum ex suppositione quod tempore futuro nō erit præsens, habet repugnantiam, vt verè possit repræsentari vt futurum, sed solùm repræsentatur, & cognoscitur tāquàm non futurum. Hæc quamuis satis breuiter dicta sufficiant reliqua omittentes Theologis, qui latius hanc controuertūt disputationem q. 14. art. 13. citato.

QVÆSTIO. V.

De quantitate, & qualitate propositionis.

SVppono duplicem esse materiā in propositione. Alia est materia prædicationis, de qua prędicatū verificatur, videlicet subiectum, vel materiale obiectum propositionis. Et alia est materia circa quam versatur propositio, quæ est tota connexio prædicati cum subiecto, vel obiectum adæquatum propositionis, vt coalescit ex materiali, & formali: quantitas ergo propositionis attenditur penès priorem materiam, & qualitas penès posteriorem, quæ non ita propriè, sed analogicè materia dicitur.

ARTIC. I.

De suppositione terminorum propositionis?

PRius supponenda est suppositionis natura, tùm quia est maximè necessaria ad omnia, quæ infra dicenda sunt. Tùm etiam, quia penès illam attendenda est quantitas tā propositionis quàm terminorū. Est igitur suppositio *acceptio vel vsus termini pro suo significato.* Quia enim ex rebus ipsis nō possumus in mente efficere prædicationes, vtimur terminis pro rebus, vt inquit Aristoteles, 1. *Elēchorumm c.* 1. ideoq; hæc propositio: *homo est animal*: est vera: quia terminus *homo* supponitur ibi loco naturę humanæ, & vox *animal* gerit vicē naturæ animalis, aliter enim esset falsa: quia vox *homo* nō est vox *animal*, sed obiectū vnius vocis dicitur veraciter obiectum alterius.

Multi diuidunt suppositionem in materialem, & formalem. Materialem dicūt, esse illā, qua terminus non accipitur pro suo significato, sed pro se in propositione, vt *homo est nomen. Blictiri est vox.* Formalem verò esse illam, quam nunc explicuimus, sed nimis impropriè suppositio dicitur materialis: quia

suppo-

suppositio nihil aliud est, quàm substitutio vnius rei loco alterius, cuius vices gerit: iudex enim dicitur gerere vicē Regis, & substitui pro illo, non autem Rex ipse, quando iudicat. Vnde ad exēpla posita dicēdum est, quod sicut non est de ratione termini propositionis in cōmuni, quod significet, ita neque quod supponatur loco alterius, neque vllo modo.

Suppositione materiali omissa; suppositio, quam definiui, duplex est. Quædam propria, quæ est vsus termini pro re, quam propriè significat, vt homo accipitur pro homine in hac propositione *homo est animal.* Alia impropria, vt quādo eadem vox accipitur pro pictura aliqua, vel leo pro Christo Domino. Vt patet in Sacra Scriptura, vicit Leo de Tribu Iuda.

Fonse. lib. c. 24. & 25. & Tolet' lib. 2. cap. 1. Secundo suppositio propria. Alia simplex, & alia personalis. Simplex definiri solet, quod sit acceptio termini pro suo tātùm immediato, & primariò significato. Et personalis, quod descēdat ad significatum mediatum, & secundarium, *homo*, v.g. quatenus significat naturam humanam communem, suponitur pro illā simpliciter; personaliter verò quatenus se extendit ad personas, seu indiuidua, in quibus est natura humana per contractionem: quæ quidem mediatè significātur per illam vocem, quia non ratione sui, sed ratione humanitatis, quam participát, sunt obiecta per illam repræsentata.

Hic tamen modus explicandi vel non est vniuersaliter verus, vel obscurus est, & valde æquiuocus: nam terminus *Pater* significat immediatè, & primariò Patrem, & mediatè, & secūdariò Filium, & non supponitur simpliciter. E contra etiam, *Petrus est indiuiduum subijcibile: & Petrus currit.* Vtraquè habet idem significatū immediatum, & in prima supponitur *Petrus* simpliciter, & in secunda personaliter; quia non valet ascendere sub prima. s. *Petrus est indiuiduum: ergo homo est indiuiduum*, sicut valet sub secunda, & sub quauis suppositione personali. s. *Petrus currit: ergo homo currit.*

Clarius ergo suppositio simplex est *acceptio termini pro suo significato, quatenus subest conceptioni intellectus, & illam connotat.* Suppositio autem personalis est *substitutio termini pro re, secundùm id quod illi conuenit à parte rei independenter ab intellectu.* Sic enim facilè discernitur inter vtramquè. cum enim entia rationis logica habeant in rei veritate fundamentum, ita vt significentur per voces quantùm ad id, quod habent à parte rei, & etiam quantùm ad formalitatē rationis, quam accipiūt ab intellectu, hinc est, quod vox aliquādo sig-

do significet rem prout indutā formalitate rationis, vt in hac: *homo est species*, & tunc est suppositio simplex. Aliquādo verò rem significat solùm quoad prędicata realia, & pro illa vt est in re, substituitur, & sic supponit personaliter, vt in hac, *homo est risibilis*.

Vnde rursus colligitur ratio, quare non liceat ascendere, vel descendere sub termino supponente simpliciter, sicut fieri solet, quando suppositio est personalis. Ratio enim est, quia suppositio simplex reduplicat modū concipiendi nostrum, fertur.s.in rem prout taliter abstractam, vel intellectam: & sic non valet consequentia à superiori ad inferius, aut è contra, v.g. *homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species*: sicut valet: *homo est animal, ergo Petrus est animal*; quia prædicata realia naturæ communis realiter sunt in suis inferioribus, conceptus autem vniuersalitatis, & abstractionis minimè.

ARTIC. II.

De suppositione communi, & singulari, & quotuplex vtraque sit?

RVrsus suppositio personalis alia est communis, & alia singularis, seu discreta. Communis est *suppositio termini communis, communiter retenti*. Vt ait Sotus 2.*p.c.*1.*lec.*4.*not.*1. *Communiter*, inquit, *retenti*: quia potest terminus aliàs communis accipi pro vno tantùm singulari per restrictionem, aut contractionem ad aliud, vt si dicas: *hic homo currit*. Suppositio igitur singularis est *vsus termini pro significato singulari*, diciturquè suppositio discreta, quia clarè discernit ea, quæ indistinctè sub ratione communi concipiebantur, quod præsertim de singulari determinato verùm est. *Petrus*.s. *& Paulus*.

Præterea: omissis alijs obscurioribus explicandi, & diuidendi modis, vtraq; suppositio tam communis, quàm singularis subdiuidi potest in determinatam, & confusam, licet enim omnis suppositio pro ratione communi dici possit confusa, quatenus in ea implicitè, & indistinctè inferiora continentur, & omnis suppositio pro re singulari dici possit determinata comparata ad rationem communem: adhuc tamen intra spheram suppositionis communis potest esse maior, & minor confusio, ita vt vna respectu alterius dici possit ratio determinata: & intra rationem suppositionis singularis, potest esse maior, & minor determinatio, ita vt hæc confusa dicatur, & indeterminata respectu alterius.

Expli-

Explico singula: nam suppositio singularis determinata est, quando vox *Petrus*, v.g. subrogatur pro tali indiuiduo per ipsam designato, vel quando terminus communis. s. *homo* restrictus per sinchathegorema hic, vel ille, denotat hoc, vel illud certum singulare. Suppositio autem singularis confusa est quando terminus communis afficitur signo particulari, & vago *aliquis*, vel *quidam*. v.g. *aliquis homo concurrit*. Quæ suppositio dici solet a Summulistis determinata, quod intellige respectu rationis communis, quam particularizat, & determinat, cæterùm respectu suppositionis modo dictæ, est confusa, & vaga. Quia licet significet aliquod indiuiduum, non determinat an sit hoc, vel illud, sed confusè, & vagè per illo supponitur.

Solet appellari particularis hæc suppositio, & non singularis. Sed particulare, & singulare sunt omnino idem, *Petrus enim est homo particularis*, vel quod idem est, pars subiectiua contenta sub ratione hominis in communi, eam particularizans ad esse Petri. Et aliquis homo est indiuiduum vagum, seu confusum, vt omnes docent; ergo particulare, & indiuiduum, vel singulare idem sunt. Ex communi tamen vsu signa confusa, & vaga dicuntur particularia vt, *quidam, aliquis*, & signa determinata, vt *hic*, & *ille*, dicuntur absolutè singularia, quasi per antonomasiam, propter omnimodá determinationem, quam significant.

In suppositione etiam communi illa dici potest determinata, quæ determinatè pro omnibus suis inferioribus, vel aliquibus sub ratione communi contentis subrogatur. Quod dupliciter fieri potest, vel supponendo pro pluribus, vel pro omnibus diuisiuè, & seorsim sumptis, ita vt de omnib⁹. & de quolibet tota ratio significata verificetur. Et hæc suppositio dicitur distributiua, quia ratio communis retenta eius vniuersalitate distribuitur per omnia, & singula inferiora sua, vt si dicas: *Omnis homo est animal*, denotat solùm quod omnia inferiora cōtenta sub illa sint animal, sed etiam quodlibet. s. *Petrus est animal, equus est animal, &c.*


Vel secundò potest terminus communis supponi in propositione pro omnibus, vel pluribus inferioribus suis collectiuè, aut simul sumptis. Vt si dicas: *Homines huius ciuitatis sunt centum viginti millia, vel Apostoli Dei sunt duodecim. Vel ciuitas Hispalensis festa quotidie celebrat immaculatæ conceptioni.* In quo secundo genere suppositionis communis non licet ascendere, vel descendere, quia de omnibus simul, & non de quodlibet seorsim

sim

sam ratio-communis verificatur.

Suppositio autem communis confusa est, quando ratio communis retenta sua vniuersalitate non determinat, an stet pro omnibus, vel pro pluribus, his, aut illis, vt in casibus præcedentibus, sed omnino confusum relinquit animũ audiẽtis, vt quando dicitur: *homo currit*: quæ propositio communiter dici solet indefinita, quod idem significat, ac indeterminata, & confusa, ná omne indeterminatum confusum est.

Sit igitur regula generalis: quoties ratio communis non afficitur sincathegoremate *omnis*, aut *nullus*, aut alio signo vniuersali, est suppositio indefinita, aut confusa, si propositio sit in materia contingenti phisicè, aut moraliter, secùs verò quando connexio prædicati cum subiecto est necessaria phisicè, aut moraliter, quia tunc equiualet vniuersali distributiuę, ac si esset signũ vniuersale omnis aut nullus: vt si dicas *homo est animal*, *aut risibilis*, idem valet, ac *omnis homo est animal*, & in materia morali, *homicida morte plectatur*, idem significat, ac *omnis homicida*.



ARTIC. III.

Quid, & quotuplex sit ascensus atquè descensus?

EX dictis, & ad maiorem eorum explicationem infero, quid & quotuplex sit ascensus, atquè descensus, quorum notitia est maximè logicis necessaria. Descensus est argumentatio, vel consequentia, qua ex ratione communi colligimus aliquid in suis inferioribus: ideoquè sic appellatur, quia ex ratione vniuersali, in qua prius erat intellectus, tamquam in superiori loco descendit per discursum ad cognoscenda inferiora illius: v.g. cognoscens prius, quod homo sit animal, intelligit inde: *ergo Petrus est animal*, & Paulus, &c. Vnde ascensus est, quando è conuerso ab inferioribus ad rationem superiorem per cõsequentiam ascendit dicens: *Petrus est risibilis: ergo homo est risibilis.*

Vterquè enim ascensus, s. & descensus seruit verificandis propositionibus vniuersalibus: si enim dicas, omnis homo currit, & percurrendo singularia inueniatur aliquod non currẽs, eo ipso propositio illa vniuersalis erit falsa. Sed quamuis ad conuincendam falsitatem alicuius

propositionis vniuersalis multam faciat inductio singularia percurrens, & in vno opposită deprehendens, cæterùm ad probandam illius veritatem, non est efficax argumentum nisi omnia singularia enumerentur, & non semper numerari possunt, quia infinita, vel incerta: vt si quis probaret omnem hominem esse album facta inductione in singularibus Hispaniæ, & ignoratis singularibus Aethiopiæ, esset inefficax consequentia, & non formalis, sed materialis, solùm ergo quando inferiora sunt certa, & determinata, poterunt ad probandam rationem communem deseruire.

Quadrupliciter diuidi solet ascensus, vel descēsus.s.in copulatiuū, & copulatū, disiunctiuū, & disiunctū, quæ diuisio malè audit apud iuniores aliquos, sed certè antiqua, & rationabilis est. Pro cuius explicatione aduerto: quādo propositio est vniuersalis distributiua. s. pluribus conueniēs seorsim, & diuisiuè sumptis, tunc resoluitur eius veritas per plures prositiones iūctas particula, & si sint affirmatiuæ, vel particula *nec*, si sint negatiuæ. Exemplum primi est, *omnis homo est animal*, ex qua fit descensus: *ergo Petrus est animal*, *&* *Paulus est animal*. Exemplū secundi est, *nullū animal currit, ergo nec Petrus* currit, nec æqus currit, nec leo, &c. dicitur autē copulatiuus hic ascēsus, quia plures cathegoricæ, in quas resoluitur, efficiunt vnā propositionem hypotheticā copulatiuā, nam vt dixi tractando de hypothetica copulatiua, non est aliud quàm propositio composita ex pluribus propositionibus simplicibus, & inter se copulatis.

Quando autē suppositio termini propositionis est collectiua, ita vt prædicetur aliquid de pluribus simul, tunc nō fit ascensus, vel descensus per diuersas propositiones, sed per diuersos terminos partiales eiusdē propositionis, vt cū dicis Euangelistę sunt quatuor: non potest fieri descensus per diuersas propositiones: ergo Matthæus est quatuor, Ioannes est quatuor: sed tātū per diuersos terminos eiusdē propositionis: ergo Ioannes, Matthæus, Marcus, & Lucas sunt quatuor, quæ propositio non est copulatiua, sed tantū dicitur de copulato extremo, quia non est formaliter cōposita.s.ex duplici copula coalescens, sed tātùm materialiter ratione subiecti, vel prædicati, ideoq; talis descensus copulatus dicitur, nō copulatiuus, quia propositio, in qua consistit, tantùm dicitur de copulato extremo.

Rursus, quādo suppositio est particularis cōfusa, potest resolui, vel per propositioaē hypotheticā disiunctiuā, formaliter compositā ex pluribus cathegoricis iunctis,

iunctis, vel disiunctis, particula *vel* aut similibus, & tunc ascensus appellatur disiūctiuus: quia in propositione disiūctiua cōsistit. Vt si dicas: *Aliquis homo currit*, valet *ergo vel Petrus currit: vel Paulus, &c.* Quæ resolutio, etsi fiat in plurib⁹ seorsim sumptis, minimè distributiua dicitur: quia nihil commune in pluribus distribuitur, sed vnum singulare quod confusè significatur per illam propositionem: *Aliquis homo currit*, in pluribus quæritur, vt veritas illius deprehendatur. Ideoq; veritas rigorosæ disiunctiuę cōsistit in veritate vnius tātùm partis illius, nō vtriusq;, vel omniū (vt cōmuniter dicitur,) quia. s. propositio, *quidam vel aliquis homo*, quæ per illam explicatur, tantū pro vno singulari, licet confusè, & vagè, supponit.

Deniq;, potest particularis confusa resolui per propositionem non formaliter compositā, & disiūctiuam, sed tantū de disiūcto extremo, cuius. s. materia, vel terminus tantùm ex plurib⁹ componatur iunctis particulis *vel, aut, &c.* copula autē principalis propositionis vnica tantùm, & simplex sit. v.g. *Ocul⁹ dexter, vel sinister est necessarius ad vidēdum* non potest pluribus propositionibus, sed vna tantùm simplici resolui. Non enim valet: *ergo oculus dexter est necessarius ad vidēdum, vel oculus sinister est necessarius ad videndū*, quia neuter seorsim sumptus est necessarius, sed vnus, vel alter vagè. Similiter cum dicitur equs requiritur ad equitandū, non valet: ergo vel hic equs requiritur, vel ille requiritur, &c. sed tantùm quod hic, vel ille confusè requiritur, ita vt confusio, & disiunctio, se teneat tantū ex parte termini, & ideo huiusmodi ascensus dicitur disiunctus, quia propositio, in qua consistit, dicitur solùm de disiūcto extremo, non disiunctiua, ex quo manet iam explicata communis sententia, à qua nō est facilè recedendū.

ARTIC. IIII.

Quid sint quantitas, & qualitas propositionis?

EX dictis facilè est iam intelligere, quid sit quantitas, & quid qualitas propositionis? Sicut in physicis quātitas est proprietas materiæ, & se tenet ex parte illius, & qualitas ex parte formæ, vt sæpè docent Aristo. & S. Tho. sic in logicis quantitas propositionis penès materiam illius attendenda est, & qualitas secundùm formā. Duplex est autem propositionis materia. Subiectum videlicet de quo prædicatum enuntiatur, quæ etiam obiectū materiale dicitur, & materia circa quā versatur tota propositio, obiec- *Aristote. S. Thom.*

 tum,

tum.s.adæquatum ex subiecto, & prædicato coalescens, quantitas ergo penès materiam in priori sensu attendi debet, quæ magis propriè sic dicitur, nam materia circa quam includit etiā formam, & totum cōpositum.

Per formam similiter vel potest intelligi prædicatum, quod dicitur formale propositionis obiectum saltē in genere rei, vel potest intelligi copula, seu cōnexio prædicati cum subiecto, & secundùm hác posteriorem, vel secundùm vtrāquè simul (quia vna sine altera intelligi nequit,) consideranda est qualitas propositionis. Quæ quadruplex est.s. veritas, & falsitas, affirmatio, & negatio. Quamuis enim verū sit, quod affirmatio, & negatio, physicè loquendo, sint differentiæ essentiales propositionis, logicè dicuntur qualitates, sicut veritas, & falsitas, & continentur sub eisdem regulis in ordine ad oppositiones, & figuras syllogisticas.

Circa quātitatē propositionis obserua primò, ipsam variari secūdū varios modos vniuersalitatis, & singularitatis cōfusę, & determinatæ, quos supra explicui articulis præcedentibus de suppositione. Et ideo communiter dici solet quadruplex: vniuersalis.s. & indefinita, particularis, & singularis. Sēper tamen penès subiectum quidquid sit de quātitate prædicati, attendi debet, vnde hæc propositio est absolutè singularis: *Petrus est omnis homo*. Et hęc vniuersalis: *Omnis equus est aliquod animal.*

Secundò obserua tria genera signorum quantificantium, quibus quodlibet subiectum commune magis, aut minus potest extēdi. Quædam sunt signa vniuersalia, quibus, si afficiatur terminus communis, reddit propositionem vniuersalem. s. *Omnis, quicumquè, quilibet, nullus*, quæ faciunt vt terminus communis plura distributiuè significet in propositione. Alia sunt signa particularia, quib⁹ si afficiatur subiectum, stat pro vno tātùm, sed indeterminato. Vt sunt *aliquis, quidam*. Alia sunt signa demonstratiua.s. *hic, iste, ille*: quę faciūt vt subiectum propositionis quātumuis in se cōmune sit, stet pro vno tantùm singulari determinato, vt hic homo currit.

Alia sunt signa quasi media inter vniuersalia, & particularia, *vterquè.s. neuter*, & *alter*, reducūtur tamē, duo priora ad signa vniuersalia, & tertium ad particularia, nā in hac propositione, vterq; homo currit: distributiuè supponitur pro duobus affirmādo, & neuter negando. Alter verò facit terminum stare pro vno tantùm duorum confusè.

Sunt etiam signa quantificātia propositionem respectu circunstantium temporis, aut loci, tam affirmatiua quā negatiua: tam

tam vniuersalia, quàm particularia, qualia sunt *semper*, quod æquiualet omni tempore: *nunquàm*, idest, nullo tempore: *aliquando*, idest, aliquo tẽpore: *modo*, vel *nũc*, idest, hoc tẽpore. Similiter in aduerbijs loci, *vbiquè* est vniuersale affirmatiuũ, idest, omni loco: *nullibi* vniuersale negatiuum, idest, nullo loco: *alicubi* particulare affirmatiuũ, idest, aliquo loco: *hic* singulare determinatum, idest, hoc loco.

Deniq; obserua pro quantitate, quod quando subiectũ propositionis constat ex casu recto, & obliquo, quantitas propositionis debet sumi ex cuiuslibet eorum quantitate. Ita vt si casus obliqus fuerit cõmunis signo vniuersali affectus propositio sit vniuersalis, etiam si rectus tali vniuersalitate non afficiatur immediatè: v.g. hæc erit vniuersalis, *cuiuslibet hominis æqus currit*. Cõstat: quia particularis, s. *huius hominis æqus non currit*, est contradictoria illius, & ratio est, quia ex recto, & obliquo efficitur vnũ simplex subiectũ, & ita quodcumquè vniuersali, signo aut particulari afficiatur, satis est, vt propositionem quantificet. Si autem subiectum constet ex duplici casu recto, & diuersimodè affecto, s. omne brutum, & aliquis homo currunt, propositio erit mixtæ quantitatis.

Circa qualitatem propositionis iã plura in superioribus dicta sunt, nunc solùm addẽdum restat, attendendam esse penes copulam principalem propositionis, quidquid sit de minus principali. Copula principalis est illud verbum, quod iungit prædicatum præcipuè intentũ cum subiecto, vt in hac: *Petrus, qui disputat, est ingeniosus*, verbum *est*, *est* copula principalis, & verbum *disputat* minus principalis, quæ se tenet ex parte solius subiecti propositionis: vt autem absolutè hæc propositio sit vera, sat is est, si ingeniositas Petro veraciter conueniat, licet non disputet. Similiter vt sit simpliciter affirmatiua, sat est quod copula principalis affirmetur, licet minus principalis negetur, & è contra, si sit negatiua. Si autem copula principalis ex duplici verbo constet affirmante, & negante, iam duplex erit propositio, vel vna hypotethica pluribus constans cathegoricis, de qua suo loco dicemus.

ARTIC. V.

De ampliatione, restrictione, diminutione, & appellatione.

DE cæteris proprietatibus logicalibus, quæ terminis cõ-

petunt in propositione, multa inutiliter congerunt summulistæ, quibus doctrinam etiam vtilem, odiosam reddunt, difficilemquè vel vt percipiatur, vel vt in memoria retineatur: breuiter ergo aliqua notatu digna proferam, cæteris omisis.

Primò igitur status propositionis dicitur, quando termini illius, subiectum, s. & prædicatum accipiuntur pro tempore significato per verbum, siuè sit præteritum, siuè præsens, siuè futurum, *vt Petrus negauit, iam conuersus est, tandem glorificabitur, &c.* Dicuntur tunc termini statum propositionis habere, quia verificantur pro eo statu, quem importat verbum, & copula principalis illius, & non indigent ad sui veritatem, vt pro alijs statibus accipiantur, vt modo dicam.

Ampliatio, quæ statui opponitur, est, quando termini propositionis significant res incompossibiles pro tempore significato per verbum, tunc ergo vt propositio vera esse posit, necessum est, quod vnus, vel exeat extra statum significatum per verbum propositionis, & pro alio tempore intelligatur: & hoc est ampliari: ad aliud tempus extendi præter illud, quod significatur per verbum, v.g. *Iustus peccauit: album fit nigrum: vigilans dormiet, &c.* cum enim repugnent inter se pro eodem tempore iustitia, & peccatum, albedo, & nigredo: somnus & vigilia, ampliatione vnius termini vtendum est, intelligẽdo illum pro alio tempore non importato per copulam, nam pro diuersis temporibus nulla erit repugnantia. Sic sensus illarum propositionum erit: qui nunc est iustus, tempore præterito peccauit: quod antea erat album, nũc fit nigrum: quod erat vigilãs, tẽpore futuro dormiet. Quæ doctrina est maximè seruanda ad plura sophismata aperienda, quibus incautè potest quis deludi in omni materia.

Sic igitur potest ampliatio definiri: *est acceptio subiecti propositionis pro diuerso tempore ab eo, quod significatur per verbum.* Status autem est, *acceptio subiecti pro tempore eodem, quod significatur per verbum propositionis.* Subiecti dico, nam illi soli ampliatio conuenit; prædicatum enim, cum semper se teneat ex parte verbi, quinimo ipsum verbum, sæpè fit prædicatum, vel saltem pars illius, hinc est, quod statum habeat; hoc est, significetur pro eo tempore quod verbum significat, vt patet in exemplis positis.

Hæc est facillima ampliationis explicatio. Cauendaquè est alia quæ tradi solet, s. est *extensio termini à minori ad maiorem*

iorem significationem. Hæc enim vel intelligenda est conformiter ad definitiones positas, ita vt hæc extensio idem significet, quod acceptio termini pro alio tempore ab eo, quod significatur per verbum propositionis. Vel si intelligatur latè pro quacumquè maiori, aut minori extensione, qua quilibet terminus communis potest diuersis signis quantificantibus affectus ad plura, vel pauciora inferiora, aut significata accommodari, sic vera non est, quia talis ampliatio non est aliud quam maior, vel minor quantitas propositionis, quæ non opponitur statui, per se loquendo, potest enim subiectum quantumcumquè amplum hoc modo accipi pro tempore importato per verbum. s. *Omne animal est substantia: omnis homo currit, &c.*

Quid restrictio, alienatio, & diminutio sint?

Restrictio est, *termini contractio, vel limitatio, à maiori ad minorem significationem. Vt hic homo disputat.* Restringit hominem ad solum Petrum, & excludit cæteros, qui significabantur illa voce, nam in propositione tantùm pro Petro supponitur. Restrictionem docent multi opponi ampliationi, sed intelligendum est non de ampliatione propria, quæ statui opponitur, sed de ea in posteriori sensu, prout omnem quantitatem significat, & sic est valde necessaria eius doctrina ad omnem artem syllogisticam, nam semper medium commune debet distribui, & esse perfectè vnũ respectu vtriusquè premissæ, vt syllogismus sit in tribus terminis, & rectè concludat, vt sequenti disputatione dicemus.

Alienatio quoddã genus ampliationis, vel extensionis est, cũ s. *terminus aliquis per additionem alicuius vocis transfertur à propria in impropriam significationem,* vt *homo pictus*: ratione huius additi extenditur vox *homo* ad significandam picturam hominis.

Diminutio est *vsus termini cum addita voce, qua non absolutè, sed secundùm quid significat, Vt æthiops dicitur albus secundũ dentes.* Albus enim absolutè significat subiectum albedine affectum, ly autem secundùm dentes, est additum (vt aiunt) diminuens, & sic alienatio quædam species diminutionis dici potest, quatenus vox addita *pictus*, v.g. respectu hominis, est additum hominis proprietatem diminuens. Vnde est communis regula, quod à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter non est bona consequentia, ideoquè cauẽda est semper variatio vnius suppositionis in aliam, qua sophistæ incautos capere solent.

Quid de appellatione dicendum?

Tandé plura inutilia, & molesta de appellatione omittés, breuiter dico, quod appellare est vocare, seu nomen imponere: hincquè appellatio apud logicos significat idem, quod *applicatio significati per vnum nomen ad significatum per aliud.* Vnde omne prædicatum exhibens suam formalitatem subiecto, dicitur denominare illud, nam eo ipso quod confert rem significatam, tribuit & nomen proprium ipsius: qua ratione ergo tribuit denominationem subiecto, dicitur appellationem tribuere, vel appellare supra illud.

Hæc ergo doctrina obseruanda est pro argumentationibus, & oppositionibus, vt.s. seruetur idem modus appellationis in extremis oppositis, & in præmissis, & conclusione syllogismi. Nam contingit subiectum diuersis constare rationibus; vel ex materiali, & formali; vel ex recto, & obliquo: vel ex esse reali, & rationis; vel esse substantiali, & accidentali: & tunc obseruandum est secundùm quam rationem illi conueniat prædicatum, suamquè ei appellationem exhibeat, nam secundùm eamdem inferri poterunt conclusiones ex tali propositione assumpta, secùs verò si sit in appellatione variatio. V. g. si arguat quis: *homo est species, Petrus est homo, ergo Petr' est species.* Ineptè concludit, quia appellationem variat in maiori, & minori: nam subiectum homo habet aliquid rationis, prout.s. est aliquid abstractum per intellectum, & sic accipit denominationem, & appellationem speciei, & habet etiam aliàs existere à parte rei in Petro, & alijs secundùm suam realem essentiam, quomodo diuersam aliam suscipit appellationem, & prædicata: arguere igitur ab vno statu ad alium, ab vnaquè appellatione ad aliam transire, vitium manifestum est.

Similiter quando Angelus de Ioanne dixit: *Iste puer magnus coram Domino*, posset argui: si puer ergo paruulus: ergo non magnus. Respondetur quod magnus appellat supra virtutem non supra corpus.

Solent tradi aliquæ regulæ ad discernendum quando prædicata appellant supra materiale subiecti, quando auté supra formale incertę tamé, nec in praxi, nec generales, sed inutilis est, & molestus labor: nã in qualibet scientia demostrantur prędicata de suo subiecto, & ratio assignatur propter quã illi cõueniãt; quãdo auté ęquiuocatio cõtingit, distinctione vti opus est: ad logicã: ergo tantùm spectat fallacias, & æquiuocationes in cõmuni aperire, ratio auté specialis propter quã hoc prędicatũ huic subiecto cõueniat, propriũ sciẽtię cuiuslibet est.

QVAES-

QVAESTIO VI.

De oppositione tam in communi quam in particulari.

ARTIC. I.

TRactat Aristot. de oppositione communi 1. *elēch. c. 4. & præcipuè 1. perier. c. 4.* Vbi ipsam sic definit, *oppositio est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem*; id est, oppositio inter duas propositiones, quarū vna est affirmatiua vnius prædicati de aliquo subiecto, & altera negatiua eiusdē prædicati de eodem subiecto. Quæ identitas non sufficit, quod sit tantùm materialis, seu in vocibus, sed requiritur, quod sit formalis secundùm sensum, & significatū, ita ut seruetur idem modus significandi, supponendi, & appellandi, idemquè ordo subiecti, & prædicati: id est, quod in propositione affirmatiua erat prædicatum, non sit subiectum in negatiua, sed etiam munus prædicati in illa retineat. Rursus debet esse integrum prædicatum, & integrum subiectū in vtraquè. Debetquè seruari etiā identitas in circunstantijs, quæ consignificantur. s. temporis loci, &c. vel vt vno verbo dicam, excepta quantitate, & qualitate, in omnibus alijs seruanda est identitas saltem secundùm significationem. Quod vltimum addo; quia si aliquando solùm materialiter varietur vox, & loco illius ponatur alia synonoma, omnino equiualens in significando, non impediet rigorosam, & propriā oppositionē, vt si dicas: *Marcus fuit orator, Tulli⁹ nō fuit orator.* Vtraq; vox quatenus est suppositiua pro eodem homine, equiualet vni, & eidem subiecto.


Secundū rigorē huius definitionis duplex tantùm est oppositio. Contradictoria, & cōtraria. Prior est illa, quæ est inter duas propositiones oppositas solùm in qualitate, si sint de subiecto singulari, vel de subiecto cōmuni supponēte simpliciter, aut collectiuè, *vt homo est species: homo nō est species. Omnes Apostoli Dei sunt duodecim: omnes Apostoli nō sunt duodecim*; vel oppositas simul in qualitate, & quātitate si sint de subiecto cōmuni, signo quantificante affecto, quarū vna sit vniuersalis, & altera particularis, vna affirmatiua, & altera negatiua. s. *Omnis homo est animal, aliquis homo non est animal.*

Oppositio contraria est, qua opponuntur illæ propositiones vniuersales, vna affirmatiua, & altera negatiua, v.g. *Omnis homo currit: nullus homo currit.*

His addi solet communiter duplex alia oppositio: nimirum subcontraria, & subalterna. Prior est inter duas propositiones

nes particulares, quarum vna est affirmatiua, & altera negatiua, *vt aliquis homo disputat, aliquis homo non disputat.* Posterior autē est inter duas propositiones, quarum vtraque est affirmatiua, vel negatiua eiusdem prædicati de eodem subiecto: solùmquè opponitur in quantitate, eo quod vna est vniuersalis: *vt omnis homo disputat: aliquis homo disputat.* Sed duplex hæc, quæ additur, non est vera, & rigorosa oppositio in sensu, & significatione, ita vt comprehendantur sub definitione explicata Aristotelis, nam istæ: *Aliquis homo disputat. Aliquis homo non disputat*: non opponuntur in sensu: quia potest vnus homo disputare, & alter non: atquè ita non sunt eiusdem de eodem, vt postulat definitio. Propositiones autem subalternæ, licet sint eiusdem de eodem, non tamen sunt affirmatio, & negatio, sed vtraquè est affirmatiua, vel vtraq; negatiua, & vna se habet quasi pars, alterius, nam omnis particularis, aut singularis est pars subiectiua contenta sub vniuersali: dicuntur tamen opponi in sola quantitate, quia singularitas, & vniuersalitas, superioritas, & inferioritas respectus oppositi sunt.

Quia tamen vtraquè hæc oppositio licet impropria est etiam cōsideratione digna, additur duabus præcedentibus, & sub alia communiori definitione ab omnibus comprehenditur. s. oppositio est *duarum propositionum vtroquè extremo eodem ordine participantium secundùm qualitatem, vel quantitatem repugnantia.* Quam tradunt Toletus, Sotus, Episcopus Oña, & alij, & sic conuenit oppositioni subcontrariæ, quatenus est oppositio duarum propositūm secundùm qualitatem; vt clarius hac figura intueri possunt.



Duo autem præter dicta sunt semper aduertēda. Primū, quod quando signū quantificans non supponit distributiuè, sed copulatim

latim, v.g. in hac: omnes Apostoli dei sunt duodecim: tunc nō debet mutari signum illud vniuersale in particulare, quia cum non tribuat ibi quantitatem vniuersalem, & propriam, non est necessariū quod mutetur in particularem. Et ideò istæ non sunt contradictoriæ: omnes Apostoli Dei sunt duodecim, aliqui Apostoli Dei non sunt duodecim; sed ista: omnes Apostoli Dei non sunt duodecim: est quæ opponitur, & contradicit primæ.

Secundum est, affirmationē, & negationem semper attendi debere penès copulam principalem, quidquid sit de minus principali; atquè adeò istæ non sunt contradictoriæ: *Petrus qui disputat loquitur. Petrus, qui non disputat, loquitur.*

ARTIC. II.

De legibus oppositionum.

PRima lex pro cōtradictorijs est, quod in nulla materia possunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Nam hoc est principium primum lumine naturæ notum, quod idem simul esse non posit, & non esse: & idcirco ex falsitate vnius colligitur euidenter veritas oppositę, & è contra. Ex hoc igitur primo principio colliguntur omnes aliæ oppositionum species, quæ quidem eatenus oppositionis rationem participant, quatenus in illis contradictio includitur, aut infertur, vt constabit discurrendo per singula.

Est igitur secunda lex pro contrarijs, quod in nulla materia posint esse simul veræ, id est, quod opponantur in veritate, possunt tamen in materia contingenti esse simul falsæ. V.g. *Omnis homo est albus: nullus homo est albus.* Ex suppositione quod Petrus tantùm sit albus, vtraquè vniuersalis est falsa, quod omnis, & quod nullus sit albus.

Ratio autem quare non possunt esse simul veræ est, quia sequeretur dari posse duas propositiones cōtradicentes simul veras, quod est imposibile iuxta primam regulam. Probatur sequela: quia ad veritatem propositionis vniuersalis requiritur veritas omnium singulariū eius: ex veritate huius, v.g. *Omnis homo currit:* colligitur quod eius particularis ei subalternata sit vera, *aliquis homo currit*, sed hęc est contradictoriè opposita propositioni cōtrariæ suæ subalternanti. s. *nullus homo currit*, quæ supponitur vt vera: dantur ergo duæ contradictoriæ simul veræ. Similiter è contra, subalternata huius: *nullus homo currit* est ista: *aliquis homo non currit*, quę cōtradictoriè opponitur alteri

alteri propositioni contrariæ: *Omnis homo currit*: ergo &c.

Ex eo verò quod ambæ sint simul falsæ, non sequi duas contradictorias simul falsas, probatur: quia cum ad falsitatem vniuersalis satis sit vna singularis falsa, & sub qualibet vniuersali contineantur multa singularia, potest optimè fieri, quod currente Petro, & sedente Paulo, vtraquè hæc vniuersalis sit falsa. *Omnis homo currit*, quia Paulus non currit: *Et nullus homo currit*, quia Petrus currit, Petrum autem currere, & Paulum nō currere, non sunt contradictoriæ, vt patet.

Ex quo satis colligitur, duas propositiones contrarias, vniuersaliter loquendo, non opponi in falsitate, quia vtriusquè falsitas potest desumi ex singularibus disparatis, & non contradictoriè oppositis: opponuntur autem semper in veritate, vt dixi, quia cum ex veritate vtriusquè omnia singularia affirmari, & negari debeant, infertur eo ipso affirmatio, & negatio eorundem obiectorum, & consequenter contradictio.

Tertia lex pro subcontrarijs est, quod non possint esse simul falsæ, quãuis possint dari simul veræ in materia cōtingenti. Hoc secundum facilè constat: quia ad veritatem particularis satis est veritas vnius indiuidui: in casu ergo quod Petrus currat, & Paulus non currat, vtraquè ista erit simul vera: *aliquis homo currit*; *aliquis homo non currit*, propter quod dixi supra propriè nō esse oppositas, quia nō sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, sed de diuersis singularibus verificantur.

Primum etiam probatur efficaciter: nam ex hoc quod sint falsæ illæ duæ subcontrariæ, darentur duæ contradictoriæ simul falsę, sicut ergo istæ repugnant, ita illæ. Probatur sequela: nam ad hoc, quod sit falsa ista: *aliquis homo currit*, requiritur, *vt nullus homo currat*, & consequenter quod Petrus nō currat, sicut nec cætera indiuidua. Similiter ad hoc quod sit falsa eius subcontraria: *aliquis homo non currit*, requiritur vt sit verum, quod *omnis homo currat*, & consequenter quod Petrus, & cætera indiuidua currant: ergo infertur legitimè, quod Petrus curat, & non currat, & similiter cætera indiuidua.

Secundò probatur: quia ex falsitate particularis infertur falsitas omnium singularium eius, & consequenter falsitas vniuersalis, cui talis particularis subalternatur, v.g. si hæc est falsa: *aliquis homo currit*, etiam ista: *Omnis homo currit*, quia in rei veritate nullus homo currit, sed propositio illa: *Omnis homo currit*, opponitur contradictoriè alteri subcontrariæ, quæ etiam falsa sup-

supponitur, *Aliquis homo non currit*: dantur ergo duæ contradictoriæ simul falsæ.

Quarta lex pro subalternis est, quod si propositio subalternans, seu vniuersalis sit vera, eius particularis, vel subalternata debet esse vera: quia ex veritate vniuersalis sequitur necessariò veritas particularis, cum omnes singulares illius debeant esse veræ. Ex falsitate autē vniuersalis nō colligitur falsitas particularis, quia vt dixi, sufficit ad falsitatē vniuersalis vna singularis falsa, non autem ad falsitatem particularis, sed requiritur falsitas omnium singularium, quæ omnia iam constant ex dictis.

Animaduersiones circa propositam doctrinam.

Multa obijci solent argumēta ad probandum duas posse dari cōtradictorias simul veras, aut simul falsas, omnia tamen facilè dissoluet, qui rectè perpenderit definitionem propositā oppositionis, & identitatem prædicati, & subiecti, quam debent habere propositiones oppositæ, non solùm quoad substantiam directè significatam, sed etiam quoad modum significandi, supponendi, & appellandi, & quoad omnes circunstantias temporis, loci, &c. quæ illis accidunt. Itaquè communis omnium solutio est, quod non sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, in quo implicatio stat contradictionis.

Hæc enim de causa istæ non sunt veræ contradictoriæ; *Petr⁹ currit, Petrus non currit*, si intelligantur pro diuersis temporib⁹, aut locis, aut de diuersis singularibus eodem nomine Petri significatis. Nec istæ: *Homo essentialiter est albus, homo essentialiter non est albus*: quæ (vt probari solent) sunt simul falsæ, quia homini nec albedo, nec illius negatio essentialiter conuenit. Sed non seruatur in illis identitas eiusdem prædicati, ita vt affirmetur in vna, & negetur in altera: nam in sensu particula *essentialiter* est pars, vel modus prædicati, & affirmatur in prima, & non negatur in secunda illa: *Homo essentialiter non est albus*: debet ergo negari hoc modo: *Homo non est essentialiter albus*, quę vera est, & alteri contradictoriè opposita.

Istæ similiter probari solēt cōtradictorię, & simul verę: *Omne animal fuit in arca Noe*; quia sic constat ex Scriptura, *& aliquod animal nō fuit in arca Noe*, homines. s. & iumenta, quę aquis diluuij perierunt. Sed prima propositio non est complete distributiua pro omnibus singularibus animalis, sed tantùm intelligitur secundū distributionem accōmodā, & incōpletam pro omnibus specieb⁹, ita vt sensus sit, ex omnibus speciebus animaliū introisse aliqua in arca Noe, & sic est vera, & nō contradicens secūdę.

Istæ

Istæ pariter solét probari simul veræ, *Omnis homo habens vestem, induit ipsam, aliquis homo habens vestem, non induit ipsam.* Posito casu, quod Petrus duas vestes habeat, quarum vná induat, & alteram non. Potest enim in his aliquis incautè deludi existimans particulam *omnis* distribuere tantùm subiectum.s. *omne habens vestem*, sed particula *ipsam* facit, quod etiá omnis vestis habita indui significetur, & sic prima est vera, & secunda falsa. Sed demus, tantú pro omni habente vestem supponi distributiuè ly *omnis*, & nó pro omni veste habita, (quomodo vtraquè est vera) sed non essent contradictoriæ: quia non negatur in secunda, quod affirmatur in prima. s. quod sit aliquis habens vestem, & non vestitus siuè hac, siuè illa, nam húc sensum redderet tunc secunda propositio: vel si negetur in secúda, quod prima affirmat, prima erit eo ipso falsa, & secúda vera.

Istæ etiam: *Omnis homo est aliquod animal, aliquis homo non est aliquod animal*, quia non est leo, qui est aliquod animal. Primo aspectu confundere possunt, propter mixtam quantitatem. Sed secunda est absolutè falsa; quia falsitas particularis, falsitatem omnium singularium dicit, & ita *non est aliquod animal* idem significat, ac est nullum animal. Sed demus, quod ambæ essent veræ simul prolatæ in hoc sensu ac istę: *Aliquis homo currit, aliquis homo non currit*, ita vt in illis cadant affirmatio, & negatio super particulam confusam, *aliquis*, sicut in his? tunc non essent contradictoriæ, sed subcontrariæ, vt dictum est.

Est insuper obseruandú, quod nunquam propositio negatiua verificatur de subiecto ratione vnius partis tantùm, sicut propositio affirmatiua, alioquin plures inferri possent contradictoriæ simul veræ, v.g. istæ: *Christus est mortalis: Christus non est mortalis*: quia in quantùm Deus mortalis non est, & sic de homine quantùm ad animam, similiter argui potest, *quod sit corporeus, & non corporeus*: quia est spiritualis, &c. Semper tamen hæc regula generalis obseruanda est, quod prædicata negatiua absolutè prolata remouentur à toto subiecto, affirmatiua autem verificari possunt de illo ratione vnius partis, & ita in similibus casibus licet concedatur Christum esse immotalem, & hominem esse spiritualem, nó sunt concedendæ absolutè negatiuæ *Christus non est mortalis: homo non est corporeus.* Quod si arguens pertinaciter nó acquiescat regulæ, responde illi non esse eiusdem de eodem, siquidem verificantur de subiectis secundùm partes diuersas.

Item

Item aduerte ad oppositioné cadere necessariò opportere negationé supra copulã, si enim solũ supra subiectũ cadat, vel infinitanter sumatur ly *non*, & non neganter, vel si cadat supra copulam minus principalem, quæ ex parte solius subiecti, aut prædicati se teneat, vera contradictio non est.

Deniq; quoties propter obscuritatem, vel ambiguitatem ignoras, in quo sensu propositiones, quæ tibi probantur oppositæ, accipiendæ sint, concede gratis sensum, in quo sophista eas simul veras, aut falsas probare contendit, & in eo semper deprehendes contradictorias non esse, quia cum nunquam probare possit, idem secundùm idem simul esse, & non esse, semper in probatione recurret ad aliquam diuersitatem, vel temporis, vel loci, vel circunstantiæ, ratione cuius eas simul veras, aut falsas ostendere posSit, quapropter generalis responsio sit ad omnes, vel non esse eiusdem de eodem sicut contradictio postulat, vel non esse simul veras, aut falsas: quia hoc est vniuersalissimum principium omnibus per se notum.



ARTIC. III.

An sit, & quotuplex sit oppositio de subiecto singulari?

MVlti generaliter docét, propositiones de subiecto singulari solam oppositionem cõtradictoriam habere: alijs autem oppositionibus carere, quia capaces quantitatis non sunt, ratione cuius etiam propositiones de subiecto supponente simpliciter, & collectiuè, non possunt aliter, quã contradictoriè opponi. v. g. *Homo est species: homo non est species. Elementa sunt quatuor: elementa non sunt quatuor*.

Sed quamuis id verum sit de propositionibus omni quantitate expartibus, existimo tamen etiam propositiones de subiecto singulari capaces licui' quãtitatis esse, & ratione huius quatuor posse habere oppositionis modos supra assignatos, illisquè cõuenire omnes regulas, & cõdictiones hactenus declaratas pro oppositionibus de subiecto cõmuni, vt statim dicam.

Prius tamen videndum est, quam oppositionem possint inter se habere propositio de subiecto singulari cum altera de subiecto communi? Certũ enim imprimis est, propositionem singula-

gularem subalternari suæ vniuersali, v.g. *Petrus currit*, est subalterna respectu huius: *Omnis homo currit*, quia sicut singulare indeterminatum continetur sub vniuersali, vt inferius sub superiori, ita à fortiori singulare determinatum.

Ex quo rursus colligitur, etiā posse singularem propositionem subcontrariam esse respectu alterius particularis, v.g. *Petrus currit*, respectu huius: *Aliquis homo non currit*. Patet: nam subcontrariæ dicūtur, quæ duabus contrarijs subalternantur, sub illisque continentur vt inferiora, sed *Petrus currit* subalternatur, vt dictum est, huic: *Omnis homo currit*, & *aliquis homo currit*, huic: *Nullus homo currit*, quæ sunt subalternantes contrariæ: ergo illis subalternatę, subcontrariæ sunt. De oppositione cōtradictoria est maior difficultas, videtur enim consequenter ad dicta admittendam etiam illam inter has: *Petrus currit*, & *nullus homo currit*: quia si singulare confusè cognitum contradictoriè opponitur propositioni vniuersali, cur idem singulare clarè, & distinctè cognitum eandem oppositionem non dicet? Quin potius magis explicitè opponi videtur, quia in tantùm particularis contradictoriè opponitur, in quantùm ad falsificandam vniuersalem satis est vna singularis falsa, etsi nondum cognoscatur, an sit hæc, vel illa determinatè: ergo à fortiori si determinetur, v.g. quod Petrus est, qui currit, erit falsa eo ipso hæc: *nullus homo currit*: ergo & contradictoriè opposita.

Definitio etiam, quam Aristoteles pro contradictorijs assignat, singularia non excludit; verba eius sunt: *Affirmationem, & negationem opponi contradictoriè quidem dico, cum vniuersaliter altera significat, altera non vniuersaliter*, quo vltimo verbo etiam comprehenditur propositio singularis. *Aris.1.de interpr. cap.5.*

Nihilominus dicendum est, prædictas propositiones in rigore contradictorias non esse, quāuis possint ad contrarias reduci. Ratio est, quia vtraquè potest esse simul falsa, quod solùm de contrarijs potest verùm esse, minimè verò de contradictorijs, vt dictū est. Quod sic declaro: nam hæc: *Omnis homo currit*, potest falsa esse, si Petrus non currat, & hæc: *Paulus non currit*, etiam erit falsa, ipso non currente: poterit ergo vtraquè simul falsa esse, sicut potest simul stare, quod Petrus currat, & Paulus non currat.

Ex quo ad rationem dubitādi respondeo, esse discrimen inter propositionem particularem confusam, & singularem determinatam, ratione cuius illa contradictoriè opponitur suæ subalternanti, & non ista, nimirum,

quod

quod particularis, cum vagetur per omnia singularia confusè, non potest falsificari, vno vel altero singulari, sed requirit falsitatem omnium, quod non habet singularis determinata, quæ tantũ postulat falsitatẽ sui ipsi⁹.

Quid dicendum, quando vtraquè propositio est de subiecto singulari?

Aliter autem loquendum est, quãdo vtraq; propositio est de subiecto singulari. Ad cuius explicationem duplex vniuersalitas obseruanda est, & similiter particularitas. Alia cathegorematica. Alia sinchategorematica, & similiter particularitas. Vniuersalitas cathegorematica est in propositione, quando subiectum eius cathegorematicum est terminus communis, & supponitur distributiuè, & copulatiuè resoluitur: vt in hac propositione: *omnis homo est animal*, vt supra dixi. Particularitas etiam cathegorematica est, quãdo subiectum eius cathegorematicũ est terminus communis signo particulari affectus, qui disiunctiuè debet resolui: *aliquis homo currit: ergo vel hic, vel hic, &c.* Ad vniuersalitas sincathegorematica est, quando præcipuum subiectum cathegorematicum propositionis est terminus singularis, habet tamẽ vniuersalitatem aliquam extrinsecam ab aliquo sincathegoremate illi adiuncto, vt patet in signis quantificantibus, vt in ordine ad circunstantias temporis, vel loci, ratione quorum formari possunt quatuor genera dicta oppositionũ. Quædam videlicet, quæ sit repugnantia in quantitate, & qualitate, atquè adeò contradictoria? Quędam verò contraria, cuius ambę sint vniuersales pugnãtes in qualitate. Quędã autẽ sub contraria, cuius ambæ sint particulares, similiter in qualitate opposité. Quędã deniquè subalterna in sola quantitate repugnentiam includens; vt patet in sequentibus figuris.



Oppoſitio ſingularium in ordine ad tempus.



Præterea in propoſitionibus de ſubiecto ſingulari complexo, vt *Petrus, & Paulus currunt*: *Petr⁹, vel Paul' currũt*: particula *et*, copulatiuè ſumpta eſt vniuerſalis ſincathegorematicè, & diſtributiuè eſt reſoluenda. s. *Petr⁹ & Paulus currit*. Particula autem *vel* eſt particularis ſincathegorematicè, & eſt diſiunctiuè reſoluenda ſic: *ergo vel Petrus currit, vel Paulus currit*. Vnde vt huiuſmodi propoſitiones opponantur contradictoriè, vniuerſalitas ſincathegorematica vni⁹ debet mutari in particularitatẽ in altera. s. particula *et*, in particulam *vel*: & idem dico in ſubalternis, & in contrarijs, ambæ debent eſſe vniuerſales, id eſt, cõſtare particula *et*, & in ſubcõtrarijs, particula *vel*, quia debẽt eſſe ambæ particulares, vt patet in ſequenti figura.

Oppoſitio propoſitionum de ſubiecto complexo.



His ergo omnibus oppositionibus proportionabiliter applicandæ sunt regulæ, & conditiones supra positæ, videlicet quod seruetur eadem suppositio, & appellatio: quod non varietur quantitas, quando subiectum collectiuè supponit: quod attendatur copula principalis, &c.

Ratione huius. Istæ non sunt contradictoriæ: *Petrus, & Paulus sunt duo: Petrus, vel Paulus non sunt duo*, quia particula *&*, in prima supponit collectiuè, & ideò non debebat mutari quantitas vniuersalis in particularem: quia variatur suppositio à non distributo ad distributum. Similiter istæ non sunt contradictoriæ: *Oculus meus dexter, & sinister est necessarius ad vidẽdum. Nec oculus meus dexter, nec sinister est necessarius ad videndum*: quia variatur à confusa in determinatam, nam particula, *vel* in prima non supponit determinatè, sed confusè, vt dixi, *quæstione præcedenti art. 2.*

ARTIC. IIII.

An detur aliqua propositio, quæ nullam possit habere sibi contradictoriam?

Qvidam neothericus sibi persuasit dari aliquas propositiones, quib' nulla contradicẽs excogitari possit, huiusmodi inquit esse, *Petrus currit, & non currit: Petrus est & non est*, & similes. Probat primò ex Aristotel. 4. *met. c. 6.* qui inter alias rationes, quibus probat, non dari medium inter duas contradictorias, scribit hæc *tex. 27. Præter omnia contradicentia esse illud opportet* (id est, mediũ) *quare neque verum dicet, neque non verum erit*. Ex quibus verbis formari potest hæc ratio: nullum obiectum excogitari potest præter esse, & non esse, vt ibi asserunt cum Aristo. S. Tho. & alij, sed propositio ista: *Petrus est, & non est*: repræsentat duo obiecta contradicentia: ergo nulla potest dari alia propositio, quæ sit illi contradictoria. Maior, & min. patẽt consequẽtia probatur: quia propositio cõtradictoria debet affirmare obiectum oppositum obiecto suę cõtradictoriæ, cum ex oppositione obiectorum proueniat oppositio inter contradictorias, sed nullum dari potest obiectum oppositum his duobus, *esse, & non esse* affirmatis ab illa propositione, ergo.

Arist. 4. met. c. 6.

S. Thom. Alexan. Aphrod. Auerro. Fonsec.

Confirmatur ex eodem textu Aristotelis, vbi ait, nullũ omnino pronuntiatum afferri posse, in quo esse, aut non esse non enũtietur, siquidem omnis propositio affirmat, vel negat, sed quælibet propositio, quæ assignari potest, vt contradicens huic: *Pe*

trus est,& non est quodcumq; dicat,non contradicit: ergo. Probatur minor: quia triplex assignari potest propositio contradicens, *Petrus non est, & est*. Secunda, *Petrus nec est,nec non est*. Tertia, *Petrus vel est, vel non est*. Quod prima nō contradicat,probatur: quia transpositio illa verborum non mutat sensum, vt expressè Aristot. his verbis: *Quod igitur transposito nomine, & verbo, eadem sit affirmatio, & negatio, manifestum est*. Et patet clarè in omni alia propositione; idem est dicere: *Petrus currit, & non currit*: ac *Petrus non currit, & currit*. De secunda etiam propositione.s. *Petrus nec est,nec nō est*,patet etiam: quia est omnino æquipollens præcedenti: nam prima pars illius est negatiua, & secunda affirmatiua: quia duę negationes affirmāt,ac proinde idē sonat, quod *Petrus nō est,& est*.

Arist.lib. periherm. cap.1.

Tertia autem.s. *Petrus vel est, vel non est*, similiter non contradicit, sed potius subalternatur illi, *Petrus est,& non est*. Probatur, quia vt dixi, particula, *vel* est subalterna particulæ &. Preterea sensus illius propositionis Hispano sermone est, *Por lo menos es lo vno,o lo otro*, ꝙ reuera non contradicit, sed subalternatur alteri propositioni dictæ.

Opposita nihilominus sententia ab omnibus amplectitur, & est vera. Probatur retorquendo duplex principiū tactum in fundamento opposito.s. impossibile esse, quod aliquod obiectum simul sit,& nō sit, vt docet Arist. citatus *tex 9. & 10*. sed vt docet etiā *text.28*. necessariū est,quod omnis propositio sit affirmatiua, vel negatiua: ergo nulla est possibilis propositio,cui nō possit opponi altera contradicens. Probr. cōsequētia nā huiusmodi propositio, vel est affirmans aliquod obiectū, & sic propositio negans tale obiectū,erit illi contradictoria: quia negat idē ꝙ altera affirmat, vel ē contra. si est negans,propositio affirmās contradicet illi, & similiter si obiectum primę est verum, obiectum secundæ est falsum; quia omne, vel est, vel non est.

Cōfirmatur: quia nihil est aliud cōtradicere, quā toti propositioni negationē apponere, vt est cōmune, & certum omniū dialecticorū proloquiū cū Aris.2.*per*. sed nulla est propositio, cui non possit addi aliqua negatio aduerbialis; ergo nulla etiam, cui nequeat assignari contradictoria.

Deniquè hoc confirmatur, euertendo fundamentum oppositū, nā propositiones illę, *Petrus est & non est*: *Petrus currit, & non currit*, sunt simpliciter affirmatiuę. Prior est hypothetica copulatiua constans particula *et*, tamquàm copula principali affirmante duo illa obiecta cōtradicentia esse simul à parte rei. Posterior etiam est virtualiter hypo-

hypothetica, & formaliter cathegorica affirmās de Petro duo illa prædicata opposita. Vnde negatio in vtraq; se habet ex parte vnius extremi, & non modificat copulam principalē propositionis, cū ergo cōtradictio debeat attendi penès affirmationem, & negationē copulæ principalis, directè cōtradictoria illius: *Petrus est, & non est* est ista: *Petrus est, vel non est*, quæ negat copulam illam vtriusq; extremi contradicentis, affirmans vtrumquè simul esse non posse à parte rei, sed vnum, vel alterum.

Vnde consequenter negandum est, talē propositionē esse subalternam propriè, & rigorosè loquendo, nam solùm subalternantur particula, *et* & *vel*, quādo quantificant propositionē modificando subiectū illius, vt supra explicui, non verò quando cadunt supra copulam principalem, tunc enim qualificant, & non quantitatē tribuunt, ille autem sensus explicatus ab Authore opposito, est improprius, nam vt infra dicemus, propriè & rigorosè illa est disiūctiua vera, cuius vna tantùm pars est vera, vt est vnanimis omnium sententia.



QVAESTIO III.

De Aequipollentia, & conuersione simplicium propositionum.

ARTIC. I.

Aequipollentia est *duarū propositionum æquiualentia*, vnde æquipollentes sunt, quæ, licet habeant diuersa signa, eandem vim, & significationem sortiuntur: licet autem quælibet propositio alteri æquiualens in significādo sit, v.g. *animal rationale est risibile*, dicatur æquipollens huic: *homo est risibilis*, specialiter hìc loquimur de ea, quæ est inter duas propositiones eiusdem omnino subiecti, & prædicati, diuersis tamen signis quantificantibus affectas.

Vt autem huiusmodi æquipollentes cognoscātur, traduntur quædam regulæ à dialecticis. Prima est pro contradictorijs: contradictoriæ erunt æquipollētes si cuicumq; eorum prę ponatur negatio: vt *omnis homo est animal*, *aliquis homo non est animal*, sunt contradictoriæ; & si affirmatiuæ præponas negationē, æquiualet negatiuæ, v.g. *non omnis homo est animal*, æquiualet huic: *aliquis homo non est animal*. Similiter, è contra si ne-

gatiuæ, negationẽ proponas, dicendo *non aliquis homo non est animal*, æquipollent huic *omnis homo est animal*. Vnde ortum habuit tritum illud axioma: *non est melius contradicere, quàm* toti propositioni negationem apponere.

Secunda regula pro cõtrarijs est, si post subiectũ alicuius contrariæ negationem ponas, æquipollet alteri contrariæ. Vnde si huic: *omnis homo est animal*, posponatur negatio sic: *omnis homo non est animal*, æquipollet huic: *nullus homo est animal*, quæ contraria est, & similiter ẽ conuerso, si dicatur: *nullus homo non est animal*, æquipollet huic: *omnis homo est animal*.

Tertia regula pro subalternis (quia de subcõtrarijs nõ est certa regula) est quod fiant æquipollentes, si subiecto cuiuslibet præponatur, & posponatur simul negatio: vt si dicas: *non omnis homo non est animal*, æquipollet huic: *aliquis homo est animal*; & ẽ contra etiam: *non aliquis homo non est animal*, æquipollet huic: *omnis homo est animal*.

Similiter in his subalternis negatiuis: *nullus homo est animal*, *aliquis homo non est animal*. Prima fit æquipollens secundæ, si muretur, *non nullus homo non est animal*. Secũdę verò, *quidam homo non est animal*, non possunt cõgruè addi duæ negationes, ne efficiatur propositio ridicula cũ triplici negatione, sed potius auferẽda est illi negatio, quã habet post subiectum, & præponenda ante subiectũ, vt si dicas: *non aliquis homo est animal*, nã duæ negationes, quę debebãt poni post subiectũ, auferũtur, quia ęquiualẽt illi affirmationi. Cõtinentur autẽ istę regulę in hoc carmine: *Præ, contradic. post, contra. præ post suè, subalter.*

Sed quia æquipollentia propositionũ prouenit ex æquipollẽtia signorũ, quibus afficiũtur, vtile erit magis in particulari exponere, quæ signa quibus æquipolleãt, secũdũ regulas datas, in his carminibus videri potest.

Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus.
Non nullus, quidam: sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.
Non alter, neuter: neuter non, præstat vterquè.

Quæ omnia fundantur in natura negationis, quę quidquid post se inuenit, destruit, & eius oppositum reddit vnde paritas negationũ affirmat, imparitas verò negat. Præter hoc nota propositionem vniuersalem æquipollere aggregationi omnium singularium eius, & ẽ contra.

Tan-

Tandem ad melius, & facilius inueniendan oppositionem, æquipollentiam, & identitatem signorum. Hæc tabula præ oculis est habenda, in eaque atendendus est numerus, in quo duo signa progrediendo per lineam rectam se tangere possunt, & si sit 1. erunt contradictoria: si 2. erunt contraria, &c. vt in ea continetur.

	Omnis.	Nullus.	Aliquis.	Non omnis.	Non nullus.	Non aliquis.	Omnis non.	Nullus non.	Aliquis non.	Non omnis non.	Nonnullus non.	Non aliquis non.
Omnis.	6	2	4	1	4	2	2	5	1	4	1	5
Nullus.	2	6	1	4	1	5	5	2	4	1	4	2
Aliquis.	4	1	6	3	5	1	1	4	3	5	3	4
Non omnis.	1	4	3	6	3	4	4	1	5	3	5	1
Non nullus.	4	1	5	3	6	1	1	4	3	5	3	4
Non aliquis.	2	5	1	4	1	6	5	2	4	1	4	2
Omnis non.	2	5	1	4	1	5	6	2	4	1	4	2
Nullus non.	5	2	4	1	4	2	2	6	1	4	1	5
Aliquis non.	1	4	3	5	3	4	4	1	6	3	5	1
Non omnis non.	4	1	5	3	5	1	1	5	3	6	3	4
Non nullus non.	1	4	3	5	3	4	4	1	5	3	6	1
Non aliquis non.	5	2	4	1	4	2	2	5	1	4	1	6

1 Contradictorię.
2 Contrariæ.
3 Subcontrariæ.
4 Subalternæ.
5 Aequipollentes.
6 Identicæ.

ARTIC. II.

De conuersione propositionum.

COnuersionis nomen varijs modis accipitur. Dicim⁹ enim cõuerti terminos, conuerti propositiones, & conuerti syllogismos. Termini conuertuntur, quando dicuntur ad conuertentiam, vel conuertibiles, eo quod ex vno inferatur esse alterius, vel propter inclusionem essentialem vnius in altero, vel propter connexionem, qua vnum essentialiter alterum connotat; aut naturaliter comittatur, qua ratione subiectum, & passio inuicem conuertuntur, & quæuis correlatiua. Valet benè, *Est Pater, ergo Filius, & è cõtra.* Secundò dicitur conuerti syllogismus, quando accipimus conclusionem vnius, & vnam ex præmissis illius, & ex illis simul sumptis colligimus aliam præmissam eiusdem syllogismi ab aliquo proteruè negatam, & cogimus eũ vt illam cõcedat, vel duas contradictorias propositiones fateatur, vt dicemus sequenti disputatione, cum de reductione tractemus syllogismi ad impossibile. Tertio dicitur vna propositio in aliam conuerti, & consequenter etiam syllogismus ratione illius cum ex propositionibus constet, & de hac est sermo in præsenti. Estq; valde necessaria, vt syllogismos imperfectos sciamus ad perfectos reducere, & veritatem, & illationem vnius propositionis per conuersionem in aliam euidentem probare.

Hæc igitur conuersio definitur, est *Commutatio extremorum propositionis seruata eadem qualitate. s. affirmatione, aut negatione, veritate, aut falsitate.* Id est, transpositio quædam extremorum, ratione cuius ex prædicato fit subiectum, & ex subiecto prædicatum, ita vt vtraquè remaneat affirmatiua, vel vtraquè negatiua. Et similiter vtraquè sit vera, vel falsa. Vt si dicas: *Nullus homo est albus: nullum album est homo.* Nõ potest autem propositio vera commutari in falsam, nec negatiua in affirmatiuam. Propositio, cuius extrema mutantur, dicitur conuersa. Ea verò, quę fit ex terminis cõmutatis, conuertens appellari solet. Sed obijcies: datur vera conuersio sine eo, quod seruetur eadem qualitas, qua. s. propositio falsa in veram commutetur. V.g. omne animal est homo: ergo aliquis homo est animal, ergo non est bona definitio posita. Antecedens cõfirmatur: quia ex antecedente falso potest deduci consequens verũ, licet non è contra: ergo propositio falsa poterit in veram conuerti, licet non è conuerso.

Respon-

Respondetur supponendo, quod conuersio non est formaliter argumentatio (quidquid alij dicant) licet per modum illationis, & consequentiæ sæpè explicetur, sicut definitionem semper declaramus per enuntiationem ipsius de definito, & non est formaliter enuntiatio. Solú enim ratione materiæ conuersio poterit esse argumentatio, vel illatio, eo quod virtualiter sint tres termini in illa, formaliter tamen, & per se loquendo solùm duo termini interueniũt, cum propositio solùm ex duplici termino constet, & conuersa, & conuertens ex eisdem terminis constare debeāt, solùmq; in eorum transpositione differre, itaquè inter conuersas non est formaliter, & simpliciter loquendo diuersitas, quæ est inter probans, & probatum, alioquin omne antecedens diceretur cõuerti in suum consequẽs, & propositio affirmatiua in negatiuã, quod nemo concedit; est igitur identitas simpliciter inter conuersam, & suam conuertentem, ac proinde sicut in vna sola propositione non est formalis illatio, sic nec in duabus illis.

Quo supposito ad argumẽtum respondeo, quod quamuis sit bona illa consequentia, & deductio, non est vera, & propria conuersio, sicut strictè de illa nunc loquimur, quia conuersio, qua vniuersale in sua inferiora commutatur, eatenus conuersio dicitur, quatenus in se illa continet in confuso vt partes potentiales, cum quibus ratio communis identificatur, & ratione huius identitatis, licet varietur quantitas, vniuersale conuertitur in particulare, in casu autem posito, cum illud vniuersale: *Omne animal est homo*, non non sit verum vniuersale, nec verum totum potentiale, non potest prout subest tali vniuersalitati, conuerti tamquàm in veram partem suam, in illam particulatem: *aliqus homo est animal:* quia vbi non est verùm totum, non est vera pars. Solùm ergo, materiale illius propositionis. s. *animal est homo*, conuerti potest in illam *aliquis homo est animal*, & non prout vniuersalitati substans.

ARTIC. III.

Quotuplex sit conuersio?

Triplex conuersionis modus cõmuniter assignatur ab omnibus. Nimirũ simpliciter, per accidens, & per contrapositionẽ. Cõuersio simplex, quæ etiam ab Aristotele vocatur conuersio in terminis, est illa, in qua prædicatum mutatur in subiectum, & subiectum eiusdem in prædicatũ, seruata eâdẽ quantitate, & qualitate vtriusq; extre-

extrema. Qua ratione conuertitur vniuersalis negatiua, vt *nullus homo est lapis: nullus lapis est homo.* Et particularis affirmatiua, v.g. *aliquis homo est albus: aliquod album est homo.* Ratio huius est, quia termini huius conuersionis sunt omnino idem in vtraquè propositione, tam in qualitate, quàm in quantitate, ideoquè conuersio in terminis appellatur: ergo est mutua vnius ad alium conuersio.

Ex quo patet ratio, quare nō sic conuertitur vniuersalis affirmatiua. s. *omnis homo est animal: omne animal est homo:* quia videlicet non est omnimoda identitas, & quantitas in terminis: in prima enim prædicatum est superius, quam subiectum, & in secunda subiectum efficitur vniuersalius, quàm prędicatum, non potest autem eadem ratio nunc superior, nūc inferior esse respectu eiusdem; cum ordo in prædicatis essentialibus sit inuariabilis. Hinc fit ratio quare ab inferiori ad superius valet affirmatiuè consequentia; & non è contra. s. *Est homo ergo est animal;* non tamēn *est animal ergo est homo.* Negatiuè autem valet vtroquè modo. s. *non est homo, ergo non est animal*, & è contra *non est animal: ergo non est homo:* quia s. est simplex, & mutua conuersio in vniuersali negatiua, secùs autem in affirmatiua.

Dices, sicut in affirmatiuis superius est animal ad hominē, ita in negatiuis negatio animalis vniuersalior est, quam negatio hominis: ergo est eadē vtriusquè ratio quātùm ad hoc, quod est posse, vel non posse conuerti.

Præterea obijcies, quia non semper est vera conuertens propositionis vniuersalis negatiuæ, vt patet in his exemplis: *nullus homo est logic⁹: nullus logicus est homo.* Prima potest esse vera, secunda autem semper est falsa. Item non est vera conuersio: *nullus senex erit puer; null⁹ puer erit senex.* Nec ista: *nullū dolium est in vino, nullum vinum est in dolio:* ergo.

Tertiò in affirmatiuis vniuersalibus, hæc est vera conuersio simpliciter: *omnis homo est risibilis; omne risibile est homo.* Et hęc: *Omne animal est sensibile; omne sensibile est animal*, & sic in omnibus alijs, quarum termini conuertibiles sunt, ergo & propositiones, quæ ex illis constant.

Satisfit obiectis.

Respondetur ad primum, quidquid sit de antecedēte esse discrimen in negatiuis, & affirmatiuis, quod in illis diuersitas inter superius, & inferius est mutua, in istis verò identitas, & inclusio est non mutua: & idcirco illic est mutua negatio vnius de alio, hîc verò est affirmatio non mutua, & consequenter in conuertibilitas. Quod sic declaro: quia in negatiuis, eo ipso quod

vnum

vnum extremum absolutè, & in re nō sit aliud, erit distinctio, mutua, & conuertibilis consequentia; quia non identitas essentialiter dicit diuersitatem ex parte vtriusquè extremi, siuè vnum sit superius, & alterum inferius, siuè vtrumquè æquale: quia nō est intelligibile, quod vnum sit distinctum ab altero, & quod alterum sit illi idem realiter, quia darentur duo contradictoria simul vera. At in affirmatiuis potest id quod est idem secundùm rem, esse diuersum secundùm rationē, & sic diximus vniuersale identificari realiter suis inferioribus, & in illis includi, non tamen è contra, quia taliter vnitur, & identificatur illis secundùm rem, quod illa non vniat, vel idētificet inter se, nisi solùm secundùm rationem quandam communem obiectiuè tantùm in intellectu existentem: & ideo valet consequentia ab inferiori ad superius, non tamen à superiori ad inferius, nec ab vno inferiori ad aliud. Ad secundùm respōdetur, quod in illis, & similibus exemplis non seruantur ijdem termini, & eadem appellatio, & ampliatio eorū, quod requiritur ad veram conuersionē præsertim simplicem. Quare ad primū exēplum dico, quod propositio illa: *nullus homo est logicus*, vel cōpertens illius, possunt significare actualem existentiā, vel aptitudinem ad existendum, & in vtroquè sensu vtraq; conuersa est simul falsa, vel simul vera si eodem modo in vtrâquè accipiatur: nam si particula *est* significet actualem existentiam, & verum sit, nullum hominem actu esse actu logicum, etiā erit verum, nullum logicum actu esse hominem: quia tunc nullus logicus actu erit in rerum natura; ac proinde multò minus poterit actu esse homo. Si *est* significet aptitudinē, tam falsum est nullum hominem esse logicū, ac est, nullū logicum esse hominē.

In secundo exemplo variatur appellatio, & significantur diuersa tēpora in vtrâq; conuersa: atquè ita non seruantur ijdem termini; nam propositio illa: *nullus senex erit puer*: potest duplicem sensum reddere. Vel quod tēpore futuro post senectutem, non adueniat pueritia, & in hoc sensu est vera, & non conuertibilis in alterā, *nullus puer erit senex*: si eodē modo intelligatur, quia importat extrema valde diuersa. s. q; nec tēpore futuro post pueritiā adueniat senectus, quę diuersa tēppora sunt, diuersaq; obiecta, ideoquè vnum falsum potest esse, & aliud verum. Vel secundo potest intelligi vtraquè propositio de eodem tempore, videlicet quod *nullus senex sit puer*, hoc est, tempore suo, quo naturaliter pueritia venit, & quod *nullus puer sit senex* tempore similiter suo, & sic est vera conuersio,

uersio, & vtraquè falsa, quia in vtrâquè significatur idem tempus senectutis, & pueritiæ.

Ad tertium exemplum respódeo, eodem modo illas non esse conuersas: quia non seruatur in illis identitas terminorum: quod enim in vna ponitur in obliquo, s. *in vino* in altera ponitur in recto. s. *vinum*. Erit autem vera cóuersio, si dicamus: *Nullum doliũ est in vino: Nullum existens in vino est dolium*, quomodo vtraquè est vera, & retinetur idẽ modus significandi vinum.

Ad tertium argumentum respondetur, quod propositio illa: *omne animal est sensibile*, & quælibet alia huiusmodi non est vniuersalis reduplicatiuè respectu subiecti tantùm: quia prædicatum illud *sensibile* non est superius respectu *animalis* præcisè sumpti, sed equale, & ideo reduplicatiuè respectu solius animalis vniuersalis non est, nisi connotetur ordo ad inferiora. Nec opponitur hæc doctrina illi, quã tradidi, *sect.2.q.4.* de differẽtia, quod cõstituitur vniuersalis per ordinem ad speciem; quia iam explicui, non per ordinem ad solam speciem, sed connotando inferiora, quæ formaliter constituuntur talia per ipsam rationẽ specificam, & illi addunt materialem diuersitatem. Hoc ergo supposito, quando negatur conuersio simpliciter propositioni vniuersali affirmatiuæ, tantùm est sermo de vniuersali reduplicatiuè considerato in ordine ad sua inferiora, non autem specificatiuè tãtùm. Propositiones autem, in quibus æquale prædicatur de æquali; sunt conuertibiles materialiter ratione terminorum, qui dicuntur ad conuertentiam, non autem formaliter ex vi conuersionis propositionum, & ideo de illis non est sermo in hoc loco, supponiturquè earum cõuertibilitas, vt ex ipsis terminis nota.

Secundus, & tertius conuersionis modus.

Secunda species conuersionis, quæ dicitur per accidẽs, est trãsmutatio prędicati in subiectum, & è contra, seruata eâdem qualitate, & variata sola quantitate, & hac ratione conuertitur quælibet propositio vniuersalis tam affirmatiua, quàm negatiua in suas particulares sibi subalternas, seu inferiores. Exempli gratia: *Omnis homo est animal: aliquod animal est homo. Nullum animal est lapis: aliquod animal non est homo.* Cuius ratio iam constat ex principijs illis communissimis totius artis syllogisticæ postea magis declarandis, scilicet, *Dici de omni, & de nullo*, hoc est, quod quidquid vniuersaliter de omni, & aliquo subiecto dicitur, *verificetur etiam* de omni inferiori contento sub illo, &

& quidquid vniuersaliter negatur, negatur etiam de quouis contento sub tali ratione communi.

Dices: non semper vniuersalis affirmatiua potest in particularem conuerti, non enim valet: *Omnis homo est mortuus, ergo aliquid mortuũ est homo. Omnis domus est combusta: ergo aliquid combustum est domus.* Respondetur, in his prędicationibus subiectum significari vt terminũ à quo, & sic sunt verę in sensu diuiso, non in sensu composito: sicut dicimus, *quod album fit nigrum*: non in quantùm album, sed in quantùm desinit esse album, & succedit in eodem subiecto nigredo: & *vniuersale dicitur esse in pluribus inferioribus*, non quia prout in illis vniuersalitatem retineat, sed quia descendens, & contractũ ad inferiora eam amittit. *Sicquè homo dicitur mortuus*: idest, id quod fuit homo, & per mortem desinit esse homo, & eodẽ modo eius conuertens est vera, & quęlibet alia similis.

De propositione particulari negatiua est, generalis regula Aristotelis, & dialecticorũ non conuerti, nec simpliciter, nec per accidens: quod intellige formaliter, & per se ex vi cõuersionis, vt patet exemplis: valet enim: *quoddam animal non est homo*, & non è contra: *quidam homo non est animal*. Similiter *quidam homo non est grammaticus*, & non *quidam grammaticus non est homo*. Ex quibus, & similibus casibus cõstat, quod huiusmodi particularis ex vi talis conuersionis non est per se conuertibilis; aliàs semper posset hoc modo conuerti, quia regula vniuersalis, solùm vna particulari potest falsificari, si in illa deficiat, eum hoc tamen stat; quod per accidens ratione terminorum posit conuerti particularis negatiua, vt si dicas: *quidam homo non est lapis, quidam lapis non est homo. Aliquod animal non est album: aliquod album non est lapis*: non cũrauit autem Philosophus de his conuersionibus, quia contingentes sunt, & non possunt regulam generalem per se conficere.

Tertius conuersionis modus dicitur per contrapositionem, & est mutatio subiecti in prędicatum, & è contra, seruata eâdem quantitate, & qualitate, mutatis tamen terminis finitis in infinitos, quod fit per additionem aliquarum negationum: & hoc modo conuertuntur vniuersales affirmatiuę, *vt omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo.* Et etiam particulares negatiuę. Sed conuersio hęc non est in vsu: quia confusionem, potiųs quàm claritatem generat. Hęc tria conuersionum genera his carminibus continentur.

Sim-

Simpliciter feci, conuertitur eua per acci.
Asto per contra sic fit conuersio tota.

In quibus notandę sunt tres illę dictiones *feci*, *eua*, *asto*, & quatuor vocales, quę in illis continētur, videlicet, A, E, I, O, quorū A, denotat propositionē vniuersalē affirmatiuā, E, vniuersalē negatiuā, I, particularē affirmatiuā, O, particularē negatiuam, quę his carminibus memoriæ facilè retineri possunt.

Asserit A, negat E sunt vniuersaliter ambo.
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambo.

Prima dictio, quæ est *feci* continet vniuersalem negatiuam, & particularem affirmatiuam quas propositiones dicit conuertendas esse simpliciter. Secūda dictio est *eua*, quæ continet vniuersalem negatiuam, & affirmatiuam, & has denotat esse conuertendas per accidens. Tertia est *Asto*, quæ continet vniuersalem affirmatiuam, & particularem negatiuam, quas dicit esse conuertendas per contrapositionem.

Notandum tamen est, in huiusmodi conuersionibus semper seruandam esse, vt dixi, eandem suppositionem, & appellationem, ita vt omnis tollatur æquiuocatio. Rursus omnia dicta intelligenda esse de propositionibus quarum subiectū, & prædicatum sunt termini communes, licet signis quantificantibus nō sint affecti: nam propositio indefinita in materia necessaria, æquiualet vniuersali, & in materia contingenti æquiualet particulari, ideoquè eisdem regulis conuerti debent.

Circa propositiones autem de singularibus obseruandum est, quod si vtrumquè extremū fuerit singulare, conuertuntur simpliciter, siuè affirmatiuæ sint, siuè negatiuæ, vt *Petrus est hic homo*: *hic homo est Petrus*. Si vero constent subiecto singulari, & prædicato communi, affirmatiuæ conuertuntur in particulares, vt *Petrus est homo*: *ergo aliquis homo est Petrus*. Si deniquè subiectum sit terminus communis, & prædicatum singulare, affirmatiuæ conuertuntur per accidēs in singulares, vt *aliquis homo est Petrus ergo Petrus est homo*. Plura alia addi solent, quæ prolixa sunt, & minimè necessaria, qui illa adhuc desiderauerit, videat Sotum, Toletum, & alios Authores.

QVAES-

QVAESTIO. IIII.

Quid, & quotuplex sit propositio modalis, & quaenam eius oppositio?

ARTIC. I.

PRopositio modalis sic dicitur, quia componitur ex modo significante qualiter prædicatum insit subiecto: nam modus vt ad præsens attinet, definitur à D. Thom. *opusc.* 40. Toleto, Auerroe, & alijs: est, *vox significans qualiter prædicatum conueniat subiecto.* Tria autem sunt genera modorum. Alij sunt, qui determinant subiectū tantùm, vt *Petrus sedens legit.* Alij verò, qui determinant, & modificant solùm prædicatum, vt *Petrus currit velociter. &c.* Alij denique, qui modificāt intrinsecè compositionem, seu vnionem prædicati cum subiecto, vt si dicas: *homo necessariò est animal*, ly *necessariò*, significat vnionem prædicati cum subiecto necessariā esse. Ex quo patet propositionis modalis definitio est. *oratio enuntians modum compositionis prædicati cum suo subiecto.* Quatuor autem sunt isti modi, *possibile, impossibile, contingens, & necesse.* Nam reliqui vel modificant subiectum, aut prædicatum; vel si modificant vnionem, non distinguuntur ab ipso modo vnionis propositionis, vt verè & falsè, nā idem est dicere: *homo verè est animal*, ac *homo est animal*, vel si distinguuntur aliquo modo, non sunt modi quantificantes, ita vt inter ipsos attendi posit aliqua oppositio, vel non sunt necessarij, aut consideratione digni, sicut quatuor enumerati.

Vnde quadruplex est propositio modalis, alia de necessè, alia de impossibili, alia de possibili, alia de contingenti. Dupliciter autem fit propositio modalis, vel per modum aduerbialiter sumptum; vt *Deus necessariò est vnus.* Vel adiectiuè, vt *Deum esse vnum est necessarium*, quem modum adiectiuum importat propositio absolutè, vt prædicatum, nam *Deum esse* est subiectum, de quo prædicatur *necessarium*. At verò in hac: *Deus necessariò est vnus.* Vnitas prædicatur de Deo, necessitas nec subijcitur, nec prædicatur, sed est synchategorema subiecti.

Duplex materia in modalibus considerari potest. Primò, quidem materia potest dici tota propositio de inesse, quæ dictū nuncupatur, & forma modus eam afficiens, vt si dicas: *homo contingenter est albus*, *homo est albus* est materia, & *contingenter*

ter est forma. Secundò subiectum dicti, v.g. *homo* potest comparari ad eius prædicatū: s. *albus*, & sic est materia respectu illius, quatenus ei subijcitur. Habitudo ergo, quā importat subiectū dicti ad suum prędicatum (quæ generatim omnibus propositionibus simplicibus conuenit) triplex est. Necessaria, vel naturalis, impossibilis, vel remota, & contingens. Habitudo autem totius dicti ad modū, quæ propria modalium est, tantùm est duplex. s. necessaria, vel impossibilis: nam quamuis possit aliquod prædicatum inesse subiecto, necessariò, aut impossibiliter, aut contingenter, quod tamen insit aliquo ex his modis, vel necessariū est, vel impossibile, v.g. etsi homo contingenter sit albus, hominem autem contingenter esse album, est necessarium.

Rursus, quęlibet istarū duplex est: alia modalis cōposita, & alia diuisa. Composita est illa, quæ denotat vnionem prædicati cū subiecto, pro eodem tépore, quo significatur per copulam, aut verbum propositionis, in quo status illius consistit, vt dixi, *quæst. 1. ar. 5.* v.g. in hac propositione, *album esse nigrum est possibile*, si sumatur in sensu composito denotat, quod albū eo tempore, quo est album, potest esse nigrum. Modalis diuisa est illa, quæ denotat vnioné prædicati cum subiecto pro diuersis téporibus, vel pro diuersis statibus, per ampliationem videlicet subiecti ad aliud tempus diuersum ab eo, quod significatur per verbum, vt si dicas: *album possibiliter est nigrum*, in sensu diuiso facit hunc sensum: id quod modo est album, potest in alio tempore, quo amittit albedinem, esse nigrum: vnde eadem propositio in sensu composito, potest esse falsa, & vera in sensu diuiso.

Inquiret in aliquis, quo signo poterimus discernere, quando propositio facit sensum compositum, & quando diuisum? Respondetur, quod regulariter, & vt in plurimum ad denotandum sensum compositum vtuntur dialectici modis enumeratis nominaliter sumptis, s. *necessarium, impossibile, possibile, & contingens*: & ad denotandum sensum diuisum vtuntur eisdem vocibus, aduerbialiter sumptis, s. *necessè, contingenter, impossibiliter & possibiliter*, sed nō semper ex hoc colligitur differentia.

Dicendum ergo est, quando in argumentis offertur talis propositio, distinguenda est vt æquiuoca, & in eo sensu, quo est vera concedenda, & in alio opposito neganda; quotiescumque autem talis propositio probari potest per ascésū, vel descésum, est modalis diuisa, quando verò non potest hoc modò probari, est modalis composita.

AR-

ARTIC. II.

De quantitate, & qualitate propositionis modalis.

OMissa modali diuisa, de qua non nihil postea dicemus, modalis cōposita pōtest habere duplicem quantitatem, ratione duarum partium, quibus constat: coalescit enim ex modo tāquàm prædicato, & pro subiecto habet orationem, quæ appellatur *dictū*. v.g. in hac propositione *Petrum currere est possibile*: *Petrum currere* est subiectum, & vocatur *dictum*, & *possibile* est prædicatum, & est modus. Potest igitur quantitas sumi ex parte dicti, vt si dicatur: *aliquem hominem currere est possibile*: *vel omnem, aut nullum hominem currere, &c.* hæc quantitas est min⁹ principalis in modalibus compositis. Quantitas ergo principalis absolutè denominans, & quantificans hanc propositionem modalem, attendenda est ex parte modi. Vnde si modus est vniuersalis, etiam si dictum sit particulare, vel singulare, propositio erit vniuersalis. Duo sunt modi vniuersales. s. *necesse*, & *impossibile*, & duo particulare. s. *contingens*, & *possibile*, vt his carminibus declaratur.

Omnis necesse valet, impossibile nullus,
Possibile quidam, quidam non, possibile non.

Contingens significatur in hoc carmine per particulam illam *possibile*, quia non sumitur hìc rigorosè pro eo, quod dicitur indifferens ad esse, & non esse, sed latè prout significat idē, quod posibile est non esse.

Circa secundam partem articuli dico secundo: duplex genus qualitatis esse in modali composita, s. affirmationem, & negationem. Quæ vel possunt reperiri in modo tantùm, & non in dicto, vel è contra, vel in vtroquè simul. Rursus veritas, & falsitas, quæ reperitur in modalibus compositis, non est examinanda per ascensum, vt dixi, sed per suam propositionem de inesse. Vocatur autem propositio de inesse illa, quæ in præsenti indicatiuo correspondet dicto modalis, hoc modo: vt examinetur veritas huius propositionis: *omnem hominem esse animal est necesse*, debet quæri, vtrum hæc propositio: *homo est animal*, sit necessaria; & sic similiter de alijs propositionibus de impossibile, aut possibili, quærenda est propositio de inesse, quæ dicto correspondet, an sit in materia impossibili, vel possibili.

Tertiò dicēdum est, primum

genus qualitatis.s.affirmationé, vel negationem simpliciter attendendum esse penès modum, sicut dixi de quantitate, id est, penès copulam, seu enuntiationé modi de dicto. Secúdum genus qualitatis.s.veritatem, & falsitaté debere attendi non solùm ex modo, vel ex dicto, sed ex vtroquè simul: quia propositio modalis vtrumquè principaliter enuntiat, s. & prædicatum conuenire subiecto, & tali, vel tali modo cõuenire. Vnde hæc propositio est falsa. *omnem hominem esse album est necesse*, etiã si omnis homo sit albus: quia albedo non conuenit homini necessariò. Deniquè aduerte omnem propositionem modalem veram esse necessariam, & omnem falsam impossibilem, nam quicumquè ex istis modis enumeratis, qui semel conuenit alicui dicto, semper illi conuenit. Vnde hæc propositio est necessaria: *Petrus contingenter currit*: nam licet currere sit contingens, tamen, quod talis contingentia conueniat cursui est necessarium, id est, licet vnio, vel connexio cursus cum Petro sit contingens, vnio modi contingentiæ cum tota hac propositione *Petrus currit*, est necessaria. Similiter *Petrum esse lapidem est impossibile*: est necessaria quantùm ad copulam principalem modi cum dicto, licet quãtũ ad minus principalem sit impossibilis.

ARTIC. III.

De oppositione, & æquipollẽtia propositionum modalium.

EX dictis facilè colligitur, quomodo opponãtur propositiones modales compositę: attendenda enim est illorum oppositio secundùm quãtitaté, & qualitaté, prout se tenet ex parte modi. Duo namq; sunt modi vniuersales. Alter affirmatiuꝰ, & alter negatiuus, qui opponuntur contrariè. s. *necessarium*, & *impossibile*. Et duo alij particulares, alter affirmatiuus, & alter negatiuus, qui opponuntur subcontrariè. s. *possibile*, & *possibile non*.

Vnde vlterius sequitur, quod *necessarium*, & *possibile non*: opponantur contradictoriè, & similiter *impossibile*, & *possibile*. Et quod *necessarium*, & *possibile* opponantur subalternè. & similiter *impossibile*, & *possibile non*

Præter hæc nota, quemcumquè horum modorum opponi sibi ipsi contradictoriè proposita negatione, vt docet Aristot. 2. periar. dicens: *non est melius contradicere, quàm toti propositioni negationem apponere*: Vnde huic propositioni: *necesse est esse*n:on Aristote.

se: non solú opponitur cótradictoriè hæc: *possibile est non esse*, sed etiam hæc: *non necesse est esse*: & hæc: *non impossibile est non esse*, & hæc: *contingens est non esse*: quia hę omnes sunt inter se æquipollentes, & sic etiam ex diuersa applicatione negationũ formari possunt in alijs modis alij tres quaternarij æquipollentium, & oppositarum alijs quatuor alterius rotuli.

Sed quia in inuenienda ęquipollentia, & oppositione cuiuslibet istarum propositionũ solet esse maxima difficultas, & confusio, inuenerunt dialectici quatuor dictiones. s. *purpurea*, *amabimus*, *illiace*, & *edentuli*. In quibus notantur quatuor vocales, s. *A. E. I. V.* *A.* significat propositionem modalem debere esse affirmatiuam de dicto, & de modo, E. denotat negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo, I. affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo, & V. negatiuam de vtroquè. s. de dicto, & de modo, quæ in hoc carmine facilè memoria tenentur.



E. dictum negat, I. què modum.
Nihil A sed V. totum.

Præterea prima vocalis ex illis in quacumquè dictione denotat propositionem de *possibili*. Secũda de *contingenti*. Tertia de *impossibili*. Et quarta de *necesse*, hoc enim ordine communiter ponuntur omnes propositiones modales oppositæ, & æquipollentes. Vnde in *purpurea* duæ priores propositiones debent esse negatiuæ de dicto, & de modo, & prima de *possibili*, & secunda de *contingenti*, quia duę priores vocales sunt *V.* & quia tertia est *E.* tertia propositio modalis illi correspondens, debet esse negatiua de dicto, & affirmatiua de modo, & de *impossibili*: & quia vltima vocalis est. *A.* quarta propositio debet esse affirmatiua de dicto, & modo, & de *necesse*, & istę quatuor propositiones erũt inter se æquipollentes, & contrariæ alijs quatuor alterius rotuli. s. *illiace*, & contradictoriæ illis quatuor, quæ significantur in *Edentuli*, & subalternantes respectu quatuor quæ continentur in *amabimus*, vt patet in sequenti figura.

Pur pu- re- a.	*Petrũ non disp. non est possibile.* *P. non disputare nõ est cõtingẽs.* *P. nõ disputare est impossibile.* *Petrum disputare est necesse.*	*Contrariæ.*	*Petrũ disputare nõ est possibile.* *Petrũ disputare nõ est cõtingẽs.* *Petrũ disputare est impossibile.* *Petrũ non disputare est necesse.*	Il- li- a- ce,
	Subalternæ.	*Cõtradi- ctoriæ.* *Cõtradi- ctoriæ.*	*Subalternæ.*	
A- ma- bi- mº.	*Petrum disputare est possibile.* *Petrum disputare est contingẽs.* *Petrũ disputare nõ est impossib.* *Petrũ non disput. nõ est necesse.*	*Subcontrariæ.*	*Petrũ nõ disputare est possibile.* *Petrũ non disputare est conting.* *Petrũ nõ disputare nõ est impos.* *Petrum disputare nõ est necesse.*	E- den- tu- li.

Hæc dicta sunt semper intelligenda quando subiectum dicti est terminus singularis, cæterùm quando subiectum dicti est terminus communis, est insuper aduertenda aliqua variatio in quantitate dicti, vt tales propositiones æquipolleant, & opponantur.

Quare sit prima regula pro æquipollentia, vt omnes quatuor propositiones cuiuscumq; quaternarij ex dictis æquipolleãt inter se, tres primæ debent opponi in quantitate dicti cum vltima de *necesse*, hoc est, si fuerint vniuersales, vltima de *necesse* sit particularis, vel si fuerint particulares, vltima de *necesse* sit vniuersalis de dicto: aliàs non omnes erunt veræ, vel falsæ, & consequenter nec æquipollentes.

Secũda regula pro oppositione cõtradictoria sit, vt ex duob⁹ rotulis contradictorijs tres primæ vnius opponantur tribus primis alterius contradictoriè, debẽt esse eiusdem quantitatis de dicto, & idem si vna de *necesse* vnius rotuli comparetur ad alteram de *necesse* alterius rotuli: cæterũ si propositio de *necesse* vnius rotuli comparetur cum qualibet ex tribus primis alterius, vt opponatur contradictoriè, debent esse diuersæ quantitatis, aliàs darentur duæ contradictoriæ simul veræ, vel simul falsæ. V. g. istæ sunt contradictoriæ simul veræ in *purpurea aliquam personam Diuinam esse Patrem, est necesse*, & in *edentuli aliquam personam Diuinam non esse Patrem, est possibile*: contradictoria ergo illius debet esse: *omnem personam Diuinam non esse Patrem est possibile.*

Tertia

Tertia regula: vt ex duobus rotulis contrarijs tres primę vnius opponantur contrariè tribus primis alterius, possunt esse omnes particulares, vel in vno vniuersales, & in altero particulares de dicto, non tamen possunt omnes esse vniuersales, aliàs darentur duæ contrariæ simul veræ. V.g. in *purpurea*, hęc est vera: *omnem Planetam nõ esse Solem, non est possibile*, quia hęc non est possibilis: *omnis Planeta non est Sol*. Et similiter hæc est vera in *illiace*: *omnem Planetam esse Solem, non est possibile*. Vt autem vltima de *necesse* vnius opponatur vltimæ de *necesse* alterius contrariæ, cauendum est, ne maneat eadem particularitas, possũt tamẽ ambę esse vniuersales, vel vna vniuersalis de dicto, & altera particularis. Probatur: quia aliàs essent duæ cõtrariæ simul verę, v.g. in *purpurea*: *aliquod animal esse hominem est necesse*, & in *illiace*: *aliquod animal nõ esse hominẽ est necesse*. Tota hæc regula seruãda est quoad omnia pro subcontrarijs.

Vltima regula pro subalternis est, quod subalternata de *possibili* debet esse æqualis, vel minoris quãtitatis, quã sua subalternãs de *necesse*, aliàs daretur subalternãs vera, & subalternata falsa, quod implicat. Si verò è cõtra subalternata sit de *necesse*, & subalternãs de *possibili*, non potest subalternans esse vniuersalis, & subalternata particularis, aliàs vna erit vera, & altera falsa. v.g. in *purpurea* hæc erit vera: *omne animal nõ esse hominem, non est possibile*, & hæc est falsa in *amabimus*: *aliquod animal non esse hominẽ, non est necesse*. Quæ omnia patebũt clarius in præsenti figura.

Purpurea.	*Aliqd A nõ esse hom nõ est pos.* *Aliqd A nõ esse H. nõ est cõting.* *Aliqd A. nõ esse hom est impos* *Omne anim. esse hom. est necesse.*	*Contrariæ.*	*Aliqd animal esse H. nõ est pos.* *Aliqd A. esse H. non est cõting.* *Aliqd A. esse hominẽ est impos.* *Omne anim. nõ esse H est necesse*	Illiace.
	Subalternæ.	*Cõtradictoriæ.* *Cõtradictoriæ.*	*Subalternæ.*	
Amabim⁹.	*Aliqd animal esse homin est pos.* *Aliqd A. esse hom est conting.* *Aliqd A. esse hom nõ est impos.* *Omne A. nõ esse H nõ est necesse*	*Subcontrariæ.*	*Aliqd A. esse homi. non est pos.* *Aliqd A non esse H. est cõting.* *Aliqd anim. nõ esse H est impos.* *Omne A. esse H. non est necesse.*	Edentuli.

ARTIC. IIII.

De modali diuisa.

QVoad quātitatem harum propositionum aduerto, posse quantificari tam ex parte dicti, quàm ex parte modi. Et quoad qualitatem essentialem. s. affirmationem, vel negationem, illas esse simpliciter affirmatiuas, quarum modi fuerint affirmatiui, vt *necessariò*, & *possibiliter*, & illas negatiuas, quarum modi fuerint negatiui, vt *impossibiliter*, vel *non possibiliter*, nisi impediantur ab alia negatione.

Quoad veritatem autem, vel falsitatem, cognoscenda est per ascensum, vel descensum veritas modalis diuisæ iuxta regulas ascensus, vel descensus, v. g. *omnis homo niger possibiliter est albus*, sic probatur: *hic homo niger possibiliter est albus, & hic, &c. ergo omnis homo niger possibiliter est albus.*

Rursus hæc singularis: *hic homo niger possibiliter est albus*. Probatur per suam de inesse. s. *Petrus, vel hic homo est albus, & niger diuersis temporibus*, etsi hæc fuerit vera, etiam illa modalis diuisa erit vera.

Circa oppositionē harū, quādo obiectum dicti est singulare, seruandæ sunt regulæ supra traditæ pro modalibus de subiecto singulari. Solùm est addēdum, quod vt istę sint oppositę, modi debent esse oppositi. s. vt opponātur contrariè, vna debet esse de *necessariò*, & altera de *impossibiliter*: & vt opponantur contradictoriè, vna debet esse de *impossibiliter*, & altera de *possibiliter*; &c.

Cęterùm quando subiectum dicti est terminus communis, aliquæ regulæ notandæ sunt. 1. pro contradictorijs, quod vna debet esse vniuersalis de dicto, & modo, & alia particularis de vtroque. Secunda pro contrarijs, quod non possunt ambæ esse particulares de dicto, sed nō inconuenit, quod vna sit vniuersalis, & altera particularis, dum tamen modi vtriusque sint vniuersales, v. g. istæ sunt contrarię: *omnis homo necessariò est albus: aliquis homo impossibiliter est albus*. Tertia regula pro subcontrarijs est, quod non possunt ambæ esse vniuersales de dicto, potest tamen vna earum esse vniuersalis, dum tamen modi vtriusque sint particulares. Quarta regula ad subalternas requiritur, ꝙ terminus, qui in subalternāte est particularis, in subalternata non sit vniuersalis.

Circa æquipolléntiam seruandæ sunt regulæ supra positæ, tam pro signis quantificantibus dictum, quā pro modalis. Et hęc dicta sufficiant de hac modalium disputatione.



DISPVTATIO IIII.

DE NATVRA TERTIAE operationis intellectus, qui dicitur discursus.



CCEDIMVS iam ad vltimã logicæ partem, quæ ad tertiam humanæ mentis operationem perficiendam ordinatur, cui correspondent quatuor Aristotelis libri priorum.s.posteriorum, Topicorũ, & Elēchorum, quos nunc interpretandos suscipimus, aliquibus relictis, quæ supra in suis locis iam tractata sunt, circa naturam termini propositionis, & omisisque etiam capitum textibus, qui possunt videri apud nostrum Reuerendum Oña, & alios recentiores, præsertim Paulum Vallium Iesuitam, qui in hac materia fusior omnibus est. Quæ enim ex illis opportuerit exprimere, in discursu disputationis huius adnotabuntur.

In libris priorum agitur de syllogismo in communi, nam omnis discursus, si sit perfectus, debet esse syllogisticus, & in libris posteriorum Topicorum, & Elenchorum, de syllogismis in particulari, nimirũ Demonstratiuo, Probabili, & Sophistico. Propterea enim priores libri de priori dicuntur resolutione, sequentes verò de posteriori, quia in illis agitur de forma communi, & generica syllogismi, in his verò de forma speciali, & differentiali, forma autem communior prior est, priusquè tractari debet secundùm rectum doctrinæ ordinem, quo ab vniuersalioribus est incipiendum.

SECTIO I.

De natura discursus in communi.

QVÆSTIO I.

In quo essentialis ratio discursus consistat?

ARTIC. I.

Discurrere in intellectu nō est aliud, quàm ex vna cognitione ad aliam currere. Duplicem autē discursum distinguit S. Thomas, prima parte, quæstione 14. art. 7. alterum impropriè dictum, qui consistit in sola successione vnius cognitionis post aliam, siuè vtraquè pertineat ad primam, siuè ad secundam mentis operationem, siuè sit successio per se, siuè per accidens, & hic discursus non constituit operationem aliquam distinctam ab alijs, vt patet, sed in omnibus inueniri potest. Alterum autem proprium, quem vocat secundùm causalitatem, qui cōsistit in cognitione vnius ex vi alterius, vel in dependentia vnius cognitionis ab altera, & hic dicitur simpliter, & absolutè discursus, constituitquè tertiam mētis operationem. Discursus ergo in hoc posteriori sensu definitur à S. Thoma. *Est cognitio vnius veritatis per aliam, & post aliam*: & à S. Augustino, *est ratiocinatio, qua per ea quæ connectuntur, & cognita sunt, ad aliquid ignotum ducimur*: & ab Aristotele 1. post. *est cognitio ex præexistēti cognitione illata*, quæ omnes definitiones idem omnino significant, nimirum rationem essentialē discursus consistere in cognitione illa, quæ ex vi alterius præcedētis per se causata est, qua intellectus ex antecedente sibi noto progreditur ad consequens ignotum, sicut localiter discurrere dicitur ille, qui ab vno loco, in quo erat, transit ad locum, in quo non erat.

S. Thom. 1. p. q. 14. art. 7. & q. 58. ar. 3. ad 1. S. Aug. to. 1. de quantitate anima, c. 27. Aristot. 1. post. ca. 1. & alibi.

Sed quia adhuc potest æquiuocatio contingere, nam etiam definitio causatur ex præexistenti cognitione, vt dixi, & propositio ex suis apprehensionibus, clarius sic definiri potest. *Discursus sunt duæ, vel plures propositiones, quarū vna ex alijs sequi denotatur*, vt *Petrus est homo, ergo Petrus est risibilis*: ex

quo

quo colligitur, quod deficiente nota illationis significata per ly, *ergo*, vel *igitur*, vel similẽ vocem, nulla est argumentatio, vel discursus. Ratione item declaratur: quia discursus est determinata quædam operatio intellectus à prima, & secunda distincta, sed non potest sic distincta esse, nisi cognitio sit vnius veritatis ex vi alterius præcognitæ modo illatiuo dicto, ergo. Probatur minor, quia solùm triplici modo potest aliquid cognoscere intellectus humanus. Primò per simplicem apprehensionem determinatus ab speciebus intelligibilibus, & hic modus pertinet ad primam operationem. Secundò per iudicium determinatus à simplicibus apprehensionibus, & hæc cognitio ad secundam operationem spectat. Tertio determinatus, ex præexistenti iudicio, ex illo inferendo aliud, quod erat obscurum, vel ignotum, & hic actus pertinet ad tertiam operationem, qui dicitur discursus, quia supponit essentialiter alias duas.

Ex hoc sequitur primò, in omni discursu necessariò ad minus interuenire duo iudicia realiter distincta, quorum vnum sit causa, & ob id dicatur antecedens, & alterum causatum, & propter hoc consequens nominetur. Ex quo infert S. Thomas Deum nõ discurrere formaliter, licet cognoscat omnes creaturas in se ipso tamquam in causa, quia non intelligit illas per cognitiones realiter diuersas, quarũ vna posit esse causa alterius, sed intuitu simplicissimo se & omnia alia extra se perfectissimè comprehendit. Idem alibi docet de Angelis, qui saltẽ res naturales absq; vllo discursu percipiũt indiuisibili actu.

S. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. & q. 4. art. 7. ad 3.

1. p. q. 58. ar. 3. ad 2

Secundò colligitur in propositione hypothetica causali, & conditionali, ideo non reperiri formalẽ discursum, sed pertinere ad secũdam operationẽ, quia sunt simplices quidã actus; qui non præsupponunt alios, ex quibus causentur, & inferantur. De conditionali etiam est specialis ratio supra explicata, quia non est actus postulans ad sui veritatem bonitatẽ illationis, vel cognoscens vnam veritatem ex vi alterius præcognitę, sed solùm simpliciter enuntians vnum in re fore, si aliud vt conditio ponatur. Maior difficultas poterat esse de causali, sed eodem modo respondetur, quod licet repræsentet vnum obiectum, vt causam alterius, non tamen cognitio vnius obiecti deducitur, & causatur ex cognitione alterius, quod requirebatur ad discursum, sed vtrumque æquè immediatè repræsentat intellectus ad modum, quo accidit in Angelis, & in Deo, vnde sicut hęc propositio: *prudentia Petri est causa, quod semper pacem retineat*

Disput. præcedenti, sect. vltima, q. art.

neat, nullum sensum discursiuum efficit, sed purè enunciatiuum, ita & hæc: *quia Petrus est prudens, ideo est semper pacificus.*

ARTIC. II.

Quotuplex sit discursus, & quid syllogismus?

Quadruplex est argumentationis, vel discursus species. Enthymema. Exemplum. Inductio. & Syllogismus, vt docet Doctor Angelicus, & communiter omnes.

S. Thom. tract. de syllogismo simpliciter in principio Petrus Hispan. tract. 5.

Enthymema, est argumentatio, in qua consequens sequitur ex simplici antecedente, seu propositione, v.g. *Petrus est homo, ergo est animal*, appellaturque syllogismus truncatus, quia semper in antecedente includitur virtualiter, & implicitè alia præmissa, ex qua formaliter expressa fit integer syllogismus, & perfectus discursus: vt in antecedente posito, *Petrus est homo*; subintelligitur *omnis homo est animal*, & in virtute vtriusque infertur, ergo Petrus est animal.

Exemplum est argumentatio, in qua ex vno singulari, sequitur aliud propter similitudinem, quæ reperitur inter illa, vt si dicas: quia Petrus erat latro, suspensus est in patibulo: ergo tu, qui es latro, suspenderis.

Inductio est, vel ascensus, seu progressus à singularibus ad vniuersale: vel descensus, seu argumētatio ab vniuersali ad sua inferiora progrediens. Exemplum primi est: hic homo currit, & hic, & sic de singulis: ergo omnis homo currit. Exemplum secundi: est omnis homo est animal, ergo hic homo, & hic, &c. Communiter ascensus tantùm dici solet inductio, & descensus resolutio, sed vtrumquè sub eodem genere argumentationis, & sub eodem nomine inductionis comprehendi potest, ne quinta addatur argumentationis species, quam nullus antiquorum, nec expressit, nec insinuauit.

Crassa est autem valde diuisio hæc, quia nulla est argumentatio, quæ non sit Enthymema, vel syllogismus; nam si antecedens est vna simplex propositio, dicitur Enthymema, & si est duplex, dicitur syllogismus, quinimo nec Enthymema est perfecta argumentationis species, nisi reducatur ad syllogismum, nam sola simplex propositio non potest formaliter inferre, nisi altera iungatur, aut subintelligatur, vt latius patebit infra. Restat ergo solus discursus syllogisticus, qui sit vnica, & perfecta argumentationis ratio, ac proinde ob-

iectum adæquatum huius disputationis, reliquæ autem species reducuntur ad illum.

Quid sit syllogismus, & quomodo definiatur?

Aristoteles illum sic definiuit: est *oratio in qua quibusdam positis, aliud ab his, quæ posita sunt, necessariò sequitur, eo quod hæc posita sunt*. Quæ definitio communiter recipitur ab omnibus dialecticis, quia optime & adæquatè explicat syllogismi naturam, vt discurrenti per singulas definitionis particulas manifestè patebit. *Oratio* ponitur loco generis, quæ licet non sit genus proximum, sed remotum, quia tamen notior, & sensibilior est, & aliàs per cęteras particulas explicatur genus proximũ, quod est modus sciendi, ideo accuratè in definitione posita est.

Arist. 1. lib. priorũ, cap. 1.

Secunda particula *in qua quibusdam positis*: significat syllogismum plures propositiones petere pro antecedente, vel vnã hypotheticam, quæ pluribus æquiualeat cathegoricis, quarum vna maior dicatur, & altera minor, & vtraquè coniunctionem vtriusquè extremitatis cum medio indicet, quod tantum ad illationem requiritur, vt infra amplius declarabitur.

Vnde *oratio* complexè sumitur pro ea, quæ ex pluribus constat cathegoricis.

Ratio autem quare prima propositio dicitur *maior*, & secunda *minor*. est, quia quantitas primæ propositionis debet semper esse vniuersalior, vt dicĩ, & quantitas secundæ propositionis minus vniuersalis, maioritas autẽ, & minoritas semper quantitati tribuuntur, vt illius proprietates. Hinc autem ex communi vsu, & inopia vocum, hec nomina accommodantur etiam syllogismis de subiecto singulari, in quibus nulla quãtitas, nec inequalitas est, sumpta denominatione maioris, & minoris, à principalioribus syllogismis, quales sunt de subiecto communi, aliud, &c.

Dicitur positis, idest, taliter dispositis in modo, & figura, vt sequẽtibus quæstionibus declarabitur. *Aliud ab his* ponitur ad denotãdum idẽ non posse inferri ex se ipso, sed ex alio actu distincto, & obiecto saltem secundùm rationẽ diuerso, ac proinde consequentiã syllogismi debere esse formalem, non identicam; non enim probamus idem per se ipsum, quia qua facilitate negatur consequens, negabitur & antecedens, vt si dicas: Petrus est risibilis, ergo est risibilis, discursus irridebitur, quia vtraq; equè ignota est.

Rursus particula *necessariò sequitur*: non ponitur ad significandũ consequens debere esse necessariũ, cum possit esse contingens,

vel


vel probabile, sed vt denotet illationem, vel consequentiam vnius ex alio esse necessariam, ita vt non posit negari consequens inferri ex antecedente cõcesso, vel consequentia non erit bona, stat ergo optimè consequens esse contingens, & consequentiam necessariam.

Vltima particula *eo quod hæc posita sunt*, significat consequentiam syllogismi artificiosi, de quo hîc est sermo, debere esse formalem, non solùm prout distinguitur contra identicam, vt dictum est, sed etiam vt distinguitur contra materialẽ, qua s. consequens inferatur ex vi dispositionis formalis præmissarum, per quod discernitur syllogismus ab omni argumentatione materiali, in qua conclusio sequitur non ex vi formæ syllogisticæ, sed tantùm ratione materiæ, quia. s. res inter se habent necessariam connexionem, vnde si talis modus argumentationis circa aliam materiam versaretur, esset defectuosus, quod non contingit in argumentatione, quæ tenet ratione formæ syllogisticæ, quia in omni materia semper, & vbiquè tenet.

Etiam syllogismus hypotheticus sub dicta definitione continetur.

Controuerti hîc solet, an conueniat definitio hæc syllogismo hypothetico? Quidam aiunt, & quidam negant. Sed certè si syllogismus hypotheticus est verus syllogismus, vt omnes fatentur, non video cur sub definitione syllogismi in communi comprehendi non debeat, sicut enim tota vna propositio potest subiectum, vel prædicatum respectu alterius, ita vna argumentatio potest esse antecedens respectu alterius. Quod autem ex intentione, aut doctrina, aut exemplis Aristotelis colligatur, præcipuum eius finem fuisse definire cathegoricum, non est multum curandum, quoniam huius ratio solùm est, quia syllogismus cathegoricus notior, & facilior est, & quidquid sit de motiuo extrinseco definientis, si attendantur omnia verba definitionis traditæ, apparebit manifestè, quod finis intrinsecus illius est syllogismus in communi, siquidem omni cum proprietate conuenit.

Ad eandem definitionem reduci potest syllogismus imperfectus, seu enthymema, quia virtualiter eius antecedẽs duas præmissas continet, vt supra animaduerti, & in virtute vtriusquè tam explicitè quàm implicitè concludit.



AR-

ARTIC. III.

Ostenditur definiri syllogismum probatiuũ, & non illatiuum tantùm.

Scotus & Aegidius S. Thom. opusc. 48 tract. de syllogismo. Boetius lib. 2. de syllogismo. Auerr. Alexan. Philo.

AN vero syllogismo illatiuo tantum, an vero solum probatiuo definitio conueniat, est maior difficultas, Scotus, & Aegidius volunt solũ syllogismum illatiuum definiri, S. Thomas autẽ, Boetius, Auerroes, Alexander, Philoponus, & alij, dicunt definiri syllogismum probatiuum, non autem illatiuũ tantùm.

Aduerto autem pro solutione per syllogismum illatiuum intelligi illum, in quo non intendimus neque veritatem, aut falsitatem propositionum colligere, quin potius eas vt falsas supponimus; illis tamen vtimur exercitij gratia ad explicandam veram syllogimi formam, vt sæpe facit Aristoteles in suis libris, dicens: omne A. est B. omne E. est A. ergo omne E. est B. Appellatur illatiuus tantum, quia solum per illum explicare intendimus bonitatem illationis vt sic, abstrahendo ab omni materia. Syllogismus verò probatiuus ille vocatur, quo verè, & in actu exercito discurrimus assentientes conclusioni propter præmissas certas, vel probabiles, idest, quo iudicamus de veritate conclusionis propter veritatem præmissarum.

Statuitur difficultatis resolutio.

Dicendum ergo est, syllogismum probatiuum principaliter in ea definitione contineri. Ita S. Thomas citatus, & Aristoteles, qui postquam definiunt syllogismum in communi, cum diuidunt in demonstratiuum, Topicum, & sophisticum, istæ autem sunt species syllogismi probatiui, & non solius illatiui: ergo definitio conueniens syllogismo diuiso propriè probatiuo accommodatur. *Aristot. 1. Topic. cap. 1.*

Eâdem diuisione vtitur cõmuniter omnium peripateticorum schola post dictam definitionem; quo satis ostendunt de syllogismo probatiuo eam intelligere.

Secundò, quia illum syllogismum definit hîc Aristoteles, quem deinde explicat in alijs libris logicis, & cuius materiam declarat, sed solùm in alijs exponit materiam syllogismi probatiui, & omnes conditiones, & proprietates illius. Et libro 1. priorum, c. 1. dicit, agendũ ibi de syllogismo in gratiam demonstrationis, quam præcipuè intendit; nam hi duo libri priores, & posteriores vnum integrum

tegrũ opus considerant, & perficiunt, prius in communi, & postea in particulari, sed demõstratio est syllogismus probatiuus, non illatiuus tantùm, & Topicus similiter: ergo etiam syllogismus in communi ab illis abstrahens.

Ratione item probatur, quia syllogismus mentalis essentialiter constare debet ex iudicijs, vel enuntiationibus mẽtalibus, quibus inest affirmatio, vel negatio vera, vel falsa, sed cũ conficimus syllogismos purè illatiuos, non assentitur intellectus præmisis, nec conclusioni, nec enuntiat, vel iudicat aliquid verè ita esse; ergo nec propriè syllogismũ format in mente. Probatur minor; quia vtitur potius propositionibus falsis, quibus non assentitur, vt cum dicit: A. est B. Secundò: forma vel figura syllogistica consistit in quadam dispositione terminorum secundùm subiectionẽ, & prædicationem: ergo vbi non est assensus, nec subiectio aut prædicatio, non erit figura vlla syllogismi, ac proinde nec syllogismus.

Tertiò: fundamentum totius artis syllogisticæ est quod, *quæ sunt eadem vni tertio secundùm prædicationem, sint eadem inter se eodem modo*, hoc est, quod ex vnione, vel identitate duorum extremorum cum vno tertio, quæ affirmatur in præmisis, iudicet intellectus in conclusione eandem identitatem conuenire ipsis extremis inter se, sed nullus verus assensus est, in propositionibus, syllogismi illatiui nullaquè identitas est in extremis earum: ergo.

Soluuntur aliqua contra dicta.

Dices: Aristoteles in his libris agit de syllogismo abstrahente ab omni materia, sed talis est syllogismus purè illatiuus, nõ probatiuus, ergo ille est, qui hoc loco definitur.

Confirmatur primò, quia tota definitio, si attentè inspiciatur, conuenit illatiuo. Secundò, quia Aristoteles sæpè ponit exempla in literis A. B. C. non significatiuis, ad naturam, & proprietates syllogismi in communi explicandas: loquitur ergo de illatiuo tantùm. Tertiò, quia ipse 1. Topic. c. 1. ait, syllogismũ sophisticum esse simpliciter syllogismum: & secundò priorum capite de potestate syllogismorum, ait, ex falsis posse inferri verum, ergo syllogismus constans ex propositionibus falsis est verus syllogismus, sed hic non est probatiuus, ergo illatiuus.

Deniq; quia fieri potest, vt aliquis syllogismus habeat vim illatiuam perfectè, & deficiat solùm in vi probatiua, vt patet si fiant duo syllogismi in Barbara eodem modo, quorum vnũ sit in materia necessaria, & alter in

ma-

materia probabili, isti duo erunt pares in vi illatiua, & in probatiua inæquales.

Respondetur negando, quod syllogismus purè illatiuus sit syllogismus in communi, vel abstrahens ab omni materia particulari: nam eo ipso quod syllogismus probatiuus habet tres species. s. demonstrationem, quę est in materia necessaria, topicum, qui est in materia probabili, & sophhisticum, qui est in materia apparenti, ratio communis his speciebus erit syllogismus probatiuus in communi abstrahens ab omni materia particulari, syllogismus tantùm illatiuus abstrahit non solù à materia particulari, sed etiam communi, aliàs nulla esset difficultas: quia nemo prudenter dubitari potest in definitione posita describi syllogismum in communi, & consequenter vt sic abstrahere ab omni materia particulari: est igitur quæstio, an syllogismus in communi ibi definitus sit probatiuus, vel tantùm illatiuus independens ab omni probatione, & materia?

Ad primam cōfirmationem respondetur, quod cum syllogismus probatiuus sit etiam à fortiori illatiuus, negari non potest definitionē syllogismi, quomodocumquè accipiatur, conuenire illatiuo, si tamen de illatiuo tantùm sit sermo, prout excludit probatiuum, negatur illi propriè definitionem competere, quia in huiusmodi syllogismo reuera vnum non infertur ex alio, quod est de essentia discursus, sed solùm apprehenditur inferri: atquè ideo illi non correspondet syllogismus mentalis, nam eo ipso quod sit verus discursus, & illatio vnius iudicij ex alio, est iam probatio. Quapropter syllogismus purè illatiuus non est obiectum per se logicę, sed per accidens, quatenus eo vtitur vt instrumento, vel idea ad explicandum syllogismum per se, qui est probatiuus, ad modum quo dixi de modo sciendi vocali, & de sphera materiali Astrologiæ.

Ex quo ad secundam respondeo, ideò Aristotelem explicare naturam, & præcepta syllogismi literis non significatiuis, quia loquitur de illo in communi nullam designando materiam, & vt ostendat artem syllogisticam tenere in omni materia, & ab omni particulari abstrahere, idcirco loco veræ materiæ vtitur apparente, & loco veri syllogismi artificiosum illū assumit, qui tantùm impropriè, & analogicè sic dicitur. *Aristote.*

Ad tertiam respondetur, potius retorqueri posse authoritatem Philosophi, nam ibi, & *capite 1. Elenchorum*, docet syllogismos sophisticos videri syllogismos, sed non esse, vnde quando asserit syllogismum simplici-

ter

ter; loquitur respectu eius qui ignoranter illo vtitur; nam hic deceptus in materia, & conuictus forma syllogistica reverà discurrit, & probat, & supposito assumpto legitimè infert, & iudicat: vt si assumat vniuersaliter: omne quod mouetur est viuens; & quod cœlum mouetur, legitimè infert, & probat, quod sit viuens, vnde erit syllogismus probatiuus, licet defectuosus.

Ad vltimam respondeo, syllogismos, illos licet sint eiusdé rationis, quoad formam syllogisticam, non quoad essentiam, & connexionem terminorũ, potius enim differunt, sicut homo verus & pictus: nam syllogismus in literis, vel simili materia formatus non est verus discursus, sed apparens, vt sit quasi idea adformandum verum.

ARTIC. IIII.

Consistat ne essentia intrinseca syllogismi in sola conclusione, an etiam in præmissis?

Primã sẽtentiã tenent. Auerroes 1. priorũ, cap. 1. & QVidam docent in solis præmissis essentiam discursus; vel syllogismi consistere, conclusionem verò tantũ esse terminũ, vel effectũ illius extrinsecè connotatum.

Alij docent totum syllogismum, nec solam conclusionem, nec solas præmissas, sed omnes tres propositiones æque primo, & principaliter continere, sicut propositio intrinsecè ex subiecto & prędicato coalescit, quam defendunt non pauci ex iunioribus. *25. & in epitome logica in priora, c. 1. Albert. tit. 1. ca. 5. cap. 5. Niphus 2. prior, c. 1. com. 2. dub. 2.*

Alij autem solam conclusionem essentiam discursus syllogistici constituunt, præmissas verò vt extrinsecum connotatum: Quæ primæ sententiæ ex diametro opponitur, & est certè communior opinio.

Alij deniq; inter quos nouissimè Paulus Vallius distingunt syllogismum prout est instrumentũ sciendi, & prout est tertia operatio intellectus. Sub priori, inquit, ratione, sunt solæ præmissæ, quia ipsæ sunt instrumẽtum dirigens intellectũ ad exercitium tertiæ operationis. Sub posteriori verò acceptione conclusio importatur, vt forma syllogismi, & præmissæ se habent, vt materia. *Paulus Vallius. Romanus to. 2. sua logicæ, q. 2. cap. 4. & 5.*

Addit tandẽ, absolutè, & simpliciter dicendũ solas præmissas, & non conclusionẽ essentiam syllogismi esse, quia syllogismus propriè, & absolutè significat instrumentũ dirigens tertiã operationẽ, quarũ omniũ fundamẽta adducemus postea.

Quibus modis accipiatur syllogismus ab Aristotele.

In primis, omnes opiniones relatæ

relatæ Aristotelem in sui patrocinium adducunt, qui varijs modis vtitur syllogismi significatione: interdum nomine syllogismi intelligit præmissas, simul cum conclusione, quia ponit tres figuras syllogismorum, postea declarandas, quæ non nisi in tribus propositionibus taliter dispositis intelligi aut formari possunt, vnde in sola cõclusione forma, aut figura syllogistica saluari nequit.

Præterea docet, plures syllogismos habere eandem conclusionem, & differre in figura, & modo syllogismi, & *libro secundò priorum*, *capite quinto* docet, quod facto vno syllogismo potest accipi conclusio illius cum vna præmissa, & inde inferri alia præmissa, quæ assumpta fuerat in præcedenti syllogismo, supponit ergo etiam ex præmissis fieri syllogismum.

Interdum solis præmissis tribuit syllogismũ; quatenus taliter dispositę dicunt ordinem ad cõclusionem, 1. *priorum cap.* 25. ait, omnem syllogismum, & demonstrationem esse solùm per tres terminos, & duas propositiones, & non plures, & ideo infert postea omnem syllogismũ constare ex propositionibus paribus, & terminis imparibus.

Præterea 1. *poster. tex.* 2. *ait*; demonstratio est syllogismus faciens scire, vel generans scientiã, sed conclusio est ipsum scire, vel scientia, quæ fit per hunc syllogismum: ergo in solis præmissis consistit syllogismus ipse. Alijs locis citatur etiam, sed non ita efficaciter. Tandẽ quod per syllogismum solã conclusionẽ intelligat, cõstabit postea. Ex hoc igitur diuerso, & multiplici loquendi modo Aristotelis, videtur efficax argumentũ ab eius authoritate accipi non posse pro vlla sententia, & quæstionem fieri de solo nomine.

Sola conclusio constituit in recto syllogismum, præmissæ verò non nisi in obliquo.

Semper tamen veram existimaui sententiã, quæ in sola conclusione discursum intrinsecè, & in recto constituit, præmissas verò extrinsecũ, & essentiale asserit connotatum, vel materiam præuiam, ex qua postea formatur cõclusio, sicut propositio ex simplicibus apprehensionibus antecedentibus. Hanc tenent Philoponus, & alij quã plures præsertim ex iunioribus. Hanc indicat communis modus loquendi, qui duas priores propositiones præmissas vocat, quia præmittuntur ante syllogismum, & demonstrationẽ, & tertiã conclusionem, vel resolutionem appellant. Neque dicuntur præmissæ solùm respectu conclusionis, sed etiam respectu demonstrationis: nam huiusmodi præmissæ dicuntur etiam præcognitio-

1. priorũ, c. 1. Buratus 2. priorum, com. 2. Bagolinus 1. priorum, annotatione 4. Stephan. Carnisius tom 5. logicæ, & alij.

nitiones ante demonstrationem tam ab Aristotele, & S. Thoma, quàm expositoribus vtrinsque, qui omnes tractatu de demonstratione quærunt, quæ etiam sint præcognitiones, & præcognita ante demonstrationem, & concludũt præmissas inter alias ipsam demonstrationem antecedere, sicut ante definitionem præcognoscuntur genus, & differentia, & ante propositionem subiectum, & prædicatum simplicibus apprehensionibus: supponunt ergo demonstrationẽ in sola conclusione intrinsecè, & in recto consistere.

Præterea quid frequentius quàm præmissas vocare principia demonstrationis, vel syllogismi? apud Aristotelem enim & S. Thomã passim inuenitur, quod omnis syllogismus Topicus procedit ex probabilibus: demonstratiuus ex necessarijs, &c. Et quod magis est ipsamet definitio quidditatiua demonstrationis, quam tradit S. Thomas ex Aristotele, & omnes recipiunt, eodem modo loquitur, s. demonstratio est, *syllogismus procedens ex veris, necessarijs, immediatis, &c.* de quo infra, sed *procedere* & *ex*, denotant dependentiam conclusionis à præmissis, tamquam à principijs extrinsecis: ergo sola conclusio demonstratio, vel syllogismus appellatur. Neque potest exponi verbum illud procedere ex veris, quod significet idem quod constare, vel componi ex veris, tùm quia definitiones non debent tradi per verba impropria, aliàs non essent principia certa si eas impropriè interpretari liceret. Tùm etiam, quia omnes expositores explicant ex hac definitione dependentiam, quam habet ipsa conclusio à præmissis, & non solam compositionem: ergo eam intelligunt modo à nobis declarato.

S. Thom. opusc. 48 tract. de demonstr. c. 1. & sequentibus.

Confirmatur ex Aristotele, 1. *de anima, tex.* 48. vbi ait, *demonstrationes à principio sunt;* idest, à præmissis, *& habent quoddam modo finem, syllogismum aut conclusionem*, vbi apertè distinguit demonstrationem à præmissis, & quasi verba synonoma ponit syllogismum, aut conclusionem, & licet eam dicat finem demonstrationis, nõ opponitur sibi ipsi, nec variat significationẽ vocis in tam paucis verbis, sed finem vocat, quia re vera demonstratio in conclusione finitur, & in principijs initiatur essentialiter, licet non intrinsecè, & in recto, extrinsecè tamen in obliquo.

Confirmatur authoritate S. Thomæ asserentis conclusionẽ, cum nota illationis esse veluti formam syllogismi, præmissas verò vt materiam, cùm enim hic non possit esse sermo de forma, & materia intrinsecis, quia conclusio non informat præmissas,

missas, solū vult Sanctus Doctor, conclusionem esse syllogismum formaliter, & in recto, premissas verò solùm materialiter in obliquo se habere, quatenus veritas conclusionis educitur, & prodijt in lucem ex conceptu confuso præmissarum, in quibus latebat, sicut forma educitur de potentia materiæ.

Ratione declaratur assertio.

Ratione præterea probatur intentum, quia discursus vel syllogismus est formaliter, & conuertibiliter tertia operatio intellectus, sed tertia operatio est sola conclusio prout distinguitur à præmissis: ergo sola conclusio est discursus, vel syllogismus essentialiter intrinsecè. Maior cõstat ex communi sententia, & ex S. Thoma, qui quotiescũq; enumerant tres operationes intellectus, tertiam appellant ratiocinationem, seu discursum, eamq; distingunt essentialiter à secunda, quæ dicitur iudicium, vel compositio, aut diuisio. Minor probatur, quia actus antecedentis, vel præmissarum pertinent ad secundam operationem intellectus, nihil enim aliud sunt, quàm vna, vel duplex enuntiatio, vel iudicium simplex. Quod euidẽtius patet, quando eadem numero enuntiatio profertur, sine subsequenti illatione alterius ex ea, quæ per accidens illi annectitur, nam & præmissæ infinitis modis possunt inter se coniungi, & abiungi, iuxta placitum discurrentis: ergo solùm in conclusione illata ex præmissis tertia operatio consistit. Patet consequentia, quia solùm conclusio transilit terminos simplicis enuntiationis, distinguiturquè essentialiter ab ea, quatenus est cognitio illata ex vi alterius, quod assensus præmissarum non habet.

S. Thom. opusc. 48 tract. de syllogis. c. 1. & alibi sæpè.

Excluditur quorumdam responsio.

Dices: solas præmissas tertiam operationem non efficere, sed compositum ex illis, & conclusione: nam definitio discursus: *illatio vnius ex alio*, vtrũquè essentialiter includit, & antecedens, & consequens: discurrere enim est ex vna cognitione ad aliam currere: & syllogismi ratio est: *Oratio complexa, in qua quibusdam positis, vel præmissis, aliquid aliud necessariò sequitur*, in qua definitione pręmissę simul cum conclusione significantur. Sed contra est, quod tertia operatio non debet esse aggregatum per accidens ex actibus secundę operationis coalescens, esset autẽ manifestè, si in

collectione illa præmissarum, & conclusionis consisteret; nã causa & effectus, quales sunt antecedens, & consequens nõ possunt vnam per se speciem operationis efficere; sed potius supponunt duas esse essentialiter distinctas, vel numero saltem. Rursus præmissæ inter se per accidens iunguntur, & etiam cum conclusione, vt dixi, quia infinitis combinationibus inter se necti possunt iuxta placitum cuiuslibet. Præterea sola conclusio est ens per se, differtq; essentialiter à simplici iudicio, ac duas alias operationes, primam s. & secundam essentialiter supponit, præmissæ verò, nec collectio illa non nisi ratione solius conclusionis à secunda operatione differunt: nam sola collectio plurium propositionum nõ constituit distinctam operationis speciem, sicut nec collectio plurium simplicium apprehensionum limites primæ operationis transgreditur, ergo sola conclusio essentialiter est tertia operatio. Patet consequentia quia sola illa essentialiter, & ratione sui distinguitur, & non ratione præmissarum, & essentialiter alias supponit, quod tantùm postulat tertia operatio.

Item: definitiones assignatæ sufficienter, & in omni rigore verificantur, si dicamus præmissas connotari essentialiter in obliquo à conclusione. Nam definitio illa: *illatio vnius ex alio*, vel inferre vnum s. conclusionem in recto significat, & ex alio s. ex antecedenti, in obliquo, & extrinsecè denotat. Similiter verba illa *quibusdam positis*, idest, præsuppositis significant præmissas antecedere tertiam operationem, vt dispositiones ad illam, vel vt extrinseca connotata, non verò esse partes intrinsecas illius, quod magis explicat verbum illud: *aliquid aliud necessariò sequitur*, quo distinctas operationes esse præmissas, & conclusionem apertè monstratur, vnde ex dictis definitionibus nullum contra nos argumentum sumi potest.

Secunda aliorum euasio impugnatur.

Dices secundo: licet tertia operatio in sola conclusione sufficienter intelligatur, ratio autem instrumenti, vel modi sciendi amplius significat. s. processum ex noto ad ignotum, sed ratio instrumenti causantis ex noto cognitionem ignoti potius præmissis conuenit, quàm conclusioni: ergo in ratione instrumenti, vel modi sciendi, etiam præmissas includi necessum est. Minor probatur, quia propter hoc præmissæ principia dicuntur.

Con-

Confirmatur, quia syllogismus est instrumentum dirigens tertiam operationem, sicut compositio, aut diuisio dirigit secundam, & definitio primam, sed sub hac ratione conclusio est effectus; qui eo ipso non potest esse de essentia suæ causæ: ergo conclusio potius est terminus intrinsecè connotatus à syllogismo, & non ratio intrinseca illius.

Confirmatur ex definitione adducta Philosophi: demonstratio est *syllogismus faciens scire, vel generans scientiam*: ergo cōclusio, vel scientia genita est effectus, & non essentia syllogismi.

3. Tertio: conclusio est ignota, & manifestatur nobis per præmissas: ergo præmissis principaliter conuenit tertia species modi sciendi. Probatur consequentia, nam modus sciendi est oratio ignoti manifestatiua: ergo si solis præmissis conuenit manifestare ignotum, conclusioni vero manifestari, vt aliquid ignotum, illis solis, vel saltem magis principaliter conueniet ratio tertiæ speciei modi sciendi.

Sed cōtra est, quod tertia species modi sciēdi essentialiter ad tertiam mentis operationē pertinet, sicut definitio ad primam, & sicut compositio, seu diuisio ad secundam: quid enim frequētius, quàm speciem quālibet modi sciendi suæ propriæ mentis operationi attribui tamquā præcipuam partem illius?

Quod amplius sic declaro: quia non est aliud intentum logicę, quàm tres mentis operationes perficere, idquè præstat nō aliter quàm tradēdo in quolibet istorum generū regulas, & pręcepta, quomodo fieri opporteat perfectissima operatio illius generis, explicando in communi in quo consistat, & quas proprietates, & conditiones habere debeat, vt quando intellectus in materijs, & actibus particularibus se exerceat aliarum scientiarum, perfecto modo operetur iuxta dictamen logicæ, & sine errore procedat. Quapropter modus sciendi est operatio ipsa intellectus in communi concepta, v.g. definitio, sed potissima operatio in qua principaliter, & adæquatè scientia actualis consistit, est sola conclusio, seu tertia intellectus operatio: ergo ea prout in communi concepta est tertia modi sciendi species, tertiamq; mentis operationem dirigens. Probo consequentiam, quia logica non aliter dirigit actus aliarum scientiarum, quàm dictando in communi quomodo fieri debeant, vt latè explicui, disputatione prima, sectione secunda, præsertim quæstione 4.

Confirmatur: quia tres species modi sciendi ad hoc præcipuè inuentæ sunt, nimirum ad

tollendas tres difficultates, quas intellectus experitur in suis operibus, ratione quarum in illis solet deficere, prima. s. quæ est definitio, ad rectè apprehendendam quamcumque rem ordinatur, & clarè percipiendam quidditatem illius. Secunda, quæ est iudiciũ, omnes difficultates tollit, quæ in secũda intellectus accidunt operatione, & cõsequenter in præmissis syllogismi, quæ non sunt amplius, quàm simplices quædam enuntiationes, seu iudicia: ergo tertia, quæ est discursus, solũ difficultatem aufert, quã intellectus patitur in illatione conclusionis ex præmissis, quæ diuersa est ab ea, quæ præcessit in ipsis præmissis. Vt patet, nam auditis præmissis, intellectus sæpissimè errat in illatione conclusionis, quinimò & audita etiã conclusione dubitat, an rectè illata sit, & apprehẽdit, vt consequentiam, quod vera consequtio, vel connexio non est. Tunc sic, sed non aliter aufert quælibet species modi sciẽdi difficultatem operationis illi correspondentis, quam dirigendo, seu dictando in communi naturam, & proprietates eiusdem operationis: ergo ipsamet operatio in communi considerata, secunda. s. vel tertia, est secunda vel tertia species modi sciendi. Quod solutione ad obiecta amplius declarabitur.

Diluuntur obiecta.

In particulari ad primum respondeo: præterquam quod præmissæ non instrumentaliter, sed principaliter in suo genere concurrunt ad assensum conclusionis, earum causalitas qualiscumquè illa sit, extra rationem modi sciendi est, potius enim suo loco dixi, modum sciendi impropriè valdè instrumentum dici, quia solùm cõsistit in hoc quod sit oratio ignoti manifestatiua, non in hoc quod sit causa actus manifestantis ignotũ. Alioquin nec definitio esset modus sciendi, sed solùm præcognitiones, quas dixi, ipsam antecedere, & causare; sicut præmissæ antecédũt demonstrationem. Nec propositio etiam esset modus sciendi, sed simplices apprehensiones, ex quibus ipsa causatur. Vel si definitio, & propositio essent modus sciendi, solùm respectu conclusionis, id haberent, quatenus continentur in præmissis, ac proinde vnica esset tantùm species modi sciendi. s. assensus præmissarum, quæ & similia planè sunt falsa. Probatur sequela, quia definitio respectu primæ operationis, non aliter concurrit, quam vt exemplar, quod in communi conceptum dictat, quomodo definitiones particulares ad imitationem illius formari debeant: & sic similiter pro-

Disput. 1. sect. 2. q. 4. art. vltimo.

Disput. 2. sect. 1. q. 2. artic.

propositio respectu secundę operationis: ergo si alia causalitas præter istam exigitur ad rationem modi sciendi, solùm in præcognitionibus dictis eius ratio consistet. Si autem causalitas exemplaris, aut ideæ dirigentis sufficiat, (vt re vera dicendum est) eam habet conclusio syllogistica in communi, prout connotans præmissas, nam respectu conclusionum in particulari est exemplar, & communis regula, sicut definitio, &c.

Ad primam confirmationem concedo maiorem, & distinguo minorem. Conclusio in particulari est effectus syllogismi in communi considerati, concedo conclusio in communi est effectus respectu syllogismi in communi, vel conclusio in particulari respectu syllogismi in particulari, & sic nego quin potius est ipsamet essentia syllogismi, vt dictum est. Omnis enim Ars prius docet in communi, quomodo suũ obiectum operari debeat, & postea ipso opere in communi concepto vtitur ad illud in particulari exercendum: sub priori ratione dicitur docens, & sub posteriori, vtens. Vnde opus ipsum prout in communi est causa exemplaris, & dirigens, & prout in particulari est effectus, vt satis in principio logicę exposui, tractando de logica vtente, & docente.

Ex dictis patet iam ad tertiam confirmationem, præmissas, s. manifestare cõclusionem virtualiter, & effectiuè, vt infra dicetur, formaliter verò non illam manifestant, nisi tantùm implicitè, illis tamen suppositis, sola conclusio est explicitè manifestatiua obiecti ignoti, quod inquirebat intellectus, sicut dixi proportionabiliter de definitione, quod se sola sit certa, & formalis manifestatio obiecti, licet id habeat dependenter à præcognitionibus suis, quas supponit, vt conditiones requisitas. *Disput. 2. sect. 1. q.*

Vnde potius potest argumẽtum retorqueri, tùm à simili definitione, tùm quia de ratione modi sciendi est, quod sit formaliter, & explicitè manifestatiuus nõ virtualiter, sed obiectũ quod intellectus manifestare intendit in argumentatione, solùm per conclusionem explicatur formaliter, & clarè, per præmissas verò non nisi implicitè tantũ, aut virtualiter: ergo sola conclusio est modus sciendi tertiæ speciei. Probatur minor, quia conclusio repræsentat clarè vnionẽ extremorum inter se, hoc est, prædicati cũ subiecto, quæ est veritas intẽta per quæstionẽ; hæc autẽ vnio nõ exprimitur clarè in præmissis, sed tantũ vnio vtriusquè extremi cum vno tertio (vt infra dicetur) in qua latet vtriusquè vnio inter se: ergo obiectum, quod latet in præmissis,

manifestatur per conclusionem atquè adeò ea solùm erit modus sciendi, & tertia illius species.

Quid senserit Aristoles in hac re?

Nequè oppositum sensit aliquando Aristot. (vt secundę satisfaciam confirmationi) facillimè enim intelliguntur omnia eius verba; quando enim ait, quod demõstratio est syllogismus faciens scire: vel quid simile, non sumit ibi efficientiã strictè pro causalitate efficiente, sed latè pro quacumquè causalitate formali, quomodo albedo dicitur facere album, & quælibet causa cuiuscumquè generis facere suum effectum, sicut enim effectus sumitur genericè pro correlatiuo cuiuscumquè causę, ita & facere, vel efficere. Quãdo autem ex communi sententia demonstratio dicitur generans scientiam, sermo est de sciẽtia habituali, non de actuali, quia non potest communis, nec rationabilis aliqua sententia in solis præmisis demonstrationem ponere, ita vt ad secundam operationem directè pertineat, & non ad tertiam.

Secundò: tam ad hoc, quàm ad cætera testimonia relata respondeò, discursum, vel syllogismum dupliciter accipi. Primò strictè, & rigorosè pro tertia operatione intellectus connotante præmissas, vt declaratum est. Secundò magis latè pro toto illo progressu, & collectione præmissarum, & conclusionis; quæ duplex acceptio prætERquamquod est necessaria ad vitandam contrarietatem in dictis Aristotelis, & Sancti Thomæ, plures habet instantias apud phylosophos, & Theologos: nam quotiescumquè est naturalis cõnexio inter duas actiones, vni tribui solet denominatio alterius, vel vtraquè computatur per modum vnius, & significatur nomine principalioris, iuxta illam communem regulam; *Vbi est vnum propter aliud ibi est vnum tantùm.* Sic generatio dicitur non solùm actio quæ inmediatè ad substantiam terminatur, sed tota alteratio ipsam naturaliter antecedens. Sic intentio finis appellatur non solùm voluntas finis, sed etiam mediorum, & electio vocatur etiam deliberatio, quæ illam præcedit, & Inquisitio præuia, ad deliberationem ipsius, obtinet deliberationis nomen. Apud Theologos etiam, imo & sacras literas communiter dicitur iustificatio non solùm infusio gratiæ, sed etiam dispositio ad illam per contritionem, & dispositio meritoria, quod potiori titulo contingit, quando vna actio alteram essentialiter connotat, sic ergo syllogismus,

gismus, vel discursus, licet nomẽ substantiale solius tertiæ operationis sit, communicatur etiam præmissis propter connexionem non solùm naturalem, sed essentialem in obliquo, quam habent, vt dixi, quod est valde notandum, quia sic tollitur omnis æquiuocatio, & contrarietas. Rursus: quando philosophus ait, syllogismum constare ex duabus tantùm propositionibus, & terminis solam conclusionem significat, nam particula *ex* non tantùm denotat partes intrinsecè componentes, sed etiam dependentiam à causa extrinseca, si enim Aristoteles ibi loqueretur de partibus intrinsecis, non excluderet conclusionem; quæ ad minùs principalior est respectu tertiæ operationis, & facit tertiam propositionem cum præmissis. Item particula *constare* sufficienter verificatur de rebus essentialiter connotatis, licet intrinsecè non constituant, quomodo dici solet relationem constare, vel coalescere ex fundamento, & termino.

Confirmatur dicta expositio ex eo quod sicut Aristoteles, docet, syllogismum esse per tres terminos, & duas tantùm propositiones, ita idem docet de cõclusione libro 2. priorum c. 1. quod. s. fit ex duabus propositionibus, & tribus terminis. Ex quo duo colligi possunt. Primum est, conclusionem, & syllogismum idem esse apud Aristotelem. Et secundum, quod modus ille loquendi non denotat partes componentes, sed causas extrinsecas, quia conclusio non componitur ex duabus propositionibus, & tribus terminis, vt ille loquitur. Et primo priorum cap. 25. & sequentibus sæpius docet, dispositis præmissis hoc vel illo modo fieri; vel non fieri syllogismum, id est, conclusionem. Et primo poster. tex. 2. syllogismum similiter accipit pro conclusione. 9. soluitur tandem obiectio.

Tãdem obijcies, syllogismos vnitatem, & speciem sumere à præmissis non à conclusione. Et formam, & figuram syllogisticam attendi, & sumi à tribus propositionibus; ergo essentia syllogismi principaliter stat in præmissis. Sed facilè ad primum respondetur, syllogismum specificari à præmissis non tamquàm à forma intrinseca, sed extrinsecè connotata, vt infra exponam; sicut scientia, & habitus ab obiectis, & relatio, & actio specificantur à terminis. Ad secundum dico, quod forma, & figura syllogistica non sunt forma essentialis physica, aut metaphysica syllogismi, sed quædam dispositio

positio, quam logica in tribus propositionibus illius considerat, vt ex illa nota fiat vis illationis syllogismorum, & quia ex præmissis vt essentialiter connotatis, & specificantibus conclusionem, potest ipsa nota fieri, & dirigi vt rectè fiat, ideò ex ipsis à logica formatur, &c.

QVAESTIO II.

Quid sit consequentia seu illatio, & quomodo ad discursum pertineat?

ARTIC. I.

Consequentia, seu illatio duplex est. Obiectiua; & formalis. Cõsequẽtia obiectiua est connexio, aut dependentia, quam habent quantũ ad esse, obiectum conclusionis, & obiectum præmissarum, ratione cuius connexionis intellectus ex notitia vnius veritatis obiectiuæ, antecedentis videlicet, ducitur, & mouetur ad veritatem obiectiuam consequentis. Consequentia formalis est connexio, seu dependentia, quæ reperitur inter actum conclusionis, & præmissarum, consistitquè in hoc, quod cognitio conclusionis benè sequatur ex cognitione antecedentis: ac proinde hæc connexio non distinguitur realiter ab ipso discursu, sicut nec cõsequentia obiectiua est aliquid diuersum ab obiecto discursus, solùm enim differre possunt quantùm ad modum significandi, vel secundùm magis, & minùs explicitum concipiendi modum: quia videlicet consequentia explicitè tantùm significat dependentiam, seu medium, quod à nobis concipitur inter antecedens, & consequens, implicitè verò, & quasi in obliquo significat extrema, inter quæ datur talis connexio. E contra verò discursus, si strictè accipiatur pro sola inclusione, explicitè significat obiectum, vel actum consequentis, & implicitè, & de connotato dependentiam, & connexionem respectu præmissarum.

Ex quo infero primò, quare consequentia non dicatur vera, vel falsa, sed tantùm bona, vel mala? Ratio enim huius est, quia explicitè consequentia formalis non est propositio, sed dependentia, aut illatio vnius propositionis ex alia, consequẽtis.s. ex antecedenti. Veritas autem, & falsitas sunt proprietates enuntiationis formaliter, vt enuntiatio est.

Sed dices: consequentia conceditur semper, aut negatur inter respondendum: ergo est propositio. Patet consequentia: quia id quod non est propositio concedi, aut negari nequit. Respondeo, quod aliud est loqui de iudicio, aut enuntiatione cōsequentiæ, & aliud de ipsa consequentia: iudicium enim, quo arguens affirmat vnum sequi ex alio, propositio quædam est vera, vel falsa, & ideò conceditur, vel negatur à respondente talis propositio, non verò consequentia ipsa, nisi solū in quantùm est obiectum propositionis, quomodo obiecta realia cuiuscumquè propositionis negantur, aut conceduntur, vt si aliquis affirmet Petrum currere, & alius respondeat: nego quod Petrus currat: in hoc ergo sensu similiter responderi potest, nego quod consequens sequatur ex antecedente.

Secundò ex dictis colligitur, cur consequens aliquando distinguatur, numquam verò negetur, aut concedatur, etiam si propositio sit. Distinguitur enim aliquando, quia habet duos sensus diuersos, & in vno sequitur, in altero verò non sequitur. Conceditur verò, aut negatur numquam, quia concedens antecedens, concedit eo ipso consequens virtualiter in eo inclusum. atquè adeò si non negat consequentiam, consequens est iam concessum, & non est cur iterum concedatur, ideoquè respondens, ne cogatur concedere consequens, negat consequentiam, id est, illud sequi, aut connecti cum antecedente. Si cōuincitur etiam de bonitate consequentiæ, respondet: concedo totùm, vt comprehendat consequens, & concedat explicitè, quod antea in antecedente concesit implicitè siuè aduertens, siuè non aduertens.

Tertio colligitur, nullam cō-sequentiam esse malam propriè loquendo, sed eo ipso quod consequentia est, bona est. Consistit enim consequentia, in connexione consequentis cum antecedente, aut ergo talis connexio datur, & sic consequentia erit bona: aut non datur, & sic non solùm erit mala, sed nulla, & consequenter non erit consequentia; quia ablata essentia, quæ in illa connexione, vel consequtione posita est, etiā rem per illam constitutā auferri necessum est. Vnde vlterius sequitur, argumentationem esse nullam, cuius consequentia non est bona, quia ablata consequentia, tollitur illatio vnius ex alio, & consequenter essentia discursus.

A R-

ARTIC. II.

Vtrum præter antecedens, consequens, & consequentiam requiratur ad discursum cognitio bonitatis consequentiæ?

MVlti Scholastici asserunt actum alium diuersum necessarium ad essentiam discursus, quo ab intellectu cognoscatur bonitas consequentiæ, qui realiter distinguatur ab antecedente, vel præmissis, & ab assensu conclusionis. Mouentur ex Aristotele asserente, *Scientiam esse cognitionem rei per causam, & quod illius sit causa, & quod aliter se habere non potest.* Verùm Aristoteles solùm intendit definire scientiam à priori, quæ infertur ex præmissis, in quibus medium est causa conclusionis, illa autem verba; *Et quod illius sit causa, & quod aliter se habere non potest*, significant tantùm euidentiam, qua percipimus effectum esse ab illa causa: & certitudinem, qua ita adhæremus veritati, vt non possimus ab illa deflecti, nihil tamen indicant de cognitione reflexa.

Quod enim talis cognitio sit distincta ab assensu præmissarum, probant, quia possunt esse euidentes ambæ præmissæ, & nihilominus conclusio tantùm probabilis, ex eo solùm quod connexio inter ipsas, & consequens tantùm probabiliter cognoscatur, vel è contra possunt præmissæ esse probabiles, vel falsæ, & euidens cognitio bonitatis consequentiæ, ergo distincta cognitio est à præmissis. Antecedens probatur exemplis, quia in hac argumentatione: omnis proprietas distinguitur realiter à suo subiecto, admirabilitas est proprietas hominis: ergo distinguitur realiter ab illo: præmissæ sunt tantùm probabiles, sed cognitio bonitatis consequentiæ est per se nota. Et in hac: homo volat: ergo habet alas: antecedens est falsum, & cognitio bonitatis consequentiæ euidenter vera. Et in hac: Petrus init amicitiam, & societatem cum impijs: ergo euadet improbus: consequentia est probabilis, & antecedens potest esse euidenter scitum.

Confirmatur, quia antecedens est id, ex quo aliud sequitur, & consequens id, quod sequitur ex alio: consequentia verò ipsamet connexio, & dependentia,

dentia, quæ mediat inter vtrumquè extremum: ergo cognitio illius distincta est ab assensu antecedentis, & consequentis.

Quod autem specialiter à consequenti distinguatur, probant; quia notitia bonitatis consequentiæ sæpè est per se nota, & non discursiua, sed conclusio est semper notitia discursiua: ergo idem actus non potest esse formalis notitia bonitatis consequentiæ, & simul conclusio, alioquin esset simul discursiuus, & non discursiuus. Secundò quia notitia bonitatis consequentiæ sæpè est euidens, & verissima, & conclusio tantùm probabilis, vel falsa, vt si dicas: omnis homo est equus, omne risibile est homo: ergo omne risibile est equus. Notitia ergo bonitatis illationis distinguitur realiter ab assensu conclusionis, aliàs idem actus esset simul verus, & falsus, euidens, & probabilis.

Deniquè, quia actus logicæ, & actus aliarum scientiarum distinguntur realiter, & essentialiter, sicut & habitus à quibus elliciuntur, sed cognitio bonitatis illationis est actus logicæ considerans optimam dispositionem præmissarum, & notans illarum defectus: ergo distinguitur à conclusione, quæ actus est aliarum scientiarum.

ARTIC. III.

Statuitur quæstionis resolutio.

SEd licet verùm sit, ad discursum per se requiri notitiam bonitatis consequentiæ, non est tamen actus distinctus ab antecedente. Probatur primò ex communi omnium Scholasticorum sententia, qui naturam discursus, vel argumentationis explicantes, tãtùm horum actuum meminerunt, antecedentis, vel præmissarum, consequentis, & consequentiæ.

Pręterea ratione: quia vel per notitiam bonitatis cõsequentiæ intelligitur actus, quo expressè cognoscitur illatio formalis, vel dependentia inter cognitionem, quæ dicitur antecedens, & cognitionem, quæ dicitur consequens, & sic fateor libenter esse actum diuersum à præmissis, & consequenti, sed non est per se requisitum ad discursum, quin potius est cognitio reflexa discursum supponens iam factum tamquàm proprium obiectum. Aut ergo per notitiam bonitatis consequentiæ intelligitur actus, quo cognos-

cognoscitur consequentia obiectiua, & hæc essentialiter includitur in præmissis: ergo non est actus diuersus. Probo antecedens: quia præmissæ sunt, quæ mouēt, & determinant intellectum vt causa ad assensum conclusionis, sed sic se habet etiam cognitio bonitatis consequentiæ obiectiuæ: ergo includitur in præmissis. Minor probatur, nam quod præcipuè mouet, & determinat intellectum ad hoc quod cognito vno obiecto deueniat in cognitionem alterius, est connexio, quam animaduertit vtrumq; habere à parte rei: quod adeò verùm est, vt quando talis connexio, & consequtio inter vnum, & aliud obiectum est incerta intellectui, etiā si sit incerta conclusio, vt patet: & si est euidens, probabilis, aut falsa sit ita etiam proportionabiliter conclusio, vt patet exemplis adductis pro sentētia opposita, quę hoc optimè conuincunt.

Respondent Authores oppositi verissimū esse totum, quod intendimus de consequētia obiectiua, quod.s. moueat intellectum, &c. non verò de cognitione consequentiæ, hæc (aiunt) est tantùm conditio quædam applicans præmissas conclusioni, sicut in actu Fidei propositio Diuinæ Authoritatis non est ratio formalis motiua ad credendum, sed conditio applicans rationem formalem motiuam, quę est tantùm testificatio primæ veracitatis.

Sed hoc friuolum est, quia siuè cognitio bonitatis consequentiæ sit conditio applicans præmissas, siuè causa directa conclusionis (de quo posteà erit quæstio) non differt à cognitione pręmissarum, ac proinde prout inclusa in illis exercebit officium quod voluerint aduersarij, nam eadem difficultas, & opinionum varietas est de ipsis præmissis, an vt conditio applicans obiectum præmissarum concurrant, vel vt causa directa ad assensum conclusionis, & quidquid de pręmissis dicatur, idem de assensu, vel cognitione consequentiæ dicendum erit.

Satisfit oppositæ sententiæ fundamento.

Ad fundamentum oppositum facilè iam respondetur, negando quod antecedens adæquatum, seu omnes præmissæ sint euidentes, & conclusio ex illis deducta, vel cognitio bonitatis consequentiæ sit tantùm probabilis, vel è contra: alioquin non specificaretur conclusio à præmissis, quod est falsum, vt infra constabit. Nequè obstant aliquid exempla posita, nam in prima argumentatione sicut ambæ præmissæ sunt probabiles, est etiam

probabilis conclusio, & similiter bonitas consequentiæ absolutè, & simpliciter loquendo.

Solùm dici solet euidens talis notitia conditionatè, vel ex suppositione, id est, supposito, quod tales præmissę (quæ nunc tantùm sunt probabiles; vel falsæ) in re forent, infallibiliter esset talis conclusio, quæ necessitas, vel infallibilitas ex suppositione stat optimè cum contingentia, vel probabilitate simpliciter. Ex quo patet ad secundum exemplum.

Ad tertium. s. Petrus init societatem cum improbis: ergo euadet improbus. Respondetur, antecedens adęquatum talis conclusionis non esse solam amicitiam cum improbis, sed simul alia propositio maior ibi virtualiter inclusa. s. omnis qui amicitiam gerit cum impijs, eualet impius, ideoquè conclusio est tantùm moraliter probabilis, quia maior propositio habet eundē probabilitatis modum, quidquid sit de euidentia minoris.

Ad confirmationem respondetur, quod sicut conclusio non est præcisè id, quod sequitur ex alio absolutè sumptum, sed reduplicatiuè quatenus sequitur, hoc est, prout connotat dependentiam, & connexionem cum antecedente, vt supra explicui, ita antecedens mouens ad assensum conclusionis non est præcisè, & absolutè sumptum medium, ex quo educitur cōclusio, sed ipsum quatenus dicit ordinem ad conclusionem, & est per se connexum cum illa. Vnde ex hoc roboratur maximè doctrina posita, quia ratio antecedentis consistit in ratione causę, vel effectus vt dicitur infra: ergo cognitio antecedentis adæquati includit notitiam connexionis cum consequenti, nam causa prout causa dicit ordinem ad effectum, & effectus ad causam, & in virtute huius ordinis, & connexionis intellectus ex notitia vnius ducitur ad cognitionem alterius.

Benè verùm est, aliquos modos imperfectè cōcludentes indigere actu reflexo, vt infra dicam, sed hic defectus non tam est in illatione, quàm in præmissis, in quibus imperfectè ponitur medium, si autem rectè perspiceretur identitas extremorum cum medio, nulla esset necessitas talis cognitionis Propter hoc enim dixi, præmissas adæquatas, & perfectas includere connexionem antecedentis cum suo consequenti; quia defectu talis notitiæ, qui sanè oritur ex indispositione præmissarum, vel ex indispositione intellectus hæsitantis, (eo quod rudis dialecticus sit, & non satis calleat præmissas) per.

per accidens euenire potest necessitas cognitionis reflexę, si tamen debitè, & perfectè disponantur præmissæ, talis reflexio superfluit, vt dixi.

QVAESTIO. III.

Quæ, & quotuplex sit præcognitio ad discursum syllogisticum necessaria?

ARTIC. I.

Quot sint præcognita?

LIcet communiter difficultas hæc in disputatione de demonstratione tractari soleat, propter maiorem excellentiam, qua præstat cæteris syllogismis, commodius in præsenti sectione de discursu in communi illam expedio; quia ad omnem discursum syllogisticum eædem præcognitiones, & præcognita sunt necessaria; omnis enim conclusio ex præmissis oritur, habetquè eadem præcognita ac notitia demonstratiua, vt constabit; & si in definitione ostendimus supra inuenire præcognitiones, & præcognita, multò potiori iure in argumentatione: nam communis illa Aristotelis regula: omnis doctrina, omnisquè disciplina ex præexistenti fit cognitione, de notitia ad minus discursiua ferè ab omnibus intelligitur, præterquamquod docui etiam ad definitiones, omnemquè speciem modi sciendi extendi.

Precognitio, vt iam explicui, tractando de definitione, est illa notitia, quæ per se supponitur vt aliquomodo dirigens, aut excitans ad consequendam aliquam doctrinam, aut disciplinam. Et præcognitum est obiectum quod prius ante aliud cognosci debet, & ex quo progreditur intellectus ad doctrinam intentam. Doctrina dicitur prout à Magistro tradita, & eadem prout adiscitur à discipulo, disciplina, quo supposito. *Dispu. 2. sect. 1. q.*

Dicendum est primò, tria tantùm esse præcognoscenda, vel præcognita ante syllogismum (de actu conclusionis loquor, in quo eius essentia consistit,) nimirum subiectum, quod etiam datum appellari solent, prædicatum, seu quæsitum, & dignitas, seu principium. Declaratur: quia quælibet conclusio antequam inferatur, proponitur sub nota dubita- *Aristote. S. Thom. Aegidi⁹. Caietan⁹. Philopo⁹. Paul. Venetus, & communiter omnes.*

bitationis, an v.g. Anima sit immortalis vel non? & sic dicitur quæstio, in qua necessarium est, esse duo extrema, nempe subiectum, quod est Anima, & passio, seu prædicatum, quod est immortalis, & quæritur an illi subiecto conueniat? Sed vt quæstio intelligatur, & dissoluatur, necessum est præintelligere duo illa extrema, quid significent, an sint? & ex quo principio deduci possit vnum alteri conuenire: tria ergo hæc præcognosci debent. Probatur minor, quia si non præsupponatur subiectum, & quid significet nomen eius, de quo erit quæstio?

Item non potest mouere appetitus intellectum ad quærendum, nisi proponatur illi obiectum, quod quærat, & vnde: idest, in quo subiecto illud inuenire debeat, frustra enim & in vanum argumentabimur, si ignoremus, de quo subiecto sit quæstio immortalitatis, & quid per nomen immortalitatis intelligatur: ergo dum hæc duo non prænoscuntur, impossibilis erit conclusio. Rursus quod dignitas, seu principium præcognosci debeat, probatur: quia cognitio discursiua non est per se nota intellectui, ideoquè sub dubio, & quæstione illi proponitur: ergo indiget principijs alijs notioribus, quibus intellectus determinetur ad resolutionem, & notificationem illius. Confirmatur ex ratione essentiali discursus, qui est progressus à notioribus ad minus nota, vel illatio conclusionis ex antecedenti, vel præmissis.

Dices: præmissæ sunt duæ, ergo quatuor sunt præcognita. s. subiectum, prædicatum, & duæ præmissæ. Respondetur in præmissis esse tantùm tres terminos, s. subiectum idem, & prædicatum quæstionis, & conclusionis inferendæ, & medium, cum quo vniuntur in ipsis præmissis, & in quo potissima vis præmissarum ad inferendũ consistit: cum ergo iam dictum sit subiectum, & prædicatum esse duo precognita, solùm restat tertius terminus, qui est medium identificans sibi duos alios in premissis, quod possit esse tertium præcognitum.

Vnde ex hoc tandem roboratur nostra conclusio, quia. s. in toto discursu etiam includendo præmissas, non sunt nisi tantùm tres termini. s. subiectum, prædicatum, & medium, quod non aliter concurrit ad illationem, quam prout identificans sibi indiuisibiliter vtrumquè extremum, & ex eisdem diuerso modo dispositis formantur tres syllogismi propositiones, vt infra dicetur: ergo tantùm tria præcognita assignari possunt. s. subiectum, prædica-

dicatum, & medium. Ex dictis colligitur huiusmodi pręcognita, & eorum præcognitiones non æquè immediatè ad conclusionem concurrere. Præmissæ enim immediatè illam causant, ideoquè dicuntur præcognitiones agentes, vel proximæ, præcognitio autem subiecti, & prædicati etiam ante præmissas saltem regulariter supponi debent, tum quia subiectum, & prædicatum sic supponuntur ad iudicium. Tùm etiam, quia ex præuia propositione vtriusquè extremi sub quæstione, aut dubio mouetur, & excitatur intellectus ad quærendum medium, ex quo notitiam assequatur conclusionis intentæ, quæ dici solent præmissę remotę seu dirigentes. Quod solet explicari exemplo naturali: approximatio enim ignis non facit calefactionem, sed iuuat, & conducit ad eam, ita vt sine illa calefactio esse non posit: at calor in igne existens efficit calefactionem: eâdem igitur ratione sunt quædam præcognitiones necessariæ ad conclusionem syllogisticam, quæ eam immediatè non causant, sed paulatim disponunt, & diringunt potentiā ad illam, cuiusmodi sunt præcognitio subiecti, & prædicati, nominisq; expositio, aliæ sunt, quæ absolutè illam efficiūt, & sunt præmissæ. Quā diuisionem tradit Aristoteles *lib.1.poster.* eamq; sic exponunt Auerroes, & communiter omnes.

Potest tamen quisq; præsertim iam peritus, audiens, vel legens syllogismum, aut demonstrationem, in sola pręmissarū apprehensione omnia præcognita, earumq; pręcognitiones simul, quātùm satis est ad discursum percipere, & exercere.

ARTIC. II.

Ostenditur duas tantùm esse præcognitiones.

De tribus pręcognitis duas tantùm esse præcognitiones docēt vnanimes Aristoteles, S. Thomas, & omnes vtriusq; expositores, videlicet an sit, & quid sit id, quod præcognoscitur. Ad cuius explicationē aduerto in omni progressu, aut discursu perfecto intellectus hæc quinquè regulariter interuenire. Primò cognosci debet, quid nomen significet; nam hoc ignorato, frustra erit argumentatio, ideoquè Temistius initio, *lib.2. poster.* significationem nominis dicit esse principium omnis inquisitionis intellectus. Secundò quęritur, an res tali nomine significata sit? Tertiò, quid sit? hoc est in quo eius natura, & essentia consistat. Quartò, qualis sit,

Aristot. *S. Thom.* *Temisti⁹.*

sit, idest, quęnam passiones, & accidentia illi conueniant? Quin tò propter quid sit? idest, propter quam causam tales passiones illi insint? quę cognitiones, cum sint inter se subordinatæ, prior respectu posterioris dicitur præcognitio, & posterior respectu prioris quęstio. Et ideo prima semper est præcognitio, & numquam quæstio, & postrema semper est quæstio, & numquam præcognitio. Hanc ob causam Aristoteles initio, 2. *libri poster.* enumerans quęstiones, docet esse tātū quatuor, quia omisit primam cognitionē, quę numquam est quæstio, & 1. *poster.* similiter enumerans præcognitiones, omisit vltimam, quæ semper est quęstio. Et quāuis sint quatuor cognitiones, eas reuocat ad duas. Ad *quid sit*, reducit quid nominis, & quid rei, hoc est, cognitionem significationis nominis; & definitionem rei, vt bene aduertūt Caietanus, Albertus Mag. & alij. Ad an sit, reuocat an sit subiecti, & an sit principiorum, itaq; præcognitiones licet specificè sint quatuor, genericè sunt duo.

Caiet. in c. 1. poste. Albertus Magnus, Sotus, Zabarella, & alij.

Declaratur hæc tantùm duo esse præcognitionum genera, quia per illa omnes quæstiones solui possunt: ergo aliæ præcognitiones præter duas assignatas superfluunt. Probatur antecedens, quia quatuor ponuntur quæstiones 2. *poster.* an sit, quid sit, qualis, & propter quid sit res? nam hæc solùm quatuor de qualibet re inquiri possunt, existentia, essentia, accidentia, & illi' causæ. In quæstione qua quæritur existentia, vel an sit, debet præcognosci quid significetur in re illa, cuius existentia quæritur, & an sit præmissarum, ex quibus talis existentia deducitur, idest, an sint veræ præmissæ. In quæstione quid sit, præter præcognitionem significationis nominis; & an sit principiorum, præcognoscitur an sit subiectum, cuius essentia inuestigatur. Tertiò, quādo de accidentibus, vel passionibus est quæstio, videlicet qualis sit, præcognoscitur quid nominis passionis, quæ facit illud subiectum quale, non verò an sit in tali subiecto, nam hoc quæritur. Pręcognoscitur item de subiecto an sit, & quid sit, tam nominis, quam rei: nam ex definitione, seu quidditate subiecti infertur passio de illo. Dicet quidam: hæc quidditas subiecti reducitur ad an sit principiorum, nam in illis continetur, vt medium, & ratio inferendi conclusionem: ergo solùm pertinet ad præcognitionem an sit, & ad quid sit, solùm quid nominis, & non quid rei reuocatur.


Respondeo tamen, quod de-

finitio subiecti regulariter, & per se supponitur solitariè, ante quam principia formentur, vel vt terminans simplicem tantùm apprehensionem, vt suo loco dixi, vel si iudicium, terminat illud prout tantùm enuntiata de suo definito, quod est subiectum quæstionis; & ideo distinctam præcognitionem facit ab illa, quæ est de an sit principiorum, quæ consistit in connexione medij cum vtroq; termino, subiecto s. & prædicato quæstionis, & non cum vno tantum seorsim.

Præterea: quando quid sit subiecti cognoscitur simul cum principijs, præcognoscitur eisdem actibus, an sint vera principia, & quid sit subiecti vel medij. Vnde saltē formaliter est duplex præcognitio diuersa, quemadmodum cōtingere potest, quod in solis præmissis includantur, simul omnes præcognitiones, & præcognita, ita vt illis auditis, percipiatur exactè quid nominis, & quid rei, & an sit subiecti, & principiorum, vt iam animaduerti.

Deniq; quęstio propter quid vbi inuestigatur, causa propter quam prædicatum subiecto conueniat, soluitur per cognitionem an sit, quamuis autem quale sit, videatur præcognosci debere ad propter quid sit: quia si quis velit quærere propter quid Reubarbū est purgatiuum choleræ, debet prius supponere hāc proprietatem re vera illi conuenire. Reducitur tamen hæc ad præcognitionem an sit principiorum, nam totum illud complexum *Reubarbum est purgatiuum choleræ* supponitur, vt verum in pręmissis, supponiturquè de illo an sit, sicut in pręmissis. Est item tota illa propositio subiectum, de quo quęritur causa, & ita supponitur an sit, ac si esset quodlibet aliud subiectum incomplexum, de quo quęritur essentia, vel passio.

Obijcies tandem, plures aliàs esse præcognitiones: multa enim supponi debent de dispositione syllogistica, de forma, & figura syllogismorum, sine quibus conclusio ex præmissis inferri non poterit: ergo præter assignatas, aliæ præcognitiones admitti debent. Respondetur, negari non posse ex parte actus syllogistici, & formæ eius multa alia præcognosci debere, hîc tamen solùm est sermo de pręcognoscendis ex parte obiecti, & materię, circa quam versatur syllogismus, sicut simili modo pręcognita, & pręcognitiones in definitione consideraui-
mus.




ARTIC. III.

Quid in particulari de passione præcognoscẽdum sit?

EXplicato in communi præcognitorum, & præcognitionum numero, superest in particulari exponere, qualis sit vniuscuiusq; præcognitio, seu modus quo præcognosci debet, ex illis duobus enumeratis ab Aristotele?

Primò igitur per passionem non intelligitur semper vera proprietas, sicut nec per subiectum verum, & proprium subiectum, quod est substantia, sed quodcumq; prædicatum, & quodcũquè subiectum propositionis, de quibus potest controuersia, aut dubium esse, vtrũ vnum alteri conueniat? Patet ex quadruplici quæstione supra explicata, ex quibus constat prędicatum quęsitum, vel posse esse existentiã, vel quidditatem substantialem, vel accidentia, vel causas alicuius rei. Ideoq; generalius loquendo melius est vti nomine prædicati: nomen autem passionis quasi antonomaticè dicitur, eo quod potissima species syllogismi, quæ est demonstratio *propter quid* demonstrat proprietates de subiecto, per definitionem ipsius subiecti.

Hoc supposito, absolutè dicẽdũ est, de prædicato quæstionis tantũ præcognosci debere quid nominis, vel quid per illam significetur, an autem sit, vel quid sit quidditatiuè, minimè: sed sufficit confusa illius apprehensio, qualis ex definitione nominis haberi potest.

Prima pars constat ex dictis, quia nisi præintelligamus, quid nomine passionis significetur, in vanum laborabimus quęrendo, quod non intelligimus.

Secunda pars etiã probatur, quia ante probationem, aut demonstrationẽ, neq; debet, neq; potest præcognosci id, de quo est quæstio, & quod in conclusione probatur, aut demonstratur, alioquin erit petitio principij, supponendo id quod est probandum. Frustraq; probatur id, quod præsupponitur vt notum, sed passio, vel prędicatum quęstionis est, quod quęritur per illã, & probari intẽditur in cõclusione, an subiecto conueniat: ergo nõ potest de illo pręcognosci, an in subiecto sit, I. quid sit. Quod vltimũ probat optimè S. Thomas, & explicat Caietan', dicẽs: de passione eo ipso, quod non præcognoscitur an sit, etiam nec quid sit, quia essentia passionis est interesse tali subiecto, quare si cognosceretur eius quidditas, & essentia ante probationẽ, etiam eius existentia.

Triplex soluitur obiectio.

Sed contra obijcies primò: de prædicato ad minus præcognosci debet esse aliquid reale possibile, & non fictitium, vt rationaliter de eo quæri possit, an conueniat subiecto reali. Probatur primò; quia de ente reali non nisi proprietates reales demonstrari possunt: ergo debet præcognosci de illo an sit, saltem in esse possibili. Confirmatur, quia quando quæritur existentia, supponitur possibilitas: ergo quando de passione quæritur an existat in tali subiecto, præcognosci debet eius possibilitas.

Secundò: prædicatum quæstionis debet poni in præmissis, & prædicari de medio, antequam inferatur in conclusione, nam ex cognitione identitatis vtriusque extremi cum medio infert intellectus in conclusione identitatem vtriusque inter se, id est, passionem subiecto conuenire: ergo de passione, vel prædicato quæstionis præcognoscitur quod existat.

Tertiò: in quæstione, qua probamus causam propter quam passio conuenit subiecto, supponimus ipsam inesse subiecto, & consequenter quid rei illius; cum eius quidditas solùm in habitudine consistat ad subiectum: ergo saltem in ea de passione præcognoscitur an sit, & quid sit.

Respondetur ad primum, eo ipso quod de passione quæritur, an conueniat realiter subiecto? quæritur an possibilis sit, & realis? Nam eo ipso quod sit possibilis, debet conuerti cum subiecto, & illi semper actu conuenire, ac proinde sub his tribus rationibus est quæsitum, & non præcognitum, vel præsuppositum quæstionis. Præterea: cum nomine passionis intelligatur quodcumque prædicatum quæritur per quæstionem, quando quæritur existentia subiecti, supponitur possibilitas illius, non passionis, & quando inuestigatur possibilitas subiecti, tunc ipsa possibilitas est prædicatum, quod quæritur similiter quando sola essentia subiecti inuestigatur, ex quo patet iam ad confirmationem.

Ad secundum respondetur, quod ex hoc, quod prædicatum ponatur, & præintelligatur cum medio in præmissis, vel alibi in re existere supponatur, non infertur, quod præcognoscatur vt passio, vel prædicatum, quod subiecto quæstionis conueniat, potest enim alibi existere, & passionem, non esse huius subiecti, quod autem supponatur in medio, non est præcognitio passionis, sed principiorum, & si alibi existens

existens supponitur sub alia ratione, hoc per accidens fit, & impertinēs est, ad quæstionem, præcognitio autem per se supponi debet, vnde nihil inde contra nos conuincitur.

Ad tertium supponēdo quod passio sumitur in regula posita pro quouis prædicato, quod quęritur, & probatur per argumentationem, facilè respondetur, quod quando quæritur causa, propter quam aliquod accidens, vel proprietas conuenit alicui subiecto, tunc passio, vel prædicatum quæstionis est causa quæsita & demonstrata in conclusione, quæ in genere obiecti passio, vel prædicatum est, passio autem, quæ in genere rei talis est, supponitur non vt passio, sed vt subiectum de quo quæritur causa, vt articulo præcedenti dixi.

ARTIC. IIII.

Quid de subiecto quęstionis præcognoscendum sit?

SVppono iam ex dictis, præcognoscendum esse quid nominis subiecti: alioquin nihil de illo probari posset, est autem difficultas, an semper de illo pręcognosci debeat an sit? Supponimus item non loqui hic de subiecto physico, seu inhęsionis, sed latè de subiecto logico propositionis, vel scientię, cuius conditiones exposui tractando de subiecto logicę.

De hoc ergo est prima sententia (quę tribuitur Scoto, & eius discipulis,) docens non esse necessariò pręcognoscendum semper an sit. Nam in quęstione, qua illius existentia inuestigatur, non supponitur, potestquè illius essentia inquiri, & probari à posteriori pro effectus, vel signa, licet non per causas, ergo tunc non supponitur an sit, sed probatur. Antecedens probatur ex Aristotele 2. *posterior.* qui quatuor quęstiones enumerans, primam ponit, quę existentiam, vel an sit rei quęrit.

Scotus in prolo. sent. q. 3. ad 3. & initio Elēchor. Anton. Andr. eas q. 1. met. & omnes Scotistæ.

Secundò: scientia, quę est potissima species discursus probat sępe suum subiectum, vt videre est in Logica, Philosophia, & Methaphysica: & generaliter semper in principio cuiuscumquè scientię disputari solet de subiecto, non ergo supponitur. Confirmatur ex Aristo. 1. *Elench.* vbi probat syllogismum sophisticū esse. Et 1. *postèr. cap.* 1. Probat dari demōstrationem, cum tamen syllogismus sophisticus sit subiectum *libri Elenchorum*, & demonstratiuus subiectum *libri poster.* potest ergo probari subiectum, & non supponi.

Statuitur conclusio.

S. Thom. li. 2. post. c. 1. Caiet. Auerroes 1. post & 1. Phis. Themisti' Paulus Vallius to. 2. suæ logicæ disput. 1.

Communis tamen sententia docet cum Aristotele, de subiecto semper supponendum esse an sit. Docent S. Thomas, & eius expositores Caiet. Albertus Magnus, & alij, quos citat Paulus Vallius. Probatur primo, nã omne quæsitũ, eo ipso quod tale est, dicitur passio, vel prædicatum ab omnibus peripateticis: ergo subiectum debet esse quid præcognitum, & præsuppositũ: nam subiectum distinguitur cõtra prædicatũ, & supponitur ad illud, sicut materia ad formam. Vnde sicut in Phisicis generatio supponit materiam (quę propter hoc ingenerabilis dicitur) & solùm attingit formam, vel vnionem, sic in discursu logico subiectum, quod est materia, supponitur, diciturq; propter hoc indemõstrabile. Confirmatur: quia propter hoc subiectum appellari solet datũ, vel cõcessum, & prædicatum quæsitum, quia subiectũ semper debet supponi, & solũ prædicatũ est, quod quæritur.

Secundò probatur, quia subiectum, vel est per se notum, vel ignotum. Si primum nõ indiget probari, inepte enim demõstratur de illo an sit, sed supponitur. Si secundum, eo ipso erit iã quęsitum, & prædicatum per alium discursum: non inconuenit autem, quod aliquid sit quæsitũ, & prædicatum respectu vnius actus, & subiectum, & præsuppositum respectu alterius, nam sicut dixi articulo secũdo, quod est quæstio respectu vnius, potest esse præcognitio respectu alterius.

Tertiò, quia intellectus semper debet supponere aliqua principia notissima, ex quibus ignota deducat, aliàs non poterit discurrere, sed non habet vnde excitetur, & dirigatur ad assumenda hæc principia, & non alia, nisi quia supponit subiectum, de quo est quęstio, & aduertens statim intellectus connexionẽ, quã habet cum aliquo medio, inde ducitur ad cognoscendam similem connexionem prædicati cũ medio, & cõsequenter prędicati cũ subiecto, quod quærebatur.

Soluuntur obiecta contra dicta.

Dices: sicut supponitur subiectum vnitum cum medio in præmissis, supponitur etiam passio, vel prædicatum, nam ex identitate vtriusquè cum tertio infertur in cõclusione identitas vtriusquè inter se. Etsi respondeas, quod non supponitur prædicatum reduplicatiuè, vt prædicatum, sed vt alibi existens, s. simul cum medio. Cõtra etiam subiectũ non supponitur reduplicatiuè, vt subiectum talis prędicati, quia hoc est, quod queritur, eo enim ipso quod inuestigatur

gatur vnum correlatiuum, quæritur & aliud, & cognito vno, alterum cognoscitur, si ergo quæritur, an risibilitas v. g. sit prædicatum hominis, etiam inuestigatur, an homo sit subiectū risibilitatis, & si hoc supponitur, & præcognoscitur, etiam & illud, ergo eodem modo philosophandum est de subiecto, ac de prędicato quantùm ad an sit.

Respondetur: fateor paritatem de præcognitione subiecti, & prædicati prout in præmissis, sed sic efficiunt non duas, sed vnam præcognitionem, quæ dicitur principiorum, & concurrit proximè ad discursum: in hoc autem, & præcedenti articulo loquimur de præcognitionibus remotis subiecti, & prædicati, quatenus regulariter supponuntur ad præmissas, & sunt inter se diuersæ, & sic asserimus de subiecto supponi quod sit, & dubitari, an hoc prædicatum, vel illud ei cōueniat. Quia sicut implicat intellectum enuntiare aliquod prædicatum nisi de aliquo subiecto, ita repugnat quod moueat quæstionem nisi de aliquo præsupposito subiecto, & quando ignoratur, & quæritur etiam existentia, vel an sit subiecti, tunc non fit eodem discursu, sed alio præuio, quo existentia assumitur vt prædicatum, & possibilitas, vel essentia eiusdem vt subiectum, & tunc quęstio est, & nō pręcognitio, nisi respectu alterius posterioris discursus illi subordinati.

Quod si adhuc ignoratur nō solùm existētia, sed etiam possibilitas subiecti, pręuenitur intellectus alio discursu, quo illā quærit tamquàm prædicatū, & pro subiecto supponit essentiā eiusdem rei prout abstrahit à possibili, & impossibili, & concludit tandem de illa esse possibilem. Vnde sicut in conclusione possibilitas solùm est prædicatum, & non subiectum, ita in quęstione solùm de illa fuit dubium, & quęstio, & non de subiecto.

Ex quo patet iā ad primū argumentū primę sententię. Ad secūdum similiter respondeo, in primis non omnem scientiā probare suū subiectum, sed vel supponere illud vt primum principium per se notissimum, vel probare illud discursu prohemiali ex metaphysica desumpto, vel ex alia scientia superiori, cui subalternatur, vel vtitur diuersis actibus subordinatis, quorum vnus sicut est præcognitio respectu alterius, & quæstio respectu sui, ita respicit vt prædicatum, & quæsitum respectu sui, quod est subiectum præcognitum, & præsuppositum respectu alterius: & ita semper infallibile, & inuiolatum manet quod respectu eiusdem actus subiectum præsupponitur, & præ-

prędicatum queritur, quidquid sit de alijs actibus, à quibus sub alijs rationibus attingi possunt, & quidquid etiam sit de habitu scientię, qui sicut extenditur ad plures actus subordinatos, ita & ad attingenda eadem obiecta prius vt quęsita, & postea vt pręcognita.

Ex dictis patet solutio ad quędam verba Aristotelis, quę videtur dictis aduersari: ait enim *6. met. text. 1. eiusdem est quærere an sit, & quid sit.* Loquitur de Metaphysica, quę eo ipso quod considerat ens in communi, considerat omnia subiecta propria, & aliarum scientiarum, ideoquè illi cętere subordinantur, semper tamen in Metaphysica, quod est subiectum respectu vnius actus, est predicatum respectu alterius, vt dictum est.

Ostenditur de subiecto præcognoscendā ad minus esse essentiam, existentiam verò non nisi aliquando.

Dixi de subiecto semper supponi, quod sit, restat exponere an de existentia illius, vel de essentia sola hoc intelligendum sit? Breuiter dico primò, non esse necessarium existentiam subiecti præcognoscere, nisi in aliquibus casibus. Probatur, quia aliquando demonstratur ipsa existentia subiecti: ergo tunc non pręcognoscitur. Secundò, quia sæpè sæpius fiunt demonstrationes perfectissimæ abstrahendo ab omni actuali existentia subiecti, attendendo solùm ad veram, & necessariam connexionem prędicatorū cum subiecto, quæ dicuntur æternæ veritatis, quales sunt istæ prædicationes: homo est animal, homo est risibilis, &c. quæ veræ sunt, etsi subiectum non existat actu in rerum natura: satis enim est, quod illi non repugnet existere. In aliquibus autem casibus dubium non est, supponi debere illius existentiam, vt quando probantur aliqua prædicata illi actu competere, nimirum de animali quod currat. Potestquè etiam talis existentia præcognosci vt præterita, vel futura suo tempore, quomodo Astrologi multa demonstrant ex subiecto, quod futurum præcognoscunt.

Ex dictis infero, & dico secundò, semper subiectum præcognosci debere saltem quoad esse essentiæ. Probatur, quia essentia est primus conceptus, qui in subiecto intelligi potest, cætera verò attributa illam consequuntur, & supponunt, ergo vel nullum subiectum supponitur, vel saltem quoad essentiam illius præcognosci debet.

Confirmatur, quia ablata essen-

essentia aufertur simpliciter res, & posita illa, etsi cætera deficiant, ponitur res absolutè: ergo si subiectum supponi, & præcognosci debet, ad minus eius essentia præintelligenda est. Non est tamen supponenda definitio quidditatiua subiecti, nisi tantùm in perfectissima demonstratione, quæ dicitur propter quid, vt *sectione tertia* dicam, in cæteris autem satis est cognitio imperfecta quidditatis illius, nam per ipsam quæstionem, & discursum quæri solet perfectior illius notitia, vt quando possibilitas alicuius essentiæ inuestigatur, an sit realis sit, vel rationis? quamuis verùm sit huiusmodi discursus imperfectos esse. Cætera, quæ hîc desiderari possunt ex infra dicendis de demonstratione constabunt.

QVAESTIO. IIII.

Quid de principijs præcognoscendum, & quomodo ad syllogismum concurrant?

ARTIC. I.

HActenus de simplicibus præcognitis, nunc autem circa complexa primò certum est ex dictis, omnia principia tam prima, & comunissima, quam proxima, & intermedia præcognosci debere an sint, id est, an sint vera. Patet ex dictis, quia si syllogismus probatiuus sit, vt diximus, assensus conclusionis pendet ab assensu præmissarum, & efficitur ab illis: assentimur enim conclusioni propter præmissas, & eo ipso quod negatur vna præmissa, non sequitur amplius conclusio, sed tenetur arguens illam probare, & conuincere respondentem de veritate illius: ergo præmissæ supponi debent, & præcognosci vt veræ, ante conclusionem.

Dices: non potest cognosci præmissarum veritas, nisi cognoscantur earum significata: ergo non solùm de illis præcognoscendum est, an sint, sed etiam quid significent: docetquè id Aristoteles *capit.* 8. vbi ait in hoc conuenire principia & conclusiones, quæ ex illis deducuntur, quod de vtrisquè supponitur, quid significent.

Respódetur, significationem principiorum sine dubio præcognoscendam, vt argumentum probat, eam tamen ideò omisit Aristoteles, quia solùm numerauit præcognitiones, quæ præcognitis per se conueniunt, significatio autem non conuenit principijs complexis per se, vt com-

vt complexa sunt, sed ratione simplicium terminorum, ex quibus constant, & ideò solùm dicit, precognoscendum de illis quod sint vera: quia veritas per se, & immediatè conuenit complexis, significatio verò supponitur ratione partium, vt dicit *cap*. 8. citato, & in hoc equiparat principia conclusionibus.

Quomodo præcognoscantur principia?

MAior tamen difficultas est circa modum, quo huiusmodi principia pręcognoscuntur, an. s. per solam apprehensionem terminorum, an verò etiam discursu, vel inductione, ita vt licet sint præcognita respectu conclusionis, ad quam concurrunt vt principia, sint etiam quæsita, & probata alio præuio discursu.

Prima sententia. vniuersaliter affirmat, nulla principia cognosci posse inductione, aut quouis alio genere discursus, pręterquam sola terminorum apprehẽsione. Probant: quia principia probari debebant, vel per alia principia priora, ex quibus penderent quantum ad esse, & cognosci, & hoc non: quia vt supponunt, ipsa sunt prima principia non habentia alia supra se, vel debebant probari inductione, aut experimento, & nec hoc dici potest: tùm quia principia debent esse omnino certa, & per se nota: ergo non per aliud nota. Tùm etiã: quia Aristote- 1. *Topicor. cap*. 1. inductionem enumerat inter argumenta probabilia. Nec potest esse certa, & euidens probatio nisi enumerentur omnia singularia, quę nunquam enumerari possunt, & sępè contingit in sensibus deceptio; non ergo possunt huiusmodi principia probari, sed sunt omnino indemonstrabilia, & præsupponenda ante omnem discursum.

Secunda sententia in opposito extremo asserit, omnia præcognosci debere inductione, vel experimento ab his saltem, qui propria inuentione eorum notitiam comparant. Docent Niphus, Seneca, & alij, probarique potest multis Aristotelis testimonijs, quæ prolixè aliqui multiplicãt omnia autem vnico verbo interprætabimur. *Nipho. 12. met. cõclu & 3. Fõs. c. 5. q. 4. sec. 3. tribuitur Arist. 6. & hic c. 3. 1. lib. prior. c. 3. & li. 2. c. 23. & 2. poste. c. 14. & vlt.*

Tertia tamen, & media sententia vera est tenenda, quę distingui inter principia; & quædam omnino indemonstrabilia, & notissima ante omnem discursum supponit; quædam verò probabilia præuio discursu esse. Ita docent multi, quos refert, & sequuntur Suarez, & Vazquez. Probatur primò ex Aristotele 1. *ethicor. cap*. 7. vbi ait: *Ex principijs verò alia sunt, quæ inductione*, *Suar. to. 1. met. disp. 1. sect. 6. nu. 26. & 27. Vazq. 1. 2. to. 1. disp. 19. nu. 5. 17. & 18.*

ne, alia quæ sensu, nonnulla, quæ assuetudine, quædam alia, quæ alio quoddam modo considerantur. Ecce quomodo apud Aristotelem non vno, vel alio modo, sed pluribus præcognosci possunt.

Sed vt discernantur principia, quæ inductione, vel experimento cognoscuntur, quæ verò sola terminorum apprehensione, quatuor genera principiorū prænotanda sunt cum D. Tho. 1. *meth. cap.* 4. primum est eorum, quæ omnibus scientijs cōmunissima sunt, quæ dignitates appellari solent. Vt est illud: *Quodlibet est, vel non est. Omne totum est maius sua parte. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, & similia.*

Secundum est eorum, quæ non omnibus scientijs, sed pluribus communia sunt, *vt si ab æqualibus æqualia substrahas, quæ remanent, sunt æqualia*, quod est principium Arithmeticæ, & Geometriæ. Tertium est eorum quæ toti alicui scientię communia sunt, vt in Philosophia naturali, *omne ens naturale est mobile*, quod principium pluribus demonstrationibus eiusdem scientiæ deseruit. Quartum deniquè est eorum, quæ solùm in aliqua demonstratione particulari principia sunt.

Hoc igitur supposito (& omissis tantùm principijs probabilibus, & non necessarijs, de quibus nulla est difficultas.) Dico primò, plura esse principia, quę sola terminorum apprehensione absquè vllo discursu cognoscuntur, per se loquendo, huiusmodi sunt principia primi, & secundi generis. Docet expresè Aristoteles dicens, necessariò deueniendum esse ad aliqua prima principia indemonstrabilia. Et ratio illius est, quia si omnia essent demonstrabilia, aut dabitur processus in infinitum, aut circulus ita, vt idem demonstretur per idem.

Secundò: quia demonstratio fit ad ea, quæ non sunt per se nota, sed in huiusmodi principijs connexio prædicati cum subiecto est ita manifesta, vt necessariò sit omnibus notissima, nullaquè alia sit notior, aut clarior: ergo sine cognitione vlla præuia alterius principij cognoscuntur sola terminorum apprehensione.

Confirmatur: quia id quod est notum, demonstrari nequit per id, quod ignotum est, vel ęqualiter notum: ergo si prima principia, de quibus loquimur, sunt notissima, notiora non habent, quibus probentur, sed tantùm ignota, vel æquè nota: ergo per ea demonstrari nequeūt. Patet consequentia: tùm quia debebant notiora esse. Tùm, quia vel daretur processus infinitus, instando in his principijs,

quibus

quibus alia probantur, donec deueniamus ad aliqua simpliciter prima: vel negabimus absolutè prima principia, si omnia sint demonstrabilia per alia priora.

Dices: quare non poterunt huiusmodi principia à posteriori demonstrari per effectus saltem equè notos? Respondetur, nequè hoc posse haberc per se loquendo: ratio est, quia demonstratio est de aliquo ignoto, & per aliquid notius, sed huiusmodi principia sunt notissima, & ea quibus probari possunt, nó sunt notiora, vt petit demonstrationis definitio: ergo sunt simpliciter indemonstrabilia.

Patet deniquè, quia ideo dicuntur communiter huiusmodi principia lumine naturali nota, quia intellectus noster naturali lumine, absquè vllo alterius præcedentis cognitionis auxilio, certò, & euidenter illis assentitur, ideòquè huiusmodi vniuersalissima principia dignitates vocantur, quia per se digna sunt, vt ipsis sine alijs principijs fidem præstemus. Dixi supra *per se loquendo*: quia per accidens ex indispositione, rudiquè tarditate intellectus contingere potest, quod nec hæc principia statim calleat potẽia, sed probatione adhuc, aut persuasione superioris indigeat, quos & similes casus admitto, & omitto.

Dico secundò: quamuis dicta vera sint, nihilominus ad cognoscenda huiusmodi principia indemonstrabilia requiritur prę cognosci terminos eorum, non solùm quoad *quid nominis*, vel significationem, sed etiam notitia experimentali, quoad *an est*, vel *quid est*. Primam partem de cognitione *quid nominis* traditur expresśè ab Aristotele, vt supra vidimus, tractando quid de principijs præcognosci debeat. Et est per se nota: quia impossibile est scire, an sit verum principium, nisi prius cognoscamus, quid significent termini, nisi enim sciamus quid significet totum, quid pars: quid maius, & quid minus, quomodo intelligere possumus, quod totum sit maius sua parte, & pars sit minor suo toto?

Secunda verò pars probatur: quia omnis nostra cognitio incipit ab experientia sensuum externorum iuxta illud commune prouerbiũ: *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, à quo intellectus semper in suis actibus pendet. Præterea non potest cognosci, quid significet quilibet terminus, nisi prius sensu demonstretur res significata per illum. Non enim cognoscimus, quid sit, & significet totum, nisi vel manu illud designando, non est tamen necessarium, quod toties quoties cognoscun-

noscuntur hæc principia, supponatur talis cognitio satis est semel, aut iterum præcessisse, & memoria retineri.

Constat deniquè talis præcognitio ex principio illo Aristotelis: *Omnis doctrina ex præexistenti fit cognitione*, cum enim hæc principiorum cognitio vera doctrina sit, præexistentem cognitionem requirit. Nec inde sequitur hanc principiorum notitiam discursiuam esse, quia etiam definitio fit ex præexistenti cognitione, & discursiua non est, vt suo loco dixi; quia non omnis præcognitio præcedit vt antecedens discursus, sed vt apprehensio terminorum, vel conditio applicans obiectum.

Docet id præterea communis sententia, habitum principiorum naturalem appellans, & non discursiuum. Probat etiam Sanctus Thomas 1. *part. quæst.* 16. *de verbo*, *artic.* 1. ex conuenientia quadam, quam affert. Sanctus Dionysius *cap.* 7. *de Diui.nom.* Diuina sapientia, inquit, ita omnia ordinauit, vt supremum infimi attingat infimum supremi, sed suprema nostra cognitio naturalis est cogtio primorum principiorum, vt docet etiam Aristoteles: ergo cum proprius modus intelligendi naturæ Angelicæ sit sine discursu, nostra etiam suprema cognitio illum, licet imperfectè, attingit, & imitatur, ac proinde non erit discursiua simpliciter.

Confirmat Aristoteles 6. *Ethicorum cap.* 3. qui habitum principiorum vocat intellectum nomine deducto ab ipsa potentia: cum ergo intellectus, & ratio (etsi texte Sancto Thoma 1. *part. quæst.* 79. *artic.* 8. sint eadem potentia) in hoc differant quod potentia, quatenus simpliciter apprehendit, & iudicat, dicitur intellectus, prout verò ex vno in aliud discurrit, dicitur ratio, eo ipso quod habitum principiorum intellectum vocauit, & non rationem, aperte sensit, discursiuum non esse. Hinc etiam Sanctus Thomas 1. *part. quæst.* 58. *artic.* 3. probat Angelos non discurrere, eo quod intelligentiæ, & non rationales vocantur, sed homo ratione habitus principiorum intelligentia dicitur, seu intellectus, non rationalis, est ergo quoad hanc partem Angelis vicinus, & non discursiuus. *Aristote.* *S. Thom.*

Tandem assero, principia tertij, & quarti generis à posteriori per suos effectus, & inductione, aut alijs vijs probari posse, imò ferè semper hoc modo cognosci. Ita docet Aristoteles citatus pro secunda sententia, cuius testimonia hoc tantùm probant. Patetq; ratio ex dictis; quia

quia licet principia hæc sint quoad se, per se nota, & non per aliud prius nota, tamquàm per causam, non sunt tamen per se nota quoad nos, sed indiget intellectus ad illorum assensum experimento iuuari suorum effectuum, & inductione. Sic dixi definitiones rerum inuestigari, tractando de illa, *disputatione secunda sectione prima*.

Ex quo iam ad fundamẽtum primę sententiæ respondeo, huiusmodi principia saltem quoad nos, non esse per se nota. Et ad Aristotelem dico; ideò inductionem posuisse inter argumenta probabilia, quia inductio prout est consequẽtia formalis, solùm est argumentatio probabilis, est tamen consequentia necessaria, & euidens ratione materiæ. Nequè est necessaria numeratio omnium indiuiduorum, perspecta enim in indiuiduis numeratis cõnexione essentiali, & infallibili prædicati cum subiecto, percipitur consequenter, quod de cæteris sit eadem ratio.

Secundò dico, etiam Aristotelem ponere syllogismum inter argumenta probabilia, sed loquitur de syllogismo prout fit in materia probabili, ita ergo eam inductionem, quę in materia probabili, solùm probabilitatem inducit, constituit inter argumenta topica. Reliqua quæ adducit pro se prima sententia, vel probant huiusmodi principia non posse à priori demonstrari, quod nos libenter fatemur, vel loquantur de principijs vniuersalissimis primi, & secundi generis.

Hîc dubitari posset, quomodo principia hæc dicantur naturaliter cognosci, habitusquè illorum naturalis dicatur ab omnibus? De quo multa differit Paulus Vallius, quæ metaphisici muneris potius, quàm logici sunt. Breuiter solùm dico, hunc habitum non ideò naturalem dici, quia sit congenitus ipsi naturæ, & nullatenus acquisitus, alioquin enim omnibꝰ semper inesset, omnesquè illo certè, & euidenter operarẽtur circa principiorum notitiam, quod falsum esse, experientia dictat, dicuntur ergo naturaliter cognosci huiusmodi principia, eo quod intellectus naturali quadam applicatione ad intelligibile assentitur illis ex se, & sine dependentia essentiali ab aliquibus præmissis; hoc est, determinatur potẽtia ad illorum assensum ex sua intrinseca natura, & non ex alijs præuijs actibus intellectus, essentialiter loquẽdo. Quod non tollit quod ad remotionem impedimentorum, per accidens aliqua supponantur, & habitus ipse ad rectum, & expeditum vsum talis facultatis.



AR-

ARTIC. II.

Vtrùm præmissæ sint causæ cōclusionis, vel solum conditio per se requisita?

QVidam iuniores solas præmissas obiectiuas docent causas cōclusionis esse, præmissas vero formales, id est, actus intellectus, quibus iudicamus extremitates obiectiuas vniri, vel non vniri cum medio, esse conditiones, sine quibus non respectu conclusionis. Fundamentum eorum est, quia hi actus tantum concurrunt repræsentando intellectui principia obiectiua, ex quibus adæquatè, & sufficienter moueri potest intellectus ad assensum conclusionis, seclusa quacumquè virtute motiua, & causatiua actuum: ergo superfluum est aliud genus causalitatis illis tribuere, præter rationem conditionis sine qua non. Patet consequentia, quia si in præmissis obiectiuis saluatur sufficiens virtus motiua, & determinatiua, superflua est alia virtus in promissis formalibus, tantumquè deseruient, vt conditio applicans. Antecedens probatur tùm, quia intellectus ad assensum conclusionis tantùm indiget causa quadam mouente, & determinante eius indifferentiam ad hoc iudicium potius quā aliud, ad quod certè sufficiunt præmissæ obiectiuæ, si debitè applicentur, & approximentur intellectui, nam ex hoc obiecto, *omnis homo est animal*, *Petrus est homo* approximato, sufficienter determinatur intellectus ad assensum huius: *ergo Petrus est animal*: tùm etiā à simili de apprehensione boni; bonum namquè dicitur adæquata ratio motiua respectu voluntatis; appræhensio vero illius tantùm conditio applicans tale bonum, sine qua mouere non posset. Similiter respectu Fidei Diuinæ, Diuina authoritas testificās est ratio formalis sufficienter motiua, & specificatiua assensus fidei, propositio autem talis authoritatis est conditio approximans talem rationem motiuam: ergo eadem ratione præmissæ, vel antecedēs obiectiuum erit ratio motiua, & causa conclusionis, & præmissæ formales, quæ non efficiunt aliud, quam repræsentare & approximare intellectui talia obiecta, erunt conditio sine qua non.

Nihilominus cum communi sententia asserendum est; non solum præmissas obiectiuas, sed etiam formales esse causam conclusionis, ita est expressa Arist. & S. Thomæ sententia. Aristot. enim præmissas dicit esse causam conclusionis. Rursus initio *2. physic. tex. 31. & 89. & 5. metaphys. tex. 2.*

Poster. omnem doctrinam asserit fieri ex præexistenti cognitione. Particula enim *ex* & *fit* causalitatem manifestè significant. Item in eodem loco ait, cōclusionem virtute contineri in præmissis, quem modum loquendi sæpè omnes vsurpant, sed virtute cōtinere aliquid, proprium est causæ respectu sui effectus, ergo &c.

D. Thom. autem satis expressè docuit hanc veritatem *lect.* 3. super hunc locum *Arist.* & *1. p. q. 14. art. 7.* & 2. sæpè asserit intentionem finis ita esse motiuū, & causā respectu electionis mediorū, sicut principia sunt causæ respectu conclusionis, & 2. 2. q. 1. æquiparant principijs demonstrations veracitatem Dei, nimirum, quod ita sit ratio motiua, & specificatiua assensus fidei, sicut sunt præmissę respectu conclusionis.

Tertiò ratione probatur, quia ratio discursus, q. 1. explicata cōsistit essentialiter in hoc, quod cognitio vnius ex cognitione alterius causetur, & efficiatur; vt patet ex definitionibus adductis, & ex æthymologia nominis, qui significat trāsitū, & processum secundùm causalitatem ex vna cognitione ad alterā: ergo cognitio conclusionis ex cognitione pręmissarum tamquam ex causa deducitur.

Confirmatur: quia vnā cognitionem quomodocumq; alterā antecedere, nō satis est ad discursum: nam simplices appræhensiones antecedūt iudicium, illi præsentantes obiectum, & nihilominus iudicat tunc intellectus nō discurrens. Similiter Diuina Authoritas proponitur prius fideli, & obiectum reuelatum ab ea, & tamen fidelis tunc assentitur per fidē sine discursu, vt latius dicitur materia de Fide; cuius ratio non alia est, nisi quod præcognitio diuinæ authoritatis non est antecedens vt causa, sed solùm vt conditio: ergo aliquid amplius requiritur ad discursum, sc. quod cognitio pręmissarum verè causa conclusionis sit.

Secundò vrgentius hoc confirmo, quia si sola præmissa obiectiua esset causa sufficiens cōclusionis, & præcognitio illius solùm conditio, in Deo & Angelis esset propriè discursus; hoc est planè falsum: ergo etiam id ex quo sequitur. Probatur sequela; quia præmissa obiectiua solū esset causa, vt intētionaliter mouens intellectum ad notitiā obiecti conclusionis; quia non aliter obiectū, vt præcognitum potest esse causa cognitionis alterius; sed Deus hoc modo ex sua omnipotētia, vt præcognita mouetur ad agnoscēdas creaturas posibiles, ita vt hæc causalis sit vera, ideo Deus cognoscit creaturas; quia intelligit se ipsum, & non è contra. Et similiter Angelus

gelus dicitur Deum cognoscere per suã substantiã, à qua vt præcognita intẽtionaliter mouetur, vt suam causam cognoscat: ergo in Deo, & Angelis esset propria ratio discursus.

Neq; valet dicere, quòd in Deo non est distinctio actuum, quæ requiritur ad discursum. Contra. hoc enim est, quod idcirco actuũ distinctio exigitur essentialiter: quia vnus est causa alterius, & nihil potest esse causa sui ipsius; si autẽ cognitio solùm se habet, vt conditio applicans obiectum motiuum, & obiectum solũ intẽtionaliter, seu obiectiuè causans, totũ hoc eodem actu reali diuersimodè considerato præstari potest, sicut hoc modo actus volũtatis diuinę pẽdet ex sciẽtia obiecti voliti absq; vlla distinctione, & prioritate reali inter vtrũquè: ergo aliquid amplius ad discursum requiri, vel Deo cõuenire dicendum est.

Quartò: quia quãdo vnus actus dat speciẽ alteri, est causa illius, & nõ cõditio: sed premissæ formales dant essentiã specificã, & variant conclusionẽ. quia semper propter hoc conclusio proportionatur præmissis, vt sit euidens, quãdo præmissæ sunt euidentes, & probabilis, quando tãtũ sunt probabiles, ergo. Itẽ ratio propter quã præmissę formales semper sunt certiores, & perfectiores cõclusione nõ est alia, nisi quia sunt causa assensus cõclusionis: & propter quod, & vnumquodq; tale, illud magis: si autem solũ essent conditio sine qua non, possent esse incertiores, & imperfectiores assensu conclusionis, sicut actus Fidei diuinæ in adultis, qui conuertuntur, dependet tamquã cõditione à propositione Fidei facta per parochum, vel prædicatorem, & ab assensu fidei humanæ, quo ipse credit homini sic proponenti, qui debilior, & incertior est.

Neq; exempla opposita sunt similia: nã apprehensio boni supponit in bonitate apprehensa sufficientem appetibilitatẽ, ratione cuius mouet; & tota ratio, propter quam volũtas elligit media, est propter consecutionem finis, non verò propter apprehensionem finis, vt patet: quia talis apprehensio cum supponatur iam in re facta, non potest causari à medijs, vel aliquo modo pendere ab ipsis. Hæc, & alia indicia, *traduntur lib. 2. phis. & 1. 2. q. de vlt fin.* quę locum non habẽt in præsenti. Ad secũdum respondetur testificationem primæ veritatis æquipararı à S. Thoma citato principijs; non verò propositionem talis testificationis, hæc enim supponit virtutem sufficienter motiuam in diuina veracitate: quia propter eam solũ credit intellectus, de quo latè Theologi.

Ad fundamentum iam oppositæ sententiæ facilè respondeo:

quod licet obiecta præmissarū sufficiéter moueát intellectum ad notitiam obiecti conclusionis, non mouebunt ad cognitionem formaliter discursiuam nisi ratione actuū formalium, sed ad aliud genus cognitionis, sicut omnipotentia præcognita à Deo sufficiéter mouet ipsum, vt creaturas cognoscat, sed non vt modo discursiuo cognoscat, sed alio simplici genere cognitionis; quod est maximè notandū.

ARTIC. III.

In quo genere causæ præmissæ formales ad assensum conclusionis concurrant?

SVpposito ergo, aliquā esse causalitatem præmissarum, dubitamus nunc, quænam illa sit? Et quidem concurrere premissas aliquo modo in genere causæ materialis docuit. S. Tho. quod non est intelligendū quod assensus cōclusionis realiter cōponatur ex premissis tam quam ex materia *ex qua*, nā est simplex qualitas expers omnis compositionis, vt supra dixi, sed solū in eo sensu verum est, quod supra diximus. *disp. 1. sect. 2.* de obiecto logicæ, conceptus esse materiā ex qua formatur, & cōponitur modus sciendi, siuè talis compositio sit realis, siuè tantùm formalis, & per rationem: sic ergo cōclusio cōponitur per rationem ex terminis præmissarum nimirum ex maiori, & minori extremitate, ad eū modū, quo ex farina aliquantulum immutata panis efficitur.

2. physic. lect. 5.

Deinde, quod nō concurrāt in genere causæ finalis, certissimū est, cū potius præmissæ ordinentur ad cōclusioné tamquā ad finé. Tota ergo difficultas est, an cōcurrant in genere causæ efficientis, & formalis? Quare secūdò dicédū est, neq; præmissas formales, neq; obiectiuas efficiéter physicè ad cōclusioné cōcurrere. De præmissis obiectiuis res est clara; quia illæ sæpè sunt ens rationis, aut negatio, sępè ens possibile, & non existés: sæpè aliquod corporeum, & nō spirituale: quę omnia habere nequeunt verum influxū realem, in cognitioné realé, & spiritualé.

De formalibus verò probatur hac ratione: quia non sunt multiplicanda principia absquè necessitate vlla, sed nulla est ad hoc, vt præmissæ influant in cō clusioné tamquā causæ efficientes, ergo. Probatur minor: quia intellectus cū specie est sufficiés causa productiua cōclusionis, sicut & cuiuslibet alterius actus, neq; enim maior est difficultas ad conclusionem, quàm ad alios actus producendos: ergo talis influxus physicus, & effectiuus prę missarum nō est necessarius.

Con-

Confirmatur primò quia ad assensum cõclusionis solùm potest intellectus indigere aliquo determinatiuo, quo eius indifferentia terminetur ad hanc cognitionem potius quam ad aliã. Sed sufficienter determinari potest intellectus à præmissis, sine eo quod fingamus in illis concursum aliquẽ effectiuum: ergo. Probatur minor: quia cognitio causæ necessariò mouet intellectum ad cognitionẽ effectus, & cognitio vnius relatiui ad cognitionem alterius: & simplices apprehensiones ad actum iudicij, sine hoc quod posteriores cognitiones physicè causentur à prioribus: ergo talis causalitas effectiua necessaria non est in præmissis.

Dico tertiò. Præmissæ concurrunt ad conclusionem in genere causæ, solùm determinantis extrinsecè; quatenus intellectum indifferentem ad cognoscendum aliquid extrinsecè mouent, repræsentãdo illi aliud obiectum, habens cum illis necessariam connexionem à parte rei; nam propter hanc connexionem cognito vno, tendit in cognitionem alterius, quasi volens explicitè cognoscere, quod antea virtualiter, & implicitè cognoscebat in antecedenti: qui modus determinationis valde diuersus est ab eo, quo species intentionales determinant intellectum possibilem, & phantasmata determinant intellectũ agentem; nam hæ sunt determinationes quædam physicæ, quibus causæ efficientes particulares subordinatæ causis vniuersalibus inoperando dicuntur eas determinare: determinatio autem de qua loquimur in præsenti est valde diuersæ rationis, ad modum quo causa moralis consulens, vel rogans, vel quomodolibet proponens moraliter inducit, & ad modum quo causa exemplaris dirigens, vel finis appræhensus intẽtionaliter mouent.

Ex quo vlterius colligitur huiusmodi determinationẽ pręmissarum reduci posse ad genus causæ efficientis, ita docet S. Thom. 2. *phys. lect.* 5. vbi sic scribit. *Principia seu præmissæ quantùm ad vim illatiuam ipsarum reducuntur, ad hoc genus causæ, s. efficientis*, de quo ibi agit. Et primò cõtra Gẽt. *c.* 57. *ratione* 4. *ait. Principia esse quodammodo causam efficientẽ conclusionis*. Vbi bene notat Ferrar. non fuisse dictum à S. Tho. principia esse causam simpliciter efficientem, sed esse quodammodo causam, quia nõ sunt causæ verè, & propriè efficientes, sed quia causam efficientem ad operandum determinant, nã ratio vltimò determinans causam efficientem, reducitur ad genus illius; vt patet ex exemplis positis.

QVAESTIO. VLT.

Quid sit forma syllogistica, & quibus principijs nitatur, aut regulis.

ARTIC. I.

OBseruandum igitur est: primò, syllogismum constare materia, & forma. Materia syllogismi est duplex. Alia proxima, quę sunt, tres propositiones ex quibus conflatur, quarum prior, vt dixi, appellatur maior. Secunda minor. Tertia conclusio. Alia est remota, quæ sunt termini, ex quibus componuntur propositiones syllogismi. Totus autem syllogismus ex tribus tantùm terminis cõstare debet: quia si plures essent, nihil concluderent (vt postea declarabo:) & si pauciores, conclusio non esset actus diuersus ab antecedente. Cum ergo sint tres termini, & tres propositiones, aliquis terminorum est repetendus. Ille igitur, qui repetitur in maiori, & minori, appellatur medium: quia cum illo vniuntur alij duo termini extremi, & qui vnitur cũ medio in maiori, dicitur maior extremitas, qui verò vnitur cum medio in minori, dicitur minor extremitas. Vtraquè extremitas repetituriterum in conclusione, v. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal. Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* *Homo* est medium: quia ponitur in maiori, & minori, & maior extremitas est *animal* in maiori expressum. Et minor est *Petrus*, vnaq; de altera prædicatur in conclusione. Ideò enim conclusio complexio vocari solet, quia est vtriusquè extremitatis coniunctio.

Forma syllogismi est debita dispositio triũ propositionũ in modo, & figura. Est autem figura syllogismi (sumpta metaphora ex artificiosa forma, aut figura domus, vel cuiuslibet entis artificialis) certa quędam dispositio medij cum extremitatibus, secundùm debitam subiectionẽ, & prædicationem .s. quod medium, sit in vtraquè præmissa subiectum, vel prædicatum, vel in vna subiectum, & in altera prædicatum. Modus verò est debita dispositio præmissarum, secundùm quantitatem, & qualitatem, id est, quod vtraquè, vel altera præmissarum sit vniuersalis, vel particularis, affirmatiua, vel negatiua.

Vt autem hęc debita dispositio in modo, & figura, quam postulat rectitudo formæ syllogisticę, ab omnibus discernatur, quædam regulæ generales breuiter obseruandæ sunt pro omnibus

nibus syllogismis, omissa prolixitate, qua multi communiter plures regulas sine probatione multiplicant, ex quo fastidium potius oritur, quàm vtilitas, & cum non habeatur scientia, & demonstratio de illis, sed tantùm Fides humana, facile obliuioni traduntur, ignoraturquè tàndem præcipua pars logicæ, potissimumquè fundamentũ totius artis syllogisticæ.

Fundamentum pro syllogismis affirmatiuis declaratur.

Est igitur aduertendum, duplex principium, seu fundamentum, quibus nituntur omnes syllogismi rectè dispositi, & bonę illationis. Primum est pro syllogismis affimatiuis, quorum conclusio est affirmatiua, nimirum *quotiescumquè duo aliqua extrema sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, id est, quoties intellectus iudicat, & aduertit duo aliqua extrema vniri cum aliquo medio, quod sit in se perfectè vnum, potest ex illis inferre in conclusione vtrumquè extremum inter se, vnitum esse, & consequenter vnum de alio prędicare, seruatis regulis requisitis ad formalem, & directam prædicationem.

Ratio huius est clara: quia tota ratio discursus consistit in hoc, quod ex cognitione vnius veritatis moueatur intellectus ad notitiam alterius, cum qua habet per se, & necessariam connexionẽ à parte rei, sed identitas duorum extremorum cum vno tertio, habet necessariam connexionem cum identitate eorumdem inter se, ita vt vnum sine altero esse minimè possit: ergo omnis syllogismus, qui ex identitate duarum extremitatum cũ medio infert in conclusione identitatem earum inter se, prædicando vnam de alia, est rectus, & iuxta regulas Logicæ.

Minor patet: quia vel est sermo de identitate reali, quæ sufficit ad prædicationem identicam, & sic manifestum est saltem in creaturis, quod quidquid identificatur cum aliquo tertio, debet etiam identificari cum omni eo, cum quo identificatur tale tertium, & consequenter cum alio extremo: nam identitas realis nihil aliud est, quam vnum esse aliud à parte rei: ergo si vtrumq; extremum idem est quod medium, sicut medium non distinguitur à se ipso, ita nec duo extrema distinguentur nisi sola ratione ratiocinata: sed ex hac sola identitate reali solùm potest inferri conclusio identica.

Inferretur autem formalis, si consideretur identitas rationis, quam habent eadem extrema cum vno tertio in ratione prædicati, aut subiecti, ita vt sint eadem cum illo prædicatione,

image
not
available

de altero negari debet in conclusione. Patet certitudo huius ex dictis: quia si ex puris affirmatiuis tantùm sequitur conclusio affirmatiua; & ex puris negatiuis nihil sequitur: restat, quod cōclusio negatiua ex vna præmissa affirmatiua, & ex alia negatiua necessariò inferatur. Præterea, quando vnum extremum est realiter idem cum medio, à parte rei non est aliud quam ipsum medium: ergo distinguitur realiter ab omni eo, à quo re differt ipsum medium, & consequenter ab alio extremo, quod realiter distinctum à medio supponitur: alioquin esset idem, & non idem cum medio.

Ex quo patet ratio alterius regulæ generalis, quod si aliqua præmissa est negatiua, conclusio debet esse negatiua, & sequi semper debiliorem partem. Ratio enim sumitur ex principio adducto.

Duplex aliud principium exponitur, s. dici de omni, & dici de nullo.

Ad hæc duo vniuersalissima principia reducuntur duo alia, quæ principaliter Aristoteles inuenit pro arte syllogistica, s. *dici de omni*, quod deseruit syllogismis affirmatiuis, & *dici de nullo*, quod negatiuis seruit. Sensus primi est: quod quando aliquod prædicatum affirmatur vniuersaliter de aliquo subiecto, debet etiam consequenter affirmari de omni cōtento sub tali subiecto. Vt si sentire affirmetur de omni animali, consequens est ꝙ affirmetur de homine, equo, &c. Sēsus secūdi estꝙ si aliquod prædicatum negatur vniuersaliter de aliquo subiecto, debet etiam negari, de omni contento sub tali subiecto. v.g. si lapis negatur de animali, debet consequenter negari de homine, & equo: quia sicut sensibilitas dicitur immediatè de animali, & mediante ipso descendit ad inferiora illius, sic negatio, s. insensibilitas, immediatè conuenit enti inanimato, & negatur de animali, & mediante illo de eius speciebus.

Solùm potest esse diuersitas, quod hæc posteriora principia solùm videntur deseruire syllogismis de subiecto communi, & non syllogismis expositorijs de subiecto singulari: sed etiam ad illos adaptari, & extēdi possunt, si illæ particulæ *de omni*, & *de nullo* latè sumantur, in hoc sensu; quod quidquid dicitur de aliquo subiecto siuè singulari, siuè vniuersali, dicatur etiam de omni eo, quod continetur sub tali subiecto, siuè tamquàm pars actualis contineatur, vt contingit in singularibus: siuè tamquàm pars potentialis, vt in vniuersalibus. Et sic proportionabiliter declaranda est particula *de nullo*.

ARTIC. II.

Regulæ, seu conditiones obseruãdæ vt dicta principia omni materiæ applicari possint.

QVamuis ista principia teneãt infallibiliter in omni materia, & syllogismus tali dispositione formatus eo ipso sit legitimus, & bonæ illationis, nihilominus non est facilè applicare hanc formam cuilibet materiæ, ideoquè aliquæ conditiones obseruandæ sunt, vt debitè applicari posśit, & vt inter verã, & apparentem formã intellectus valeat discernere.

Prima cõditio est, quod vtraquè præmissa non sit negatiua: quam explicui præcedenti articulo. Secunda: quod vtraq; præmissa non sit particularis, dicitur enim communiter, quod *ex puris particularibus nihil sequitur*, v.g. *aliquod animal volat, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo volat*. Ratio est, quia medium. s. *animal* non est simpliciter vnum, sed plures realiter in extremitatibus, eo quod particulares contrahunt, & diuidunt rationem communem, & id circo lędunt primum principium; *quæ sunt eadem vni tertio, &c.* & similiter secundum *dici de omni*. Vt patet, quia non de omni animali, sed de aliquo volatus exprimitur.

Tertia conditio est, quod nec medium nec præmissæ in syllogismo accipiãtur æquiuocè, nec varietur suppositio, & appellatio terminorum, alioquin syllogismus non erit in tribus terminis, ac proinde nec poterit seruari recta dispositio duorum cum vno tertio.

Quarta conditio: quod mediũ sub ratione medij nõ ingrediatur cõclusionem, vt si dicas: *omnis homo est animal. Petrus est homo, ergo aliquod animal est homo*, qui reuera non est syllogismus, sed enthimema: nam ex sola maiori per conuersionẽ sequitur conclusio, & illa minor formaliter loquendo, reuera minor non est. Dixi *sub ratione medij*: quia sub ratione extremitatis, vel vt seruetur aliqua proprietas logicalis, aut tollatur æquiuocatio, poterit medium intrare cõclusionẽ. Vt si dicas: *Petrus est veniens, cognosco Petrũ*, non benè inferretur: *ergo cognosco venientem*, sed ista: *ergo cognosco Petrum, qui venit*.

Quinta conditio est, quod conclusio sequatur debiliorem partem, quam etiam præcedenti articulo exposui, nimirum quod si altera præmissarũ sit negatiua, conclusio necessariò debeat esse negatiua; nam affirmatio vtriusq; extremi in cõclusione, nõ nisi ex affirmatione vtriusq; in

in præmissis cum medio, inferri potest. Similiter quando aliqua ex præmissis est particularis, cõclusio est particularis: nam sequitur debiliorem partẽ in quantitate, sicut in qualitate. Cuius est eadẽ proportionabilis ratio: quia sicut præmissa negatiua distinguit totaliter vnum extremũ à medio, & inde infert talẽ distinctionem, & negationem in cõsequenti respectu alterius extremi medio identificati, sic prę missa particularis distinguit extremum à medio, vt partẽ à toto potentiali, & infert eandem distinctionem in consequenti, ac proinde particularem.

Sexta regula est, quod mediũ distribuatur complete in aliqua pręmissarũ, & nõ accipiatur pro pluribus, vbi non distribuitur, ac vbi distribuitur. Quæ regula cũ cæteris ad vnã solã reducũtur, quod mediũ, seu tertium sit simpliciter, & perfectè vnum, & quod extremitates sint omnino eędẽ in cõclusione, & in præmissis, vt omnino illęsa maneãt principia tradita, possintq; esse fundamentũ omniũ syllogismorũ, vt patet discurrenti per omnes syllogismos defectuosos. Cuiuslibet enim defectus oritur, vel ex eo, quod mediũ nõ sit simpliciter, & perfectè vnũ, ratione cuius syllogismus est in quatuor, vel pluribus terminis: vel ex eo quod nõ seruatur identitas extremorum in præmissis, & in conclusione.

Regulæ pro distributione obseruandæ.

Sed quia tota difficultas est in distributione terminorum facienda, vel cognoscenda, hæc duplex generalis, & inuiolata regula præ oculis est tenenda. Prima est, *à superiori distributo affirmatiuè, vel negatiuè est bona consequentia ad inferius, secùs verò à superiori non distributo.* Secunda regula est è conuerso, *ab inferiori ad superius non distributum est bona consequentia: mala verò, ad superius distributum.*

Pro quo nota, quod ly *A.* vel *ab* denotat antecedens, & ly *Ad* consequens. Cum ergo distributum, & non distributum sint opposita, eo ipso quod antecedẽs, vel consequens benè se habebat cum distributo, malè se habebit cũ nõ distributo, & è contra. Ratio primæ regulæ omnibus nota est generali inductione: hæc enim consequentia, & omnes similis formæ communiter reijciuntur, *est animal, ergo est homo*, quia potest esse equus, vel leo. Ista autem est bona: *omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal.* Cuius discriminis non est alia ratio, nisi quia hîc proceditur à superiori distributo, ibi autem à superiori nõ distributo, superius autem vt distributum iam consideratur vt restrictum vel contractum ad aliquod deter-

determinatum inferius, & idcirco potest prædicari de illo: At si consideretur prout abstractum ante omnem distributionem, & contractionem, non est determinatè hoc, vel illud inferius, sed indifferens, & indeterminatum ad plura opposita.

Ratio secundæ regulæ est facilis: nam ab inferiori ad superius non distributum semper consequẽtia est bona v.g. est Petrus, ergo est homo, quia omnia inferiora in tali ratione superiori conueniunt, eamquè actu, & determinatè includunt, non autem è contra; ratio superior ea includit, sed includitur, vt dictum est, ergo ab inferiori ad superius distributum, cum iam sit contractum ad vnum, non est bona consequentia ratione formæ: sed tantùm potest fieri per accidens, & ratione materię bona, quando contingit argumentationem fieri ab eo inferiori, in quo est contractum, & distributum superius, secùs verò si ab alio inferiori opposito discursus procedat.

Triplex alia regula ex dictis colligitur.

Ex dictis aliæ inferuntur pro veritate, & necessitate consequentis. Prima est: in bona consequentia, si antecedens est verum, consequens necessariò debet esse verum; sed si antecedẽs est falsum, consequens interdum potest esse verum, & aliquando falsum. Cuius ratio discriminis est. quia quando propositio est vera, prædicatum, & omnes gradus superiores, quæ includuntur in prædicato, debent conuenire subiecto, & ex defectu vnius tantùm, erit propositio absolutè falsa, quia bonum *ex integra causa, malum verò ex quocumquè defectu*, ac proinde omnia prædicata illata debent esse vera, quia quod reuera est a parte rei, non potest habere necessariam connexionem in ratione obiecti cum eo quod non est.

At verò quando antecedens est falsum, ex eo quod prædicatũ non conueniat subiecto, quantum ad aliquam rationem specificam illius: potest nihilominus illi verè conuenire quantum ad gradus communes, & superiores, quæ includuntur in tali prędicato, ex quibus gradibus superioribus deduci possunt prædicata vera, v.g. in hac propositione: *Petrus est equs*, etsi prædicatum non conueniat subiecto quantum ad ratiõne in specificã equinitatis, conuenit tamen ei quantùm ad rationes genericas substantiæ viuentis, & animalis, atquè adeò ex illo in quantùm substantia est, potest inferri esse ens per se: & in quantùm viuẽs, esse principium operationum vitalium; & in quantùm animal esse sensibile: quæ prædicata sunt

vera,

vera, quia deducuntur ex antecedente nõ quãtum ad id, quod habet falsitatis, sed solùm quantùm ad id quod importat veritatis, & simpliciter absolutè dicatur falsum, quia malum, vt dixi, prouenit ex quocumquè defectu.

Ex hac regula colligitur primò, quod si antecedens est possibile & necessarium, consequẽs in bona cõseq. debeat possibile, & necessariũ, non verò è contra, si antecedens est impossibile, vel contingens: consequens necessario debet esse impossibile, aut contingens, sed potest esse aliquando possibile, vel necessariũ. Cuius ratio est eadem, quia s. in prædicato, quod est impossibile quantùm ad rationem aliquam specificam, potest esse veritas, & possibilitas quantum ad rationes aliquas superiores, & genericas, quæ includuntur in tali prædicato: at verò prędicatum possibile quoad omnia debet esse possibile, ac proinde nihil importat, vnde deduci possit aliquod impossibile, alioquin daretur antecedens verũm, & consequens falsum. Ex quo patet quomodo intelligẽdum sit commune illud axioma: *ex impossibili sequitur quodlibet*, sensus enim illius est, quod ex impossibili deduci potest necessarium contingens possibile, & impossibile.

Similiter ex antecedenti necessario non potest sequi consequens contingens in bona cõsequentia, quia antecedens necessarium semper est verum, consequens autem contingens aliquando potest esse falsum, ac proinde ex antecedẽte vero posset sequi consequẽs falsum, quod nunquam est concedendum. benè tamen ex contingenti potest inferri necessarium, quia contingens ex suppositione quod est, non potest non esse, ac per consequens de illo possunt verificari prædicata multa necessaria ex tali suppositione, s. *ex suppositione quod Petrus currat, necessariò mouetur: ex suppositione quod voluit aliquid, iam non potest illud non voluisse, &c.*

Sed dices contra: hęc est bona conseq. *homo est animal ergo animal est homo*, & tamen antecedens est necessarium, & consequens contingens: nam animali accidit, quod sit homo, vel equus, ergo regula posita est falsa.

Sed respondetur primò, conclusionem illam non esse directam, & naturalem, sed preternaturalem, & monstruosam, ac proinde nihil mirum, quod in ea non teneat regula, sed solùm in consequentia vndequaquè bona sit vera.

Secundò respondetur, consequens illud, aut posse considerari absolutè, aut quatenus sequitur ex illo antecedẽti. Primò modo

modo accidentalis est illa propositio: sed secundo modo est necessaria, quia accipitur animal, prout contractum ad hominem, & sic, & non aliter est bona consequentia.

Secunda regula: in bona consequentia omne quod sequitur ex consequenti, sequitur ex antecedenti, vt in hac: *Petrus est homo ergo Petrus est animal*: omne quod sequitur ad esse animal, sequitur ad esse hominem, v.g. esse viuens, sensibile, corpus substátia. Ratio est clara: quia sic arguitur, vel à superiori distributo ad inferius, vel ab inferiori ad superius non distributum. Præterea: quia quod est causa causæ, saltem mediatè potest esse causa causati, ac subinde quidquid ex consequenti tamquàm ex causa, vel præmissis sequitur. Sequitur etiam ex antecedentis illius.

Tertia regula est: ex opposito consequentis potest bene inferri oppositum antecedentis, & non è conuerso: ex opposito antecedentis oppositum consequẽtis. V.g. in hac consequentia: *Petrus est homo, ergo est animal*. benè colligitur *Petrus non est animal, ergo non est homo*, nó autem è contra, *Petrus non est homo, ergo non est animal*, quia potest esse equs, vel leo: nam ex negatione prædicati inferioris non sequitur remotio superioris: benè autem è contra. Sed hæc regula, quia difficilè animaduerti potest postulatq; attentam reflexionem, non est in vsu, nec necessaria, cum satis sint regulæ positæ ad discernendã bonitatẽ consequentiç. Si enim oppositũ consequentis sit superius distributum respectu oppositi antecedentis, erit optima consequẽtia, vel si è contra se habeant, vt inferius ad superius non distributum, aliter verò non.

ARTIC. III.

Vbi quotuplex sit modus, & figura syllogismorũ declaratur.

VT autem iuxta principia dicta facilè discerni possint, omnes modi vtiles, & inutiles, recti, & vitiosi syllogismorũ, ac figurç omnes, quas habere possunt, hæc carmina artifitiosa inuẽta sunt, in quibus omnes syllogismi de subiecto communi rectè dispositi comprehenduntur. Syllogismi autẽ expositorij de subiecto singulari, quia scientijs communiter nó deseruiunt, omittũtur hîc, agit tamẽ de illis philosoph. *c. 1. prio.*

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, baroco, Darapti.
Felaptõ, Dissamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Ad

Ad quorum intelligentiam aduerto; quod in singulis harum dictionum reperiuntur saltem tres syllabæ, quarum prima denotat maiorem: secunda minorem, & tertia conclusionem. Vnde si plures aliæ inueniantur syllabæ, vt *in Baralipton*, & *frisesomorum* quarta, & quinta nihil significant, sed ponuntur gratia carminis. Præterea in his dictionibus solùm reperiuntur hæ literæ vocales *A. E. I. O.* *A*. denotat vniuersalem affirmatiuam, *E*. vniuersalem negatiuã, *I*. particularem affirmatiuam, & *O*. particularem negatiuam.

Triplex autẽ est figura, quia tribus tantum modis disponi possunt media, & extremitates. Nam, vel medium est subiectũ in maiori, & prædicatum in minori, & sic vocatur prima figura propter tria. Primò, quia medium in hac dispositione non solùm habet rationem medij, quia per illud coniunguntur extremitates, sed etiam habet proprium situm medio debitum, quia participat aliquid vtriusq; extremi, cum sit inter extremitates collocatum, ita vt sit subiectum vnius, & prædicatum alterius. Secundò: quia hæc figura est perfectissima omnium, ex illaquè deriuantur aliæ, ad illamquè reducũtur tamquàm ad regulam, & exemplar euidẽtis consequentiæ, qua discernitur omnis alia, an sit perfectę illationis, vt parebit postea. Tertiò, quia in hac figura, vt ait Aristot. monstrantur omnia problemata, & omne genus propositionis colligitur, nempe vniuersalis affirmatiua, vniuersalis negatiua, particularis affirmatiua, & particularis negatiua, quod non contingit in alij figuris: nam in secunda solum deducitur conclusio negatiua, & in tertia nulla vniuersalis, sed tantum particularis concluditur, vt videbimus.

Secunda figura est, in qua medium prædicatur in vtraquè præmissa. Et tertia, in qua medium subijcitur. Cuius ratio cõgruens est, quia prædicatum est nobilius subiecto, & ideò nobiliorem rationem, & locum habet medium, & nobilior ex consequenti est dispositio, in qua est prædicatum, ac illa in qua est subiectum.

An autem pręter tres figuras assignatas alia quarta addenda sit, est controuersum inter philosophos. Quidam tenuerũt aliam quartam esse, quæ communiter Galeno tribuitur: quorum fundamentum est, quia figura est debita dispositio medij, & extremitatum secundùm debitam subiectionem, & prædicationem, sed pręter tres modos assignatos est possibilis quartus ab eis diuersus, ergo constituetur per illum quarta figura. Minor probatur, quia dispositio

primæ

primæ figuræ est in qua medium est subiectum maioris, & prædicatum minoris. Dispositio secundę, in qua medium est pręedicatum vtriusquè: & dispositio tertiæ, in qua vtriusquè subiectum est. Sed possunt quarto modo disponi, ita vt medium sit prædicatum maioris, & subiectū minoris, ex qua dispositione nō minus euidenter sequatur cōclusio, quam ex trib' prioribus: ergo resultabit quarta, & diuersa figura. Hæc minor probatur hoc exemplo: omne risibile est homo: omnis homo est animal rationale: ergo omne animal rationale est risibile.

Ad cuius maiorem intelligentiam aduerte: hāc figuram quartam non esse solam primam figuram, mutato ordine pręmissarum, ita vt minor ponatur loco maioris, & maior loco minoris (vt aliqui existimāt) quia in hac figura medium debet prædicari de maiori extremitate; & minori subijci, vt distinguatur ab omnibus alijs figuris: si autem solū transferantur præmissæ, semper medium subijcietur maiori, & prædicabitur de minori, quia maior extremitas non attenditur ex positione, aut situ præmissarum, eo solùm quod primò pronuntietur hæc vel illa, quod valde per accidens est actui discursiuo: soletquè etiam ipse Aristoteles in prolatione syllogismorum sæpè præmissas transponere, consistit ergo maior extremitas, in hoc quod in conclusione directè prædicetur, & minor in hoc, quod ex natura sua subijciatur.

Communnis tamen consensus totius scholæ cum Aristot. & S. Thom. tenet, tres tantum figuras esse, & non plures, nec pauciores, & ita nobis tenēdum est. Probaturquè hac ratione: figura propriè loquendo est dispositio, qua formaliter disponuntur propositiones secundùm modum naturalem, ac debitum formæ earum, quæ in eo consistit vt id, quod se habet vt forma, sit prædicatum, & quod se habet vt materia, sit subiectum, & quod maior extremitas sit vniuersalior quam medium, (si est illi inæqualis), & minor extremitas sit minus vniuersalis, ita vt contineatur sub medio. Quia nō ob aliam rationem medium habet rationem medij, nisi quia mediat inter prædicatum superius, & inferius (siuè superius dicatur, quia est vniuersalius, siuè quia est notius, & nobilius, eo q est prædicatum, & medium in illa propositione subiectum.) *Aristote.* *S. Thom.*

Ob hāc rationē nitūtur omnes syllogismi, siuè actualiter, siuè virtualiter his duob' principijs: dici de omni, & de nullo: quia omnis naturalis illatio in hoc cōsistit, quod quidquid dicitur, vel negatur de aliquo subiecto medio, dicatur, vel negetur de omni

conten-

contento sub illo; sed non possunt quarto illo modo disponi præmissæ, nisi inuertatur hæc debita & naturalis dispositio, ergo non datur quarta figura. Minor probatur discurrẽdo per syllogismos qui formari possũt ab aduersarijs. In exemplo adducto pro fundamento facilè patet, maiorem propositionem esse indirectam, & innaturalem. Rursus adduci solent hi duo.

Omnis homo est animal.
Omne animal est corpus.
Ergo aliquod corpus est homo.

Nullus homo est lapis.
Omnis lapis est corpus.
Ergo aliquod corpᵘˢ nõ est homo.

Ad primum enim. Dico esse cõtra debitam, & naturalem dispositionem formæ syllogisticæ, & cõtra principiũ illud *dici de omni*, quia corpus, quod est vniuersalius constituitur in minori, & homo collocatur in maiori, cũ sit inferius, de quo tam corpus, quàm animal prædicari debebant. Rursus naturalis conclusio, quam quis expectaret in eo syllogismo ex vi naturalis modi inferendi, & ex natura illius principij *dici de omni*, est: *omnis homo est corpus*, nam reuera syllogismus ille est in primo modo, primæ figuræ, & maior est antepofita minori, conclusio autem ibi polita: *aliquod corpus est homo*, non est primaria, & & immediata, sed mediata & secundaria: remotè enim & secundariò multæ aliæ conclusiones colligi possunt ex quolibet modo, & ideo quia per solam transmutationem præmissarum facillimè reduci possunt huiusmodi syllogismi quartæ figuræ ad primum, non est cur quarta multiplicetur. Idem proportionabiliter dico ad secundum syllogismum adductum.

ARTIC. IIII.

De forma syllogizandi in terminis singularibus.

POtest obijci contra dicta alia quarta, imo & quinta figura, nempe syllogismi expositorij, quem approbant Aristoteles, & communis schola; & etiam syllogismi constantis partim ex terminis singularibus, & partim ex vniuersalibus. Sicut enim *Darij* formatur ex maiori vniuersali, & minori, & conclusione particularibus, posset formari alia figura distincta ex maiori vniuersali, & minori & conclusione singularibus; diminutè ergo figurarum numerus explicatur.

Sed ad primum respondetur, Aristotelem tantùm ibi agere

de syllogismis de subiecto communi, quia principaliter scientijs deseruiũt, cum de singularibus scientia non detur, vt infra dicã. Preterea syllogismus ex solis singularibus constitutus non efficit quartam figuram, sed potest proportionabiliter in eius materia formari triplex figura syllogismorum de subiecto cõmuni.

Pro quo primò est obseruandum, esse maximam differentiam inter singulare & particulare. Singularitas enim est vltima rei determinatio, & ita singulare est determinatum indiuiduum cuiuslibet nature vniuersalis, vt *Petrus albedo &c.* Particularitas autẽ est vaga rei determinatio, & ita particulare est indiuiduum vaguum: vt *aliquis homo, aliqua albedo.* Et quia quælibet propositio cõstat subiecto, & prędicato, potest intelligi vtrumquè terminum sumi singulariter, vel particulariter: vt *hic homo est hoc animal; & aliquis homo est aliquod animal*, vel subiectum sumi singulariter, & prædicatum particulariter, aut è contra: vt *hic homo est aliquod animal, & aliquis homo est hoc animal.* Non enim ex eo quod alter terminus propositionis sit singularis, vel particularis, sequitur conterminũ eius esse particularẽ, vel singularem: sicut enim inter terminos vniuersales potest subiectũ distribui, prædicato non distributo, vt cũ dicimus: *omnis homo est animal*, quia tunc subiectum stat pro omni suo significato, pro quo etiam stat prædicatum, non tamen stat prædicatum pro omni suo significato: vt *omnis homo est omne animal*, ita inter terminos propositionis singularis potest fieri, quod subiectum supponat determinatè singulariter, & prædicatum vagè particulariter, aut è contra, vel quod vterquè supponat singulariter, aut vterquè vagè.

Sicut autem ad syllogizandũ in terminis vniuersalib' fiũt cõsequentiæ legitimæ ex perfecta distributione extremorum, & medij, illegitima verò ex imperfecta; ita potest intelligi quod sit legitima forma syllogizandi inter terminos particulares ex perfecta determinatione extremorum, & medij per singularitatem, illegitima verò ex vaga per particularitatem: quia per suppositionem vagam fit transitus ab vno ad aliud, & ita non sunt ijdem extremi cum medio in antecedenti, qui concluduntur inter se in consequenti: vt si dicas in prima figura: *aliquod animal est aliquod rationale, aliquis equs est aliquod animal; ergo aliquis equs est aliquod rationale.* Hac enim ratione supra dixi, ex puris particularibus nihil sequi; benè tamen ex puris singularibus determinatis, quia per suppositionem

nem determinatam nullus fit transitus, aut æquiuocatio, ita vt syllogismus stet pro pluribus, quam pro tribus terminis.

Secundò cõsiderandum est, quod licet de eodem indiuiduo prædicentur quinque vniuersalia, diuersimoda tamen est cuiuslibet habitudo ad indiuiduũ, quatenus quodlibet vniuersale diuersimodè prædicatur de vno indiuiduo, & diuersa consequenter est habitudo indiuidui ad quodlibet vniuersale, quatenus diuersimodè subijcitur eis. Et eâdem ratione diuersa est habitudo indiuidui ad vniuersalia singularizata: sicut enim aliter Petrus est animal, homo, rationalis, risibilis & albus, ita idem Petrus aliter est hoc animal, hic homo, hoc rationale, hoc risibile, & hoc album, quia Petrus est hoc animal in eo quodquid confusè: & hic homo determinatè, & hoc rationale in quale quid, & hoc risibile necessario accidentaliter, & hoc album mere contingenter.

Sicut autem indiuiduum cõparatur ad vniuersalia singularizata, vt ad prædicata, quæ sunt formaliter talia, ita possunt cõparari duo indiuidua ad vnum ex prædictis prædicatis, vt Petrus & Paulus ad hoc animal, hoc rationale, &c. Et idem indiuiduũ ad duo prædicata, vt Petrus ad hoc rationale & hoc risibile, &c. Et hac ratione possumus adaptare triplicem figurã terminis singularibus.

Vt si dicas in prima figura: *hic homo est hoc animal, Petrus est hic homo, ergo Petrus est hoc animal.* Et in secũda: *hic homo est hoc animal, Petrus est hoc animal ergo Petrus est hic homo.* Et in tertia. *Petrus est hic homo, Petrus est hoc animal, ergo hoc animal est hic homo.*

Sicut autẽ triplex figura potest adaptari terminis singularibus, ita possunt in eis fieri consequentiæ directæ: & indirectæ nõ est autẽ ita periudicialis, bonitati cõsequẽtiæ propositio in directa in syllogismo expositorio, sicut est in syllogismis de subiecto communi, eo quod subiectum & prædicatum in propositione singulari conuertuntur, estquè mutua consequentia ab vno ad aliud. s. *hoc album est hic homo.* In syllogismis de subiecto communi non est talis conuertibilitas, s. *animal est homo*, & ideo potest esse falsa in equo & leone: propter hoc ergo non est cur laboremus in discernendis consequentijs indirectis à directis, sicut fit in syllogismis de subiecto communi.

Præterea possunt disponi pręmissæ syllogismi expositorij secundùm qualitatem, sicut in syllogismis de subiecto communi, ita vt vtraquè sit affirmatiua: vel negatiua: vel maior

affirmatiua, & minor negatiua, & è contra. Possunt etiá proportionabiliter disponi secundùm quantitatem non cathegorematicam, quæ solùm inest terminis vniuersalibus, sed sinchategorematicam, vt explicui quæstione de oppositione, in particulis *Et* & *vel*; & in aduerbijs loci & temporis; & in modalibus, quæ modos significant vniuersales, & particulares, quibus res omnino singularis affici potest.

Deniquè ad secundum dubium initio articuli propositum. Respondeo, quod quando syllogismus constat ex maiori vniuersali, & minori, & conclusione singularibus, reducitur ad *Dary*, collocaturquè sub illo directè, quia nomine propositionis particularis, quoad præsens attinet, intelliguntur omnes non vniuersales, habentquè eundem omnino concludēdi modū: quamuis enim aliàs differant valde propositio de subiecto particulari, & singulari, vt notatum est, in casu præsenti sunt æquiualentes, possuntquè contineri sub eodem modo; quando autem fuerit aliqua disparitas, animaduertetur suo loco, vt dixi, quando vtraquè præmissa est particularis.

ARTIC. V.

Exponuntur in particulari modi vtiles primæ figuræ

Breuiter referam, quæ docuit Aristoteles de triplici hac figura, *c.4.5.& 6.* libri priorū. Pro prima figura sūt duæ regulæ generaliter obseruandæ. Prima est, quod maior semper sit vniuersalis, (quæ etiá notanda est pro secunda figura,) vnde quoties maior fuerit particularis, nihil concludet. Vt si dicas: *Aliquod animal est homo, omnis equus est animal: ergo aliquis equus est homo.*

Secūda regula, (quæ etiá deseruit tertię figurę) est quod minor sit semper affirmatiuā, & nū quā negatiua: alioquin dabitur antecedēs verū, & cōsequens falsum: in hoc v.g. *Omnis homo est animal, nullus equus est homo: ergo nullus equus est animal*; solùm in duobus modis primæ figuræ istæ duæ cōditiones nō seruātur, sed non sunt perfecti & directi.

Ex his regulis colliguntur in hac prima figura quatuor modi vtiles, & perfecti in quatuor primis dictionibus figurati. Duo affirmatiui, & duo negatiui, in quibus maior extremitas prædicatur de minori, & est euidens bonitas illationis. Fundātur syllogismi perfecti affirmatiui in dicto *de omni*: quia si maior extremitas affirmetur vniuersaliter de

de medio, affirmabitur etiam de omnibus sub illo contẽtis: nam mediũ in hac prima figura subijcitur, vt dixi, maiori extremitati, & prædicatur in minori de alio, hoc est de minori extremitate, quam subijcit eo ipso maiori extremitati in conclusione. Fundantur etiam isti duo syllogismi in fundamento illo: *quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*. Nam eo ipso, quod maior, & minor extremitas connectantur cum medio, vt subiectum illa, & vt prædicatũ, altera connectuntur eodem modo inter se in cõclusione. Exempla sunt, quæ sequuntur.

DE OMNI.

Primus.	Bar. *Omne rationale est risibile.*	Da- *Omnis homo est animal.*	**Tertius.**
	ba- *Omnis homo est rationalis.*	ri- *Petrus est homo.*	
	ra. *Ergo omnis homo est risibilis.*	j. *Ergo Petrus est animal.*	

Duo autem syllogismi negatiui innituntur in dicto *de nullo*: quia si aliquid vniuersaliter negatur de medio, negabitur etiam de omnibus sub illo contentis; de quibus medium affirmatur. Ex quo patet ratio quare minor semper debet esse affirmatiua: quia eo ipso, quod maior extremitas vniuersaliter negatur de medio, vt negetur etiam in cõclusione de omni contento sub illo, debet medium in minori affirmari de minori extremitate sub illo contenta. Quod amplius declaratur ex alio principio vniuersali, quod explicui articulo primo pro syllogismis negatiuis: nimirum: quod diuersitas duorum inter se, vel quod idem est, negatio vnius extremitatis de alia, non deducitur ex negatione, vel diuersitate vtriusquè ab vno tertio; quia ex puris negatiuis nihil sequitur, sed ex diuersitate vnius extremi à tertio, & ex identitate alterius cum ipso, hoc est, ex negatione vnius extremi, & affirmatione alterius. Quod autem negatio debeat esse in maiori, & affirmatio in minori, prouenit ex hoc, quod in hac prima figura maior semper debet esse vniuersalior, eo quod maior extremitas debet de minori prædicari, vt superior de inferiori, in dictis autem syllogismis negatiua est vniuersalior, quam affirmatiua: quia negatio est vniuersalis de medio, affirmatio autem est medij de hoc, vel illo inferiori, quæ eo ipso minus vniuersalis est. Vt patet exemplis.

DE NVLLO.

[Secund]us.	Ce- *Nullus lapis est animal.*	Fe- *Nullum animal est lapis.*	**Quartus.**
	la- *Omnis jaspis est lapis.*	ri- *Aliquis homo est animal.*	
	ré. *Ergo null' jaspis est animal.*	o. *Ergo aliquis homo nõ est lapis.*	

Præter hos auté quatuor modos directè, ac perfectè concludentes, omnes alij inutiles sunt: quia vel non concludunt, vel si id habent, non est ex vi suæ formæ, sed tãtum ratione materiæ, vel sunt indirecti: & tũc eius propositiones per conuersionem reduci possunt ad syllogismos perfectos, & in eorum virtute efficaciam concludendi habere. Ad cuius intelligẽtiã aduerto: quod quatuor modis possunt variari propositiones syllogismi in quãtitate. Vel ita, vt vtraquè præmissa sit vniuersalis. Vel vtraq; particularis. Vel maior vniuersalis, & minor particularis, vel è contra. Similiter quatuor alijs modis possunt variari in qualitate: vel sic, vt vtraq; sit affirmatiua: vel vtraquè negatiua: vel maior affirmatiua, & minor negatiua, vel è contra. Quo supposito duo sunt modi vtiles, & perfecti ratione quantitatis in hac prima figura. s. alter ex vtraquè præmissa vniuersali, vt cernitur in *Barbara*, & *Celarem*, & alter ex maiori vniuersali, & minori particulari, vt constat in *Darij*, & *Ferio*. Duo auté alij sunt inutiles. s. ex vtraquè particulari, & ex maiori particulari, & minori vniuersali.

Similiter in qualitate duo sũt modi vtiles, & perfecti. s. ex vtraquè affirmatiua, vt videre est, in *Barbara* & *Darij*; & ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, vt patet in *Celarem*, & *Ferio*, vt constat iam ex regulis dictis.

Ex quo infero: vitandas esse molestas numerationes modorum inutiliũ penès diuersas cõbinationes quantitatis cum qualitate propositionum, quas multiplicãt authores inutiliter, quibus hanc materiã confundunt, nec possunt memoria retineri. Hoc enim certissimum, & facillimum satis sit animaduertere, quod in hac figura nullus potest esse syllogismus defectuosus, nisi vel ratione quãtitatis, vel ratione qualitatis, vel ratione vtriusquè simul. Ratione quantitatis, tantum in duobus casibus assignatis. s. *ex vtraquè particulari*, vel *ex maiori particulari*, quidquid sit de varijs qualitatibus, quibus prædicta quantitas defectuosa iungi potest, quia illis non obstantibus, semper syllogismus defectuosus euadet. Ratione qualitatis similiter nullus erit syllogismus deficiens, nisi tantum in duobus casibus positis. s. si ex vtraquè negatiua procedat, vel ex minori negatiua, quidquid sit de hoc, quod vtraquè sit vniuersalis, vel particularis, vel vna vniuersalis, & altera particularis, vel è contra. Semper huiusmodi qualitas syllogismum sua debita rectitudine fraudabit. Cognitis autem defectibus in quantitate, & qualitate, facilè erit aduertere, quan

do vterquè defectus simul concurrit in eodem syllogismo, sine aliqua alia notitia, aut regulis, sicut ad cognitionem totius satis est cognoscere omnes partes illius simul.

ARTIC. V.

Exponuntur quinque modi indirecti primæ figuræ.

Præter modos inutiles explicatos, sunt alij vtiles, sed indirectè concludentes; quia. s. in eorum conclusione minor extremitas prædicatur de maiori, deduciturquè in conclusione vt subiectum, quod in præmissis fuerat prædicatum, ideoquè sæpè in præmissis non differunt à syllogismis perfectis, sed solum in modo concludendi, vt videre est in his tribus: *Baralipton. Celantes. Dabitis*, qui solum ratione conclusionis indirectæ differunt *à Barbara. Celarem. Darij*. Præter hos, sunt alij duo, *Fapesmo frisesomorum*, qui etiam ratione præmissarum deficiunt à perfecta, & naturali syllogizandi forma. Reducuntur tamen omnes facilè ad modos perfectos per cõuersionem propositionum, vt sequentibus exemplis constabit.

Ba- *Omne rationale est risibile.*
ra- *Omnis homo est rationalis.*
lip. *Ergo aliquod risibile est homo*

Conclusio naturalis & perfecta debebat esse in *Barbara: ergo omnis homo est risibilis*, nihilominus potuit inferri particularis illa conclusio: *aliquod risibile est homo*; quia in præmissis ostensa fuit identitas vtriusquè huius extremitatis cum medio, & tertio, quod est *animal*, licet talis concludendi modus non sit ita euidens, & per se notus, sicut in *Barbara*. Quomodo autem conuertenda sit conclusio, & reducenda ad *Barbara*, vt illatio negari non possit, dicam postea.

Ce- *Nullus lapis est animal*
lan- *Omnis jaspis est lapis.*
tes. *Ergo nullũ animal est jaspis.*

Vtraquè premissa est in *Celarẽ*, & sola conclusio differt, quia indirectè extremitates trãsposuit: cum enim jaspis erat in præmissis subiectum, & animal prædicatum, perfectè concluderet, ergo nullus jaspis est animal, & non è contra.

Da- *Omnis homo est animal.*
bi- *Petrus est homo.*
tis. *Ergo aliquod animal est Petr⁹*

Iam dixi, quod singularis in hoc syllogismo æquiualet particulari, vtor autem singulari ob

gratiá maioris claritatis. *In Darij*, intuli: ergo *Petrus est animal. Dabitis* autem è conuerso.

Fa- *Omne animal est substantia.*
pes- *Nullus lapis est animal.*
mo. *Ergo aliqua substãtia nõ est lapis.*

Hic modus, & sequens non seruant in præmissis regulas positas, concludunt tamen, quia possunt conuerti, & reduci ad *Ferio*, & ita in syllogismo posito, maior, cum sit vniuersalis affirmatiua, potest conuerti per accidens, & minor, quæ est vniuersalis negatiua, potest cõuerti simpliciter, & tunc erit syllogismus in *Ferio*, hoc modo.

Fe- *Nullum animal est lapis.*
ri- *Aliqua substãtia est animal.*
o. *Ergo aliqua substãtia nõ est lapis.*

Quintus modus indirectè concludens est, in *Frisesomorum*, cuius maior est particularis.s.

Fri- *Aliqua planta est viuens.*
se- *Nullum animal est planta.*
so. *Ergo aliquod viuẽs nõ est animal.*

Qui similiter reducitur ad *Ferio*. Si minor conuertatur in terminis, & ponatur loco maioris, & maior similiter, & fiat minor hoc modo.

Fe- *Nulla planta est animal.*
ri- *Aliquod viuens est planta.*
o. *Ergo aliquod viuẽs nõ est animal.*

ARTIC. VI.

De modis secundæ, & tertię figurę.

Secunda figura est, quando medius terminus prædicatur, vt dixi, de vtràquè extremitate.s. in vtràquè præmissa, in qua duæ aliæ conditiones obseruandæ sunt. Altera est, quam aduerti in prima figura.s. quod maior sit vniuersalis, & nũquam particularis. Altera est, vt vtraquè præmissa non sit simul affirmatiua, sed vna vel altera, siuè sit maior, siuè minor, debet esse negatiuá, & per consequens conclusio, quæ semper sequitur debiliorem partem, negatiua erit. In quo differt hæc à præcedenti figura, quæ potest esse ex puris affirmatiuis, & quando ex aliqua negatiua procedit, solùm in maiori, non in minori illam sustinet.

In hac etiam figura sicut in prima, triginta sex modis possunt variari complicationes, sed soli quatuor modi vtiles, duo quidem vniuersales, & duo particulares, & omnes negatiui propter negationẽ alterius præmissarum. Vt videre est in illis quatuor vocibus, *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*.

Ce- *Nullus lapis est animal.*
sa- *Omnis homo est animal.*
re. *Ergo nullus lapis est homo.*

Ecce medium in vtraquè præmissa prædicatur, affirmaturquè in vna, & negatur in altera: ideoquè optimè concludit in consequenti negationem vnius extremitatis de alia: potestquè æquè directè, ac mutuò vna negari de alia. s. *Ergo nullus homo est lapis, vel ergo nullus lapis est homo*: quia vtraquè est vniuersalis negatiua, & ex negatione vnius extremitatis cum medio, & ex identitate alterius cum ipso, vtriusquè negatio æqualiter infertur.

Hic modus si reducatur ad primam figuram per solam conuersionem maioris, qua medius terminus subijciatur, erit in *Celarem*, vt constat.

Ca- *Omnis homo est animal.*
mes- *Nullus lapis est animal.*
tres. *Ergo nullus lapis est homo.*

De hoc est eadem ratio ac de præcedente, quod per conuersionem suarum propositionum potest ad celarem reduci, ideoquè imperfecti sunt syllogismi, quia probatur bonitas illationis per reductionem ad primam figuram. Differunt autem *Cesare*, & *Camestres* sola præmissarum transpositione: quia prior vniuersalem negatiuam assumit pro maiori, & vniuersalem differentiã pro minori, posterior verò è contra.

Fes- *Nullus lapis est animal.*
ti- *Aliquod viuens est homo.*
no. *Ergo aliquod animal non est homo.*

Hic, & quartus modus subsequens reducuntur ad quartum primæ figuræ, qui est *Ferio*, quia constant ex minori, & conclusione particularibus, & ex maiori vniuersali, & sunt discursus negatiui.

Ba- *Omnis homo currit.*
ro- *Aliquod animal non currit.*
co. *Ergo aliquod animal non est (homo.*

Duo isti modi possunt indirectè concludere, si minor extremitas prædicetur de maiori, quia particularis negatiuã potest cõuerti per contrapositionem vt dicam: exempli gratia in *Baroco* directè concluditur: ergo aliquod animal non est homo, indirectè autem: ergo aliquis non homo non est animal.

De syllogismis tertiæ figuræ.

In tertia figura obseruatis duabus regulis, prima ne maior sit negatiua, & secunda ne conclusio sit vniuersalis, aliàs colligetur ex antecedẽti verò cõsequẽs falsum, vt in hoc. *Omnis homo est rationalis: omnis homo est animal: ergo omne animal est rationale.* Sex tantum modi vtiles colliguntur directè concludentes, qui continentur illis dictionibus

bus. *Darapti*, *Felapton*, *Dissamis*, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*. Quilibet autem alius modus, qui excogitari potest, est inutilis, & contra regulas traditas.

Da- *Omnis homo est viuens.*
rap- *Omnis homo est animal.*
ti. *Ergo aliquod animal est viuens.*

Fe- *Nullum animal est lapis.*
lap- *Omne animal est viuens.*
tō. *Ergo aliquod viuens non est lapis.*

Dis- *Aliquod animal est corpus.*
sa- *Omne animal est viuens.*
mis. *Ergo aliquod viuens est corpus.*

Da- *Omne animal est viuens.*
ti- *Aliquod animal est corpus.*
si. *Ergo aliquod corp' est viuēs.*

Bo- *Aliquod animal nō est lapis.*
car- *Omne animal est viuens.*
do. *Ergo aliquod viuens non est lapis.*

Fe- *Nullum animal est lapis.*
ri- *Aliquod animal est viuens.*
son. *Ergo aliquod viuens non est lapis.*

Notandum autem est tres illos modos priores: *Darapti*, *Dissamis*, & *Datisi* etiam indirectè posse concludere; quia conclusiones, quæ fiunt in his modis, possunt conuerti per cōuersionem simplicem, v. g. in.

Da- *Omnis homo est rationalis.*
rap- *Omnis homo est animal.*
ti. *Ergo aliquod animal est rationale.*

Poterit etiam inferri indirectè conuertens eiusdem conclusionis dicendo: *Ergo aliquod rationale est animal*. Cæteri autem modi, quia conclusiones sunt particulares negatiuæ, non possunt conuerti, ac per consequens neq; indirectè concludere.

(?)



ARTIC. VII.

De reductione ostensiua syllogismorum.

DVplex est syllogismus. Alius perfectus nulla indigēs probatione, vt eius bonitas appareat, & sic sunt quatuor modi directi primæ figuræ, qui propter hoc dicuntur per se noti, quia in illis exercentur duo illa principia lumine naturæ nota: s. *dici de omni*. Cui innituntur *Barbara*, & *Darij*, & *dici de nullo*, in quo fundantur *Celarem*, & *Ferio*. Alius est syllogismus imperfectus, in quo bonitas illationis non est per se nota, & euidens, nisi reducatur ad aliquem ex quatuor modis

dis perfectis, cuiusmodi sunt omnes alij expressi carminibus supra positis, qui dicuntur propter hoc niti duobus illis principijs non actualiter, sed virtualiter, seu potestate, quatenus reduci possunt ad syllogismos perfectos, qui actu nituntur talibus principijs.

Est ergo reductio syllogismorum cõuersio syllogismi imperfecti in alium perfectũ. Quæ duplex est. Alia ostensiua, & alia per impossibile. Ostensiua est conuersio syllogismi imperfecti in perfectum per conuersionem alterius propositionis, vel transpositionem præmissarum. Vt autem cognoscatur, quomodo fieri debeat hæc reductio, aduerto primò, quod omnes modi imperfecti reducendi sunt ad aliquem ex perfectis, qui incipiat eadem litera, qua incipit modus reducendus. *Baralipton* v.g. reducitur ad *Barbara. Celantes* ad *Celarem. Dissamis*, & *Datisi* ad *Darij. Felapton*, & *Ferison* ad *Ferio*, & sic de alijs modis, quia omnes incipiunt ab aliqua ex quatuor literis, quibus incipiunt quatuor modi perfecti. Solùm excipiuntur *Baroco*, & *Bocardo*, qui non possunt ostensiuè conuerti, quia cum in illis vna ex præmissis sit particularis negatiua, non potest conuerti: & cum alia sit vniuersalis affirmatiua, & debebat conuerti in particularem per conuersionem per accidens, cõstaret syllogismus ex duabus particularibus, ex quibus nihil sequitur: hinc est ergo, quod solùm per impossibile isti syllogismi possint reduci.

Rursus secundò preter alias literas consonantes, quæ quoad presens attinet, nihil significant, tres istæ literæ. S. P. M. in modis imperfectis notandæ sunt. S. denotat propositionem significatam per vocalem præcedentem, conuertendam esse *simpliciter*. P. significat propositionem designatam per vocalem antecedentem, conuerti per accidens. M. verò significat commutãdas esse premissas, ita vt ex maiori fiat minor, & ex minori maior. V.g. *Cesarè* reducitur ad *Celarem*: quia habet eandem literam initialem, & maior debet conuerti, simpliciter quod denotatur litera S. v.g.

Syllogismus conuersus.	*Syllogismus ad quẽ conuertitur.*
Ce- *Nullus lapis est animal.*	Ce- *Nullum animal est lapis.*
sa- *Omnis homo est animal.*	la- *Omnis homo est animal.*
re. *Ergo nullus homo est lapis.*	rẽ. *Ergo nullus homo est lapis.*

RE-

REDVCITVR AD.

Da- *Omnis homo est viuens.*
rap- *Omnis homo est animal.*
ti. *Ergo aliquod animal est viuens.*

Item *Camestres*, quia incipit eâdem litera, reducitur ad *Celarem*, & quia affert secum literam M. denotat transponendas esse illius premissas, ita vt maior affirmatiua minor fiat, & minor negatiua, vt maior cõstituatur, & sic seruatis cæteris regulis nihil differt à *Celarem*. *Festino* similiter, reducitur ad *Ferio*, per solam conuersionem simplicem maioris, qua syllogismus ex secunda figura (in qua medium erat prædicatum in vtràque premissa,) reducitur ad primam figuram, in qua medium subijcitur in maiori, & prædicatur in minori. *Darapti* reducitur ad *Darij*. Per solam conuersionem per accidens minoris ex vniuersali affirmatiua in particularem, nec potuit conuerti maior, quia non potest esse particularis in prima figura, vt dictũ est. Preterea, cum *Darapti* sit tertiæ figuræ, mediũ, quod subijciebatur in vtràquè præmissa, per cõuersionem minoris dictam collocatur in prima figura, quia fit prædicatũ. *Felapton* reducitur ad *Ferio*, etiam per solam conuersionem per accidens minoris vniuersalis in particularem affirmatiuã. *Dissamis* commutatur in *Darij* per transpositionem

Da *Omnis homo est viuens.*
ri- *Aliquod animal est homo.*
j. *Ergo aliquod animal est viuens.*

præmissarum, quas denotat litera M. *Datisi* reducitur per solã simplicem conuersionem minoris ad primam figuram, quod tantùm illi deficiebat, vt esset in *Dary*, & sic similiter *Ferison* ad *Ferio*.

ARTIC. VIII.

Vbi reductio syllogismi ad imposibile ostenditur.

Fit autem reductio hæc ad conuincẽdum aduersarium proteruè negantem bonitatem illationis, ostendendo illi contradictionem, quæ sequitur ex conclusione ab ipso negata, cuius imposibilitas est primum principium luminæ naturæ notum: ex quo tandẽ cogitur concedere quod negauit, si captus mente non est. Hoc autem modo deductio ad imposibile fieri debet: sumenda est propositio contradictoria conclusionis negatæ, quam negare non poterit, qui respondet: si enim negat hanc: *aliqua substantia est homo*: debet necessariò eius contradictoriam admittere, s. *nulla substantia est homo*: deinde ex propositione

tione ista conclusioni contradicente, & ex altera ex præmissis concessis, efficitur syllogismus perfectus in aliquo ex quatuor modis dictis, in quo infertur conclusio cõtradicens alteri præmissæ etiam concessæ in syllogismo imperfecto; quæ in perfecto reticetur: ex quo tandem respondens duas compellitur contradictorias admittere.

V.g si quis in hoc syllogismo facto in Baralipton. *Omne animal est substantia; omnis homo est animal: ergo aliqua substantia est homo.* Concessa maiori, & minori, neget consequentiam, contradictorium talis conclusionis negatæ illi statim inferri debet, s. *nulla substantia est homo*: quam necessariò fatebitur, vt ab absurdò contradictionis aufugiat, tunc subiungat maiorem concessam.s. *Omne animal est substantia*, & directè concludet in *Celarent: ergo nullus homo est animal.* Cuius contraria concessa est in altero syllogismo, s. *Omnis homo est animal*. Hæc reductio etiam syllogismis perfectis adaptari potest, si eorum illatio negetur, sed non est in illis necessaria, cum sit eorum bonitas per se nota, & quasi primum logicæ principium, ex quo cæteri syllogismi imperfecti probandi sunt. Reliqui ergo ad quatuor dictos reduci debent, siuè ostensiuè, siuè per impossibile.

Vt ergo cognoscatur, qui modi imperfecti ad quos perfectos possint reduci, hæ quatuor dictiones notandæ sunt, *Nesciebatis, Odiebam, Lætare, Romanis.* In quibus quatuor vocales repe riuntur: A. E. I. O. prima significat primum modum perfectum.s. *Barbara*, cuius conclusio est vniuersalis affirmatiua. Secunda denotat *Celarem*, cuius conclusio est vniuersalis negatiua. Tertia tertium modum particulariter affirmatiuè concludentem significat.s. *Darij*. Et quarta quartum modum *Ferio*, cuius conclusio particularis negatiua est. Prima ergo dictio *Nesciebatis*, quinque habet vocales significantes quinquè modos imperfectos primæ figuræ, singulos suo ordine. Secũda dictio *Odiebam*, quatuor vocales habet, quibus quatuor modos secundæ figuræ designat. Tertia, & quarta.s. *Lætare Romanis* sex vocales continent, sex modos tertiæ figuræ similiter indicantes. Itaquè prima vocalis primæ dictionis, quæ est *E*. denotat *Baralipton* per illam insinuatum reducendum esse ad *Celarem*, cuius conclusio est vniuersalis negatiua. Et secunda vocalis, quæ est I, significat *Celantes*, reducendum esse ad *Darij*, cuius conclusio est particularis affirmatiua, & sic de reliquis per ordinem. Rursus tres regulæ notãtur his trib⁹ carminibus

Pri-

1. Primamque maiorem substituit sede minoris.
2. Seruat maiorem, variatque secunda minorem,
3. Tertia maiorem variat, seruatque minorem.

Prima significat modos indirectos primæ figuræ reducẽdos esse, posita pro maiori, propositione contradicente conclusioni negatæ, & pro minori, ea quæ maior fuit in syllogismo indirecto, & ex vtrâque conclusio euadet perfecta, & opposita alteri præmissæ conuersæ, vt dixi. Solùm excipitur *Celantes* ab hac regula, in quo contradictorium cõclusionis negatæ ponitur loco minoris, & minor loco maioris.

Secunda regula pro secunda figura significat modos illius sic reducendos esse, assumpta maiori syllogismi imperfecti in suo proprio loco, quẽ habebat, & posita loco minoris propositione contradicẽte cõclusioni negatæ.

Tertia regula è conuerso denotat modos tertiæ figuræ reduci debere, cõtradictoria cõclusionis vt maiori, assumpta, & pro minori, eadem, quæ in syllogismo cõuerso minor erat, & ex vtraq; oppositũ maioris cõcessæ omissæ concludendũ. Sed quia tot regulis actu attẽdere moraliter arguens non poterit, & instat respondentis pertinacia, & diuertit actualis cum eo disceptatio, breuiori alio modo ipsi vti necessum est. Statim ergo ac aduersarius neget illi consequentiã sui syllogismi. V. g. in *Darapti, aliquod risibile est rationale.* Inferat illi oppositum: *Ergo nullum risibile est rationale.* Postea animaduertet statim ex hac vniuersali negatiua, hunc syllogismũ solũ posse formari in *Celarẽ*, vel in *Ferio*, qui tãtũ modi negatiui sunt. Vt autẽ in quonam istorũ, illico percipiat, consideret præmissam illi subiũgendam ex syllogismo conuertendo, & si est vniuersalis affirmatiua, vt cernitur in *Darapti*, reducitur ad *Celarem*. Et si est particularis, reducitur syllogismus ad *Ferio*, seruetque regulas supra positas, quod maior sit vniuersalior quã minor, & concludat directè maiorem de minore extremitate, & sic facilius ad impossibile suum aduersariũ deducet. Regulæ autem positæ ad examinandũ syllogismũ iam factum, & rectè cõuersum, poterunt conducere.

ARTIC. IX.

Vbi traditur ars inueniendi medium.

PAuca dicam circa modum quærendi medium, quia cætera, quæ multiplicari solent, potius illum occultant, & obscurum reddunt, quam declarant. Suppono igitur tamquam fundamentum, proprium officium medij in syllogismo, quod nõ est aliud, quam extremitates con-

coniungere, aut disiungere; vnit enim illas, vt iam supra dixi ar. 3. in syllogismo affirmatiuo, quatenus mediat inter vtrumq; prædicatione: quia comparatur vt inferius ad maiorem extremitatem, vel saltem vt subiectum, si sit æquale, & respectu minoris extremitatis comparatur, vt superius. Itẽ disiungit eas in syllogismo negatiuo.

Ex quo sequuntur duæ regulæ vniuersales. Prima est ad probandam propositionem affirmatiuam quamcumq; querendum est medium, quo extrema eius, hoc est, prædicatum, & subiectũ propositionis inferendæ vniãtur. Ad probandam verò quamlibet negatiuam, medium potius ea disiungens.

Vel secundo (vt terminis aliorum vtar) triplex esse potest mediũ. Antecedens. Consequẽs. Et extraneum. Antecedẽs est illud, quod est causa necessaria, vel ratio à priori, ex qua sequitur cõclusio inferenda. Consequens est illud, quod est effect⁹, vel signũ, aut indicium necessariò connexũ cũ conclusione à parte rei, ex quo à posteriori colligi possit talis conclusio. Extraneum est id, quod repugnat alteri extremorũ, quo supposito, ad colligendã quamlibet conclusionem affirmatiuã, assumenda est vt mediũ causa veritatis, vel effectus, aut indicium ducẽs in notitiã illius. Ad cõclusionem autẽ negatiuã assumendum est mediũ extraneum, id. s. quod repugnat alteri extremorum, alteri anquam & non vtrique simul, quia ex diuersitate duorum extremorum ab vno tertio, vel ex duobus negatiuis, quod idem est, nihil sequitur, vt dixi.

SECTIO II.

De discursu demonstratiuo.

Triplex est syllogismus in communi. Alius topicus. Alius demõstratiuus. Alius verò sophisticus, seu fallax. Topicus est cõstans ex propositionibus probabilibus, generãsq; tantùm opinionem. Demõstratiuus est, qui procedit ex certis principijs, & euidẽtibus, & generat scientiam. Sophisticus autẽ, seu fallax est, qui procedit ex præmissis apparentibus, & non veris de quo etiam tractat logica tamquàm de obiecto secundariò, vt sciat melius discernere rectum syllogismum à vitioso, fallaciasq; vitare omnes. De his autem omnibus dicã in sequentibus, quæ necessaria fuerint, omittãq; inutilia multa, quæ hîc prolixè tractari solent, quia vel iam satis constant disputationibus precedẽtibus, vel infra in suis locis proprijs, & si breuiter attingentur, nunc de demõstratione sit.

QVÆSTIO I.

An sit, & quid sit demonstratio?

ARTIC. I.

DVo versabantur errores in scholis tempore Aristotelis circa acquisitioné scientię. Primus Heracliti Cratilli, & aliorum antiquorum, qui existimantes nihil esse in rebus nisi singulare, contingens sensibus, ac erroribus expositum consequenter scientias negabãt, quæ de necessarijs, & perpetuis, vt ipsi affirmabant, esse deberent.

Secundus error fuit Platonis, vt testatur Arist. 1. *& 7. lib met.* concedentis scientiam, non tamen de nouo acquisitam, sed à principio congenitam, antequã anima corpori infunderetur, licet propter impedimentum corporis, & ligamentum sensuum, non exierit in actum sciendi, quousq; tali impedimento exercitatione sublata, incipiat anima quasi recordari de ijs, quæ antea iam cognoscebat. Vnde tritum erat inter eosdẽ discipulos axioma: *Nostrum scire est quoddam reminisci.*

Aristo. 1. poste. c. 1.

Hunc errorem sequuti fuerũt multi alij, qui dixerunt, animas non creari cum corporibus, sed multò antea fuisse ab ipsis separatas; & postea de corpore in corpus migrare.

Cõtra hos igitur omnes, qui consequenter negarunt demonstrationis naturam, indubitanter asserendum est cum Aristotele, & vniuersa peripateticorũ schola, dari speciale quoddam genus discursus, qui demostratio dicitur: quia quasi digito ostendit, & demonstrat ignotum, faciens clarè, & euidenter scire, quod antea ignorabatur. Quæ conclusio ita est manifesta, vt probatione non indigeat: nam de facto datur in nobis assensus euidens principiorum; & euidenter cognoscimus consequentiã esse legitimam, & necessariam saltem in quatuor modis perfectis primæ figuræ, in quibus possumus inferre conclusionem certam, & euidentem ex illis principijs, vt si quis dicat: *Totum est maius sua parte, corpus humanum est quoddam totum, ergo est maius sua parte.*

Quod verò non sit reminiscentia, sed scientia de nouo acquisita, est etiam certissimum, sicut est etiam apud Catholicos constans, animam in eodem instanti, vel momento, quo fuit creata, fuisse corpori vnitam, ac proinde

proinde non esse illi tunc conna turaliter debitum aliū modum intelligendi, quàm dependenter à phantasmatibus, & à sensibus, iuxta illud prouerbium receptum: *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.*

De quo latius in libris de anima.

Patet etiam manifesta experientia: nam plura cognoscimus, quæ non animaduertimus antea intellexisse, imo euidenter cognoscimus nūquam illa cognouisse: ergo talis cognitio non reminiscentia, sed scientia de nouo acquisita est. Patet consequētia: nam qui recordatur, non solum cognoscit rem præteritam, quā antea cognouerat, sed etiā cognoscit, se antea intellexisse rem illam. Et quamuis nō esset necessarium ad reminiscentiam cognoscere aliquem se cognouisse, saltem negari non potest, quod sicut anima recordatur nunc de obiecto, quod antea cognouit, recordetur insuper notitia reflexa de cognitione, quam habuit etiam de tali obiecto, quia eadem est ratio vtriusque, quod est contra euidentem experientiam vt dixi. Merito propositionē illam protulit Aristoteles, quę satis communis est in scholis. s. *omnis Doctrina, omnisq; disciplina intellectiua ex praexistente fit cognitione*: vbi eandem notitiam, vel scientiā quatenus à magistro traditā, doctrinam vocat: & disciplinā, quatenus percipitur à discipulis, vt notant optimè Reuerendissimus Oña, & alij. Per illā particulā *fit* denotat, quod nostrum scire non sit reminisci, vt aiebat Plato, sed quod de nouo fiat. Quæ propositio licet extendatur etiam ad definitionem, & argumētationem in communi, vt in superioribus visum est, principaliter propter demonstrationem explicandam adducitur ab Aristotele in hoc loco, vt plane constat ex litera ipsius.

Hic q. vnica art. 1.

ARTIC. II.

Quid sit demonstratio?

PLures adduci solent definitiones pro demonstratione. Primam affert Aristoteles primo poster. cap. 7. s. est *syllogismus scientialis*, vel *faciēs scire*, seu *generans scientiā*. Secūdā adducit ibidem sic: demonstratio est *syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, prioribus, causisquè conclusionis.*

Circa primam aduerto, quod scire ibi positū loco generis, dupliciter intelligi potest. Primò formaliter, & sic definitio est quidditatiua, sensusq; illius est, quod demōstratio sit forma cōstituens hominē actu scientem: nam conclusio euidens illata ex præmisis est ipsa scientia, & id in quo formaliter, & in recto demonstratio consistit, vt sectione præcedēti probatū est. Secundo

intelligi potest causaliter, pro causa. s. extrinsecè scientiā generante, & sic causare scientiam actualē cōuenit solis pręmissis, quas essentialiter connotat, seu in obliquo: nam conclusio est ipsa scientia genita, eo enim ipso quod actus conclusionis ad aliquā scientiā actualem cōcurrat, erit antecedēs, vel præmissa respectu illius, non conclusio: nam sicut in voluntate, quod est finis respectu vnius, potest esse medium respectu alterius, sic in intellectu, quod respectu vnius conclusio, respectu aliorum potest assumi vt præmissa. Potest etiam ipsa scientia actualis formaliter, vt conclusio demonstratiua ad scientiā habitualem concurrere, & vtroq; hoc modo definitio tantùm descriptiua est, quia generare scientiam actualē non cōuenit ipsimet formali, & intrinsecæ demonstrationi, sed eius præmissis, quæ etiam latiori acceptione demonstratio appellantur, & scientiā habitualē efficere non est primaria ratio demonstrationis, sed quid secundariò consequens eius naturam: habitus enim non est finis intrinsecus actus scientifici, sed contemplatio veritatis, potius è contra habitus sunt propter actus, tanquam propter finem.

Maior autem difficultas est circa secundā definitionem, quæ videtur includere multa superflua, Nam procedere *ex primis & prioribus* idē sunt. Item causa est prior, & notior effectu, qui ergo dicit procedere *ex causis*, affirmat eo ipso *ex prioribus*, *& notioribus*. Rursus *ex primis*, *immediatis*, *aut* indemonstrabilibus, idem planè significant, nā eo ipso quod propositio sit prima, est immediata, ad quid ergo tot verba in definitione?

Nihilominus definitio hæc, vt optima & accurata ab omnibus recipitur, etsi tantùm demonstrationi potissimæ, quę est propter quid, conueniat: explicat enim partes, vel principia ex quibus demōstratio essētialiter procedit: & differt à quolibet alio argumentationis genere, nā per particulam *ex veris* distinguitur à syllogismo sophistico, & per reliqua à syllogismo probabili, & demonstratione *quia*, vt infra constabit.

Ad obiectionem resp. omnes illas particulas significare saltem diuersas rationes, quidquid sit de identitate rei, atque adeo omnes deseruiunt ad clariorem notitiam demonstrationis. Nam prima dicuntur vt aduerti, quia non habent supra se aliud prius, priora verò quia respectu conclusionis priora sunt, quod non excludit, quod sub se aliud prius habeant, nam omnia principia in termedia demonstrationis priora sunt respectu conclusionis, non tamē prima. Dicuntur imme-

mediata, quia inter subiectum, & prædicatum earum nullum est interpositum medium, quo probari possint. Dicuntur notiora, quia principia sunt rationes notificandi conclusionem, ac proinde debent esse magis nota quàm conclusio. Ponitur deniquè quod sint causæ conclusionis, quod potest intelligi tam formaliter, quàm obiectiuè. Formaliter, quia ipsimet actus præmissarum generant assensum conclusionis. Et obiectiuè, quia in demonstratione *propter quid* semper significatur, & assumitur in præmissis causa conclusionis obiectiuæ.

Voluit autem Aristoteles omnes rationes principiorum sygillatim exponere, vt demonstrationis dignitas, & ratio penitus exhauriretur, quod non est contra regulas bonæ definitionis præsertim descriptiuæ.

Sed contra secundam definitionem adhuc obijcies: non semper causæ sunt notiores nobis suis effectibus, imo frequenter contingit è conuerso, quod ex effectibus tamquam notioribus procedamus ad causas, ergo eo ipso quod demonstratio procedat ex causis, non procedet ex notioribus.

Nequè valet respondere causas semper esse notiores suis effectibus natura sua & in se, licet quantùm ad nos effectus notiores esse soleát. Contra hoc enim est, quod demonstrationis principia ordinantur ad notificandá conclusionem nobis ignotam, & ad hoc vtimur principijs nobis notis, vt ex illis intellectus manducatur ad ignota, ergo non satis est causas notiores esse quantùm ad se, vt sint nobis rationes notificandi conclusionem. Respondetur quod quando causæ non sunt etiam notiores suis effectibus quantùm ad nos, non debemus illas assumere ad demonstrandum, quousquè fiant prius nobis notæ à posteriori per suos effectus, & tunc assumi poterunt, vt principia ad clarius & perfectius penetrandam connexionem effectuum, & aliarum proprietatum cum ipsa causa, & hoc absquè vllo circulo vitioso, vt postea dicam.

Potest vero alia breuior tradi definitio. s. demonstratio est *syllogismus in quo ex præmissis certis, & euidentibus certa, & euidens infertur conclusio*. Definio illam strictè in sensu Aristotelis non agnoscentis demonstrationes supernaturales Theologicas. Si tamen tollatur particula *euidens*, omnẽ demonstrationẽ cõprahendit: ná Theologicæ demonstrationes certæ sunt, non euidẽtes, nec in naturalibus actibus euidẽtia inuenietur à certitudine separata, ideoquè Philosophus eam nunquam discernit.

QVAESTIO. II.

De diuisione demonstrationis in propter quid, & quia.

ARTIC. I.

Aristote. c.11 lib.1 poster. & alibi.

ARistoteles demonstrationem diuidit in demonstrationem *propter quid*, & *quia*; cuius membra iam supra declarata sunt. Nunc autem est difficultas, an sit hæc diuisio vniuoca, vel analoga? An item sit adæquata, vel detur alia tertia species?

Philop. & Alex. apud Niph. 1. post. tex. 21. & 34 Themistius super c.7 Venetus cap.2.

Circa primum non defuerũt aliqui, qui affirmarent demonstrationem *quia* non esse propriè demonstrationem, ac proinde diuisionem, hanc esse analogam analogia solius attributionis, vel proportionis. Ita Philoponus, & Alexāder apud Niphũ, Themistius, Paulus Venetus & alij. Probant ex Aristotele *cap.2.* vbi *scire*, inquit, *simpliciter & non sophistico modo est cognoscere rem per suam causam*: ex quo infert postea, quod demonstratio debet procedere ex causis, vt constat ex definitione superius tradita, sed demonstratio *quia* non est cognitio rei per suam causam, sed è contra, notitia causæ per suos effectus: ergo non est propriè demonstratio, nec generat scientiam. Dices: quod licet non procedat ex causis in essendo, procedit ex illis in cognoscendo, idest, ex actibus præmissarum. Sed contra: quia etiam syllogismus sophisticus, & topicus procedunt ex causis hoc modo. Secundò. Aristoteles *cap. 2.* definiuit solam demonstrationem *propter quid* duplici definitione supra posita, demonstrationem vero *quia* nunquam definiuit: signũ ergo est, eam vt analogatum minus principale non curasse, quia ex similitudine, & attributione ad principale facilè intelligi poterat.

Arist. 1. post c.10. comment. 1. plus tex. 25. Niphus tex. 39. S. Thom. hic, & eius expositores. Sotus. Toletus. Episcop. Oña.

Dicendum nihilominus est, demonstrationem *quia* esse verè & propriè demõstrationem, vniuocèq; cõuenire in eādē ratione obiectiua cũ alia *propter quid*. Docēt Aristoteles *c.10.* vbi concedit duplex scire, *quia*, & *propter quid*, atq; adeo duplicē demõstrationē. Et communiter omnes. Probatur: nā demonstratio, *quia* procedit ex principijs certis, & euidentibus, ex quibus certa & euidens potest produci conclusio, essentialiterq; distincta à probabili & sophistica: ergo est vera & propria demõstratio, atq; adeo vniuocè cum alia specie *propter quid* conueniens.

Dico secũdò: licet demõstratio *quia*, & *propter quid* vniuocè in eadē communi ratione demõstrationis cõueniāt, tamen si secun-

secundùm differentias specificas vna ad alteram comparetur simpliciter est perfectior demõstratio *propter quid*, quam demõstratio *quia*: sicut licet homo & brutum in ratione animalis vniuocentur, tamen secundùm speciales differentias considerati, homo multum excedit brutum. Declaratur: quia longè perfectius est reddere causam conclusionis, & cognoscere eam quantùm ad *quid est*, quam solùm probare eam ex effectu, & quantùm ad *an est*, sed primũ præstat demonstratio *propter, quid*, secundum verò demonstratio *quia*: ergo hæc exceditur simpliciter ab illa in ratione talis demonstrationis.

Antecedens confirmatur amplius: quia cognoscere rem solũ quantùm ad *an est* ex suis effectibus extrinsecis, est cognoscere illud valde obscurè & imperfectè, compatiturq; talis notitia cũ ignorantia quidditatis talis obiecti. Quapropter nõ repugnat scientia naturalis Dei quantùm ad *an est*, seu per demonstrationẽ *quia*, repugnat tamen sciẽtia quantùm ad *quid est* non ob aliam rationẽ, nisi quia prior illa est ita imperfecta, vt etiam viribus naturæ acquiri possit, etiã si obiectum ita supernaturale in se, & supereminens sit: posterior verò propter suã perfectionẽ in modo attingendi obiectũ, est supra naturales vires, quãdo obiectum supernaturale est.

Ex quo patet ad testimonia Aristotelis adducta pro contraria sententia: resp. enim Aristotelem propter hanc excellentiorem rationem specificam voluisse prius essentiã demõstrationis *propter quid* definire, explicaturus in sequẽtibus aliã speciẽ imperfectam, quod & fecit dicens demonstrationem *quia* talem esse, vt procedat ab effectu, non reddens *propter quid* conclũsionis, sed solùm ostendens certo ita esse, atquè adeo quando definitur: *est cognitio rei per suam causam*, vel definitur solùm demonstratio *propter quid*, vel si velis eam adaptare demonstrationi *quia*, intelligẽda est de causa in cognoscendo, qualis est assensus præmissarum, non quicumque, sed certus & euidens.

ARTIC. II.

Vtrũ demonstratio in communi sit verè & propriè genus ad demõstrationẽ propter quid & quia.

Qvidam negant, ad summumq; aiunt specie logica differre, quia vtraq; demonstratio *quia*, & *propter quid* potest secundùm Aristotelẽ ad eandẽ scientiam pertinere.

Mihi tamen opposita senten-

 tia

tia multo magis probatur; nêpè assensus vtriusq; demonstrationis essentialiter, & specie methaphysica differre, & proinde prędictam diuisionem esse propriè generis in veras species. Quod satis efficaciter probatur: nam repugnat per diuersa media, & principia assentiendi quæ sunt obiecta formalia specificatiua eorumdem assensuum non generari diuersos assensus in specie, sed causa & effectus, essentia & proprietas sunt media essentialiter diuersa, vnûquè generat assensum essentialiter obscurum, & quantùm ad *an est* alterû. vero assensum magis clarum, & perfectiorem quantùm ad *quid est*, vt præcedêti art. vidimus, ergo essentialiter & methaphysicè distinguntur.

Confirmatur: quia aliàs de scientia, opinione, & fide defendi posset solùm differre specie logica, quando sunt circa eandem materiam, & obiectum, quod falsissimum est, sed distinguntur essentialiter, & methaphysicè hi assensus per hoc quod vnus est altero essentialiter certior, aut clarior, licet sint de eodem obiecto, quia ratio formalis respiciendi illud est diuersa: ergo eâdem ratione assensus demôstrationis *quia & propter quid* methaphysicè differrent, licèt eandem respiciât materiam, per hoc quod vnus sit essentialiter altero perfectior, & clarior, vt probatum est.

Quinimò addo secundo, nô solum differre specie methaphysica huiusmodi assensus *quia*, & *propter quid*, verum etiam conuenire specie logica, si vterquè sit in eodem modo, & figurâ syllogistica v.g. in *Barbara*, aut in *Darij*, idemquè dico de assensu opinionis, & scientiæ.

Et probatur: quia solùm potest esse diuersitas inter hos actus ratione materiæ, forma enim syllogistica tam in materia necessaria, quàm in materia probabili, tam in materia, quæ est causa, quàm in materia, quæ est effectus, eadem omnino est: in qualibet enim harum forma syllogistica cum æquali necessitate concludit: quia concessa maiori & minori, non potest negari: côsequêtia. In qualibet etiâ eadem est dispositio trium terminorum, & præmissarum secundùm subiectionem, & prædicationem: secundùm quantitatem & qualitatem: ergo conueniunt in eâdem forma artificiosa logicæ.

Confirmatur: quia quod vnus probabiliter concludet, hoc est, conclusionem probabilem inferat, & alter certò & euidenter, solùm potest prouenire ex hoc; quod materia sit tantùm probabilis, vel necessaria; licet sit eodem modo artificioso disposita. Similiter quod concludat à posteriori obscurè, & quantùm

tùm *ad an est*, solum prouenit ex hoc quod medium assumptum.s. effectus non continet in se virtualiter; aut intentionaliter quidditatem obiecti conclusionis,&c. ergo.

Vnde quod aliqui dicere solent. s. rationem syllogismi consistere in modo concludendi: specialem verò rationem in speciali modo concludendi certo & euidenter, vel solùm probabiliter, &c. continet æquiuocationem, quia transit à forma logica & syllogistica ad materiam eius, vel ad speciem metaphysicam.

Ad fundamẽtũ oppositũ cõcedo cum Aristotele, demonstrationem *quia* & *propter quid* posse pertinere ad eundem habitũ scientię, nego tamen inde necessariò colligi, quod sint eiusdem speciei, quia bene potest idẽ habitus respicere actus specie diuersos, si inter se sint naturaliter subordonati.

Præterea, si vera est sentẽtia, quæ affirmat habitus non esse simplices qualitates, sed solũ habere vnitatem aggregationis ex pluribus partialibus, responderi potest per duas illas demonstrationes *quia* & *propter quid* generari habitus partiales specie diuersos componẽtes vnam philosophiam, vel logicam, &c. sed de hoc latè dicemus suo loco.

* * *

ARTIC. III.

Vtrùm diuisio hæc sit sufficiens & adæquata?

Ratio dubitandi est: quia præter demonstrationem *propter quid*, qua demõstratur passio, vel effectus: & præter demõstratione *quia*, alia potest dari, qua demonstretur quidditas alicuius rei de ipsamet re. In hac v. g. *Omne animal est sensibile. Omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensibilis*, quæ non est demonstratio *quia*, vt patet, neque *propter quid*, quia non demonstrat passionem, aut effectum per causam illius, sed solùm rationem quidditatiuam infert ex medio, quod non est vera causa, sed tantùm quid essentialiter connexum,& identificatum, ergo alia tertia species addenda est.

Secundò: demonstrationes negatiuæ non procedunt à causa ad effectum, neque è contra, potius enim negant aliquid ex tali causa procedere, ergo alia quarta species præcedentibus addi potest. Declaratur amplius antecedens, quia negatio nullam causam, aut effectum potest habere, sicut de ente rationis dixi suo loco.

Tertiò, potest esse demonstratio, quæ nec sit ab aliqua causa, vel effectu, sed ab aliquo signo, vel indicio, ex quo euidenter colligatur cõclusio, ergo nõ erit à priori, nec à posteriori, sed alia media. Patet conseq. nã sola causa dicitur per se prior, & solus effectus per se posterior: ergo quod non est causa, vel effectus conclusionis; nec erit prior, nec posterior, respectu illius. Antecedens probatur, nam in mathematicis multæ fiunt demonstrationes, in quibus nulla assignatur causa, vel effectus conclusionis: in hac v.g. *Quæ sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se, hæc sunt vni tertio æqualia, ergo inter se*, & æqualitas duorũ cum vno tertio nullatenus dici potest causa, neque effectus respectu æqualitatis eorumdem inter se: quia non est maior ratio, quare æqualitas Petri cum Ioanne sit causa æqualitatis cum Francisco, quam è contra.

Præterea hæc est euidens argumentatio: *Omne, quod Deus reuelat, est verè à parte rei, sed Deus reuelauit trinitatem, ergo trinitas est à parte rei.* Vtraque enim præmissa potest euidenter cognosci, vt suppono ex materia de Fide, & tamen reuelatio non est causa, vel effectus trinitatis, neque è contra, sed tãtùm se habet trinitas vt obiectum, vel terminus simul connotatus per reuelationem, ergo, &c.

Deniquè Aristoteles *cap. 10.* demonstratione, quæ procedit à causa remota, negat esse *propter quid*, & tamen non est demonstratio *quia*, quia nõ procedit per effectum, sed per causam, ergo diuisio posita inadæquata est, & insufficiens. *Aristote.*

His tamen non obstantibus, vera, & communis sententia est rectè, & adæquatè diuidi demonstrationẽ in cõmuni in hæc duo membra, sub quibus omnia alia, si quæ sunt, sufficienter cõtinentur. Ita expressè Aristoteles, D. Thom. & omnes alij. Et probatur, quia vel mediũ quod assumitur in præmissis demonstrationis habet rationem prioris respectu conclusionis; non quidem disparatè, sed ita vt sit ratio per se, & essentialiter connexa cum illa tamquàm prior, vel est posterior, inter quæ nullum aliud medium assignari potest, sed si dicatur primum, habebit eo ipso aliquo modo rationem causæ: si verò secundũ, rationem effectus, ergo tota ratio demonstrãdi his duabus demonstrationibus comprehenditur. Minor probatur, quia si loquamur de causa in tota sua latitudine, prout comprehendit efficientem, finalem, materialẽ, & formalem, siuè sit re (siuè ratione distincta) & quamcumquè rationem propter quam prædicatum conuenit subiecto cõclusionis, nulla potest ex cogitari *Aristote. S. Thom.*

tari ratio per se prior, quæ non habeat aliquo ex istis modis rationem causæ, & *propter quid* respectu conclusionis, & consequenter nihil est posterius respectu talis rationis prioris, quod non habeat aliquomodo rationem effectus, ergo.

Sed dices: potest demonstrari aliquid per medium, quod sit ęquale, & simul, non autē prius, aut posterius. Contra hoc enim est; quod licet prædicata conuertibilia ratione mutuæ conuersionis, ęqualia dici possint. s. *rationale, & risibile*, semper tamē inter hęc reperitur connexio causę, & effectus, vt constat in prædicto exēplo, & in quouis alio, quod adduci posit, si verè talia sunt, vt vnum per aliud demonstrari posit.

Confirmatur: quia intelligibilis non est naturalis, & per se connexio inter aliqua duo, nisi vnum sit aliquo modo ratio alterius, vel saltem vtrumq; cum aliquo tertio per se connectatur vt ratio, vel effectus; quodcumquè enim aliud excogitetur, erit tantùm concomitantia per accidēs, vel disparata duorum, sed inter principia, & cōclusionem demōstrationis debet esse infallibilis, & per se connexio siuè immediata, siue mediata: ergo & aliqua prioritas, vel posterioritas, quod exemplis, & solutione argumentorum constabit.

Ad primum respondetur demonstrationem ibi adductam, & similes esse *propter quid*, quia licet medium animal, v.g. non sit causa efficiēs propter quam sensibile conueniat homini, est tamen ratio formalis propter quā, etsi non exerceat strictam, & rigorosam causalitatis rationem, quia hęc, vt iam dixi, non est necessaria.

Ad secundum respondetur demonstrationes negatiuas contineri etiam sub prædicta diuisione: nam cum in demonstratione negatiua concluditur aliquod prædicatū separari à subiecto, si in præmissis assignatur causa, & radix hu' separationis, talis demonstratio erit à priori, & *propter quid*: vt si quis probare velit hominem non esse lapidē, quia est rationalis, assignaret causam, quare homini non conueniat esse lapidem, s. quia rationalis est. Si verò in pręmissis non assignetur causa, quare prædicatum separetur à subiecto, sed vel effectus aliquis, vel medium, ex quo euidenter conuincatur intellectus, erit demōstratio à posteriori: vt si quis probat hominem non esse brutum, quia vtitur ratione, sic etiā patet proportionabiliter in qualibet demostratione, quæ ducit ad impossibile.

Ad tertium respondetur, demōstrationem à signo illam dici, quæ non procedit à proprio, & rigoroso effectu, habet tamē

semper

semper aliqualem rationem effectus, vt quando ex negatione luminis probatur Lunæ eclypsis, illa negatio suo modo effectus est, quatenus resultat ex absentia Solis, & ex interpositione terræ.

Ad primum exemplum ibi adductum respondetur, quod quamuis æqualitas duorũ cum vno tertio, & æqualitas corundem inter se non habeant connexionem immediatam per se in ratione causæ, & effectus, habent tamẽ illam mediatam, quatenus vtraquè æqualitas procedit ab eâdem quantitate tamquàm à radice, ex adæquatione enim vnius rei cum alia vt mensura colligimus à posteriori magnitudinẽ quantitatis illius, & postea tali quantitate cognita ex vi talis mensuræ à priori de illa demonstramus, quod illa erit æqualis cuilibet alteri eiusdem magnitudinis mensurabilis per eandem mensuram, & in hoc discursu fundatur veritas illius principij, quæ sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se.

Ad secundum exemplum respondetur veritatem obiectiuam esse rationem à priori respectu veritatis reuelationis Dei, nam hæc causalis est vera, quia Trinitas est, ideo Deus eam intelligit, & reuelat, & non oppositum: qua propter ex reuelatione Dei tamquam ex effectu demonstramus à posteriori causam obiectiuam illius. Dico secundò, quod licet reuelatio precisè non sit causa, neque effectus Trinitatis, reuelatio prout connotat existentiam Trinitatis est effectus veracitatis diuinæ, & non aliter, & ideò optimè infertur: hæc reuelatio est à Deo tamquàm à causa, ergo obiectum illius existit à parte rei, quia vtrumquè simul per se conectitur cũ veracitate diuina.

Addo tandem: si aliqua esset demonstratio, quæ tantùm ex aliquo signo deduceret euidenter conclusionem, & non ex effectu aliquo, illa esset demonstratio eiusdem speciei cum demonstratione *quia*, seu à posteriori, quia modo illo confuso, & imperfecto quantùm ad *an est* conclusionem inferret, sicut quæuis alia demonstratio ab effectu, diceretur què demonstratio à posteriori, denominatione sumpta ab eo, quod in plurimũ, & regulariter contingit.

Ad vltimum relictis multis, quæ circa mentem Aristotelis, *Aristoteles* quid intelligat per causam remotam, dici possent, breuiter dico per causam remotam intelligere eam, quæ non est sufficiẽs, & adequata, sed habet se vt quid superius respectu effectus, ita vt non conuertatur cum illo, v.g. esse animal est causa respirandi, quia illud requiritur vt fiat respiratio, sed non sufficit, requiritur enim vltra habere pulmo-

pulmonē, & calidum sanguinē: quare non valet: *est animal, ergo respirat*: quia pisces animalia sunt, & non habent respirationem. Vnde neque è contra valet. *non est respirans, ergo non est animal.* Requiritur enim ad demōstrationē *propter quid*, quod medium assumptum in præmissis sit causa conuertibilis cum effectu, ita vt ex illa sola sequatur effect⁹, & semper sequatur, sicut è cōtra ipse effectus adæquatus, & cōuertibilis debet esse in demonstratione *quia*, ita quod ab alia causa prouenire non possit, si enim quis ex agitatione pulsus febrim esse probaret, illa cognitio non esset euidens, quia pulsus agitatio non semper ac necessariò ex febri nascitur, sed aliquando ex cursu, vel motu veloci. Ex quo etiam intelligi potest vulgatum illud Aristotelis assertum 1.lib. post. *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*, quod de causa adæquata respectu proprij, & cōuertibilis effect⁹ intelligi debet.

QVAESTIO II.

An in demōstratione possit esse circulus absquè vitio?

PRo declaratione aduerte, quod circulus in præsenti vocatur regressus ille, qui fieri potest à consequenti in antecedens, sumendo ipsam veritatē consequētis pro antecedente, & efficiendo consequens id, quod erat antecedēs: vt si quis conficiēs hoc argumentum, *Omnis homo est rationalis, ergo risibilis*: regrediatur per circulum à consequenti ad antecedens, dicendo: *Omnis homo est risibilis, ergo rationalis*, sumpta analogia à motu circulari, quo ab vno loco redim⁹ ad eundem, ex quo profecti sumus: inquirimus ergo in præsenti, an huiusmodi circulus, aut regressus sit semper vitiosus, & inutilis? circa quod.

Dicendū est primò: quando consequens nulla alia ratione nobis est notum, nisi propter antecedens, tunc vitium est vti circulo, ita vt per ipsum consequēs iterum probemus antecedens: ita Aristoteles hîc, & cōmunis sententia. Probatur manifestè: *Aristote.* quia tunc sequeretur, quod idē probaret se ipsum, nā si cōsequēs nō alia ratione probatur, nisi per antecedens, & rursus antecedēs solū cognoscitur per cōsequēs, de primo ad vltimū antecedens probaretur per se ipsum. V.g. si quis probaret Solē moueri, ex eo quod mouetur cælum, & non aliunde cognosceret, neq; probaret cælum moueri, nisi quia mouetur Sol, tunc idem esset, ac si probaret Solē moueri, quia mouetur Sol, quod est idem per se ipsum probare.

Secun-

Secundò probatur: quia impossibile est, quod idem omnino iudicium intellectus sit notius, & ignotius respectu eiusdé, ergo impossibile est vt idem omnino iudicium, quod erat consequens, fiat antecedens respectu illius, quod antea erat antecedens, aut è contra. Probatur consequentia: nam antecedens debet esse magis notum quam consequẽs, & propter hoc vt supra dixi, principia vniuersalissima sunt indemonstrabilia etiam à posteriori, quia respectu illorum, cum sint notissima, nihil est notius, ergo si illud quod antea erat antecedens postea fiat consequens, erit minus notum, atquè adeo notius, & ignotius respectu eiusdem. Imo etiam sequeretur quod idẽ esset notius, & ignotius se ipso, quia cum idem tunc probet se ipsum vt dixi, tunc idem esset notius, & ignoti' se ipso, quod est impossibile.

Dico secundo, quando consequens habet aliunde aliam claritatem, & certitudinem distinctam ab ea, quam accipit à præmisis, quia.s.alia via, & per aliud medium cognoscitur, tunc non erit vitium vti circulo, sed vtile. Si ego v.g. cognoui hanc veritatem: *quod Luna mouetur*, ex hoc antecedente, *quod.s.appareat in diuersis locis*: si postea alia via illud consequens scio nimirum, *quod Luna mouetur, eo quod moueatur cælum, cui est affixa*: tunc possum aliter procedens hoc consequens assumere pro antecedenti. s. *Luna mouetur, ergo apparet in diuersis locis*: quia iam cognitio illa *Luna mouetur*, non innititur principio illo: *quia apparet in diuersis locis*, sed alio: *quia est affixa in cælo, quod mouetur*, atq; adeò nõ probatur idem per se ipsum. Huiusmodi regressu vtitur Aristoteles 2.*de cælo tex*.50. vbi etiã S.Thom. Alexander, & Conimbricenses. *Aristote. S. Thom. Alexand. Conimbr.*

Probatur conclusio sic explicata: quia eadem veritas potest diuersis modis cognosci.s. aut perfecta apprehensione extremorum, aut per discursum illam deducendo ex alia, ergo fieri potest quod illa veritas, quę in vna demonstratione cognoscebatur per actum cõclusionis, & tamquàm iudicium illatum, in altera cognoscatur per actum præmissæ, qui non inferatur, sed potius inferat aliud: nam hac raratione primò procedimus à posteriori ex effectibus nobis notioribus ad causas cognoscendas, deinde cognitis perfectè causis, ex ipsis, & ex ipsa connexione extremorum reuertimur ad effectus à priori demonstrandos per illas. Sic enim ex pulsu tamquàm ex effectu cognoscimus motum cordis: postea verò motu cordis melius percepto, ex ipso tãquàm ex causa colli-

colligimus motum pulsus, & aliorum effectuum: nam sæpè cognita causa ex vno effectu notiori, regredimur per illam sic cognitam ad alios effectus minus notos probandos.

Denique id constat in his, quæ in diuerso genere causæ sunt inuicem causæ: tunc enim à priori vnum demõstratur per aliud, & è contra: per formam v.g. cognoscimus materiam, & deinde ex materia iam intellecta alia cognitione, reuertimur ad formam probandam. Similiter per operationes vitales, quę sunt causa finalis, ad quam ordinatur anima, probamus animam esse, deinde ex anima tamquàm ex causa efficiẽte deducimus ipsos actus vitales: in his ergo, & simi libus casibus vtilis est circulus, vel regressus.

QVÆSTIO. IIII.

Quales debeant esse præmissæ demonstrationis?

ARTIC. I.

Vtrum præmissæ demonstrationis sint necessariò veræ?

Omnes conditiones requisitæ expressæ sunt in Aristotelis definitione. s. est illa, *quæ procedit ex veris, primis, immediatis, notioribus, causisquè conclusionis*. Per quas omnes oportet sigillatim discurrere. Primò igitur præmissæ debent esse omnino veræ: Quod probatur: quia in hoc demonstratio differt ab omni alio genere argumentationis fallacis, vel probabilis, quod reliquæ procedunt, vel ex falsis, vel ex contingenter veris; demonstratio verò ex necessariò veris: nam præmissæ illius debẽt esse tales, vt ex illis certa, & euidens inferatur conclusio, sed non nisi ex infallibiliter, & necessariò veris talis conclusio deduci potest, ergo.

Dices: conclusio vera, & necessaria potest sequi ex præmissis falsis: ergo non petit necessariò procedere ex veris. Respondetur, hoc tantùm esse verum in syllogismo illatiuo, cuius vis nõ attẽditur ratione materiæ, sed tantùm ratione formę syllogisticæ, & dispositionis præmissarum: non tamen in discursu probatiuo, ita vt ex præmissis falsis causetur verum; quia quod non est, non potest esse causa eius quod est, aut habere cum illo necessariam connexionem à parte rei: aliàs enim demonstratio non differret à syllogismo probabili: nam vterque conueniunt quantùm ad hoc, quod est habere bonitatem illationis: solũ ergo differre poterunt, quod hic proce-

procedit ex probabilibus, ille verò ex necessariis, & euidenter veris.

Quod vrgentius confirmatur: quia aliàs sequeretur, quod scientia genita per demonstrationem posset errone esse, dariq; scientiam de obiecto falso, contra illud cōmune dictum: *Quod non est, non scitur*; id est, non demonstratur. Sequela probatur: quia scientia est conclusio demonstrationis, sed si demonstrationis præmissæ possent esse falsæ, possent saltem aliquando generare falsum, licet aliquando verum.

Dices adhuc: licet in demonstratione ostensiua, hoc semper verùm sit, non omnis demonstratio est ostensiua, aut directè probatiua; nam est demonstratio ex hypothesi impossibili, vt quando eum, qui negat hominem esse risibilem, argumentamur; *homo non est risibilis, ergo nec rationalis*. Sed respondetur, negando quod demonstrationes tantùm illatiuæ sint veræ demonstrationes, quinimo nec proprij discursus, vt dixi tractando de syllogismo in communi: in casibus autem dictis, demonstrationes illæ, cum sint hypotheticæ, efficiunt sensum verum non absolutum, sed conditionatum, tam cōclusio, quàm illius præmissæ, v.g. in discursu illo: *Petrus non est risibilis, ergo nec rationalis*, si absolutè sumatur, sicut non est verum antecedens, sed statim negari potest, ita negari debet, quod sit demōstratio. Si autem hypotheticè intelligatur: si Petrus per te non est risibilis, ergo nec est rationabilis, sic est verus, & demonstratiuus: quia supposita illa hypothesi, consequentia est vera, nam scientia conditionata, cum nihil affirmet de conditione, non petit, quod illa sit vera, sed tantùm quod ex illa inferatur. Ex dictis colligitur hanc conditionem, quod procedat ex veris, & necessarijs, etiam conuenire demonstrationi *quia*.

ARTIC. II.

An debeant esse primæ immediatæ, & per se notæ?

SVppono, quod positio in prima idem est, quod primum principium, vt docet Aristoteles c. 2. est igitur, quæ non supponit alteram priorem, per quā necessariò probetur, vt *quodlibet est, vel non est*. Circa propositionem immediatā quidam dicunt, consistere in hoc quod inter prædicatum, & subiectum illius, nullum sit interpositum subiectū medium, sed quod immediatè inter se connectantur. Sed decepti sunt vocis ambiguitate, nam aliud *Aristot.*

est

est loqui de medio physico, vel metaphysico, in ratione subiecti, vel formæ, quæ intercedit inter subiectum, & prædicatum propositionis; & aliud de logico, vel syllogistico: & hoc est illud, per quod probatur connexio inter subiectum, & prædicatum propositionis à priori, tamquàm per causam, & rationem propter quam, sed non omnis causa mediat in re inter prædicatum, & subiectum: quia plures sunt causæ extrinsecæ, quæ assumuntur vt medium conclusionis, & plures intrinsecæ, quæ non mediant, sed sunt illis priores.

Præterea sequæretur, quod omnis demonstratio, in qua prima passio demonstratur de subiecto, & in qua secunda passio de prima deducitur, essent ex immediatis, quod est falsum, & contra Aristotelem, & S. Thom. hîc definientes propositionem immediatam illam esse, quæ non habet aliam priorem, per quam probetur, tamquàm per mediū; quod etiam repetit S. Thom. *tract. 4. de syllogismo.* Sed dictæ propositiones sunt demonstrabiles à priori, vt propositi Authores fatentur: ergo habent aliud prius medium, quo probari possint. Ista v.g. *Omne admiratiuum est risibile* à priori probatur per radicem vtriusque, quæ est rationale.

Aristote. *S. Thom.*

Declaratur hoc amplius: quia Arist. *tex. 15. lib. 1.* dicit propositiones immediatas indemonstrabiles esse, quia non habent aliud medium, quo probari possint: ergo non est satis sola immediatio in ratione subiecti, vel formæ interpositæ, sed requiritur ea, quæ importat carentiam medij, quo à priori vt causa pro bari possit. A priori dico, nam à posteriori optimè probari potest: & etiam syllogismo ducente ad impossibile, vt notat Caietanus. Sic omnis propositio prima, & immediata probari potest vniuersalissimo illo principio: *Omne vel est, vel non est*: quia in eo non assignatur causa, quare prædicatum conueniat subiecto, sed contra proterue negantes propositiones immediatas intendimus conuincere illos, eos deducendo ad impossibile.

Aristote. *Caietan.*

Insuper aduerto, quod non solùm propositiones affirmatiuæ, sed etiam negatiuæ dicuntur immediatæ illæ, cuius extrema distinguntur ratione differentiarum, quibus infimæ cōstituuntur, vt si dicas: *rationale non est hinnibile.* Ratio est, quia inter illa est primò diuersitas infima: est enim differentia infima prima radix distinctionis essentialis, ac proinde non habens aliam priorem, aut medium, per quam demonstretur. Similiter supréma omnia genera primò diuersa, vt substantia non est accidens. Si verò distinguantur per alias rationes superiores vt

vt *homo non est lapis*, non sunt immediatæ; quia hæc: *homo non est lapis*, habet sensibile vt medium, quo probari possit.

Quid sit propositio per se nota?

Deniquè propositio per se nota illa est, *quæ est ex suis terminis nota*, id est, ex sola apprehẽsione terminorum ipsius, ita vt alia non indigeat, per quam probetur. Distinguitur enim propositio per se nota ab ea, quæ est per aliud nota, sicut distinguuntur visibilia, quæ à natura habẽt insitam lucem, vt Sol, & alia corpora luminosa, ab illis, quæ vt videantur, indigent lumine ab alio recepto: sic inter cognoscibilia, aut visibilia intellectu, quędã sunt, quæ ex se, & ex proprijs terminis sunt nota sine alterius præuia cognitione ea illuminãte, vt ita dicam, & reddente illa actu intelligibilia, & ista dicuntur per se nota. Alia sunt, quæ indigent extrinsecis principijs, quibus notificentur, quæ ob id dicuntur per aliud nota.

S. Thom. Secundò suppono ex S. Th. in triplici differentia esse propositiones per se notas. Aliæ sunt per se notæ quoad nos, licet non immediatam habeant connexionem inter prædicatum, & subiectum: vt hæc: *nix est alba*: in qua albedo non habet immediatam connexionem cum niue, & nihilominus est notissima intellectui, & sensui, ideoquè Aristoteles ait 2. *topic*. qui negauerit niuem esse albam, indiget sensu, non medio. Secundò potest esse propositio per se nota in se, vel secundùm suam naturam, non tamen quoad nos; illa. s. quę non habet supra se aliam priorem, per quam sit nota, licet quoad nos talis connexio immediata terminorum non cognoscatur, nisi vtamur inductione aliqua, vel notitia, qua à posteriori nobis innotescat: vt *Deus existit*. Tertiò potest esse propositio per se nota, & quoad se, & quoad nos, quia. s. nequè secundùm se, nequè quoad nos indiget medio, quo nota fiat. *Vt quodlibet est, vel non est: totum est maius sua parte, &c.*

Idem proportionabiliter, quod de propositionibus per se notis, dicendum est, de primis, & immediatis; quia reuera sunt conuertibiles, solùmquè differunt penes conceptus magis, & minus explicitos eiusdem propositionis indemonstrabilis. Quod facilè sic probatur: nam esse propositionem primam, est non habere supra se aliam priorem in discursu syllogistico, quo probetur, sed ab ipsa discursum absolutè incipere: esse autem immediatam, est non habere medium, quo tamquàm principio, aut pręmissa talis propositio demonstretur, immediata enim idem denotat ac sine medio, medium

autem

autẽ logicè est propositio, quæ assumitur vt præmissa ad aliam probandam: Rursus esse propositionem per se notam est taliter ex suis proprijs terminis notam fieri, vt minimè alia indigeat, per quam notificetur: particula enim per se, alterius necessitatem excludit: ergo propositio per se nota idẽ est quod immediata & prima, tantùmq; explicant tria hæc nomina tres conceptus explicitos eiusdẽ propositionis indemonstrabilis.

Confirmatur: quia Aristoteles tex.5. vel 10. ait propositiones primas, & indemonstrabiles easdem esse, idemquè ait de propositionibus immediatis. s. idem esse quod indemonstrabiles. Itẽ S.Thom. definit propositionem per se notã illam esse, cuius prædicatum est de essentiali ratione subiecti, quod non alia ratione verum est, nisi quia talis propositio est immediata, & prima, eo quod nihil mediat inter essentiam, & rem cuius est, nihilquè prius cõuenit alicui quã sua essentia: ergo propositio per se nota idẽ quod prima, immediata, & indemonstrabilis est.

His positis statuitur secunda conclusio.

Secũdò dico nõ est necesse, quod omnis demonstratio procedat ex præmissis, quæ sint primæ, immediatæ, & per se notæ actu & formaliter, sed satis est, q̃ virtualiter sint tales. Docet Aristot.1.topic.c.1. vbi ait: *Demonstrationem constare ex primis & immediatis*, & 2. post c. 2. inquit, *non scimus perfectè, nisi sciamus resoluere conclusionem vsq; ad sua prima principia*, in quibus verbis supponit non omnẽ demonstrationẽ actu constare ex primis, sed virtualiter, quatenus est resolubilis vsq; ad prima.

Probatur ratione: nam eo ipso quod syllogismus procedat ex principijs certis, & euidentibus, habet certam & euidẽtem conclusionem, essentialiter distinctam ab omni alia opinabili, aut sophistica: ergo conuenit illi per hoc præcise ratio demonstrationis scientiam generantis, etiam si eius præmissæ non sint indemonstrabiles. Quod autem requiratur saltem implicita, & virtualis inclusio primarum, & indemonstrabilium, probo quia eo ipso quod præmissæ demonstrationis non sint per se notæ, sed per alias, non habebit de illis certitudinẽ intellectus, nisi vel actu resoluat eas in sua prima principia per se nota, & quoad nos: vel saltem virtualiter & implicitè cognoscat talia principia in ipsis inclusa, quia sicut ea, quæ non sunt visibilia per se, sed per lumẽ extrinsecũ, indigent lumine, quo videantur, sic quæ nõ sunt per se nota, & visibilia intellectui, indigent vt

illuminentur & innitantur ijs, quæ sunt per se nota & certa. Qua distinctione incorrupta manet Philosophi authoritas, & suæ definitionis bonitas.

ARTIC. III.

Vtrùm debeat esse notiores, priores, & causæ conclusionis.

DVpliciter præmissæ dici possunt causæ conclusionis. Vel obiectiuè sumptæ, ita vt in genere rei sint causæ obiectiuæ conclusionis. Vel ita vt in cognoscendo, vel in ratione obiecti motiui, & præcogniti sint causæ concurrentes ad assensum cóclusionis. Vel quantum ad formales ipsarum actus, qui concurrunt etiam vt rationes cognoscédi incognitæ. Priori ergo modo solùm dicuntur causæ respectu demonstrationis *propter quid*, seu à priori de qua loquebatur ibi tantùm Philosophus, nam sæpè talem demonstrationem definit esse cognitioné per causam propter quá res est. Et sic etiá dicuntur priores, & notiores natura sua, & quantùm ad se, quia causa in essendo prior debet esse natura sua, & notior, quá effectus, qui per illam probatur. Nam illa dicuntur notiora quantùm ad se, vel secundùm naturam, quæ ex natura petunt prius, & perfectius cognosci, cuius modi sunt causæ respectu suorú effectuú, quæ sicut ab illis non pendent in esse, ita nec in cognosci quantùm est ex se, sed potius è contra; licet quoad nos propter imperfectionem intellectus nostri contingat effectus notiores esse priores, & causas conclusionis in cognoscendo, respectu.s. demonstrationis *quia*, seu à posteriori, quatenus.s. ex cognitione effectus deuenimus in cognitionem demonstratiuam causæ. Ex quo patet huius modi particulas etiam demonstrationi in communi adaptari posse.

Arist. 1. *post. tex.* 5. *vel.* 7. 9. & 11. 1. *physic. tex.* 1. 2. *post. tex.* 48. 6. *Ethic. c.* 3

Præterea secúdò aduerto, nó esse necessariú, quod causa in essendo, vel in genere rei in demóstratione *propter quid* sit rigorosa, & formalis causa physica, qualis est finalis, efficiens, aut materialis, satis enim est, vt aduertit Caieta. quod sit causa virtualis, vel metaphysica solùm nostro modo concipiendi distincta, vt possit esse ratio à priori respectu alterius vt conclusionis, quia ratio solú virtualiter distincta, potest esse notior, ac proinde cócurrés, vt patet in demóstrationib⁹ Theologicis, quibus demonstramus à priori æternitaté per immutabilitatem, voluntatem per intellectú, &c. & in humanis ratio animalis demonstratur, sic per rationem sensibilis, &c.

Deni-

Deniq; ex dictis colligitur sumendo præmissas, vt sunt causę in cognoscendo, debere esse certiores quoad nos, quam conclusio, licet quantùm ad se nō sint magis certę & notę. Quoad primam partem latè probatum est supra. Et secunda etiam patet in demonstratione quia, quæ procedit ab effectu, qui est certior sensibilior, & notior nobis, & idcirco assumitur, vt medium ad probandam suam causam.

ARTIC. IIII.

Vtrùm debeāt esse necessariæ, & per se?

Licet in dictis omnes rectę demonstrationis conditiones includantur, ad perfectiorem earum intelligentiam restat exponere terminos in titulo positos. Primo enim vt intelligatur quid sit propositio de per se, notandi sunt quatuor modi dicendi perse; qui numerantur ab Aristotele *c. 4.* Primus modus quasi antonomaticè dicitur per se prædicandi, & est quando prędicatum est in recto de intrinseca ratione subiecti: ad quem pertinent omnes propositiones, in quibus pars definitionis, vel tota definitio essentialis, aut aliquod prædicatum in ea essentialiter inclusum de definito prędicatur, vel vna definitio alicuius rei de alia definitione eiusdem obiecti enuntiatur, vt si dicas: *Animal rationale est constans ex anima rationali & corpore.* Ad hunc etiam reduci possunt propositiones identicæ, quia sunt essentiales, licet nō formales, quatenus prædicatum est omnino idem quod subiectum. Etiā propositiones indirectę ad hunc modum perseitatis reducuntur, si contingat in illis prædicatum esse de intrinseca ratione subiecti, vt in hac: *albū est corpus*, vt optimè Caietanus aduertit. Secùs verò si prædicatū in propositione indirecta nō sit de intrinseca subiecti definitione, vt in hac: *animal est rationale. Viuens est homo*, quoniam accidentaliter conuenit animali, quod sit rationale. Excluduntur tamen ab hoc primo modo propositiones, quarum subiectum est accidens, vt *homo est albus: homo albus est rationalis*, quæ 2. propositio ideo non est quidditatiua; quia ibi particula *albus* significat connexionē accidentalem, & efficitur sensus quasi reduplicatiuus: nā homo ibi sumitur materialiter: prout substat albedini, homo autem in quantùm albus non est essentialiter rationalis, sed accidentaliter.

Secundus modus dicitur per se in hærendi, quando. s. subiectum est in obliquo de definitione prædicati, id est, quando es-

sentia prædicati definitur, & cōstituitur per habitudinē ad subiectū. Ad hūc pertinēt omnes propositiones, in quibus passiones, quæ dimanāt ab essentia rei, prędicantur de subiectis suis, & illæ etiam, in quibus tertia passio prædicatur de secunda, à qua dimanat, & secunda de prima.

Rogabis, vtrum hęc propositio sit per se secundo modo: *Petrus est risibilis*? Quidam negant, quia Petrus vt talis est, non ponitur in definitione risibilitatis, nequè in recto, nequè in obliquo: nam risibilitas non est proprietas Petri, sed hominis. Sed melius dicendum est, esse per se secundo modo: quia sicut ista est per se primo modo: *Petrus est rationalis*, quia est prædicatio differentiæ tertij prædicabilis, licet mediata, & ista speciei secundi prædicabilis *Petrus est homo*, ita *Petrus est risibilis*, est prædicatio mediata quarti prædicabilis, ac proinde per se secundo modo. Nam licet risibilitas non conueniat immediatè Petro, vt Petrus est, conuenit illi vt homo est, quia Petrus vtrumquè essentialiter includit, & humanitatem, & differentiam indiuidualem: cum sit prima substantia essentialiter includens secundas, quę sunt genera & species, teste Aristotele cap. de substantia.

Nequè est simile de propositione illa: *homo albus est rationalis*, in cuius subiecto includitur essentialiter homo; nam homo comparatur ad albedinem tamquam ad formam accidentalem, Petrus autem ad humanitatem tamquam ad formam substantialem, & sibi omnino intrinsecam, ac quidditatiuam.

Tertius modus est per se existendi, quando res aliqua sumitur, vt per se existens, aut subsistens, & nō vt alteri inhærēs; qui modus propriè conuenit solis substantijs. Ad illum etiā reducuntur, etsi in alio sensu minus proprio accidētia, quę diuinitùs per se existūt in Sacramēto Eucharistiæ, & reliqua accidentiā, si in abstracto cōsiderētur, quia licet in re semper alicui subiecto inhæreant, obiectiuè in modo significandi, & prædicādi intelliguntur vt entia per se, & sic in prædicamentis collocantur, ac si per se existerent.

Quartus modus dicitur per se causandi, quando aliquid est per se causa alicuius effectus, id est, ratione sui influēs in illū: ad quē modū nō est necessè quod effectus per se, & necessariò sequatur ex tali causa; satis est quod causa sit per se, & intrinseca natura ordinata ad talē effectū, licet sint etiā alię causę, ex quibus talis effectus etiā possit procedere: vnde sola causa per accidēs excluditur ab hoc modo per se; vt quando fodiens terram dicitur inuenire thesaurum.

Item

Item aduerte, quod vt propositio aliqua sit per se in primo, vel secundo modo, debet esse necessaria & *de omni*, vt hic optimè probat Sotus ex Aristotele *cap.* 4. quia postquam numerauit primũ & secundũ modum dicendi per se, ait, quod reliqui sunt accidentales, quia non prædicantur vt essentia, vel propria passio, supponit ergo duos priores esse necessarios.

Præterea: si alij duo modi perseitatis considerentur, non sic dicuntur, quia prædicatum per se conueniat subiecto, sed vel quia est ens per se, vel quia est causa perse, vt distinguitur à causa per accidens, & ita *homo est ridens*, est in quarto modo dicendi per se, licet ridere accidentaliter conueniat homini.

Colligitur tandem circa quartum modum perseitatis, quod sicut quatuor sunt genera causarum, vt dicitur in 2. *phis.* ita quatuor sunt genera perseitatis huius quarti modi. Aliud causæ efficientis vt cum dicis: *ædificator ædificat.* Aliud finalis, *vt medicina est propter sanitatẽ.* Aliud materialis, quomodo domus dicitur cõstans ex parietibus, quę etiam secundum aliam considerationem reducitur ad primum modum, quatenus est propositio essentialis. Quartus est in genere causæ formalis, vt cum dicitur *homo albus* (propter albedinem.)

Quo supposito, dicendũ est: solùm ad perfectissimam demõstrationem *propter quid* requiritur, quod constet ex præmissis necessarijs, aut per se aliquo ex quatuor modis assignatis: idquè dumtaxat voluit Aristoteles: possunt tamen dari demonstrationes minus perfectæ, quarum præmissæ non sint per se aliquo ex dictis modis, sed tantùm sint necessariæ secundùm quid, vel ex suppositione, & contingentes simpliciter, & absolutè, vt patebit infra explicando de quibus obiectis possit esse scientia. *Aristot. c. 4. & 8.*

Dixi tamen requiri semper ad demõstrationẽ *propter quid*, quia cum hæc procedat ex causa latè sumpta, prout compræhendit omnem dependentiam vnius ab alio, siuè realem, siuè rationis, qualis est inter prædicata essentialia, necessariò pertinere debet ad aliquem ex dictis modis enumeratis.

ARTIC. V.

Vtrùm debeant esse de omni: de vniuersali: & secundũ quod ipsum?

PRopositio de *omni* est illa, cuius prædicatum conuenit omni contento sub subiecto,

iecto, & pro omni tempore importato per copulam. Si autem fuerit singulare, dicetur etiam propositio de *omni*, si prædicatum fuerit proprium illius indiuidui, quia debet eo ipso conuenire cuilibet rationi, de qua verificatur in recto tale indiuiduũ, & pro omni tempore importato per copulã. Quod propterea animaduerto, quia non est necessarium, quod absolutè pro omni tempore conueniat, sed pro illo quo iuxta suam naturam prædicatum petit conuenire subiecto, tempore, s. à natura statuto: nam propositiones in quibus demonstratur, quod homini conueniat in senectute canescere, lunæ tali tempore eclipsari &c. sunt propositiones de *omni*: idem proportionabiliter dicendum est de *nullo*.

Circa propositioné de pręedicato vniuersali, notandum est, hîc non sumi *vniuersale* prout est modus subiecti, ratione cuius constituitur propositio vniuersalis, vt *omnis homo est animal*: neque prout est modus prædicati communis multis, vt definitur in prædicabilibus, sed specialius in arte posterioristica accipitur pro eo, quod conuenit subiecto *secundũ quod ipsum*, vel *primò*, quale est prędicatũ huius propositionis: *homo est rationalis*. Ita explicat illud Aristoteles in dicto *c.* 4. dicens expresse, *vniuersaliter aliquid addere supra duos alios terminos, dici de omni, & per se*: quod additum explicat in hoc consistere, quod conueniat subiecto *secundum quod ipsum*, vel vt tale est. Conuenire autem aliquid alicui *secundũ quod ipsum*, vel vt tale est, est cõuenire subiecto conuertibiliter secundum suam propriam rationem, & differentiã specificam, secundùm quam distinguitur ab omni alio; vt explicat S. Thõ. 2. contra Gent. *cap.* 15. qua ratione prædicata generica, aut superiora non prædicantur vniuersaliter, *secundum quod ipsum* de specie, licet dicantur de illa per se in primo modo, & *de omni*. Quod patet: nam homo v.g. vt talis est, distinguitur ab equo & leone, sed per genus animalis non distinguitur ab eis, sed potius cum eis conuenit, ergo animal non dicitur de homine secundùm quod talis est, & *secundùm quod ipsum*, atque adeo neque vniuersaliter, licet dicatur per se & *de omni*. Confirmatur: quia nihil conuenit alicui vt tale est, & *secundùm quod ipsum*; nisi quod est sibi proprium; & non commune alijs: nam quod est commune secundùm rationem communem, & non secundùm specialem, & talem conuenit.

Propositio autem de prædicato primo idem est, quod propositio

positio de *vniuersali*, & *secundumquod ipsum*: non enim est idem quod propositio prima, & immediata, de qua supra egimus: est tamen illa, in qua prædicatum conuenit subiecto secundum suam primariam, & specificam rationem, siuè sit immediata, vt *homo est rationalis*, siuè sit mediata, vt *homo est risibilis*.

Quo supposito, vltimo dicẽdum est, ad perfectissimam demonstrationem requiri, quod procedat ex prædicato *vniuersali*, & *secundum quod ipsum* non tamẽ id est necessariũ, ad quamlibet aliam. Prima pars patet: quia demonstratio perfectissima est illa, in qua demonstratur propria passio de suo subiecto adæquato, & conuertibili per causam propriam, & adæquatam, vt cum probamus *hominem esse discursiuum*, *quia est rationalis*.

Secunda pars constat in alijs demonstrationibus, in quibus demonstratur aliqua passio de suo subiecto inadæquato, vt in hac hac rationale habet potentias sensitiuas, Petrus est rationalis, ergo habet potẽtias sensitiuas.

Paterquè à priori: quia demonstratio in commum solùm petit, quod procedat ex præmissis certis, & euidentibus, nam per hoc præcisè generabit scientiam, siquidem talis cognitio nõ est opinatiua, sed nihil obstat, quod dentur multæ præmissæ certæ, & euidentes, & omnino necessariæ in primo modo dicẽdi per se, quæ non sint de *vniuersali*, *primo*, & *secundum quod ipsum*, vt visum est, ergo ex illis inferri potest certa, & euidẽs conclusio.

QVÆSTIO V.

Quid sit scientia actualis, & in quo cõsistat?

ARTIC. I.

Scientia tripliciter accipi potest. Primò latissimè pro quacumquè cognitione certa siuè incerta: quomodo cognitio, quam habeo nunc, *quod Rex sit Matriti, vel Pontifex Romæ*, dici potest scientia. Secundò accipi potest minus latè pro quauis cognitione certa, & euidente, siuè habeatur per discursum, siuè non: & in hoc sensu cognitio, quam Deus habet de rebus, cognitio etiam beatorum in patria, & cognitio euidens primorum principiorum, quæ in nobis datur, dicuntur hoc modo scientia. Tertiò deniquè magis strictè accipitur pro cognitione discursiua certa, & euidente, & de scientia in hac tertia

acceptione est sermo in præsenti, quia illa est, quæ per demonstrationem acquiritur: quæ sic sumpta diuidi potest in scientiam à priori, & à posteriori, quam diuisionem iam explicui.

Rursus hæc scientia duplex est. Alia actualis, cognitio, s. quę per demōstrationem acquiritur, vel actus conclusionis, qui gignitur ex præmissis. Alia est sciētia habitualis, s. habitus quidā, seu facilitas acquisita ex continua repetitione actuum demonstrationis. Loquimur nūc de sciētia actuali; nam habitualis fusè satis declarabitur in metaphysica, ad logicum enim impertinens est eius tractatus, cum parum referat ad notitiam modi sciendi.

Aristote. Hanc igitur scientiam optimè definiuit Aristoteles sic: *Scire est per demonstrationem cognoscere*, id est, cognitio habita per discursum euidentem, seu demonstratiuum: in qua definitione demonstrationem sumit pro præmissis, ac si dicat: *Scientia est cognitio certa, & euidens illata ex præmissis certis, & euidentibus.* Quam definitionem esse optimā, ex eo constat, quod exactè explicat naturam scientiæ discursiuæ in communi, nam illa particula *cognoscere* se habet vt genus: illa verò *per demonstrationem* se habet vt differētia, per quam distinguitur ab opinione, Fide Diuina, à cognitione primorum principiorum, & scientia beatorum. Ab opinione namquè distinguitur, quia non est cognitio omnino certa, nequè euidens; à Fide verò diuina: quia licet sit certissima, non est euidens, nec habetur per discursum: similiter à cognitione primorum principiorum, & sciētia beata, quia licet sint certæ, & euidentes, nō sunt discursiuæ.

Aliam definitionem tradit c. 2. sic: *Scire est rem per causam cognoscere, & quoniam illius est causa, & quod non contingit aliter se habere.* Sed hæc definitio non continet scientiæ in communi definitionem, quod indicat ipse contextus: ait enim Aristoteles. *Si igitur est alter modus sciendi postea dicemus.* Si autem philosophus intendisset definitionem tradere scientiæ in communi, non remaneret alius modus sciendi hìc non comprehēsus, nec illum explicandum promitteret in sequētibus, sicut reuera fecit c. 11.

Aduertendum deniquè est, Aristotelem solùm definisse sciētiam, quæ solùm nititur principijs naturalibus, quia hanc solā agnouit, potest tamen nomen scientiæ extendi ad eam, quæ principijs supernaturalibus fidei nititur, qualis est Theologia, quæ vt comprehendatur sub cōmuni definitione scientiæ, auferenda est particula illa *euidens*, alijs seruatis.

A R-

ARTIC. II.

Quid sint certitudo, & euidentia, & an sint de essentia scientiæ actualis?

NOmine certitudinis intelligitur firma intellect⁹ adhæsio ad obiectum cognitum, per quam absquè vlla dubitatione iudicat intellectus obiectum à se cognitum non posse aliter se habere: sic explicat certitudinem D. Tho. hæc autem intellectus adhæsio duplex est. Vna, quæ prouenit ex parte obiecti, & rationis formalis propter quam intellectus assentitur, vel dissétitur alicui obiecto. Alia verò, quæ prouenit illi ex voluntate, seu pia affectione. Voluntas enim aliquando per affectum, & amorem facit intellectũ considerare, quę iuuant ad assensum alicuius rei volitæ, diuertitquè eum ab obiectis, quæ mouere possunt ad dissensum: & de hac certitudine non est dubium, quin accidentalis sit scientiæ, cum proueniat non ab obiecto, sed ab extrinseco, à voluntate. s. potestquè esse communis actui opinionis, & erroris.

S.Th. 3. d. 26. q. 2. art. 4.

Vnde de hac adhæsione dixit Aristoteles, esse quosdã suis opinionibus, & erroribus mágis adhærentes, quàm alij adhærent suis scientijs: solùm ergo procedit difficultas de prima certitudine, & intellectus adhæsione, quæ prouenit actui scientifico ex propria natura, & ratione formali sui subiecti.

Aristote.

Secundo suppono, quod euidentia est quædam claritas cognitionis, qua res in se ipsa, vel in causa, vel in aliquo signo, vel effectu clarè intuetur. Diciturquè res ita cognita euidens, quia ita clarè cognoscitur, ac si videretur. Differt autẽ à certitudine, quia certitudo solùm dicit firmam adhæsionem ad obiectũ, euidentia tamen superaddit claritatem, qua ita adhæremus subiecto, vt eius opposito non posimus assentiri, si talis euidẽtia perseueret. Sed hęc euidẽtia duplex est. Alia mediata, & alia immediata. Mediata est, quę habetur virtute præmissarum. Immediata verò, quę solùm habetur virtute apprehẽsorũ. His positis.

Dicendum est primò, certitudinem conuenire scientiæ immediatè per suammet entitatem. Hæc conclusio communis est omnium sentẽtia. Probatur primò ex definitione ipsius certitudinis, quę nihil aliud est, quàm firma intellectus adhæsio, seu determinatio ad obiectum, sed intellectus per ipsummet scientiæ actum formaliter, & firmiter adhæret obiecto: vt patet, ergo actus scientiæ se ipso reddit

reddit intellectum, & consequenter certitudo est illi aliquid essentiale.

Probatur secundò à priori: quia quæcumquè conueniunt actibus intellectus ex obiecto suo formali (nēpe ex medio posito in antecedente demonstrationis) siuè ex ratione assentiendi conueniunt illis essentialiter: inde enim desumunt actus suam essentiam, sed certitudo conuenit actui scientiæ ex ratione formali ipsius, nempe ex principijs demonstrationis, quæ sunt omnino certa, & necessaria: ergo certitudo est essentialis actui scientifico.

Euidentia non solùm requiritur ad notitiam scientiæ, sed est illius prædicatum essentiale. Loquor de sciētia strictè sumpta, quæ gignitur ex principijs naturalibus. Hæc conclusio est *S.Th.1.2. q.67.art. 3. & de verita. q. 14. ar.9.* D.Thom. dicentis visionem, & euidentiam esse de ratione scientiæ, & 2.2.*q.*1.*ar.*5. hac vna ratione probat, idem non simul credi, & sciri, *quia de ratione Fidei est obscuritas, claritas verò de ratione scientiæ.* Colligiturq; *Aristo.1. poste.c.2.* ex Aristotele *c.* 2. & alibi sæpè vbi docet, & probat, scientiam discursiuam prouenire ex propositionibus immediatis, sed omnes propositiones immediatæ cognoscuntur euidenter: ergo & conclusiones ex ipsis illatæ; quia talis est semper conclusio, quales sunt præmissæ.

Ratione præterea probatur: qua vsi sumus ad probandam certitudinē: eadem indiuisibili entitate actus scientiæ fertur intellectus in obiectum certò, & euidenter, nequè est aliquomodo diuersa, aut separabilis, ergo non potest conuenire scientiæ euidentia accidentaliter, sed ab intrinseco, sicut certitudo.

Deniquè à priori probatur: quia sicut certitudo conuenit scientiæ ex obiecto suo formali, quia illud est in se necessarium, ita euidentia conuenit scientiæ ratione sui obiecti, vel medij, quod est ratio euidens assentiendi, ergo sicut propter hoc certitudo est essentialis, ita euidētia. Vnde colligo euidentiam non esse eiusdē rationis in omnibus actibus sciētificis, sed diuersam, & maiorem, aut minorem pro ratione medij, & obiecti formalis illorum, quod potest esse magis, aut minus euidens. Et idem dico de certitudine: nam actus Fidei magis certus est, quam scientia naturalis, quia ille innititur veracitati diuinæ tamquā rationi formali, quæ perfectior, ac firmior est omni alia certitudine creata. Similiter maior est certitudo, & euidentia principiorum, quam conclusionis, quia tota certitudo, & euidentia cōclusionis pendet à certitudine, & euidentia principiorum tamquàm à ratione magis nota.

Sed obijcies aduersus dicta

Aristo-

Aristotelem, qui definiens scientiam, non meminit euidentiæ, vt patet in definitionibus illius adductis: ergo signum est, non esse de ratione scientiæ. Respõdetur, quod certitudo naturalis, quam solùm agnouit Aristoteles, non potest separari ab euidentia, & ideo dum certitudinem requirit, etiam euidétiã supponit. Addo tamẽ, quod quando Aristoteles docuit scientiam procedere exprimis, & immediatis, aperte dixit illam debere esse euidentem: nam prima principia, & immediata sunt euidentissima, ergo cognitio, quæ certo illis innititur, euidentiam necessariò participare debet. Hæc omnia dicta sunt de scientia naturali strictè sumpta, nam latiori acceptione, vt art.1.notaui, scientia definiri potest: *Est cognitio certa ex principijs omnino certis deducta*, quomodo cõprehendit Theologiã, quę vera sciẽtia est, à fide, & opinione diuersa. A fide inquã, quia est cognitio discursiua, fides verò non: & ab opinione: quia est omnino certa, cum ex principijs fidei omnino certis oriatur, opinio verò non ita.

ARTIC. III.

Vtrum de contingentibus, & de ente per accidens sit scientia?

Ratio dubitandi est: quia omnis demonstratio debet procedere ex necessarijs: ergo scientia, quæ est conclusio demonstratiuã, debet esse necessaria. Cõseq. patet, & probatur antecedens ex definitione demonstrationis, quam tradit Aristot. c. 4. *Scire est rem per causam cognoscere, quæ non possit aliter se habere*, patetquè ex his, quę supra diximus, s. *demonstrationem procedere exprimis, immediatis, de per se, & omni, &c.* Patetq; etiam ex communi omnium sententia asserente, scientiam debere esse infallibilem & de perpetuis, ac necessarijs, aut incorruptilibus, ergo non potest esse de contingentibus. Nam contingentia, & necessitas sunt prædicata, valde opposita respectu eiusdem.

Nihilominus dicendum est, de corruptibilibus, & contingentibus, quæ physicè corrumpi possunt, vt homo, & equs, potest esse scientia, non verò de contingentibus, quæ metaphysicè, id est, quoad connexionem prædicati cum subiecto corrũpi possunt,

possunt & sunt variabiles, ita vt non importent certam aliquam connexionem cum aliqua causa, aut medio, ex quo posint eui denter inferri.

Secunda pars patet ex ratione dubitandi, quæ hoc tantùm probat. Prior verò probatur ab Arist. 4. meth. & à doctoribus, qui obiectum philosophiæ docent esse physicè corruptibile, vt videre est apud Fonsecam, & Conimbricenses; patetque discurrendo per sciẽtias, multa demonstrari, quæ physicè contingentia sunt. Astrologus enim demonstrat eclypsim futurã; quot futuræ sint pluuiæ in hieme, & quot calores vigeant in æstate; & in philosophia morali, &c.

Fonsec. 2. meth. c. 1. q. 1. 54. Coimbr. in procœmio phys. ar. 4. ad. 1

Quod vt magis declaretur, aduerto, duobus modis contingere rem aliquam esse necessariam. Simpliciter. s. & ex suppositione. Necessarium simpliciter est illud, quod ex propria natura tale est, vt non posit nõ esse, v.g. ꝙ homo sit animal. Necessarium verò ex suppositione est quod ex propria natura potuit esse, aut non esse tale: vt corpus disgregare visum non est necessarium secũdum naturam corporis, sed contingens: ex suppositione verò quod sit album, necessarium est illi visum disgregare.

Præterea, necessarium simpliciter habet latitudinem, quia vel potest sic necessarium dici, quia eius oppositum implicet contradictionem; vt hominem esse rationalem, ita est necessarium, vt eius oppositũ omnino repugnet. Vel secundò dici potest necessarium naturaliter secundùm rectum ordinem causarum naturalium, licet supernaturaliter impediri posit, vt hominem esse risibilem. Vel tertiò potest dici necessariũ, quod non potest non esse per virtutem causarum, licet rarò posit per eandem virtutem non esse. Et iuxta hos gradus necesitatis distinguendæ sunt diuersæ propositiones & demonstrationes, quæ tantò perfectiores erunt, quantò obiectum fuerit magis indefectibile & necessariũ, ideo quò philosophia naturalis & moralis, quæ constant ex pluribus propositionibus, quæ solùm vt in plurimum sunt veræ, censentur imperfectiores scientiæ, quia infimum locum certitudinis tenent inter alias.

Denique aduerto ad propositionẽ per se, aut necessariam, non esse necessarium, quod sit per se omnibus modis, sed sufficit, quod vno ex quatuor modis assignatis ab Aristotele dicatur per se & necessaria, atque adeo cum sint duo modi prædicandi, s. primus & secundus: & tertius modus per se essendi, & quartus modus per se causandi, stare potest, quod res per accidens existens, v.g. actualis in-

tes

terpositio terræ per se causet eclypsim, & hæc perseitas in causando sufficiet, vt terminet scientiam necessariam. Similiter quod res corruptibilis quantùm ad existentiam, sit indefectibilis quantùm ad essentiam, ac proin de quod terminet sciẽtiã quoad hãc posteriorem rationem, licet non quoad priorem. Ex quo soluta manet tota dubitandi ratio: respondetur enim idem obiectum secundùm diuersas rationes posse necessarium esse, & contingens: ac proinde contingens in quãtùm necessarium est aliquomodo ex dictis, posse terminare certam, & euidẽtem scientiam.

Quomodo de ente per accidens sit scientia?

Duplex est ens per accidens. Aliud quod est merè casuale, & formatur, vel componitur, & resultat ex duobus per accidens, & fortuitò concurrentibus: vt cumulus lapidum, album esse musicum, &c. Aliud est ens per accidens, quod resultat ex duobus naturaliter concurrentibus, & vnitis: vt album: quantùm homo albus, &c.

De primo igitur certum est, non posse dari scientiam: docet enim id expresè Aristoteles, & patet: quia de illo non potest esse cognitio certa, & infallibilis, qualis requiritur ad scientiam,

Aristote. 6. li. met. tex. 5. 6. & 7.

& de hoc genere entis per accidens intelligendi sunt philosophi, qui negant de illo dari scientiam.

De primo autem benè potest esse scientia, & propter hãc rationem à multis dicuntur entia per se, & reuera sic dici possunt saltem secundùm quid, sumendo latè nomen *per se*, prout significat idem, quod naturaliter, quomodo albedo per se dici potest inesse homini, id est, naturaliter, licet in alio sensu magis stricto dicatur per accidens illi aduenire, quatenus non pertinet ad substantiam intrinsecam hominis. Sed quidquid de hoc sit, probatur ex Aristotele, & omnibus philosophis, qui de huiusmodi entibus per accidens definitiones, & demonstrationes tradunt, & varias scientias admittunt: vt circa qualitates attemperatas philosophiam, & medicinã: circa numeros arithmeticam: circa numerum sonorum, & lineam visualem, musicam, & perspectiuam: &c. Patet quę ratione, quia omnia hæc obiecta habent suas propositiones, quæ de illis possunt demonstrari, vt de numero quod sit diuisibilis in plures vnitates, quod sit par, & impar, &c. de temperamento primarum qualitatum, q̃ causet colores, sapores, &c. ergo.

Confirmatur, quia huiusmodi entia, licet constent ex pluribus

bus entibus completis, pluralitas eorum tantùm materialiter se habet respectu scientiæ, quæ habetur de illis, formale verò, quod directè terminat, est vnio, vel ordo naturalis, aut per se istarũ partium, licet aliàs sint quid completum: & hęc est vna definibilis, ac demõstrabilis, &c. sic enim de naui demonstratur, quod sit instrumentum aptum ad nauigandum, & de domo, de pulchritudine; & alijs huiusmodi entibus plura demonstrãtur, quia quamuis coalescant ex pluribus rebus aliàs cõpletis, prout vniuntur tali, vel tali modo, possunt per se quarto modo concurrere ad aliquos effectus, quos si aliter disponerentur minimè efficerent; ac proinde sunt aptum subiectum, vt de illis tales effectus, & proprietates demonstrentur: vt de medicamentis ex pluribus herbis, & liquoribus diuersæ rationis, compositis manifestè constat.

ARTIC. IIII.

An de singularibꝰ possit esse scientia?

PRimò suppono, quædam singularia esse, quæ non distinguntur à natura specifica vllo modo, vt Deus, & Angeli in sententia S. Thom. qui tenet nõ multiplicari propter hãc rationem plures sub eãdem specie: & de his certum est apud omnes, perfectissimam sciẽtiam haberi posse. Alia sunt singularia, in quibus distinguntur differentia indiuidualis ab specifica, & est extra rationem illius; vt sunt indiuidua corruptibilia, & de his potest esse dubium, an possint terminare scientiam?

Deinde scientia, vel potest sumi pro certa, & euidenti cognitione per discursum habita: vel sine illo per simplicem intuitum. Nam hoc secundo modo sumpta, certum est, quod versetur circa quæcumquè singularia, cum Deus, & Angeli per notitiam intuitiuam perfectissimã sine discursu cognoscant singularia omnia; & beati in patria illam habent de Deo, & alijs. Est igitur difficultas de scientia discursiua; an de singularibus corruptibilibus haberi possit?

Sed adhuc duobus modis considerari possunt singularia hæc. Primò vt participant naturam specificam, in qua conueniunt, nempè naturam humanam, vel aliam. Secundò vt distincta per proprias differentias indiuiduales; quod est considerare illa, vt singularia sunt formaliter, & reduplicatiuè.

Si primo modo considerentur, certum est, de illis posse haberi sciẽtiam aliquomodo: nam cum de specie possit esse per se primò, & immediatè scientia, erit

erit etiam de singularibus per participationem, seu applicationem eiusdem scientiæ de specie ad illa, quia si de homine probatur, quod sit risibilis, etiam potest probari de Petro, aut Ioanne applicando eandem demonstrationem, probandoquè per eam, quod Petrus sit risibilis, ex eo quod in illo species singularizata est cum suis proprietatib⁹. Hoc modo in Theologia demonstrantur aliqua de Christo Domino, vt homo est, sed in huiusmodi scientia solùm intrãt singularia tamquàm subiectũ, vel obiectum materiale, formale verò est natura specifica, sub qua talia singularia considerantur.

Tota ergo difficultas est de eisdem singularibus formaliter, vt singularia sunt, & vt distincta per proprias differentias indiuiduales à natura specifica, an de illis possit esse scientia discursiua? & in hac re omissis alijs.

Dicendum est, de singularibus formaliter vt talia sunt, non posse dari scientiam discursiuam demonstratiuam, saltem naturaliter loquendo. Probatur, quia de singulari non possumus dedemõstrare proprietates aliquas nequè à priori per aliquam causam, vel definitionem subiecti, nequè à posteriori ipsam singularitatem per aliquos effectus: ergo non est possibilis scientia de illis. Consequentia patet: quia non est possibilis alius modus sciendi præter duos enumeratos. Et antecedens probatur: quia nulla extat hactenus definitio singularitatis, cum non constet genere, & differentia. Rursus nulla causa hucvsquè cognita fuit, cum species sit cõmunis omnibus indiuiduis proprijs. Rursus nec proprietates sunt vllę, quę demõstrari possint de differẽtia indiuiduali, quia ipsa non est radix aliquomodo, aliàs conueniret illi cum proprietate ratio differentiæ infimæ; solùm igitur respicit vt proprietates reliqua accidentia, quæ per accidens omnino se habent respectu illius vt supra dixi.

Addo deniquè, nequè supernaturaliter esse possibilem scientiam discursiuãde illis, quia in casu supernaturali, licèt certo cognosceretur differentia indiuidualis, quæ nunc nobis est ignota, cognosceretur per simplicem intuitum in se ipsa, & non per veram demonstrationem, quia vt dictum est, non habet certam radicem, aut proprietates, à quibus demonstrari possit, sed consistit in specialis quadam indiuisione, seu determinatione naturæ specificæ.



QVAES-

QVAESTIO. II.

Quid sit scientia subalternans, & quid subalternata?

ARTIC. I.

Scientia in communi diuiditur ab omnibus in subalternam, & subalternantem. Subalterna dicitur illa, quæ sub altera continetur. Subalternans verò ea, quę alteram sub se continet. Tribus autem modis dici potest vna scientia alteri subalternari. Primo ratione finis, quia s. finis vnius ordinatur ad finem alterius, quomodo ars frenifactiua ordinatur ad equestrem, & illi hoc modo subalternatur, & equestris militari, &c. hic autem modus subalternationis improprius est, & extra rem, de qua in præsenti agimus.

Secundo modo vna scientia dicitur alteri subalternari ratione obiecti materialis, vel terminatiui vt *quod*, quia. s. obiectum, quod consideratur ab vna scientia, continetur sub obiecto quod cōsideratur ab altera, quomodo scientia de homine dici potest subalternari scientiæ de animali; & neque hæc sola subalternatio sufficit ad constituendam scientiam diuersam subalternam à subalternante, vt postea dicam.

Tertio dicitur subalternari vna scientia alteri ratione obiecti formalis, seu principiorum, quando. s. principia vnius scientiæ pendent à principijs alteriꝰ: quod dupliciter contingere potest. Primò, quando vna scientia pendet à principijs alterius quantùm ad directionem solū, quomodo omnes scientiæ dependent à logica, & à suis principijs, tamquàm à præscribente ordinem, quem seruare debent in suis actibus, & hic etiam modus subalternationis largè, & minus propriè dicitur. Secundo modo vna scientia dicitur alteri subalternata, eo quod principia illius sunt conclusiones illatæ, & probatæ ex principijs alterius scientiæ, cui subalternatur, & à qua dependet, ideoquè principia vnius continentur sub principijs alterius, quia in illis virtualiter, & implicitè continentur, sicut consequens virtualiter dicitur includi in antecedente.

Et hic est modus proprius subalternationis (si adsint aliæ duæ conditiones requisitæ postea declarandę.) Probatur: nam illa scientia propriè dicitur subalternata, quæ quatenus scientia est, id est, in ratione euidentiæ, & certitudinis continetur sub altera, ita vt non habeat prin-

principia immediata, & indemonſtrabilia, ſed vtatur concluſionibus alterius ſcientiæ tamquam principijs certis ad probandũ, quod intendit. Vnde principia ſcientiæ ſubalternatæ ſunt concluſiones ſcientiæ ſubalternantis, quæ prius probatę fuerãt ab illa per ſua principia: & poſtea ipſæ concluſiones aſſumuntur tanquã principia in ſcientia ſubalternata: ergo illa ſcientia dicitur ſubalternata alteri, quæ ab eius principijs ſuam ſumit certitudinem & euidentiam.

Conſtat etiam hunc modũ propriũ ſubalternationis eſſe ex cõmuni acceptione huius nominis, & ex exemplis, quæ communiter adduci ſolent à Doctoribus: Medicina, v.g. dicitur ab omnibus ſubalternari Philoſophiæ, *Ait Ariſtoteles. lib. de ſenſu & ſenſibili.* quia principia illius continentur ſub Philoſophiæ principijs, & ab ipſa probantur: qua ratione inquit philoſophus, *vbi deſinit phyſicus, incipit medicus*, quia s. medicus accipit tanquam principia, cõcluſiones à philoſopho demonſtratas.

Duæ autem conditiones requiruntur ad hunc ſubalternationis modum. Prima eſt, vt obiectum ſcientiæ ſubalternatæ ſit accidentaliter inferius reſpectu ſcientiæ ſubalternantis, id eſt, quod addat illi differentiam per accidẽs diuiſiuam, quo modo ſe habent homo albus reſpectu hominis in communi, & vulnus circulare reſpectu vulneris in communi.

Ratio huius conditionis quantùm ad eam partem, quod obiectum ſcientiæ ſubalternatæ debeat contineri ſub obiecto ſubalternantis tamquam aliquid inferius, probatur facile: nam ſi obiecta ſint omnino diuerſa, aut diſparata, erunt etiam principia longè diuerſa, ac proinde non habebunt inter ſe aliquam dependentiam, aut ſubordinationem, vt inductione conſtat in illis ſcientijs, quarum obiecta nullam habent inter ſe connexionem à parte rei.

Quantùm verò ad eam partem, quod illud ſuperadditum obiecto ſcientiæ ſubalternantis, debeat eſſe differentia accidentalis, ita probatur: nã ſcientia ſubalternans, & ſubalternata diſtinguntur ſpecie, ſed non quælibet ſubalternatio principiorum, & actuum cauſat diuerſitatem ſpecificam, imo oſtenſum eſt ſupra, actus ſpecie diuerſos ratione huius ſubordinationis per ſe pertinere ad eandem ſcientiam, ſi aliàs non obſtet diuerſitas obiectorũ, ergo quandò non ſolùm principia, ſed obiecta ſunt per ſe ſubordinata, & connexa, poſſunt pertinere ſine dubio ad eandem ſcientiam: requiritur ergo vt ſcientia ſubalternata diſtinguatur ſpecie à ſubalternãte, quod addat ſupra rationem ſui obiecti

rationem quamdam purè accidentalem, & non per se connexam, aut differentiam per se diuisiuam.

Confirmatur: quia sciẽtia substantiæ propter hanc rationem subalternatur nõ vt diuersa, sciẽtiæ entis in communi: & scientia de habitibus, vel potentijs, scientię qualitatis in communi: quia addunt, solùm differentiã per se diuisiuam, & connexã cũ scientia cui subordinantur, ideoque solùm distinguntur, vt duæ partes eiusdẽ scientiæ ergo &c. ex quo colligitur iam responsio obiectionis in fine quæstionis præcedentis positę.

Colligitur etiam secunda cõditio, quæ est maior explicatio præcedentis. s. quod illud additum accidentale, quod addit obiectum sciẽtiæ subalternatæ, nõ sit passio dimanans ab obiecto scientiæ subalternantis: sic enim ad illam pertineret talem passionem demonstrare de suo subiecto, cum sit illi per se connexa, & subordinata, neq; opus esset sciẽtiam aliam subalternatã quærere specie diuersam, quæ de tali passione disputaret his positis.

ARTIC. II.

An subalternatio scientiarum explicata sit possibilis?

Est difficultas de possibilitate subalternationis vni* sciẽtiæ respectu alterius, videtur enim impossibilis talis modus subalternationis inter scientias specie diuersas. Primò: quia obiectum sciẽtiæ subalternatæ solũ distinguitur accidentaliter ab obiecto subalternãtis, cum solùm addat supra ipsum differentiã accidentalem: vt linea visualis solũ distinguitur accidẽtaliter à linea: ergo scientia subalternata & subalternans solùm accidentaliter distinguntur. Patet consequentia: quia scientiæ distinguntur per obiecta.

Secundò: scientia subalternata non habet euidentiam, & certitudinem in suis principijs, nisi sit actu coniuncta cum subalternante, à qua probantur certò, & euidentur talia principia: ergo vt diuersa à scientia subalternante non habet rationem scientię, sicut neq; euidentiam, aut certitudinem habet ratione sui præcisè, & vt habet rationem scientiæ includit iam subalternantẽ: ergo non est scientia diuersa essentialiter ab illa in ratione sciẽtiæ.

His tamen non obstantibus, talis subalternatio est possibilis, ab omnibusque concessa cum Aristotele c. 10. qua ratione Perspectiua dicitur subalterna Geometrię, & Musica Arihmeticæ, & Medicina Philosophiæ; &c.

Ad primam rationem dubitandi facile respondetur distinguendo antecedens: obiectum scien-

scientiæ subalternatæ distinguitur solùm accidentaliter in genere rei ab obiecto subalternantis, & sic conceditur. In esse obiecti scibilis per talem scientiam, negatur: quia talis differentia accidétalis in esse rei, essentialiter, & per se variatur in esse obiecti; v.g. linea vt visualis à Perspectiua, & per ordiné ad illam essentialiter distinguitur Geometria.

Ad secundum concedo antecedens: quia de ratione scientiæ subalternatæ vt talis, est q non habeat certitudinem, & eui détiam nisi à subalternante. Negatur tamen consequentia, quia sicut scientia ipsa subalternans accipit certitudinem, & euidentiam ab habitu intelligétiæ, quo assentimur principijs certo, & euidenter, & nihilominus est habitus intrinsecè euidens, & specie distinctus ab intelligentia, ita scientia subalterna vt distincta est à subalternante, habet certitudinem, & euidentiam propriá distinctam, licet ortam, & genitam à subalternante.

Neque obstat, quod scientia subalternata vt talis est, non possit separata existere à subalternante: hoc enim nó prouenit ex eo quod non sit scientia distincta, sed ex hoc quod connotat in obliquo scientiam subalternantem, qua ratione etiam scientia subalternans non potest existere sine intelligentia, seu habitu primorum principiorum, cui essentialiter subalternatur, & à quo suam certitudinem sumit.

Dixi, *Scientia subalternata vt talis est, non est separabilis à subalternante*: quia sub alijs rationibus potest separari, videlicet si cognoscat sua principia à posteriori, per demonstrationem *quia*, vel experientia aliqua, aut inductione.

ARTIC. III.

Vtrum sciétia subalternata demonstret intra proprios limites propter quid, vel solùm quia?

Deniquè pro complemento huius doctrinæ explicare restat difficultatem propositam in titulo, in qua. *Sotus, & Venetus sup. c. 10.* Prima sententia affirmat esse demonstrationem *propter quid*: & fundamentum est; quia scientia subalternata, licet nó reddat causam primam suæ conclusionis, nec demonstret illam vsquè ad principium primum, reddit tamen causam proximá eius: ergo eam demonstrat à priori, & per causam.

Secundò: quia si principia subalternatæ demonstrarentur à priori à scientia subalternante, sequeretur quod talia principia essent conclusiones illius; sed hoc est impossibile, ergo & illud ex quo sequitur. Sequela patet, & minor probatur: quia sub-

alternans, v.g. Geometria abstrahit à materia sensibili, principia verò subalternatæ, Perspectiuæ, v.g. respiciunt materiam sensibilem, ergo repugnat, quòd sint conclusiones scientiæ subalternantis ab ipsa demonstratæ à priori.

Secunda sententia docet, esse demonstrationem *quia*: quæ probatur ex Aristotele c.10. vbi docet subalternatam solùm demõstrare *quia*, subalternantem verò demonstrare *propter quid*: vbi etiam D. Tho. Ratione item probatur: quia vt aliquis habeat scientiam alicuius cõclusionis, & veram demonstrationẽ eius *propter quid*, necessum est, vt præmissis assentiatur ex sola notitia terminorum, vel si demonstrabiles sint, eas sciat reducere vsq; ad principia prima omnino indemõstrabilia, alioquin si eas reducere nesciat, non habebit veram demonstrationem de illis, nec veram scientiã *propter quid*, vt constat ex definitione assignata secundũ quã debet procedere ex primis, &c. sed principia scientiæ subalternatæ nõ sunt prima & immediata, neque possunt reduci ad prima intra proprios terminos scientiæ subalternatæ, quia hoc facit sciẽtia subalternãs, vt supponimus, ergo solùm potest demonstrare *quia*, & non *propter quid*.

Confirmatur quia demõstratio *propter quid* debet reddere causã adæquatã cõclusionis, vt supra dictũ est, quia causa inadæquata non habet necessariam connexionẽ cũ consequenti, vel nõ est sufficiẽs ratio conuincens intellectũ, sed causa proxima nõ est causa adæquata demonstrationis *propter quid*, neq; per illã euidenter, & certo conuincitur intellectus, nisi perueniat vsq; ad primas, & immediatas ergo.

Sed distinctione facile solui potest nodus difficultatis: quia vel sciẽtia subalternata cõsiderari potest, vt actu cõiuncta, & cõtinuata cũ subalternante, vel vt disiũcta, & ab illa separata. Si primo modo sumatur, sine dubio est sciẽtia à priori, & *propter quid* etiã intra proprios terminos. Et probatur, quia sciẽtia à priori, non est necessariũ, quod includat intrinsecè omnia sua principia, sed quod connotet illa extrinsecè, & in obliquo, & quod ab illis generetur, & specificetur: nã per hoc solùm conclusio erit essentialiter distincta ab omni alia notitia imperfectiori, s. probabili, & demõstratiua à posteriori, sed sciẽtia subalternata, quatenus actu cõtinuata est subalternãti, connotat saltẽ extrinsecè, & in obliquo non solũ causam proximã, sed etiam primã & indemõstrabilẽ, & ab illa generatur, accipitq; suam certitudinem, & euidentiã specificã: ergo est vera scientia *propter quid* etiã intra suos proprios terminos

Con-

Confirmatur quia aliàs eadem conclusio diceretur, *quia*, & *propter quid*: nam considerata respectu scientiæ subalternatæ esset, *quia*, & *propter quid* respectu scientiæ subalternantis, quod est falsum: nam ostendimus supra, *quia* & *propter quid* esse differentias essentiales specie diuidentes actus demonstratiuos, ac proinde non potest vtraquè eidem actui conuenire. Denique patet à simili de scientia subalternante, quæ etiam accipit prima principia ab habitu principiorum, & consequenter extra limites intrinsecos suos, & nihilominus est vera scientia *propter quid*, quia sufficit quod illa connotet in obliquo, & ab illis generetur.

Dico secundo: si scientia subalternata cōsideretur vt disiuncta à subalternāte, tūc solùm potest esse demonstratio *quia*, & à posteriori, & non *propter quid*. Sic intelligo Aristotelem, & D. Tho. citatū, pro secūda sentētia, & prob. aduertendo, scientiam subalternatam solùm posse disiungi, & separari à subalternante, cognoscēdo sua principia nō vt probata à priori per suā subalternantem, sed vt cognita à posteriori, inductione, vel experientia, sed tunc talis demonstratio solū potest esse *quia*, vt patet.

Ex quo patet iam ad fundamenta vtriusq; sentētiæ. Solùm ad secundum primæ sententiæ restat respondere, quatenus probat impossibilem esse subalternationem; negatur enim minor, & ad probationem illius nota quod in quacumquè demonstratione necessariū est, quod medium coniugatur cum extremitatibus in præmissis, vt ratione talis cōiunctionis extremitates ipsæ coniungātur in conclusione. Vnde sequitur non posse sciētiam subalternanté demonstrare à priori principium scientiæ subalternatæ per mediū sibi proprium nudè acceptū, hoc est, in propria abstractione à materia sensibili consideratum, sed necessum est, vt tale mediū coniungatur cum extremitatibus: ex quibus constat, principium sciētiæ subalternatæ, respicere materiam sensibilem, per quā coniunctioné medium scientię subalternantis vnitur cum materia sensibili suæ subalternante.

Quo supposito, respondeo nō esse inconueniens, quod in illa demonstratione, in qua scientia subalternans continuatur cum subalterna, & illi coniungitur, medium illius abstractum coniungatur, & contrahatur per materiam sensibilem, quæ respicitur à scientia subalternata, neq; tollitur per hác vnioné distinctio vtriusquè scientię, sicut nec per vnionem primorū principiorū cum extremitatib⁹ cōclusionis sciétię, tollitur distinctio habit⁹ principiorū ab habitu scientiæ.

SECTIO III.

De discursu probabili, & de comparatione illius cum fide. & scientia.

QVÆSTIO I.

Quid sit opinio, & quomodo distinguatur à fide?

ARTIC. I.

DIco primo: syllogismus probabilis est ille, cuius conclusio est solùm opinatiua, id est, certa, & euidens, est tamen ita verisimilis, vt merito approbari posit tamquàm vera, infertur que per bonam, & necessariam consequentiam ex suis præmissis, quæ non sunt adæquatè necessariæ, sed tantùm verisimiles. Tota hæc cõclusio est clara: quia syllogismus probabilis in hoc distinguitur à scientifico, & demonstratiuo, quod hic procedit ex certis, & euidentibus, & generat scientiam: illæ verò tantùm ex probabilibus, id est, non necessariò veris, sed tantùm verissimilibus, generatq; opinionem. Differt etiam à syllogismo sophistico, cuius consequentia non est bona, & legitima sicut syllogismi probabilis. Quod vt magis explicetur.

Dico primo: natura, & essentia opinionis consistit in hoc, quod sit *quidam assensus vnius partis cum formidine alterius*, id est, quoddam iudicium, quo intellectus iudicat aliquid ita esse, non tamen id affirmat certo, & euidenter. Vnde ex eo quod opinio sit assensus vnius partis distinguitur à dubio, quod non dicit assensum determinatum ad vnam partem, sed potius importat negationem assensus, nã quando intellectus est dubius, apprehendit rationes pro vtraquè partes æquales, & nulli parti determinatè adhæret, sed iudicium suspẽdit: in opinione verò determinat se ad alteram partem. Per illam autem particulam *cum formidine* distinguitur opinio à sciẽtia, quæ est assensus certus, & euidens omnem formidinem excludens de veritate alterius partis.

Sed dubitari solet, quidnam sit formido ista, & an sit de essentia

sentia opinionis? Sed breuiter respondeo distinguendo duplicem formidinem. Alia est actualis, seu formalis, quæ vel est actualis timor de veritate alterius partis oppositæ, vel tantùm est negatio certitudinis, & euidentiæ. Alia est virtualis, seu radicalis, quæ non est aliud, quàm ipse positiuus modus tendendi imperfectus, & debilis circa suum obiectum, cui non repugnat sub esse falsum. Quo supposito respōdetur: sola virtualis, seu radicalis formido ad essentiā pertinet opinionis; formalis verò se habet vt proprietas consequens; timor denique actualis, per accidens omnino se habet ad illā. Prima pars patet, quia talis formido radicalis est ipse act⁹ positiuus, & particularis modus tēdendi imperfectus, quo opinio distinguitur à scientia, assensus videlicet intellectus non innitēs stabili, & firma ratione ex natura sua, sed tantùm verisimili. Et de hac formidine intelligo S. Thom. pluribus suæ doctrinę locis præsertim 1.2. *q.67. art.3.* vbi ait, de ratione opinionis est, quod accipiatur vnum cum formidine alterius oppositi. *S. Thom.*

Secunda etiam patet: quia opinio est quidam actus positiuus, & realis, ergo nōn potest habere pro essentia aliquid negatiuum, quale est negatio certitudinis, & euidentię: tantùm ergo consequenter se habet ad illam vt proprietas.

Vltima denique pars de timore actuali, & positiuo alterius oppositi, probatur expresso Arist. *testim. 7. æthic c.3.* vbi de opinione ita loquitur: *Nā si vera opinio, & non scientia sit, ex qua continenter aguit homines, nihil ad rationem id refert: cum nonnulli ex his, qui opinantur, non ambigant, sed certò se scire existimant.* *Aristote.*

Patet etiam euidenti experientia: quia plures sunt opiniones in Dialectica, Philosophia, aut Theologia communi fere totius scholæ consensu approbatæ, & efficacibus argumentis confirmatæ, quas sequimur absquè vllo timore, vel formidine actuali. Et aliquando cernimus quosdam ex principijs euidentibus deducere aliquam conclusionem per syllogismum, quem putant euidentem, verè tamen non nisi probabilem: alios verò ita firmo, & stabili assensu (vt supra dixi ex Aristotele, inhærere suis opinionibus, ac alij adhærent scientijs, sed hæc firmitas non prouenit ex natura intrinseca ipsius assensus, sed vel ab extrinseca voluntate, vel ex imperfectione intellectus leuibus rationibus cōuicti, quia efficaciores penetrat pro altera parte, &c.

ARTIC. II.

Vbi quotuplex sit opinio, seu notitia probabilis?

Circa diuisionem opinionis dico primo, ipsam primò diuidi in immediatā, & purè iudicatiuā, & in discursiuam & mediatam. Immediata est, quæ non habetur mediante alio assensu, sed ex sola appræhēsione terminorum, cuius modi sunt istæ: *mater diligit filium. In magna multitudine hominum aliquis loquitur, &c.* Opinio verò discursiua est ipsa conclusio syllogismi probabilis, quæ ex principijs deducitur probabilibus.

Quod autē detur propositiones probabiles immediatę, quę se habeant vt prima principia probabilia, sicut dantur prima principia necessaria. Docuit Aristot. 1. *topic. c.* 8. cum distinguit propositionē probabilē in mediatā & immediatam, tenet etiā 1. *post tex.* 44. *vbi* D. Tho. Auerroes, & communiter alij.

Sed ratione probatur: quia certum est, esse in intellectu aliquas propositiones probabiles: ergo vel semper illis assentimur per alias probabiles, & illis per alias, & sic dabitur processus in infinitum. Vel non, & sic deueniendum est ad aliquas propositiones probabiles, quibus assentiamur ex sola probabili connexione terminorum, quam definiuit Arist. *c.* 26. sic: *est assēsus propositionis immediatæ non necessariæ.*

Secundò diuiditur opinio in improbabilē & probabilē. Probabilis dicitur illa, quæ sufficientes rationes habet, quibus approbetur ab intellectu, & illis moueatur ad assentiendum: quare Aristoteles docet illam esse opinionem probabilem, quam optima argumenta confirmant. Non est autem attendenda vis horum argumentorum & probabilitas opinionis respectu cuiuscumq; intellectus, nam quāuis opinio, quæ ab aliquo approbatur, & iudicatur vt vera respectu illius dicatur probabilis, respectu tamen communis conceptionis sapientum improbabilis potest esse, & vt talis iudicari. Vnde loco citato dixit Aristoteles, illam esse opinionē probabilem, quam asserunt viri sapientes, & confirmant optima argumenta: opinio verò improbabilis erit illa, quæ à nullis viris sapientibus approbatur, neque efficacem aliquam rationē habet, qua intellectus moueri posit, vel cuius oppositum est omnino certum.

Ex quibus colligitur, longè diuersum esse assentiri alicui opinioni, & iudicare illam esse probabilem,

babilem, nam assensus opinatiuus non est euidens, iudicium verò; quo iudico aliquam opinionem esse probabilem, potest esse euidens, vt *quod relatio distinguatur, vel non à suo fundamento*: quia potest habere euidentiam aliquis de aliqua conclusione, & nihilomin⁹ euidéter etiam cognoscere partem oppositam esse probabilem, quia habet pro se Doctores, & rationes efficaces, quibus probari potest; & digna est, vt approbetur ab his, qui euidentiam non habent de opposito, & hac ratione quãuis nullus posit simul assentiri, simul duabus opinionibus contrarijs, potest tamen iudicare ambas esse probabiles.

Tertio diuidi potest opinio in eam, quæ est ita debilis, vt solùm dicatur suspicio, & in eam, quę firmum generat, & perfectum assensum. Prima est, quæ habetur ex leuibus rationibus, id est, ad quam habendam mouetur aliquis ex leuibus indicijs cognitis vt talibus. Distinguitur enim à dubio, eo quod suspicio est adhæsio ad vnam partem determinatam. Propterea quando suspicio est de aliquo malo, dicitur iudicium temerarium, quia intellectus non solùm dubitat, sed iudicat sine sufficiente fundamento.

Dixi rationes leues, quibus mouetur, cognosci vt tales: quia suspicio est assensus valdè debilis, & formidolosus, quod non prouenit ex alio, nisi quia cognoscit rationes, quibus nititur esse leues; vnde si rationes leues existimet esse certas, & propter illas firmiter assentiatur, iam non erit suspicio, sed error, vel opinio improbabilis. Patet ex modo loquendi: quando enim quis affirmat aliquid cum debilitate maxima, vtitur verbo suspicor, & simul affirmare solet, se non habere certitudinem, sed suspicionem de aliqua re. Videatur de hoc D. Thom. 2.2. *q. art.* 7.

Deniquè de solertia dubitari solet, quid sit, & an distinguatur ab opinione? breuiter autem dico, quod est quædam promptitudo, & subtilitas citissimè inueniendi medium, vel causam ad aliquid probandum. *Aristote S. Thom.* ita Aristoteles 1. *poster. cap.* 27. vbi etiam S. Thom. 2.2. *q.* 44. *art.* 3. idquè constat ex communi consensu expositorum. Hæc autem solertia, si sumatur pro habitu, nihil aliud est quam habitus opinionis, vel scientiæ, quo intellectus habilitatur, & facilis redditur in ordine ad suum actum; & si sumatur pro actu, est actualis promptitudo, vel celeritas in inueniendo medio, &c.



A R-

ARTIC. III.

Quid sit fides, & an distinguatur, à scientia, & opinione?

FIdes in communi est quidam actus, quo intellectus iudicat aliquid ita esse, vel non esse propter extrinsecam authoritatem dicentis; id est, non quia intellectus in se, vel in suis causis, aut effectibus videat obiectum, sed quia ita testificatur ab aliquo veraci, & fide digno, vnde motiuum, seu ratio formalis assentiendi per fidem est authoritas, aut veracitas alicuius dicentis.

Ex qua definitione colligitur primò, rationem formalem, quæ determinat ad actum fidei, non esse cognitionem illam, qua aliquis cognoscit authoritatem alterius, neque intimationem, aut reuelationem talis authoritatis, aut loquutionis illius: hæc enim omnia solùm se habent, vt conditio applicans, sine qua obiectum formale, quod est sola veracitas testificans, mouere non poterit ad assensum, sicut se habet apprehensio respectu boni, quod est obiectum formale, & adæquatum motiuum voluntatis.

Secundò colligitur, quomodo fides distinguatur ab intelligentia, scientia, & opinione, à duabus prioribus discernitur, quia sunt euidentes, fides autem est essentialiter obscura, cum solùm nitatur authoritati dicētis. A principijs verò probabilibus distinguitur, quia illa sunt assensus, qui habentur ex immediata apprehensione terminorū, fides verò non, sed vtitur tamquā medio authoritate dicentis. Quomodo autem ab opinione differat, est difficultas. Respondere solet in hoc discrimen esse, quod opinio est notitia discursiua, suum obiectum, vel à priori probans per suas causas, vel à posteriori ex suis effectibus, aut signis manifestans, at fides notitia discursiua non est, sed simplici iudicio solùm ex testimonio extrinseco dicentis mouetur non ab obiecto in se, vel in suis causis, aut effectibus præcognito.

Sed licet hoc verum sit de fide in suo puro, & præciso conceptu cōsiderata, quod s. discursum non petat, sed essentialiter saluetur solùm per hoc quod simplici iudicio innitetur authoritati dicentis, vt de Fide diuina, latè dicā secunda secundæ, tamē si sermo sit de fide humana aut naturali, propter suam imperfectionem potest ad mixtam sibi habere rationem discursus.

Ratio huius discriminis est, quia authoritas diuina per se sola est

est motiuum adęquatum, vt per se sola possit ad assensum certũ concurrere absquè alia ratione assentiendi, quæ deseruiat, vt maior, aut minor alicuius discursus. At authoritas humana, ita debilis est, vt ex vi illius tantùm non possit firmo aliquo assensu intellectus quiescere: ideòquè iuuatur alijs rationibus, aut coniecturis, ex quibus omnibus per discursum mouetur intellectus ad assensum veritatis: & quia assensus sequitur debiliorem partem, & humana authoritas debilior est in ratione mouendi, quàm naturalis ratio, ideò assensus iste fides simpliciter appellatur. Quod è cõuerso accidit in Fide diuina: nam diuina authoritas præstantius, & certius motiuum est, quàm humana ratio, ideoquè quando vtraquè simul concurrit ad eundem assensum, actus appellatur sciẽtia, vel opinio propter debiliorem partem, non fides. Sed de hoc latius suo proprio loco.

QVAESTIO. II.

An pia affectio voluntatis requiratur ad opinionẽ, & fidem, & quomodo?

ARTIC. I.

Pia affectio est quidam act⁹ voluntatis, à quo mouetur intellectus, vt præbeat assensum alicui propositioni. Hæc autem duplex potest esse. Altera est quidam amor ad aliquam veritatem, & quoddam veluti desiderium, quod talis res sit vera, quo pacto amicus desiderat vt bona, quæ de amico enuntiantur, vera sint, ex quo desiderio facilè mouetur ad illa credenda, quæ aliàs non ita crederet. Altera est quidam actus imperij, quo voluntas imperat intellectui, vt eligat vnam partem potius quàm alteram, & iudicet illã esse veram. Quo supposito.

Dico primo pia affectio in prima acceptione non est necessaria ad elliciendum actum opinis, aut fidei, licet valde ad illam conducat, & iuuet. Prima pars probatur: quia licet nõ sit affectus circa aliquã veritatẽ, nec desideret illam esse veram, ad huc. potest præbere assensum propter rationes, quę illi se se offerũt, & illum mouent ad assentiendum, vt quando iudicat authoritatem dicentis esse fide dignã.

Secunda pars etiam patet: quia quando quis habet talem amorem circa obiecta, aut proferentem illa prosequitur aliqua amicitia iuuat multùm vt diuertatur intellectus à rationibus,

quæ

quę assensum retardare possint, & vt non quærat alias, sed qualibet inuenta in fauorem obiecti voliti? assentiatur illi: quapropter ad credenda mysteria fidei valde iuuat ille affectus, & amor circa res à Deo reuelatas, & ab Ecclesia propositas.

Dico secundo: pia affectio voluntatis secundo modo sumpta est omnino necessaria ad elliciendum quemcumquè actum opinionis, & fidei. Ita D. Tho. 2.2.q.1.ar.4. & colligitur ex cōmuni Theologorum sententia petentium hanc piam affectionem ad elliciendos actus Fidei diuinæ, quæ est omnino certa: ergo à fortiori requiritur ad actus fidei humanæ, & opinionis, quæ sunt incertæ, & fallibiles. Probatur consequentia: quia positis rationibus solùm probabilibus, non necessitatur intellectus quoad exercitium ad assensum alicuius veritatis, vt ex dictis patet: ergo vt actus opinionis elliciatur quoad exercitium necessarius est ille actus voluntatis imperans, seu determinans indifferentiam, quam habet intellectus ad elliciendum, vel non elliciendum assensum conclusionis. Hoc etiam docuit S. Tho. citatus dicens intellectum dupliciter assentiri obiecto; vno modo, quia mouetur ab ipso obiecto, vt contingit in primis principijs, & in conclusione ab ipsis deducta, alio modo non, quia sufficienter moueatur ab obiecto proprio, sed quia per quamdam electionem voluntatis fertur in vnam partem, vel in vnam opinionem, potius quàm in aliam.

S. Thom.

ARTIC. II.

An pia affectio possit determinare intellectum ad assentiendum opinioni minus probabili, probabiliori relicta?

Sensus difficultatis est, an intellectus necessitetur saltem quoad specificationem ad assentiendum semper opinioni probabiliori, ita vt non possit saltem ex imperio, & pia affectione voluntatis assentiri opinioni æquę, vel minus probabili?

Aliqui affirmant posse intellectum indifferenter assentiri cuilibet earum, etsi minus probabili, si cognoscatur vt simpliciter probabilis. Fundamentum eorum est; quia eo ipso, quod opinio est simpliciter probabilis, habet rationem veri, & est intra latitudinem obiecti intellectus: ergo potest voluntas inclinare intellectum ad assentiendum illi. Confirmatur: quia

quia sicut voluntas potest prosequi minus bonū, maiori relicto pro sua libertate, ita poterit prosequi opinionem minus probabilem, omissa probabiliori, nam sicut vtraquè habet rationem veri, ita & rationem boni, ad quod posšit inclinari voluntas, & inclinare intellectum sibi subordinatum.

Nihilominus oppositum dicendū existimo, videlicet quod si intellectus simul aduertat, & penetret rationes vtriusquè opinionis, non potest eam, quam cognoscit vt minus probabilem amplecti, probabiliori relicta. Probatur. quia eo ipso quod opinio apparet intellectui vt probabilior, proponitur illi vt verior: ergo si velit alicui assentiri, huic potius, quàm oppositæ assensum præbebit. Probatur consequentia, quia intellectus est potentia naturalis necessariò determinata ad vnum. s. ad verum, ergo vbi aduertit magis veritatē splendescere, inclinabitur necessariò. Confirmatur, quia opinio probabilior destruit veritatem oppositæ, quia cum non posšint dari duo contradictoria à parte rei, eo ipso, quod vna appareat probabilior, & verior, iudicat intellectus probabilius, & verius esse, quod opposita non sit, ergo repugnat quod eam alteri præferat in veritate. Patet consequentia quia cum talis antepositio sit tantùm in cognoscendo, non potest eligere vt magis verum quod iudicat minus verum.

Sed respondent Authores oppositi quod licet intellectus non sit ex se indifferens, potest determinari à voluntate, ad opinionem minus probabilem. Sed contra hoc est, quod licet posšit voluntas diuertere intellectum à rationibus opinionis probabilioris, & mouere illum ad quærendum alias rationes, quibus magis appareat veritas minus probabilis, & consequenter vt probabilior reddatur: cæterum non potest facere, quod stante actuali aduertentia maioris probabilitatis alterius partis, intellectus assentiatur parti minus probabili: quia est impeditus reuera à probabiliori opinione, atquè adeo non potest subijci quantùm ad hoc voluntatis imperio, sicut nec manus alligata.

Aliàs enim propter amicum sic rogantem possem derelinquere omnes opiniones probabiles, quas modo habeo, & assentiri oppositis, imo & improbabilibus, quod est falsum, & cōtra manifestam experientiam, qua quidam multoties diu laborare solent, quærendo rationes ad substinendam aliquam sententiam, & non possunt inuenire modum, quo intellectū persuadeant ad assensum, quamtumuis id maximè desiderant.

signum

Signum ergo est, intellectũ non determinari à volũtate vllo modo ad speciem actus, sed solùm ad exercitium, hoc est, solùm potest mouere intellectum, vt quærat rationes pro aliqua parte, & diuertatur ab oppositis, donec sic pars desiderata illi probabilior appareat, & ita posit ab eo amplecti: ceterùm dum talis maior probabilitas non inuenitur, non poterit voluntas intellectum contra suam naturam mouere, vt magis verum iudicet, quod illi minus verum apparet.

Ex quo patet solutio ad fundamentum opposite sententiæ, & disparitas ad eius confirmationem: quia maius bonum non destruit bonitatem minoris boni, & voluntas pro sua libertate non tenetur conformari rebus prout sunt in re, sed iuxta suum beneplacitum potest tendere in illas: at verò intellectus est potentia naturalis tendens solùm in res, prout sunt a parte re rei, *quia sicut res se habẽt ad esse ita ad cognosci*. Atquè adeò res, quæ habet magis de veritate inclinabit magis intellectum ad eius assensum.

Colligitur deniquè quid dicendum sit, si vtraquè opinio simul appareat æquè probabilis? Preterquamquod rarisimè hic casus eueniet, quia quando vtraquè sit æquali rationum pondere firmata, saltem in authoribus vtriusquè partis non poterit vnquam aliquem excessum non inuenire, vel quoad numerum, vel quoad sufficientiam, aut æstimationem, ratione cuius moueri posit ad assentiendum vni parti, & omittendum aliam, vel ad diuertendum intellectum à probabilitate vnius, & quærendum excessum aliquem in probabilitate alterius.

Supposito tamen casu, quod omnia sint paria, & æqualia, cõsequenter ad dicta dicendum est, intellectum non posse determinatè assentiri alicui parti etiã ex imperio voluntatis, sed tunc dubium, & suspensum manere. Probatur, quia quando rationes sunt æqualiter fortes pro vtrãquè parte æqualiter trahunt intellectum.s.quælibet ad se: ergo cum intellectus non posit simul ferri circa vtramquè, quia sunt contradictoriæ, & non sit maior ratio, quare assentiatur vni parti, potius quam alteri, necessariò in eo casu suspendet iudicium. Nequè poterit determinari à voluntate, quia voluntas non tribuit apparentiam aliquam maiorem veritatis, nec persuadet aliquo modo aliquam partem esse magis veram, aut occultat aliam, ergo non potest tollere huiusmodi impedimentum, quod intellectus habet in hoc casu vt feratur in suum obiectum, sed solum tali impedimento sublato, poterit illum

quoad exercitium mouere, vt patet in alijs potentijs.

QVAESTIO. III.

An scientia, fides, & opinio de eodem obiecto possint esse simul in eodem intellectu?

ARTIC. I.

NOn est difficultas an sint composibiles hi actus in eodem intellectu circa diuersa obiecta, vel è contra, an de eodem obiecto in diuersis intellectibus, vel in eodem pro diuersis temporibus: quia idem omnino obiectum cognosci potest per diuersa media: per alterum certò, & euidenter; per alterum verò probabiliter, & cum formidine. Frequēti enim experientia constat, quotiescumquè aliquis incipit adiscere scientiam de aliquo obiecto, multa accipere prius per fidem à Magistro, disponiquè per cognitionem probabilem imperfectam, & tandem acquirere perfectam scientiam. Est igitur præsens difficultas de composibilitate horum actuum in eodem intellectu pro eodem tempore; circa idem obiectum. Suppono enim ex libris de anima possibiles esse simul plures actus in intellectu, quod etiam supra tetigi, & controuersia est, an hi actus repugnent inter se, vt tales sunt secundùm suas peculiares differentias specificas, licet quatenus intellectus sunt præcisè, non conueniat illis talis repugnantia.

Est ergo prima difficultas, an actus scientiæ, & opinionis simul compatiantur de eodem obiecto. Prima sententia negat. Ita videtur sentire Arist. 1. *post. c.25.* dicens impossibile esse eūdem hominem de eodem obiecto habere simul cognitionē sciētificam, & opinatiuam. Vbi etiā D.Thom. *lect.44.* quam tenent multi Thomistæ. Aristote. S. Thom.

Fundamentum illorum est primo: quia impossibiles sunt circa idem obiectum certitudo, & incertitudo: euidentia, & obscuritas: formido, & non formido: incomposibilia enim sunt hæc prædicata, & inuicem se expellentia, sed opinio trahit formidinem, & obscuritatem, scientia tollit, & euidentiam postulat: ergo in eodem intellectu nō possunt simul compati.

Secunda de ratione scientiæ est, quod habens illam cognoscat euidenter eius obiectum nō posse aliter se habere, & oppositum illius esse falsum: de essentia verò opinionis est, quod iudicet oppositum esse probabile, & eius obiectum posse aliter se habere,

habere, sed implicat quod de eodem iudicet posse, & non posse aliter se habere, quia contradictoriè opponuntur, ergo implicat, quod simul habeat scientiam, & opinionem de illo.

D.Th. in 3.d.31. q. 2.ar. 1.q. 1. ad 4. & 1.p.q. 58.ar. vl. ad 3. & 1.2.q.67. ar.3. S. Bonau. Gabriel. Altisiod. Alex.Alensis. Henric. Suar.

Opposita tamen sententia affirmatiua communior, & verior est. Tenet enim illam expressè S.Thom. Probatur: quia omnis incompossibilitas debet prouenire ratione alicuius oppositionis, sed nulla excogitari potest oppositio inter actum scientiæ, & opinionis, ergo nec incompossibilitas. Maior communiter est ab omnibus admissa, & certissima experiẽtia manifesta: videmus enim formas accidentales, & eas quæ non habent oppositionem adinuicem simul reperiri in eodem subiecto. Minor verò in qua est difficultas, probatur: quia licet scientia actualis, & opinio respectu eiusdem actus, & eiusdem medij opponãtur, non tamẽ respectu eiusdẽ subiecti, aut obiecti materialis, atquè adeò poterunt esse in eodem subiecto, & circa idem obiectum materiale, licet non possint esse in eodem actu, & respectu eiusdem medij.

Primum patet: quia scientia, & opinio non habent oppositionẽ contradictoriam, aùt priuatiuam, vt patet, cum vtrumquè sit affirmatiuum: nequè contrarietatem positiuam absolutam respectu totius subiecti, alias etiã scientia, & opinio circa diuersa obiecta non essent compatibiles in eodem subiecto, quod est falsum.

Et declaratur hoc amplius ex differentia, quæ est inter formas, quæ sunt absolutæ ab omni respectum, & illas quæ respectũ dicunt etiam transcendentalem ad aliquid extrinsecum: quod formæ absolutę, sicut totum suum esse habent à subiecto, & in subiecto, solùm exercẽt contrarietatem, si quam habent, in ipso subiecto, & ab ipso mutuò se expellunt, vt videre est in calore, & frigore: at verò accidẽtia essentialiter respectiua, sicut essentialiter dicunt ordinem ad aliquid extrinsecum, in ordine ad quod totum suum esse habent, & specificationem, ita in ordine ad illud oppositionem accipiũt, & non possunt esse simul respectu eiusdẽ termini vt videre est in similitudine, & dissimilitudine, quæ licet sint relationes oppositæ respectu eiusdem termini, nõ tamen respectu diuersorum: & ideò licet idem subiectum non possit esse simul simile, & dissimile respectu eiusdem termini potest respectu diuersorum. Sic igitur actus scientiæ, & opinionis, quia essentialem habitudinẽ dicunt ad obiecta formalia, & ad diuersa media, totam suam oppositionẽ habebunt respectu eiusdem medij, & obiecti formalis, non verò respectu diuersorũ,

atquè

atque adeò simul possunt compati in eodem intellectu circa diuersa media, & obiecta formalia.

Secundum etiam patet. s. nõ opponi hos actus respectu eiusdem obiecti materialis, quia si ita esset, neque in diuersis hominibus possent simul esse circa idem obiectum. Ratio à priori est, quia ordo essentialis, quẽ dicunt isti actus, non est ad obiectum materiale præcisè, sed vt subest rationi obiectiuæ, & medio, quod est ratio assentiendi: nam actus scientiæ non habet quod sit certus, & euidés ab obiecto materiali, sed à medio, quod est obiectum formale motiuum, & similiter opinio, ergo solùm in ordine ad tale motiuũ possunt habere oppositioné.

Deniquè confirmatur ex solutione argumentorum. Ad primum enim dico, quod licet certitudo, & incertitudo, euidentia, & obscuritas repugnent respectu eiusdem medij, & eiusdem actus, qui est immediatum subiectum horum, non verò respectu eiusdem intellectus, qui est subiectum mediatũ, & remotum: supposito enim quod est capax plurium actuũ simul, nullum est inconueniens, quod alius alio euidétior sit, ac perfectior: quod vnus claré, & alter obscurè, repræsentet idem materiale obiectum, quia hæc claritas, & obscuritas non conueniũt immediatè, & adæquatè intellectui, sed diuersis actibus inadęquatis illius capacitati, sicut lux, & tenebræ sunt simul in diuersis partibus eiusdem aeris.

Sed dices: quãtumuis media, & actus sint plures, implicat intellectum simul esse certum, & non certum de aliqua veritate; conuictũ, & non conuictum: plenè determinatum, & non determinatum: habere, & non habere formidinem: ergo.

Respondetur concedendo huiusmodi prædicata esse incõpossibilia etiam in diuersis actibus, cum sint contradictoriè opposita respectu eiusdem intellectus, quia negatiua remouent à toto intellectu, quod affirmant alia prædicata positiua, sed negandũ est conuenire in nostro casu eidem intellectui huiusmodi prædicata, sed esset intellectus simpliciter cõuictus, certus, & plenè determinatus circa illam veritaté, de qua simul scientã, & opinionem haberet. Quod vt clarè intelligatur, aduerto, ꝙ quãuis sit de ratione opinionis quod sit actus ex natura sua non conuincens, non certificans, non plenè determinans intellectum, &c. non est tamen de ratione illius, quod si aliàs intellectus est cõuictus, certus, & plenè determinatus ex vi alterius actus, sciẽtię, videlicet, quod auferat eius certitudinem, sed sufficit quod ipsa opinio non tribuat illam.

Ad vltimum quod tangitur in eodem argumento de formidine, iam patet ex dictis, formidinem actualem, aut formalem esse extra rationem opinionis, & ab ea separabilem: vnde per accidens illi conuenit, quod sit simul cum illa iudicium reflexum, quo existimetur rem opinatam posse aliter se habere, vt euidenti experientia omnibus compertũ est. Solùm enim radicalis formido est de essentia opinionis, sed hæc solùm consistit in hoc quod modus tendendi illius sit ita imperfectus, vt ex natura sua nõ conuincat intellectum, nec certum reddat, vt explicatum est.

Ex quo ad secundum respondeo, quod quando dicitur de ratione opinionis esse, quod eius obiectum possit aliter se habere, & de ratione scientiæ, quod eius obiectum non possit aliter se habere, non esse intelligẽdum ex parte obiecti, prout est in re, ita vt obiectũ in re semper possit aliter se habere: nam si illa opinio est vera: *quantitas*, v.g. *distinguitur realiter à re quanta*, eius oppositum non poterit vnquam aliter se habere. Dicitur autem quod opinio est de illis, quæ possunt aliter se habere in ordine ad intellectum, & quantùm est ex vi medij probabilis, propter quod assentimur, quamuis autem quantùm est ex parte medij probabilis, possit opinio aliter se habere: quia possunt occurrere intellectui, probabiliores rationes ad oppositum, ratione quarum mutet sententiam, tamen non est necessarium formale iudicium, quo existimet rem opinatã posse aliter se habere, siuè in re, siuè in suo intellectu, sicut dixi de formidine formali.

Sed obijcies Aristotelem, & S.Thom. citatos supra 1.poste. c.26.& 2.2.q.1.ar.5.ad 4. vbi ait Angelicus Doctor: *Scientia cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem, quia de ratione scientiæ est, quod scitum existimetur esse impossibile aliter se habere; de ratione autem opinionis, quod id quod est opinatũ, existimetur posse aliter se habere*, & citat pro se Aristotelem in c.26. ergo aperte contrariamur vtrique Authori.

Respondetur S.Thom. se explicare de eodẽ obiecto formali, & non tantùm materiali, quia inquit in eodem loco, *posse haberi opinionem, & scientiam simul de eodem secundùm quid, & non secundùm idem*, id est, secundùm eandem rationem formalem, & ordinem ad idẽ mediũ, & sic explicat Aristotelem. Et quando asserit de ratione opinionis esse, quod existimet posse obiectum aliter se habere, intelligendum est non formaliter, & explicitè, sed implicitè, & virtualiter, quia ex modo imperfecto ten-

tendendi medij probabilis, eo ipso quod potentia intelligens non plenè conuincitur, existimat implicitè quantùm est ex vitalis medij posse obiectum aliter se habere, atquè adeo ex tali medio non posse habere scientiam, &c.

ARTIC. II.

Vtrùm fides simul possit esse cum scientia circa idem obiectum?

PRima sentẽtia absolutè affirmat, posse simul stare actum fidei cum actu scientiæ. Probantq; eisdem rationibus, quibus nos probauimus actum opinionis esse possibilem cum actu scientiæ simul in eodem intellectu, & circa idem obiectum.

Mihi tamen opposita sententia negans hos actus esse compossibiles in eodem intellectu, communior, & verior videtur. Tenẽt illam Authores supra citati, art. 2. pro 1. sententia & fere omnes discipuli S. Tho. cum suo præceptore: & licet ipse videatur loqui codẽ modo de opinione, ac de fide, nõ loquitur de opinione in communi, & in tota sua latitudine, sed tantùm de illa, quæ est cum formidine, & ratione illius non determinat sufficienter intellectũ, sed indiget imperio voluntatis, (vt ipse explicat,) hæc enim eodẽ modo est incompossibilis cum actu scientiæ, ac fides, vt dicam.

S. Thom. & eius Discipuli 2. 2. q. 1. art. 4. & 5.

Probatur præterea ex sensu, quo iuxta communem explicationem patrum intelligi debent verba illa Pauli ad Hebr. 11. *Fides est argumentum non apparentium.* His enim verbis non solũ significatur fidem esse cognitionẽ obscuram, hoc est, rem quæ cognoscitur per fidẽ, nõ cognosci euidenter per illã: sed etiam significatur vniuersè fidem esse cognitionem rerum, quæ simul euidenter nõ possunt cognosci, nec per eundem, nec per alium actum. Huic enim vniuersalem sensum efficit illa particula *non apparentium.* Et quod caput est hunc sensum in illa particula intellexerunt omnes Ecclesię patres, ex quibus maximè intelligentiam. s. Scripturæ accipere debemus: mouent enim quæstionem in illum locũ, & in cap. 20. Ioan. quomodo verum sit, quod textus dixit: *quia vidisti me Thoma credidisti*, cũ potius fides sit cognitio non apparentium: & respondent nullam fuisse in his locis repugnantiam: nã Thomas aliud vidit, & aliud credidit, hoc est, hominem vidit, & Deum per fidem confessus est, ergo ex sententia illorum ita fides debet esse argumentum nõ appa-

Aug. tractatu 79. in Ioan. Gregor. hom. 26. in Euan. Ansel. & Beda D. Tho. 2. 2. q. ar. 4. ad 1. Chrysost. hom. 22. in locum Pauli.

apparentium, vt non sit idem quod per vnam cognitionem vi deatur, per aliam autem credatur, si enim ad veritatẽ illius testimonij intellexiſsẽt patres solũ requiri vt per fidem ipsam non videatur obiectum, quod creditur, alia ratione respondissent, S. Thomam non vidisse per fidẽ, sed per aliam notitiam.

S. Chryſ. Vnde S. Chrysost. hom. 22. super locum citatum Pauli: *Si fides*, inquit, *est argumentum non apparentium, quid est quod vultis videre, vt excidatis à fide?* Quæ verba planè significant fidem alicuius obiecti amitti, si obiectum etiam per alium actũ videatur. Et Aug. tract. 40. in Ioan. *fides*, inquit, *est credere, quod non vides*. Quam doctrinã sequuntur omnes alij patres.

In explicãda verò ratione huius sententiæ maximè diuisi sunt Authores, varias adducentes rationes, quæ ferè omnes tactę, & solutæ sunt, art. 2. & 3. loquendo de composſibilitate scientiæ cum opinione. Ratio igitur firma & efficax, quæ mihi persuadet actum fidei esse incomposſibilem cum actu scientiæ, non est, quia prior sit obscurus essentialiter, & posterior clarus. Sed illa, quã adducit S. Thom. vbi supra. s. quia repugnat intellectum liberè, & necessariò determinari ad aliquem actũ; sed ad actũ scientiæ determinatur necessariò, & ex intrinseca natura sua, ex solis principijs euidentibus omnino indepẽdẽter à voluntate, quia quamtumuis velit voluntas non poterit dissentiri tali obiecto euidenter proposito: ad actũ verò fidei non applicatur necessariò, sed liberè determinatus ex pia affectione voluntatis, ergo non potest ad vtrumq; simul determinari. Maior patet: quia necessariò operari sine potestate ad oppositum, & liberè, seu contingenter cum potestate ad oppositũ omnino repugnat respectu eiusdẽ actus.

Minor autem quoad secundã partẽ, in qua est difficultas, probatur: quia intellectus ex vi solius testimonij extrinseci dicentis non est determinatus necessariò, & ex intrinseca natura sua ad assensum, vel dissensum, sed est simpliciter indifferens ad vtrumlibet, potest enim, vt patet experientia, cuiuscumq; testimonio assentiri, aut dissentiri, si velit, ergo ad vnum, vel alterum determinatur intellectus ex imperio libero voluntatis, consequentia patet: quia cum intellectus non sit potentia libera intrinsecè & ratione sui, quę possit se ipsum, suamq; indifferentiam determinare ad vnã partẽ, indiget libero voluntatis imperio, quo determinetur.

Antecedens declaratur amplius: quia obiectum propositũ ab extrinseco nullo modo videtur, aut cognoscitur in se ipso, vel

vel in suis causis ab intellectu, sed remanet ita obscurum, sicut antea, quod non contingit, quando tale obiectum cognoscitur per mediũ demonstratiuum, vel probabile: ergo licet ab obiecto euidẽter, seu probabiliter cognito possit determinari intellectus, non ab extrinseco testimonio illud exprimente.

Tertiò ratione probatur: quia authoritas essentialiter connotat negationẽ rationis necessariẽ ad assẽsum, subrogaturq; loco illius, nam est mediũ ad hoc solũ ordinatum, quod declaret rẽ occultam, atq; adeò eo ipso quod res patere incipit, definit esse materia idonea authoritatis, vt ait Aug. 2. *de ordine c.9. & c. 22. de vera religione, & de moribus Ecclesiæ c.2.*

Et confirmatur: quia de risibilis esset, qui rem præsentẽ sensibus obiectam confirmare vellet iuramento, vel authoritate, vt inquit D. Thom. *q.89. art. 1.* in fine corporis: cuius rei nõ est alia ratio, nisi quia authoritas nõ mouet ad præsentiã obiecti.

Secundò à simili: videmus enim sensum nõ posse operari circa minus vehemẽs sensibile, occupatũ sensatione vehementiori, eo quod tota attentio sensus absorbetur ab illo. Lux enim Solis quæ cõparatione cæterorum syderũ est vehemens sensibile, impedit, vt à nobis videãtur astra, quãuis præsente Sole, in se ipsis lucida maneant, ergo ita similiter quando intellectus mouetur à præsentia obiecti, ita occupatur ab illa, vt non possit naturaliter moueri ab authoritate.

Ex dictis colligitur, quod licet hæc repugnantia actus fidei cũ actu scientiæ proximè oriatur ex diuersis illis rationibus operandi, s. ex intrinseca determinatione & propensione intellectus, & ex imperio extrinseco volũtatis, quæ duæ rationes cõparatione eiusdẽ obiecti materialis simul esse non possunt, radicaliter tamen sumi hanc incõpossibilitatẽ ex euidentia & obscuritate obiectiua; ex hoc enim quod intellectui euidenter appareat obiectum, inducitur, & necessariò mouetur ad illud propter insitam inclinationem, quam habet ad verũ: si autem proponatur illi vt probabilius, quàm eius oppositũ, etiam determinabitur, si non adsit formido de veritate oppositi, vel voluntas imperans vt quærat alias rationes, &c. at si ita obscurè proponatur, vt contingit per testimonium dicẽtis, tunc est indiffe rẽs intellect⁹, ratione talis obscuritatis, atq; adeò ex illa tanquã ex radice oritur necessitas electionis voluntatis.

Dubium appendix.

Sed dubitari potest, an repugnantia hæc intelligenda sit non solũ secundùm communẽ legẽ & ordinariam, sed etiã potentia

Dei

Dei absolutæ? Respódeo solùm naturaliter esse intelligendam. Nam miraculosè per diuinã virtutem fieri optimè potest, vt actus credendi infundatur intellec tui humano sine electione volũtatis, ita vt simul sit cum euidẽti cognitione eiusdem obiecti. Probatur: quia Deus vtendo intellectu tamquàm potentiã vitali, & necessaria ad producendam intellectionem, supplere potest omnia alia principia extrinseca, atquè infundere quamcumquè intellectionem præsertim veram, & certam. Id cernitur in illuminatione, & sancta cogitatione (in qua ponitur gratia præueniens, quam Deus sua voluntate in intellectu infundit vt illuminetur: optimè enim potest Deus per se efficere in intellectu solùm id, quod per efficacitatem specierum, vel per alia principia extrinseca erat efficiendum, ergo pari ratione sine imperio voluntatis creatæ potest infundere cognitionẽ verã essentialiter innixã in ipsius testimonio, & simul conseruare in intellectu notitiam euidentem eiusdem obiecti. Hæc tamen, & alia hujus difficultatis plenius ellucidabuntur 2. 2. de Fide. Dicta ad logicam sufficiant.

An in eodem intellectu possint esse simul scientia, & error de eodem obiecto?

Aliud est loqui de ignorantia, quæ in carentia scientiæ cõsistit, de qua certũ est, non posse simul esse cum suo positiuo, & aliud est loqui de errore, qui est actus positiuus propriè loquendo, & de hoc dubitari potest, an sit compatibilis cum scientia, in diuersis actibus, & per ordinem ad diuersa media, demonstratiua, & sophistica, sicut diximus supra de scientia, & opinione?

Incunctanter tamen, & sine dubio asserendum est, quod licet actus sciẽtiæ, & erroris non sint propriè contrarij, quia non se determinatè expellũt, ita ut detur mutuus transitus ab vno ad aliũ: (potest enim homo, & sine scientia, & sine errore esse) adhuc tamen non possunt esse simul in eodẽ intellectu. Ita Arist. *de breuitate, & longit. vitæ c. 2.* vbi ait, scientiam corrumpi per deceptionem, seu errorem & D. Tho. 3. *p. q.* 8. 3. *ar.* 5. Probaturq; euidenter, quia intellectus non potest simul assentiri duabus contradictorijs, si autem per actũ scientiæ assentiret huic veritati: *homo est rationalis*, & per actum erroris huic: *homo non est rationalis*, iam simul assentiret duabus contradictorijs. Vnde est manifesta disparitas inter sciẽtiam, & opinionem, ergo. Maior est euidens: quia intellectus nõ potest tendere in falsum sub ratione falsi, debet enim tendere in verum saltem apparẽs, sed quod duæ contradictoriæ nõ possint simul esse à parte rei, est princi-

Aristot.

S. Thom.

pium

pium ita certissimum, vt eius oppositum sit manifestè falsum omni intellectui saltem illi, qui euidentiam habet de positiuo. Quod dico propter multos, qui in suis opinionibus saltè implicitè concedunt duas contradictorias, quia illas inuoluunt in suis dictis, sed non habent isti scientiam de aliquo extremorum, neque sciunt discernere vnum ab altero, neque existimant vtrũque oppositum concedere.

QVAESTIO. VLT.

De syllogismo, seu discursu fallaci.

HVc iam fatigatus accedo, & vt verum fatear, timor alios fatigandi fastidio prolixitatis compulit me plura iam elaborata ab hac vltima disputatione expungere; idcirco plura omitto de syllogismo fallaci non ita necessaria ei, qui regulas artis syllogisticæ supra traditas satis caluit. Solùm hîc placet aduertere, quod Sophista, vt inquit Aristo. *in libris elench.* est qui argumento vtitur reuera fallaci, sed quoad apparẽtiã verisimili, vnde discursus, seu syllogismus sophisticus, erit syllogismus apparens, & non existens, vel existens, sed non conformis rei, id est, syllogismus, qui primo aspectu apparet ver⁹, re tamen verus non est, sed suo subiecto disconueniens. Vnde colligo huiusmodi syllogismum non dari in mente apud eum, qui percipit illius fallaciam, quia percipiens illius falsitatem non potest illi assentiri, sed tantùm reperiri in vocibus.

Triplicem potest habere defectum syllogismus, ratione cuius dicatur fallax. Primus ex parte materiæ. Secundus ex parte formæ. Terti⁹ ex parte materię, & formę simul. Tunc datur in syllogismo deffectus ex parte materiæ, quãdo talis defect⁹ reperitur in propositionibus, quæ assumuntur ad syllogismũ, quia s. propositiones assumptæ apparent probabiles, & reuera probabiles non sunt, vt patet in hoc syllogismo *omnis gallus est auis, omnis homo ex gallia est gallus, ergo omnis homo ex gallia est auis.*

Defectus ex parte formæ contingit: quando propositiones non sunt bene dispositę in modo, & figura iuxta doctrinam, & regulas supra traditas, vt in hoc: *omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergo omnis equus est homo.*

Præterea ex parte materiæ, & formæ simul contingit defectus quãdo tã propositiones, quã ipsarum dispositio est defectuosa, vt patet in hoc: *aliquis gallus est*

est auis, aliquis homo ex Gallia est Gallus, ergo est auis. Deficit ex parte materiæ propter æquiuocationem illius vocis *Gallus*, & etiam ex parte formæ: quia ex puris particularibus nihil sequitur. Et hæc de tota Logica dicta sufficiant ad laudem, & gloriam Dei omnipotentis, & Beatissimæ Virginis Matris, cui hæc omnia dicata volumus, cuius auxilio, si quid bene dictum est, tribui debet.

(?)

F I N I S.

HISPALI.

Apud Andræam Grande, Typographum.

Anno M. DC. XXIIII.



528

bendi anne del Carlo ospedale

30 ala Sra dina Marta.

03. a Borchini

3 alla Sra de casa. Sale del Sumo i mesi del Carlo.

R

FINE